
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO FORENSE
37
35 R
15

TITI LIVII
PATAVINI
HISTORIARUM
TOMUS TERTIUS.

A Libro XXIII. ad XXXV.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JOANNES DUJATIUS

JUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS,

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.

ACCESSERE IN HAC NOVA EDITIONE

JOANNIS CLERICI Notæ.





VENETIIS; M DCC XIV.

Apud CAROLUM BONARRIGUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illustriss.mo atque Excellentiss.mo D.D.

ANTONIO FRANCISCO
F A R S E T T I
Equiti Amplissimo.



Ertio Titi Livii mei tomo jam prodeunte tertius non fuit illi diu quærendus patronus. E Typis,

unde novam auſpicatus eſt vitam hiſtoriæ Romanæ parens, in tuum, EQUES PRÆSTANTISSIME, ecce advolat ſinum, quem benignè excipias, foveas, atque tuearis. Et ſane, cum eloquentiſſimo ſcriptori, cujus unius invicta facundia rerum geſtarum populi Romani magnitudini par fuit, plurimum deferas, eumque, à cujus aſſidua lectione mirum capis oblectamentum libenter evolvas, quem alium potuit ille ſeligere in dominum quam ſui ſtudioſum, quam admiratorem ſui? Ut enim illuſtris alicujus Mecœnatis fulcro doctiſſimorum virorum indigeant monimenta, nulla certè melior ſperanda tutela, quam quæ à patrono præſtatur erga Auctorem jampridem affecto. At non adeo mehercule Livium meum ad te pellexit tuus in illum propenſus favor, quam pertraxerit humanitas tua. Equidem ea te natura ingenii ſuavitate donavit, innatamque comitatem ea morum expolis venuſtate, atque elegantia, ut, cum plurimis tum fortunæ, tum animi dotibus præclarus emineas, una tamen humanitas tua omnium in te oculos, admirationemque convertat. Obſtupuit porrò non ita pridem mira tuorum officiorum lautitia undique complexus FRIDERICUS QUARTUS Daniæ Rex, cum ad hanc Urbem inviſendam Vicentia tranſeuntem, ubi Prætoris pro hac Sereniſſima Republica ſpartam ſumma cum laude, ſeu integrita-

tis,

tis, seù vigilantiæ adornabas, ea magnificentia, qua tantæ Reipublicæ personam induenti, qua tanto Regi decuit, excepisti. Ataque adeò regio cordi inhæsit exquisitæ comitatis tuæ lenocinium, ut contineri nequiverit, quin redux te rursum inviseret, tecumque moratus tua consuetudine magna cum voluptate diutius uteretur: donec aliò regni curis evocatus, licet ægre divulsus, cum nihil majus, quod Veneto civi rependere posset, haberet, aurea hac, qua fulges, Stola maximorum tantummodo meritorum præmio in æternum virtutis tuæ monumentum te decorarit. Verum enimvero licet ad excipiendos reges proprio quodam naturæ munere factus esse videaris, non tamen æquales spernis, & quod summum humanitatis est, miseros etiam liberaliter, leniterque complecteris. Hinc nemini ad te negatur accessus: nemo durius accipitur. Admittuntur omnes hilariter, splendide suscipiuntur, tractantur amœniter, votique compotes, cum fieri potest, dimittuntur. Et quem, Deus bone! non alliceret tanta humanitas? Hæc inquam Livium meum, seù potius Livium tuum ad te pertraxit, minime despondentem animo, quin ea, qua neminem respuis, benignitate se quoque hac nova specie prodeuntem, tutelamque tuam humillime deprecantem, clementer excipias. Macte virtute, EQUES PRÆSTANTISSIME, novique Clientis patro-

tro-

trocinium libenter ſuſcipe : & dum præclariſſimo nomini tuo hic liber inſcribitur, patiare, ut & veteribus novo ſingularis humanitatis addito exemplari Venerentur in Veneto cive poſteri, quod nos olim in Quiritium nonnullis contemplabamur, & vigente perenniter hoc obſervantiæ in te meæ parvo licet ſpecimine huic invideant felicitati, qua mihi obtigit, ut ſim, & dicar

Amplitudinis tuæ

Humiliſs. addictiſſimuſque ſervus
Carolus Bonarrigus Typographus.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXIII.

EJUSDEM LIBRI EPITOME.



AMPANI ad Annibalem defecere. Nuncius Cannensis Victoriæ Mago Carthaginem missus, annulos aureos à digitis occisorum Romanorum detractos in vestibulo curiæ effudit: quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuncium Hanno, ex Pœnis nobilissimus, suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem à populo Romano peterent: nec tenuit; obstrepente Barcina factione. Cl. Marcellus prætor ad Nolam, eruptione adversus Annibalem ex oppido facta, prospere pugnavit. Exercitus Annibalis per hiberna Capuæ ita luxuriatus est, ut corporum viribus atque animorum enervaretur. Casilinum à Pœnis obsessum, ita fame vexatum est, ut lora & pelles scutis detractas, item mures essent; & nucibus per Vulturnum amnem a Romanis missis vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Postumius prætor à Gallis cum exercitu cæsus est. Cn. & P. Scipiones in Hispania Asdrubalem vicerunt, & Hispaniam suam fecerunt. Reliquiæ Cannensis exercitus in Siciliam relegatæ sunt; ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem & Annibalem societas juncta est. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter à T. Manlio prætore adversus Pœnos Sardosque res gestas continet: à quo Asdrubal dux & Mago & Hanno capti. Claudius Marcellus prætor, Annibalis exercitum ad Nolam prælio fudit, & vicit: primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

I. ANNIBAL [1] post Cannensem pugnam, castra capta ac direpta, confestim ex Apulia in Samnium moverat: accitus in Hirpinos à Statio, pollicente se [2] Compsam traditurum. Compsanus [3] erat Trebius nobilis inter suos: sed premebat eum [4] Mopsiorum factio, familiæ per gratiam Romanorum potentis. Post famam Cannensis pugnæ, vulgatumque Trebii sermonibus adventum Annibalis, quum Mopsiani urbe excessissent; sine certamine tradita urbs Pœno, præsidiumque acceptum est. Ibi præda omni atque impedimentis relictis, exercitu partito, Magonem, regionis ejus urbes, aut deficientes ab Romanis, accipere, aut detrectantes, cogere ad defectionem jubet. ipse, per agrum Campanum, mare inferum petit; oppugnaturus Neapolim, ut urbem maritimam haberet. Ubi fines Neapolitanorum intravit, Numidas partim in insidiis, (& pleræque cavæ sunt viæ, [a] sinusque occulti) quacunque apte poterat disposuit: alios præ se actam prædam ex agris ostentantes obequitare portis jussit. in quos, quia nec multi & incompositi videbantur, quum turma equitum erupisset, ab cedentibus consulto tracta in insidias, circumventa est: nec evasisset quisquam, ni mare propinquum, & haud procul litore naves piscatoriæ pleræque conspectæ, peritis nandi dedissent effugium. Aliquot tamen eo prælio nobiles juvenes capti cæsique sunt: inter quos & Hegeas præfectus

INTERPRETATIO.

a *Et loca sinuosa ac profunda.*

NOTÆ.

1. *Post Cannensem pugnam castra capta ac direpta.*] Intellige, & post castra capta. Scripti Codices in quibus & Colb. habent, *hac Annibal post Cannensem pugnam capta ac direpta*: unde scribendum Gronovio videtur *Æcis Annibal post Cannensem pugnam captis ac direptis, confestim.* Cui correctioni non repugno: nisi quod convenientiùs ad textum unius litteræ mutatione legi potuit, *Æcâ p. C. p. captâ ac direptâ*: fuit enim *Æcana* civitas Hirpinorum in Apuliæ & Samnii confinio oppidum, sub Apennino, haud procul fontibus Cerbali fluvii hodie *Accadia* Cluverio, Holstenio *Troja*; in quo Annibal præsidium reliquerat. Id posteà receptum est à Q. Fabio maximo consule; qua de re lib. 24. cap. 20. Hinc emendandus Polybius lib. 3. ubi scriptum αἴγας, cum de hac urbe agitur: scribendumque τὰς Αἴκας. Planior tamen Laur. Vallæ lectio, conjunctione adjunctâ, *post Cannensem pugnam, castraque capta ac direpta*: potuit enim Livius *Æcarum* tanquam loci haud ita nobilis mentionem facilè omisisse.

2. *Compsam.*] Oppidum fuit Hirpinorum *Compsa*, etsi Lucanis adscribit Ptolemæus: non procul Aufidi fontibus, quam oppugnans postea Milo, ictu lapidis occisus est: nunc *Conxa* vocatur in regno Neapolitano & Principatu citeriore, Archiepiscopatus titulo decorata urbs.

3. *Erat Trebius.*] Idem qui anteà *Statius*, ut horum alterum prænomen fuerit.

4. *Mopsiorum factio.*] Alii legunt *Cossanorum*: alii *Compsinorum*; sed utrique *Consani* erant. Unde rectè Gronovius ex Puteano codice restituit *Mopsiorum*: Cluverius *Statianorum* legit; sed hæc ipsius Trebii factio erat.

equitum, intemperantius cedentes secutus, cecidit. Ab urbe oppugnanda Pœnum absterruere conspecta mœnia; [b] haudquaquam prompta oppugnanti. Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

II. Inde Capuam flectit iter luxuriantem longa felicitate atque indulgentiâ fortunæ, maxime tamen inter corrupta omnia, licentiâ plebis sine modo libertatem exercentis. Senatum & sibi & plebi obnoxium Pacuvius Calavius fecerat, nobilis idem ac popularis homo; cæterum malis artibus natus opes. is quum eo forte anno, quo res male gesta ad Thrasymenum est, in summo magistratu esset, jam diu infestam senatui plebem, ratus, per occasionem novandi res, magnum ausuram facinus, ut si in ea loca Annibal cum victore exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis: improbus homo, sed non ad extremum perditus, quum mallet incolumi, quam eversa republica dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio crederet: rationem iniit, qua & senatum servaret, & obnoxium sibi ac plebi faceret. Vocato Senatu, quum sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium fuisset, præfatus esset; *Quippe qui [1] liberos ex Appii Claudii filia haberet, filiamque Romam nuptum Livio dedisset: cæterum majorem multo rem magisque timendam instare. Non enim per defectionem ad tollendum ex civitate senatum plebem spectare, sed per cædem senatus vacuam rempublicam tradere Annibali ac Pœnis velle. Eo se periculo posse liberare eos, [a] si se permittant sibi, & certaminum in republ. obliti, credant.* Quum omnes victi metu permitterent; *Claudam in curia vos*, inquit, *& tanquam & ipse cogitati facinoris particeps, approbando consilia, quibus nequicquam adversarer, viam saluti vestræ inveniam. In hoc fidem, quam vultis ipsi, accipite.* Fide data egressus, claudi curiam jubet; præsidiumque in vestibulo reliquit, ne quis adire curiam injussu suo, neve inde egredi possit.

III. Tunc vocato ad concionem populo, *Quod sæpe*, inquit, *optastis, Campani, ut supplicii sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc, non per tumultum expugnantes domos singulorum, quas præsidiis clientium servorumque tuentur, cum summo vestro periculo, sed tutam habetis ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quicquam raptim, aut forte temere egeritis; de singulorum capite vobis jus sententiæ dicendæ faciam, ut quas quisque meritus est, pœnas pendat. Sed ante omnia ita vos iræ indulgere oportet, ut potiorem irâ salutem atque utilitatem vestram habeatis. etenim hos (ut opinor) odistis senatores; non se-*

INTERPRETATIO.

b *Quæ non ita facile oppugnari poterant.*

a *Et dummodo Senatus Capuanus se Calavio ipsi committeret, obliterata dissidiorum memoriâ.*

NOTÆ.

1. *Liberos ex Apii Claudii filia*,] Res satis nova, ut cives Romani filias suas peregrinis dent in matrimonium, atque ab iis accipiant: sed vide quæ mox cap. 4. & 5. dicam *de Connubio*.

Urb. cond. an. 537. Cos. M. Terentio Var.

natum omnino habere non vultis. quippe aut rex (quod abominandum) aut quod unum liberæ civitatis consilium est, senatus habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt vobis, ut & veterem senatum tollatis & novum cooptetis. Citari singulos senatores jubebo, de quorum capite vos consulam. quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in ejus locum virum fortem ac strenuum novum senatorem cooptabitis, quam de noxio supplicium sumatur; Inde consedit, & nominibus in urnam conjectis citari, quod primum sorte nomen excidit, ipsumque è curia produci, jussit. Ubi auditum est nomen: malum & improbum pro se quisque clamare, & supplicio dignum. Tunc Pacuvius, *Video quæ sententia de hoc sit data.* [a] *Ejicitur pro malo atque improbo.* [1] *Bonum senatorem & justum eligite.* Primo silentium erat, inopiâ potioris subjiciundi; deinde quum aliquis omissa verecundiâ quempiam nominasset, multo major extemplo clamor oriebatur, quum alii negarent nosse; alii nunc probra, nunc humilitatem sordidamque inopiam, & pudendæ artis aut quæstus genus, objicerent. Hoc multò magis in secundo ac tertio citato senatore factum est: ut ipsius pœnitere homines appareret: quem autem in ejus substituerent locum, deesse, quia [b] nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos; & multo humiliores obscurioresque cæteri erant eis, qui primi memoriæ occurrebant. Ita dilabi homines, [2] notissimum quodque malum maxime tolerabile, dicentes esse, jubentesque senatum ex custodia dimitti.

IV. Hoc modo Pacuvius, quum obnoxium vitæ beneficio senatum multo sibi magis quam plebi fecisset: sine armis, jam omnibus concedentibus, dominabatur. Hinc senatores, omissa dignitatis libertatisque memoria, [1] plebem adulari, salutare, benigne invitare: apparatis accipere

INTERPRETATIO.

a *Senatu movendus est tanquàm homo malus atque improbus.*

b *Neque videbatur congruum ut, qui tunc erant Senatores, nominarentur,* sed ut qui velut probrosi nominati essent.

NOTÆ.

1. *Bonum Senatorem & justum eligite.*] *Ejicitur pro malo atque improbo. Bonum senatorem & justum eligite*, nusquam in manu exaratis, sed in Barberino, & Colb. conjunctim cum prioribus scribitur, *pro malo*, &c. *bonum*: ut sit *loco mali atque improbi, bonum Senatorem & justum*, suspensâ oratione, cujus rei plura adducit exempla; quasi diceret; *cedo alterum Senatorem qui bonus sit*. Posset & fortè pro *ejicitur*, legi *eligite, pro malo, &c.* Vel potiùs sic finita priori periodo *video quæ sententia de hoc sit*: deinde pro vocabulo *data*, quod sequitur (displicetque Sigonio) qui mavult *lata*: reponendum *datetò eligite igitur pro malo atque improbo bonum: &c.*

2. *Notissimum quodque malum maximè tolerabile.*] Huc pertinet illud Plauti, *nota res mala optima*: in medicina quoque ex Hippocratis effato lib. 2. aphorismo 50. *consueta etsi deteriora, minùs noxia sunt quam insueta.*

1. *Plebem adulari.*] A Salmasio est conjectura ex Puteano, ubi legitur, *plebem aduari*: vulgò, *plebem adfari*.

Urb. Cond. Ann. 537. Cos. M. Terentio Varr.

epulis: eas causas suscipere, ei semper parti adesse, [2] secundum eam, in litem judices dare, quæ magis popularis aptiorque in vulgus favori conciliando esset. Jam vero nihil in senatu actum aliter, quam si plebis ibi esset concilium. Prona semper civitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestrisque: tum vero ita obsequio principum & licentia plebis lascivire, ut nec libidini nec sumptibus modus esset. ad contemptum legum, magistratuum, senatus, accessit tum post Cannensem cladem, [a] ut cujus aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium spernerent. id modò erat in mora, ne extemplo deficerent, [3] quod connubium vetustum multas familias claras ac potentes Romanis miscuerat: & quod, quum militarent aliquot apud Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites nobilissimus quisque Campanorum, in præsidia Sicularum urbium delecti ab Romanis ac missi.

V. Horum parentes cognatique ægre pervicerunt, ut legati ad Consulem Romanum mitterentur. Ii, nondum Canusium profectum, sed Venusiæ cum paucis ac semiermibus Consulem invenerunt, [b] quàm poterat maxime miserabilem bonis sociis: superbis atque infidelibus, ut erant Campani, spernendum. & auxit rerum suarum suique contemptum Consul nimis detegendo cladem nudandoque. Nam quum legati, ægre ferre senatum populumque Campanum, adversi quicquam evenisse Romanis nunciassent, pollicerenturque omnia, quæ ad bellum opus essent: *Morem*, inquit, *magis loquendi cum sociis servastis, Campani, jubentes quæ opus essent, ad bellum, imperare; quam con-*

INTERPRETATIO.

a *Ut contemnerent imperium Romanum quod adhuc nonnihil reverebantur: res una eos morabatur, ne statim descif-cerent à Romanis, &c.*

b *Miseratione quantum dici potest dignissimum apud socios, si bene affecti fuissent.*

NOTÆ.

2. *Secundum eam, in litem judices dare.*] Plerique scripti sic habent, *secundum eam in litem judices dare*: quod optimè congruit cum Romanis moribus, apud quos magistratus judicem litigantibus dabat, non ipse per se controversias cognoscebat, in iis præsertim, quæ facti essent. Quâ ratione hic erit sensus hujus loci: ut Senatores Campani *ad litem* quãq; judicandam, *secũdum eam*, nimirum *partem*, (quod nomen è proximo repetendum) *quæ magis popularis esset, judices darent*. Gall. *Ils donnoient des Juges favorables à la partie qui avoit le plus de credit parmy le peuple*. In Put. & Pot. meliori scriptum est teste Gron. *Secundum eam litem, judices dare*. Quod de his Senatoribus, si per se ipsi judicarent sic intelligi potest, ut *quoties Judices essent litem darent secundum eam partem; &c.* Gall. *Ils jugeoient en faveur de la partie la plus accreditées; ils luy faisoient toûjours gagner sa cause*. Hoc enim significat, *litem secundum aliquem dare*.

3. *Quod Connubium vetustum.*] *Connubium* est uxoris jure ducendæ facultas: habebant autem Romani connubium cum civibus Romanis; cum peregrinis ita dumtaxat si concessum esset speciali lege. Campanis verò nondum omnibus, sed eorum pluribus speciatim data civitas fuerat, ut patet ex capite sequenti.

Urb. Cond. ann. 537. Cos. C. Terentio Varr.

venienter ad præsentem fortunæ nostræ statum locuti estis. Quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab sociis velimus? Pedites vobis imperemus, tanquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna. legiones, equitatus, arma, signa, equi virique, pecunia, commeatus, aut in acie, [1] *aut binis postero die amissis castris perierunt. Itaque* [b] *non juvetis nos in bello oportet, Campani, sed pæne bellum pro nobis suscipiatis. Veniat in mentem, ut trepidos quondam majores vestros intra mœnia compulsos, nec Samnitem modo hostem, sed etiam Sidicinum paventes, receptos in fidem apud Saticulam defenderimus, cœptumque propter vos cum Samnitibus bellum* [2] *per centum prope annos, variante fortuna eventum, tulerimus. Adjicite ad hæc, quod* [3] *fœdus æquum deditis, quod leges vestras, quod ad extremum, (id quod ante Cannensem certe cladem* [4] *maximum fuit) civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta est, credere, Campani, oportet, communem patriam tuendam arbitrari esse. Non cum Samnite aut Etrusco res est, ut quod à nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat. Pœnus hostis,* [5] *ne Africæ quidem indigenam, ab ultimis terrarum oris, freto Oceani Herculisque co-*

INTERPRETATIO.

b *Igitur non* tantùm *necesse est, ut nobis opem feratis in bello, sed ut ipsi propemodum bellum nostrâ causâ geratis.*

NOTÆ.

1. *Aut binis postero die amissis castris.*] Arridet hæc Gronoviana emendatio: legebatur, *aut in ruinis*, (vel ut Colb. *aut ruinis*) *postero die amissis castris*.

2. *Per centum prope annos.*] Cœptum fuerat bellum contra Samnites pro Campanis anno ab u. c. 410. M. Valerio Corvo & A. Corn. Cosso coss. lib. 7. c. 30. & seqq. finitum anno 481. Sp. Carvilio, & L. Papirio Cursore coss. Epitome 14. & lib. 24. Duravit igitur reverâ annos unum & septuaginta: sed hic oratoriè omnia augentur à Terentio Varrone.

3. *Fœdus æquum deditis.*] Ferri posset lectio vulgata, *quòd fœdus æquum dedimus, quòd leges nostras, &c.* respectu habito ad leges à L. Furio prætore Campanis datas, M. Fossio, & L. Plautio Coss. ipsis hoc quasi remedium intestinæ discordiæ petentibus, qua de re lib. 9. c. 20. Melior tamen lectio, *quod fœdus æquum deditis, quod leges vestras, &c.* Hæc enim majus beneficium indicant erga deditos, & pleniorem ipsis concessam libertatem. Narratur Campanorum deditio lib. 7. c. 31.

4. *Maximum fuit.*] Nullum sanè majus bene de republica meritis Romani beneficium tribuere se posse arbitrabantur, quàm jus civitatis, quod illis temporibus sanè rarum. Cicero, *quid enim est tantum, quantum jus civitatis?*

5. *Ne Africæ quidem indigenam.*] Ita veteres libri, ut referatur ad *militem*; non ut vulgò *indigena*, quod referendum esset ad *Pœnus*. Ipsi enim Carthaginenses, quanvis ex Asia originem traherent; in Africa tamen haud dubie nati: sed eorum exercitus ex Numidis, qui extra Africam propriam, ex Hispanis Gallisque mercede conductis, qui Europæi; quos tamen hic Terentius Varro, *expertes omnis juris & linguæ propè humanæ*, ex odio vocat magis quàm ullâ certâ ratione. Non enim Pœnorum mores & lingua minùs à Romanis Italisque abhorrebant, quàm Gallorum atque Hispanorum; & Gallia præsertim Cisalpina, ex qua pars copiarum Annibalis, propior Romanis quàm Africa.

Urb. Cond. ann. 537. Cos. M. Terent. Varr.

lumnis, expertem omnis juris & conditionis, & linguæ prope humanæ, militem trahit. Hunc natura & moribus immitem ferumque, insuper dux ipse efferavit; pontibus ac molibus [6] *ex humanorum corporum strue faciendis; & (quod proloqui etiam piget)* [7] *vesci humanis corporibus docendo. His infandis pastos epulis,* [8] *quos contingere etiam nefas sit, videre atque habere dominos, & ex Africa & a Carthagine jura petere, & Italiam Numidarum ac Maurorum pati provinciam esse, cui non, genito modo in Italia, detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, prolapsum clade Romanum imperium vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta millia peditum, quatuor equitum arbitror ex Campania scribi posse. jam pecuniæ affatim est, frumentique; si parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec Annibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse.*

VI. Hac oratione consulis dimissis redeuntibusque domum legatis, unus ex iis, Vibius Virius, *Tempus venisse*, ait, *quo Campani non agrum solùm ab Romanis quondam per injuriam ademptum recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint. Fœdus enim cum Annibale quibus velint legibus facturos: neque controversiam fore, quin cum ipse confecto bello Annibal victor in Africam decedat, exercitumque deportet; Italiæ imperium Campanis relinquatur.* Hæc Virio loquenti assensi omnes, [a] ita renunciant legationem, uti deletum omnibus videretur nomen Romanum. Extemplo plebes ad defectionem ac pars major senatus, spectare. extracta tamen auctoritatibus seniorum per paucos dies est res: postremo vicit sententia plurium, ut iidem legati, qui ad consulem Romanum ierant, ad Annibalem mitterentur. Quo prius quam iretur, certumque defectionis consilium esset, Romam legatos missos à Campanis, in quibusdam annalibus invenio: postulantes ut alter Consul Campanus fieret, si rem Romanam adjuvari vellent. indignatione orta, summoveri à curia jussos esse: missumque lictorem, qui ex urbe educeret eos, atque eo die manere extra fines Romanos juberet. Quia nimis compar [1] Latinorum quondam postulatio erat, Cœliusque & alii id haud sine causa

INTERPRETATIO.

a *Nuncium legationis ita divulgant.*

NOTÆ.

6. *Ex humanorum corporum strue.*] Intelligit, ni fallor, transitum Alpium atque Apennini, ubi inter nives & glacies amissa ab Annibale tot hominum millia, cæteris pontium quasi vicem præbuere.

7. *Vesci humanis corporibus.*] Legitur quidem apud Polybium in excerptis lib. 9. Annibali deliberanti de commeatu copiis suis per longum ex Hispania in Italiam iter comparando, consilium dedisse Annibal Monomachus unus è magni Annibalis ducibus, ut exercitum suum humanis corporibus vesci assuefaceret: sed ab ea crudelitate absolvunt Annibalem, tum Polybius ibidem, qui eo consilio usum negat; tum Porphyrius lib. 2. de abstinentia ab animalibus, qui hoc falsò Annibali adscriptum tradit.

8. *Quos contingere etiam nefas sit.*] Tanquàm pollutos humanis dapibus.

1. *Latinorum quondam postulatio erat.*] Vulgò *postulationi*. nihil dissono sensu: perinde enim est hanc Campanorum postulationem similem fuisse ac parem

prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus.

Urb. Cond. ann. 537. Cos. M. Terent. Varr.

VII. Legati ad Annibalem venerunt, pacemque cum eo conditionibus fecerunt: *Ne quis imperator magistratusve Pœnorum jus ullum in civem Campanum haberet, neve civis Campanus invitus militaret*, [a] *munusve faceret. ut suæ leges, sui magistratus Capuæ essent. ut trecentos ex Romanis captivis Pœnus daret Campanis, quos ipsi elegissent; cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia stipendia facerent, permutatio fieret*. Hæc pacta: [b] illa insuper, quam quæ pacta erant, facinora Campani ediderunt. nam [1] præfectos sociûm civesque Romanos alios, partim aliquo militiæ munere occupatos, partim privatis negotiis implicitos, plebs repente omnes comprehensos, velut custodiæ causâ, balneis includi jussit; ubi fervore atque æstu animâ interclusâ, fœdum in modum exspirarent. Ea ne fierent, neu legatio mitteretur ad Pœnum, summa ope Decius Magius, vir cui ad summam auctoritatem nihil præter sanam civium mentem defuit, restiterat. ut vero præsidium mitti ab Annibale audivit, Pyrrhi superbam dominationem, miserabilemque Tarentinorum servitutem, [c] exempla referens, *primò ne reciperetur præsidium*, palam vociferatus est: *deinde, ut receptum aut ejiceretur, aut, si malum facinus, quod à vetustissimis sociis consanguineisque defecissent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, ut, interfecto Punico præsidio, restituerent se Romanis*. Hæc (neque enim occulte agebantur) quum relata Annibali essent: primo misit, qui vocarent Magium ad sese in castra: deinde quum is ferociter negasset, se iturum (nec enim Annibali jus esse in civem Campanum) concitatus irâ Pœnus comprehendi hominem, vinctumque attrahi ad se jussit. veritus deinde, ne quid

INTERPRETATIO.

a *Aut* aliquo *ministerio fungi* apud Pœnos *cogeretur*.

b *Ultra ea quæ pactis comprehensa fuerant, alia præterea Campani flagitia in Romanos commisere*, ea scilicet, quæ sequuntur.

c *Memorans in exemplum* periculi quod subibant Campani *impotentem Pyrrhi dominatum in Tarentinos, atque horum miserandam servitutem*.

NOTÆ.

omnino postulationi Latinorum, de qua lib. 8. cap. 5. An verò vetus illud Latinorum postulatum fuerit simile novo huic Campanorum postulato. Infrà c. 22. dicitur *ipsorum quondam postulatum Latinorum*.

1. *Præfectos sociûm*.] Deditis urbibus, qualis Capua, ut patet ex lib. 7. imponebantur à Romanis præfecti, qui jus dicerent, & publicâ administrarent: atque hoc discrimen erat *Coloniarum* & *Præfecturarum*, Nam *Præfecturæ* vocabantur urbes Italicæ, quarum quædam erat respublica: ita tamen ut magistratus proprios non haberent, sed in eas Præfecti quotannis Româ mitterentur qui eas regerent. Sed cùm *Præfectos sociorum* Livius dicat specie custodiæ suffocatos cum aliis, non debemus Capuæ præfectum intelligere, qui unicus fuisset: atque apparet ex hoc ipso capite Capuam non in præfecturæ loco tunc habitam, sed prætorem suum habuisse, Marium nempe Blosium: Militares itaque præfectos socialium cohortium intellige, quorum aliqui tunc Capuæ in præsidio à Romanis positi essent.

[*] inter vim tumultus, atque ex concitatione animorum inconsulti certaminis oriretur, ipse præmisso nuncio ad Marium Blosium Prætorem Campanum, postero die se Capuæ futurum, proficiscitur è castris cum modico præsidio. Marius concione advocata edicit, ut frequentes cum conjugibus ac liberis obviam irent Annibali. Ab universis, id non obedienter modo, sed enixe, favore etiam vulgi, & studio visendi tot jam victoriis clarum imperatorem factum est. Decius Magius nec obviam egressus est, nec, quò timorem aliquem ex conscientia significare posset, [d] privatim se tenuit: in foro cum filio clientibusque paucis otiose inambulavit, [e] trepidante tota civitate ad excipiendum Pœnum, visendumque. Annibal ingressus urbem, senatum extemplo postulat, precantibusque inde primoribus Campanorum, [2] ne quid eo die seriæ rei gereret, diemque ut ipse adventu suo festum lætus ac libens celebraret: quanquam præceps ingenio in iram erat; tamen ne quid in principio negaret: visenda urbe, magnam diei partem consumpsit.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

VIII. Diversatus est [5] apud Minios Celeres Stenium, Pacuviumque, inclitos nobilitate ac divitiis. Eò Pacuvius Calavius, de quo ante dictum est, princeps factionis ejus, quæ traxerat rem ad Pœnos, filium juvenem adduxit, abstractum abs Decii Magii latere, cum quo ferocissime pro Romana societate adversus Punicum fœdus steterat: nec eum aut inclinata in partem alteram civitas, aut patria majestas sententia depulerat. Huic tum pater juveni Annibalem deprecando magis quam purgando placavit; victusque patris precibus lachrymisque, etiam ad cœnam eum cum patre vocari jussit: cui convivio neminem Campanum, præterquam hospites, Jubelliumque Tauream insignem bello virum, adhibiturus erat. Cœperunt epulari de die, & convivium non ex more Punico, aut militari disciplina esse: sed [2] ut in civitate, atque etiam domo luxuriosa

INTERPRETATIO.

* *Ne tumultus aliquis, aut certamen oriretur.*

d *Nec continuit se intra privatos parietes.*

e *Civibus universis studiosè discursantibus, & se anxiè moventibus.*

NOTÆ.

2: *Ne quid eo die seria rei gereret.*] Correctio est Modii admodùm felix, quæ erui potuit ex vetustissimo Codice Puteano, in quo *sererei*. Vulgò legebatur, *ne quid eo die ferè gereret*.

5. *Apud Minios Celeres.*] Meliores Codices Ninnios scribunt. Sed tamen Paculla Miniæ Campanæ meminit noster lib. 39. Porro monstra (quod suspicatus fuerat Glat.) hic & in sequentibus plurima jacere notat Gron. à se ut ait domita ferè omnia ope Puteani aliorumque librorum: qua de re ipsum vide 4. observat.

2. *Ut in Civitate atque etiam domo luxuriosa.*] In Libris scriptum est *domo* (alias *modo*) *diu ad varias voluptatum illecebras instructum*: verùm desiderabatur aliquod epitheton Civitatis ac domus: unde Sigonius fecerat *domo divite, ad varias, &c.* Sed tamen ad splendidè *instructum convivium* exprimendum facit valde adverbium *diu*. Quid si, infertis duabus dumtaxat literis, legamus *ut in ea Civitate atque etiam domo*: qualis nempe Civitas Capua, qualis domus principis inter Campanos viri. Gron. reponit *domo luxuriosa*, ad rem quidem appositè; at longiùs à scriptis & editis.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

omnibus voluptatum inlecebris instructum. Unus [3] nec dominorum invitatione, nec ipsius interdum Annibalis, Calavii filius Perolla vinci potuit: ipse valetudinem excusans, patre [a] animi quoque ejus haud mirabilem interturbationem causante. Solis ferme occasu patrem Calavium ex convivio egressum, secutus filius, ubi in secretum (hortus erat posticis ædium partibus) pervenerunt: *Consilium*, inquit, *affero*, *pater*, *quo non veniam solum* [4] *peccati*, *quo defecimus ad Annibalem*, *impetraturi ab Romanis*; *sed in multo majore dignitate & gratia simus Campani*, *quam unquam fuimus*. Quum mirabundus pater, quidnam id esset consilii, quæreret: togâ rejectâ ab humero, latus succinctum gladio nudat: *Jam ego*, inquit, *sanguine Annibalis janciam Romanum fœdus*. *te id prius scirè volui*, *si forte abesse*, *dum facinus patratur*, *malles*.

IX. Quæ ubi vidit audivitque senex, velut si jam agendis, quæ audiebat, interesset, amens metu: *Per ego te*, inquit, *fili quæcunque jura liberos jungunt parentibus*, *precor quæsoque*, *ne ante oculos patris facere & pati omnia infanda velis*. *Paucæ horæ sunt*, *intra quas jurantes quicquid Deorum est*, [1] *dextras* [b] *dextræ jungentes*, *fidem obstrinximus ut sacratis de mensis essemus: digressi à colloquio extemplo in eum armamur? Surgis ab hospitali mensa ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibale es*. *Vis eam ipsam mensam cruentare hospitis sanguine? Annibalem modò pater filio meo potui placare*, *filium Annibali non possum?* [2] *Sed sit nihil sancti*, *non fides*, *non religio*, *non pietas: audeantur infanda*, *si non perniciem nobis cum scelere afferunt*. *Unus es aggressurus Annibalem*. *quid illa turba* [3] *tot liberorum*, *servorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextræ? torpescentne in amentia illa? Vultum ipsius Annibalis*, *quem armati exercitus tremunt*, *quem horret populus Romanus*, *tu sustinebis? &*, *si alia auxilia desint*, *meipsum ferire corpus meum opponentem pro corpore Annibalis*, *sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi*, *transfigendusque est*. [c] *deterreri hic sine te potius*, *quam illic vinci*. *Valeant*

INTERPRETATIO.

a *Et turbatum filii animum*, *quod mirum non erat* in eo rerum statu.

b *Dextris* nostris *amplexi dextram Annibalis dedimus fidem*, *ut ad sacratas* jurejurando *mensas* cum eo *comederemus*.

c *Permitte potiùs te abduci ab incœpto*, *&c. Efficaces sint mea preces erga te*.

NOTÆ.

3. *Nec dominorum invitatione*.] Stenii nempe, & Pacuvii seu Paculli Miniorum, apud quos epulabantur.

4. *Peccati quod defecimus*.] Mavult Gronovius, *quo defecimus*, id est, peccati in eo commissi, quod defecerimus à Romanis.

1. *Ut sacratis de mensis essemus*.] In Colb. scriptum est *ubi sacrata fide mansissemus:* quod forte ita accipi potest: postquam fide Annibali data, cum eo aliquantum mansimus, nunc digressi, &c. Optimi alii. *Ut sacratis fide mensis digressi*.

2. *Sed sit nihil sancti*.] Hoc meliùs quàm quod vulgo, *sed si nihil sancti*.

3. *Tot liberorum*.] Num potius *tot libertorum?* Nam à libertis Annibalis, vel magis quàm à servis metuendum: utriusq; generis plures facilè adesse potuerunt epulanti.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

preces apud te meæ, sicut pro te hodie valuerunt. Lachrymantem inde juvenem cernens, medium complectitur, atque osculo hærens, non antè precibus abstitit, quam pervicit, ut gladium poneret, fidemque daret, nihil facturum tale. Tum juvenis: *Ego quidem*, inquit, *quam patriæ debeo pietatem exsolvam patri. tuam doleo vicem, cui tertiò proditæ patriæ sustinendum est crimen: semel, quum defectionis ab Romanis; iterum, quum pacis cum Annibale fuisti auctor;* [4] *tertiò hodie, quum restituendæ Romanis Capuæ mora atque impedimentum es. Tu patria, ferrum, quo pro te armatus* [5] *hanc arcem defendere volebam, hosti minime parcens, quando parens extorquet, recipe*. Hæc quum dixisset, gladium in publicum trans maceriam horti abjecit: & quo minus res suspecta esset, se ipse convivio reddidit.

X. Postero die senatus frequens datus Annibali. ubi prima ejus oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis quod amicitiam suam Romanæ societati præposuissent: & inter cætera magnifica promissa pollicitus, brevi [1] caput Italiæ omnis Capuam fore: juraque inde cum cæteris populis Romanum etiam petiturum. Unum esse exortem Punicæ amicitiæ fœderisque secum facti, quem neque esse Campanum, neque dici debere, Magium Decium. eum postulare, ut sibi dedatur, ac se præsente de eo referatur, senatusque consultum fiat. Omnes in eam sententiam ierunt; quanquam magnæ parti, & vir indignus ea calamitate, & haud parvo initio minui videbatur jus libertatis. Egressus curia, in templo magistratus consedit: comprehendique Decium Magium, atque [a] ante pedes destitutum, caussam dicere jussit. Qui quum, manente ferocia animi, negaret lege fœderis id cogi posse: tum injectæ catenæ, ducique ante lictorem in castra est jussus. Quoad capite aperto est ductus, concionabundus incessit, ad circumfusam undique multitudinem, vociferans, *Habetis libertatem, Campani, quam petistis; foro medio, luce*

INTERPRETATIO.

a *Constitutum ad pedes* judicum.

NOTÆ.

4. *Tertiò hodie*.] Legit Tan. Faber, *tertium hodie*, opinor ne *tertio* videatur referri ad *die*: sed quis non videt *tertiò* ibi adverbium esse.

5. *Hanc arcem defendere volebam, hosti minimè parcens*.] Rubenius apud Gronovium sic scribit, *hanc arcem hostium inii*: conjecturâ ductâ ex vitiosa Puteani scriptura *hanc arcem hostrimini quoniam parens, &c.* Videtur enim, inquit, commodè domum ubi Annibal diversabatur, hostium arcem appellare. Tanaq. Faber legendum auguratur *tu, patria, ferrum, quo pro te armatus hostem ultum volebam, quando parens extorquet, recipe*. Cætera putat ex glossematis esse.

1. *Caput Italiæ omnis Capuam fore*.] Libri Gronovio teste habent *omni*: quæ lectio confirmatur ex Plauto in Asinaria, *ego caput huic argento fui hodie reperiundo*. Verùm alia est Plauti sententia, alia Livii; nam *caput huic argento reperiundo*, idem est ac auctor & inventor sui pecuniæ inveniendæ: *Caput* autem *Italiæ omnis* significat *Capuam* principem futuram totius Italiæ populorum ac civitatum.

Urb. Cond. ann 537. Cos. M. Terent. Varr.

clara, *videntibus vobis*, *nulli Campanorum secundus*, *vinctus ad mortem rapior*. *Quid violentius Capua capta fieret? Ite obviam Annibali*, *exornate urbem*, *diemque adventus ejus consecrate*, *ut hunc triumphum de cive vestro spectetis*. Hæc vociferanti, quum moveri vulgus videretur, obvolutum caput est, ociusque rapi extra portam jussus. ita in castra perducitur: extemploque impositus in navim, & Carthaginem missus, ne motu aliquo Capuæ ex indignitate rei orto, senatum quoque pœniteret dediti principis: & legatione missa ad repetendum eum, ne aut negando rem, quam primum peterent, offendendi sibi novi socii; aut tribuendo, habendus Capuæ esset seditionis ac turbarum auctor. Navem 2 Cyrenas detulit tempestas, quæ tum 3 in ditione regum erant. ibi quum Magius ad statuam Ptolomæi regis confugisset, deportatus à custodibus Alexandriam ad Ptolomæum; cum eum docuisset, contra jus fœderis vinctum se ab Annibale esse, vinculis liberatur; permissumque ut rediret, seu Romam, seu Capuam mallet. *Nec Magius Capuam sibi tutam dicere*: & *Romam eo tempore*, *quo inter Romanos Campanosque bellum sit*, *transfugæ magis quam hospitis fore domicilium*. *nusquam malle*, *quam in regno ejus vivere*, *quem vindicem atque auctorem habeat libertatis*.

XI. Dum hæc geruntur, Q. Fabius Pictor legatus à Delphis Romam rediit, responsumque ex scripto recitavit: 1 Divi quoque in eo erant, quibus quoque modo supplicaretur. *Tum si ita faxitis Romani*, *vestræ res* 2 *meliores facilioresque erunt*; *magisque ex sententia respubl. vestra vobis procedet*, *victoriaque duelli populi Romani erit*. *Pythio Apollini*, *republ. vestra bene gesta servataque*, 3 *lucris meritis donum mittitote*, *deque præda*, *manubiis*, *spoliisque*, *honorem habetote*, *lasciviam à vobis prohibetote*. Hæc ubi ex Græco carmine interpretata recitavit, tum

NOTÆ.

2. *Cyrenas detulit tempestas*.] Nomen Cyrenaïcæ regioni, quæ media inter Ægyptum & Tripolitanam, dedit urbs *Cyrena*, quæ hodie paululùm detorto nomine *Corene*, regio autem *Barca*.

3. *In ditione regum erant*.]. Modò Ægypti regibus Ptolemæis paruerunt *Cyrenenses* post Alexandrum: modò proprios ex eodem sanguine reges habuere. Hoc tempore parebant Ptolemæo 4. Ægypti regi, qui Philopator & Tryphon cognominatus.

1. *Divi quoque in eo erant*.] Malim *divi quique*: Gallicè, *chacun des Dieux* Etenim particula *quoque* subjungi solet iis quæ dicta sunt de re aliqua: hic autem nulla adhuc oraculi pars recitata erat.

2. *Meliores facilioresque erunt*.] Ita meliores notæ libri ex Gronov. Sigon. contra illorum fidem intrusit *feliciores-que*, pro *facilioresque*: cujus tamen eadem vis apud optimos auctores, Ciceronem in primis 6. Famil. 5. *Res & fortuna tua mihi maxima cura sunt*, *quæ quidem quotidie faciliores mihi & meliores videntur*.

3. *Lucris meritis donum mittitote*.] Sic explicari potest, ut sit, perceptis lucris, sive commodis quæ Deorum nutu promeritos vos esse contigerit. Fortè, *Divisisque meritis*, ut intelligantur Dii quoque alii, qui cum Apolline Delphis colebantur donaria promeriti à Romanis. Scaliger apud Festum legit, *Lucaris merits dono*: quasi dicatur, loco pretii & mercedis debitæ. *Lucar* enim, ut ait Festus, est æs sive *pretium quod ex Lucis captatur*.

dixit, [a] *se oraculo egressum extemplo his omnibus Divis* [4] *rem divinam thure ac vino fecisse: jussumque ab templi antistite, sicut coronatus laurea corona & oraculum adisset, & rem divinam fecisset; ita coronatum navim ascendere, nec ante deponere eam, quam Romam pervenisset. Se quæcumque imperata sint, cum summa religione ac diligentia exsecutum; coronam Romæ in ara Apollinis deposuisse*. Senatus decrevit, ut eæ res divinæ supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent. Dum hæc Romæ atque in Italia geruntur, nuncius victoriæ ad Cannas Carthaginem venerat Mago Amilcaris filius: non ex ipsa acie à fratre missus, sed retentus aliquot dies in recipiendis civitatibus Brutiorum, quæque deficiebant. Is quum ei senatus datus esset, res gestas in Italia à fratre exponit, [5] *Cum sex imperatoribus eum, quorum quatuor consules, duo dictator ac magister equitum fuerint, cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse: occidisse supra ducenta millia hostium: supra quinquaginta millia cepisse. Ex quatuor consulibus duos occidisse; ex duobus saucium alterum, alterum toto exercitu amisso vix cum quinquaginta hominibus effugisse. Magistrum equitum,* [6] *quæ consularis potestas sit, fusum fugatumque: dictatorem, quia se in aciem nunquam commiserit, unicum haberi imperatorem. Brutios Appulosque,* [7] *partim Samnitium ac Lucanorum defecisse ad Pœnos. Capuam, quod caput, non Campaniæ modo, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna, Italiæ sit, Annibali se tradidisse. Pro his tantis totque victoriis* [b] [8] *verum esse grates deis immortalibus agi haberique*.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

INTERPRETATIO.

a *Postquam è loco ubi redduntur oracula, exierat.*
b *Justum esse.*

NOTÆ

4. *Rem divinam thure ac vino fecisse.*] Hæc sacrificiorum initia & quasi rudimenta, quibus Deum placari veteres putabant, castis potiùs animis quàm divitibus donis: quò pertinet illud duodecim tabularum, *ad divos adeunto castè: pietatem adhibento, opes amovento*. Et sanè tanta in sacrificando priscorum frugalitas fuit, ut Samiis vasis libarent. Quin Romulus lacte semper, non vino libavit. Et L. Papirius adversus Samnites dimicaturus, votum non aliud fecit, si vicisset, quàm Jovi pocillum (an *pauxillum*) vini ex Liv. nostro lib. 10. c. 42. Vide & ejusdem libri cap. 23.

5. *Cum sex imperatoribus*.] Septem enumerat Glareanus, nempe quinque consules P. Scipionem, Ti. Sempronium, C. Flaminium, L. Æmilium Paullum, C. Terentium Varronem; quorum duo in acie occubuerant, Flaminius & Æmilius Paullus. Prætereà Q. Fabium dictatorem & M. Minucium magistrum equitum Fabio exæquatum. Videtur itaque omissus à Librariis potiùs quàm à Magone, aut Livio ipso Sempronius, qui ad Trebiam victus.

6. *Quæ consularis potestas sit.*] Id non usquequaque verum: erat enim magister equitum imperio Dictatoris obnoxius. Sed de Minucio, qui potestate Fabio æquatus extra ordinem fuerat, dici id potuit: porro potestas rectè dicitur de magistratu, cujus imperium par consulari.

7. *Partim Samnitium*.] Vulgò *partem Samnitium*. Vide tamen Gronov. 3. observat. 2.

8. *Verum esse grates.*] Ex diversis lectionibus hæc sola probabilis.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

XII. Ad fidem deinde tam lætarum rerum, effundi in vestibulo curiæ jussit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut metientibus, dimidium super treis modios explesse, sint quidam auctores. Fama tenuit, quæ propior vero est, 1 haud plus fuisse modio. Adjecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium esset, neminem, nisi equitem atque 2 eorum ipsorum primores, id gerere insigne. Summa fuit orationis, *Quò propiùs spem belli perficiendi sit, eo magis omni ope juvandum Annibalem esse. procul enim ab domo militiam esse, in media hostium terra: magnam vim frumenti, pecuniæ, absumi: & tot acies, ut hostium exercitus delesse, ita victoris etiam copias parte aliqua minuisse. Mittendum igitur supplementum esse, mittendam in stipendium pecuniam frumentumque tam bene meritis de nomine Punico militibus.* Secundum hæc dicta Magonis, lætis omnibus, Himilco 3 vir factionis Barcinæ, locum Hannonis increpandi esse ratus: *Quid est Hanno?* inquit, *etiam nunc pœnitet belli suscepti adversus Romanos? Jube dedi Annibalem: veta in tam prosperis rebus 4 grates Diis immortalibus agi, audiamus Romanum senatorem in Carthaginiensium curia.* Tum Hanno: *Tacuissem hodie, Patres Conscripti, ne quid in communi omnium gaudio, minus lætum quod esset vobis, loquerer. nunc 5 interroganti senatori, pœniteatne me adhuc suscepti adversus Romanos belli, si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar: quorum alterum est hominis alienæ libertatis obliti; alterum suæ. Respondeam igitur Himilconi, non desisse pœnitere me belli, neque desiturum ante invictum nostrum imperatorem incusare, quam finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro: nec mihi pacis antiquæ desiderium ulla alia res quam pax nova finiet. Itaque ista quæ modo Mago jactavit, Himilconi cæterisque Annibalis satellitibus jam læta sunt. mihi possunt læta.*

N O T Æ.

1. *Haud plus fuisse modio.*] Hoc simile est vero, quanquam priori opinioni accedere videtur Plinius lib 33. c. 50. Qui tamen ut rem probabilem faciat, comminiscitur Punico 2. bello promiscuum fuisse annulorum aureorum apud Romanos usum. Et sub Imperatoribus quidem verum est id ingenuos omnes usurpasse, ut à Libertinis distinguerentur: ideoque Libertini jus aureorum annulorum impetrare soliti rescripto principis: donec Justinianus id libertis, etiam citra rescriptum, generaliter indulsit.

2. *Eorum ipsorum primores.*] Si de equitibus in genere accipiatur, verum aliquatenùs erit: non si de equestri ordine; erant enim duo equitum genera; alii equo privato militabant, ita ut ex equestri ordine non essent, alii in ordinem relati ex equestri ferè censu quadringentorum millium sextertiûm, à censoribus accepto equo publico militabant: & hi soli vetustis temporibus insigne habebant annulum aureum, & angustum clavum, illo ab inferiori plebe, hoc à Senatoribus distincti.

3. *Factionis Barcinæ.*] Quæ Annibali favebat.

4. *Grates Diis immortalibus agi.*] Sic habent MSS. quidam Gronovio teste, alii *sacrum*, perperam; nonnulli *gratias*, ex sententia Grammaticorum, qui poëtis magis quàm oratoribus convenire volunt *grates*.

5. *Interroganti Senatori.*] Rectè & eleganter *alicui reticere*: unde nihil erat quòd mutaret Sigonius, & pro *interroganti Senatori* scriberet *interrogante Senatore*.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

esse, quia res bello bene gestæ, si volumus fortuna uti, pacem nobis æquiorem dabunt. nam si prætermittimus hoc tempus, quo magis dare quam accipere possumus videri pacem, vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana evadat. Quæ tamen nunc quoque qualis est? Occidi exercitus hostium: mitte milites mihi. quid aliud rogares, si esses victus? Hostium cepi bina castra, præda videlicet plena & commeatuum; frumentum, & pecuniam date. quid aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne omnia ipse mirer; (mihi quoque enim, quoniam respondi Himilconi, interrogare jus fasque est) velim seu Himilco seu Mago respondeat: quum ad internecionem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit, constetque in defectione totam Italiam esse; primum ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos? deinde ecquis homo, ex quinque & triginta tribubus, ad Annibalem transfugerit? Quum utrumque Mago negasset: *Hostium quidem ergo*, inquit, *adhuc nimis multum superest. sed multitudo ea quid animorum, quidve spei habeat, scire velim.*

XIII. Quum, id nescire, Mago diceret, *Nihil facilius scitu est*, inquit, *Ecquos Legatos ad Annibalem Romani miserunt de pace? ecquam denique mentionem pacis Romæ factam esse, allatum ad vos est?* Quum id quoque negasset: *Bellum igitur*, inquit, *tam integrum habemus, quam habuimus, qua die Annibal in Italiam est transgressus. Quam varia victoria* [1] *priore Punico bello fuerit, plerique qui meminerimus, supersumus. numquam terra marique magis prosperæ res nostræ visæ sunt, quam ante consules C. Lutatium & A. Postumium fuerunt. Lutatio & Postumio Consulibus,* [2] *devicti ad Ægateis insulas sumus. Quod si (id quod Dii omen avertant) nunc quoque fortuna aliquid variaverit; tum pacem speratis quum vincemur, quam nunc quum vincimus, dat nemo? Ego, si quis de pace consulet, seu deferenda hostibus, seu accipienda; habeo quid sententiæ dicam: si de iis quæ Mago postulat, refertis; nec victoribus mitti attinere puto; & frustrantibus nos falsa atque inani spe, multo minus censeo mittenda esse.* Haud multos movit Hannonis oratio. nam & simultas cum familia Barcina [a] leviorem auctorem faciebat; & occupati animi præsenti lætitia, nihil quo vanius fieret gaudium suum, auribus admittebant: debellatumque mox fore, si adniti paululum voluissent, rebantur. Itaque ingenti consensu fit SC. *ut Annibali* [3] *quatuor Numidarum millia in supple-*

INTERPRETATIO.

a *Fidem ei detrahebat.*

NOTÆ.

1. *Priore Punico bello.*] Advertit Gron. illud *Punico* ridiculè à Livio positum, cùm hominem Pœnum, Hannonem loquentem inducat: aut itaque delendum, aut substituendum *Romano*, vel meliùs *priore pugnatum bello*.

2. *Devicti ad Ægateis.*] De hac Lutatii victoria, quâ pacem petere coacti Carthaginenses, dictum lib. 21.

3. *Quatuor Numidarum millia.*] Ita Lips. & Gronov. ex Puteani codice, ubi numerus his notis scriptus ∞ ∞ ∞ ∞. licèt vulgò, aucto in decuplum numero, editum sit *quadraginta Numidarū millia.*

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

mentum mitterentur, & quadraginta elephanti, & argenti multa talenta. 5 Dictatorque cum Magone in Hispaniam præmissus est ad conducenda viginti millia peditum, quatuor equitum, quibus exercitus, qui in Italia quique in Hispania erant, supplerentur.

XIV. Cæterum hæc, ut in secundis rebus, segniter otioseque gesta sunt. Romanos, præter insitam industriam animis, fortuna etiam cunctari prohibebat. nam nec consul ulli rei, quæ per eum agenda esset, deerat: & dictator 1 M. Junius Pera, rebus divinis perfectis, latoque, ut solet, ad populum, 2 *ut & equum ascendere liceret*, præter duas urbanas legiones, quæ principio anni à consulibus conscriptæ fuerant, & servorum delectum, 3 cohortesque ex agro Piceno & Gallico collectas; ad ultimum prope desperatæ reipublicæ auxilium, quum honesta utilibus cedunt, 4 descendit, edixitque: a 5 *Qui capitalem fraudem ausi, quique*

INTERPRETATIO.

a *Condemnati propter* debitam *pecuniam, & addicti creditoribus, in vinculis haberentur.*

NOTÆ.

4. *Multa talenta.*] Non insubtiliter Muretus legit M. V. C. ta, quod explicat *mille quingenta*. Sed pro *Multa* sufficit si legantur *mille*: ut Gronov. conjicit ex cap. 32. quæ summa efficeret nunc 240000 libr. Fr.

5. *Dictatorque cum Magone.*] Dictatorem habuere Carthaginenses quoque, ut ex Gellio colligitur lib. 10. cap. 23. vel potiùs in dignitate summi imperatoris Carthaginensium aliarumque gentium exprimenda usi sunt Romani recepto apud se Dictatoris nomine.

1. *M. Junius Pera.*] Ex eo quod legitur in quibusdam Libris *M. Junius per rebus* conjicit Gronovius *M. Junius Pera, rebus*. Est enim *Pera* cognomen Juniæ gentis: unde Valerium quoque emendat, apud quem lib. 7. cap. 6. scribitur vulgò: *Cannensis autem clades adeo urbem nostram confudit, ut M. Junii operâ dictatura;* ubi reponit ipse ut *M. Junio Pera dictatore* rempublicam administrante.

2. *Ut equum ascendere liceret.*] Notat Plutarchus in Fabio, veteri lege cautum fuisse, ne dictator equo uti posset: sive quòd imperatori in legione permanendum censerent inter pedites, in quibus plus roboris; ac ne locus ab eo deseri posset, sive quòd summam in cæteris omnibus, Dictatoris potestatem hoc pacto temperare voluerint antiqui. Addit Plutarchus id Senatum, petenti Fabio Maximo Verrucoso, contra legem concessisse, ut equo vehi posset; datumque id hominis virtuti & tempori, cum cæsis ad Cannas Romanis, in uno Fabio dictatore creato melioris fortunæ spes reposita videretur. Id nunc Livius M. Junio dictatori attribuit. Gronovius pro, *ascendere*, scribit *escendere*: neque unde illud verbum hic intruserit, & cur eo uti maluerit, hoc loco indicat.

3. *Cohortesque ex agro Piceno & Gallico collectas.*] Facit *cohortium* nomen, hoc tempore parùm usitatum, ut non jure sociali auxiliares hos milites collectos putem, sed potiùs conductos.

4. *Descendit, edixitque.*] Sic omnino lege post Lipsium, refertur enim *tò descendit* ad ea quæ præcedunt, ut scilicet dictator *ad ultimum desperatæ reip. remedium descenderit*. Nec audiendi librarii, qui pro *edixitque* scripserunt *equo dixitque*, quasi edictum illud commune aliquid haberet cum usu equi dictatori permisso, de quo paulò anteà.

5. *Qui capitalem fraudem ausi.*] Intelligit capitalis criminis reos: neque enim crimen sine dolo & fraude. Sic noster lib. 16. c. 26. *capitalia ausi pleriq;* Et Virg. 6. Æneid.

Ausi omnes immane nefas, ausoque [*potiti.*

pecunia

pecuniæ judicati in vinculis eſsent; qui eorum apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniaque ſeſe exſolvi juſsurum. [6] ea ſex millia hominum Gallicis ſpoliis, quæ triumpho C. Flaminii translata erant, armavit. itaque cum viginti quinque millibus armatorum ab urbe proficiſcitur. Annibal, Capua recepta, quum iterum Neapolitanorum animos, partim ſpe, partim metu nequicquam tentaſset, in agrum Nolanum exercitum traducit: & ut non hoſtiliter ſtatim, quia non deſperabat voluntariam deditionem; ita ſi morarentur ſpem, nihil eorum quæ pati aut timere poſsent, prætermiſsurus. [7] Senatus, ac maxime primores ejus, in ſocietate Romana cum fide perſtare; plebs novarum, ut ſolet, rerum, atque Annibalis tota eſse: metumque agrorum populationis, & patienda in obſidione multa gravia indignaque proponere animo. neque auctores defectionis deerant. Itaque ubi ſenatum metus cepit, ſi palam tenderent, reſiſti multitudini concitatæ non poſse: clam ſimulando, dilationem mali inveniunt. placere enim ſibi defectionem ad Annibalem ſimulant: quibus autem conditionibus in fœdus amicitiamque novam tranſeant, parum conſtare. Ita ſpatio ſumpto, legatos propere ad prætorem Romanum Marcellum Claudium, [8] qui Caſilini cum exercitu erat, mittunt: docentque quanto in diſcrimine ſit Nolana res. agrum Annibalis eſse, & Pœnorum urbem extemplo futuram, ni ſubveniatur. concedendo plebei ſenatum, ubi velint defecturos ſe, ne deficere præfeſtinarent, effeciſse. Marcellus collaudatis Nolanis, eadem ſimulatione extrahi rem in ſuum adventum juſſit: interim celari quæ ſecum acta eſsent, ſpemque omnem auxilii Romani. Ipſe à Caſilino Calatiam petit: atque inde Vulturno amne trajecto, perque agrum Saticulanum Trebulanumque ſuper Sueſsulam, per montes Nolam pervenit.

Urb. Cond. an. 537. Coſ. M. Terent. Varr.

XV. Sub adventum prætoris Romani, Pœnus agro Nolano exceſſit; & ad mare proxime Neapolim deſcendit; cupidus maritimi oppidi potiundi, quo curſus navibus tutus ex Africa eſset. Cæterum poſteaquam Neapolim à præfecto Romano teneri accepit (M. Junius Silanus erat, ab ipſis Neapolitanis àccitus) Neapolim quoque

NOTÆ.

6. *Ea ſex millia equitum.*] Ex capitalium criminum reis, & obæratis nexiſve militum millia ſex collecta vult, & Gallorum ſpoliis, armata.

7. *Senatus.*] *Nolanus* ſcilicet.

8. *Qui Caſilini cum exercitu erat.*] Sigon. malebat *Canuſii*; quòd eò contendiſſe magnis itineribus Marcellus dicatur lib. 21. & quòd Plutarchus in ipſius vita auctor ſit eum Canuſio ad tuendos ſocios profectum. Glareani tamen potior mihi ſententia videtur, ut Marcellus Canuſio Caſilinum redierit, ibique cum exercitu fuerit, cùm Annibal Nolam accederet: tum quòd veteres libri habent *Caſilini*: tum quòd à Canuſio Nolam euntibus trajiciendus nequaquam ſit Vulturnus, neque Calatia petenda; ut à Caſilino proficiſcentibus. Adde quòd neque à Canuſio venienti obeunda Saticula, Trebula, monteſve Sueſſulani; & præterea quòd longiùs Canuſium diſtat ab urbe Nola, quàm Caſilinum: unde difficile Nolano Senatui fuerit tantum temporis extrahere, quanto opus eſſet ad petendum expectandumque à Canuſio auxilium.

Urb. Cond. an. 537. Coss. M. Terent. Varr.

sicut Nolam non admissus, [1] petit Nuceriam. eam quum aliquandiu circumsedisset; sæpe vi, sæpe solicitandis nequicquam nunc plebe, nunc principibus, fame demum in deditionem accepit: pactus ut inermes cum singulis abirent vestimentis. deinde, ut qui à principio mitis omnibus Italicis, præter Romanos, videri vellet; præmia atque honores iis qui remansissent, ac militare vellent secum, proposuit. Nec ea spe quemquam tenuit. dilapsi omnes, quocumque hospitia, aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniæ urbes, maxime Nolam Neapolimque. Quum ferme triginta senatores ac forte primus quisque Capuam petissent, exclusi inde, quod portas Annibali clausissent, Cumas se contulerunt. Nuceriæ præda militi data est, urbs direpta atque incensa. Nolam Marcellus non sui magis fiduciâ præsidii, quam voluntate principum habebat. plebs timebatur, & ante omnes L. Bantius, quem consensus attentatæ defectionis, ac metus à prætore Romano, nunc ad proditionem patriæ, nunc si ad id fortuna defuisset, ad transfugiendum stimulabat. Erat juvenis acer, & sociorum ea tempestate prope nobilissimus eques. seminecem eum ad Cannas in acervo cæsorum corporum inventum, curatumque benigne, etiam cum donis Annibal domum remiserat. ob ejus gratiam meriti rem Nolanam in jus ditionemque dare voluerat Pœno: anxiumque eum, & solicitum curâ novandi res, prætor cernebat. Cæterum, quum aut pœna cohibendus esset, aut beneficio conciliandus; sibi assumpsisse quam hosti ademisse fortem ac strenuum maluit socium: accitumque ad se benigne appellat: *Multos eum invidos inter populares habere, inde existimatu facile esse, quod nemo civis Nolanus sibi indicaverit, quam multa ejus egregia facinora militaria essent. Sed qui in Romanis militaverit castris, non posse obscuram ejus virtutem esse. multos sibi qui cum eo stipendia fecerint, referre, qui vir esset ille, quæque & quoties pericula pro salute ac dignitate populi Romani adiisset: utique Cannensi prælio non prius pugna abstiterit, quam prope exsanguis ruinâ superincidentium virorum, equorum, armorumque sit oppressus. Itaque macte virtute esto*, inquit, *apud me tibi omnis honos atque omne præmium erit: & quo frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati atque emolumento esse*. lætoque juveni promissis, equum eximium dono dat, [2] bigatosque quingentos quæstorem numerare jubet: lictoribus imperat, ut eum se adire, quoties velit, patiantur.

NOTÆ.

1. *Petit Nuceriam*.] Campaniæ oppidum juxta Sarnum amnem trans Neapolim & Vesuvium montem, novem millibus à mari: *Alfaterna* cognomine, auctore Diodoro Siculo lib. 19. vulgò *Nocera delli pagani*. sic dicta quòd Sarraceni eam diu tenuerint; ad discrimen alterius Nuceriæ, quæ in Umbria. Illa hodie Ducatus Barberinorum, in Principatu citeriore.

2. *Bigatosque quingentos.*] Dicti *Bigati* uti *quadrigati* nummi à nota bigarum & quadrigarum eis impressâ, quales multos adhuc videmus denarios. Quingenti autem denarii, hodiernæ apud nos monetæ æquipollerent libris fermè ducentis.

XVI. Hac comitate Marcelli, ferocis juvenis animus adeo est mollitus, ut nemo inde sociorum rem Romanam fortius ac fidelius juverit. Quum Annibal ad portas esset, (Nolam enim rursus à Nuceria moverat castra) plebesque Nolana de integro ad defectionem spectaret; Marcellus, sub adventum hostium, intra muros se recepit: non castris metuens; sed ne prodendæ urbis occasionem nimis [a] multis in eam imminentibus daret. Instrui deinde utrimque acies cœptæ; Romanorum pro mœnibus Nolæ; Pœnorum ante castra sua. prælia hinc parva inter urbem castraque, & vario eventu fiebant: quia duces nec prohibere paucos temere rogantcis, nec dare signum universæ pugnæ volebant. [1] In hac continua duorum exercituum statione principes Nolanorum nunciant Marcello, *Nocturna colloquia inter plebem & Pœnos fieri: statutumque esse, ut quum Romana acies egressa portis foret, impedimenta eorum ac sarcinas diriperent, clauderent deinde portas, murosque occuparent, ut [2] potentes rerum suarum atque urbis, Pœnum inde pro Romano acciperent*. Hæc ubi nunciata sunt Marcello, collaudatis senatoribus Nolanis, priusquam [3] aliquis motus intus oriretur, fortunam pugnæ experiri statuit. Ad treis portas in hostes versas tripartito exercitum instruxit: impedimenta subsequi jussit: calones lixasque & invalidos milites, vallum ferre. media porta robora legionum & Romanos equites; duabus circa portis novos milites, levemque armaturam ac sociorum equites statuit. Nolani muros portasque adire vetiti; [4] subsidiaque destinata impedimentis data, ne occupatis prælio legionibus in ea impetus fieret. ita instructi intra portas stabant. Annibali sub

Urb. Cond. an. 537. Coss. C. Terent. Varr.

INTERPRETATIO.

a *Cùm plurimi* ex Nolana plebe *eam* (occasionem) *captarent*.

NOTÆ.

1. *In hac continua duorum exercituum statione.*] In omnibus libris scriptum fuit *Comitiaria*, in Codice Puteani fuit *Ceditia*. unde Gronovius fecit *quotidianâ*. At Sigonius ex veteri libro reposuit *continua*: quod epitheton meliùs hoc loco videtur convenire stationi exercituum, quàm *quotidiana*: significat enim assiduam & quasi perpetuam, hinc Pœnorum, inde Romanorum moram Nolæ, aut apud Nolam.

2. *Potentes rerum suarum.*] Ita Gron. ex scriptis. Vulgo legitur *potientes*, eodem sensu, nec multò deteriore loquendi formâ.

3. *Aliquis motus intus oriretur.*] Sic ex libro veteri Sigonius, cùm *in muris oriretur* priùs scriptum esset. Scribi vult Gronov. *aliquis motus injuriave oriretur*: ducta ex optimo manuscripto conjecturâ, ubi *injuriose oriretur*.

4. *Subsidiaque destinata impedimentis.*] Quærit Gronovius quæ sint *destinata subsidia*. Ego quæ sit interrogandi aut mirandi causa non video: quid enim clarius, quàm partitis a Marcello intra urbem ad tres portas copiis, partem earum aliquam destinatam fuisse, quæ vim plebis Nolanæ, impedimenta & sarcinas diripere molientis, arceret, datumque impedimentis præsidium. *Data* sunt itaque *impedimentis*, *præsidia*, quæ ad id *destinata*.

Urb. Cond. an. 537. Cos. C. Terent. Varr.

signis (idquod per aliquot dies fecerat) ad multum diei in acie stanti, [b] primò miraculo esse, quod nec exercitus Romanus porta egrederetur, nec armatus quisquam in muris esset. ratus deinde prodita colloquia esse, metuque [5] resides factos, partem militum in castra remittit, jussos propere apparatum omnem oppugnandæ urbis in primam aciem afferre: satis fidens, si cunctantibus instaret, tumultum aliquem in urbe plebem moturam. Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa, succeditque ad muros acies; patefactâ repente portâ, Marcellus signa canere, clamoremque tolli, ac pedites primum, deinde equites, quanto maximo possent impetu, in hostem erumpere jubet. Satis terroris tumultusque in aciem mediam intulerant, quum duabus circa portis P. Valerius Flaccus, & C. Aurelius legati in cornua hostium erupere. Addidere clamorem lixæ calonesque, & alia turba custodiæ impedimentorum apposita, ut paucitatem maxime spernentibus Pœnis, ingentis repente exercitus speciem fecerint. Vix equidem ausim affirmare, quod quidam auctores sunt, [6] duo millia & trecentos hostium cæsos: [7] non plus uno Romanos amisisse. sive tanta, sive minor victoria fuit: ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. [8] non vinci enim ab Annibale vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere.

XVII. Annibal spe potiendæ Nolæ adempta, quum Acerras recessisset: Marcellus extemplo clausis portis, custodibusque dispositis, ne quis egrederetur, quæstionem in foro de iis qui clam in colloquiis hostium fuerant, habuit: supra septuaginta damnatos proditionis securi percussit, bonaque eorum jussit publica populi Romani esse: & summâ rerum senatui traditâ, cum exercitu omni profectus, supra Suessulam castris positis

INTERPRETATIO.

b *Initio mirabatur* Annibal.

NOTÆ.

5. *Resides factos.*] Defectionis scilicet auctores & conscios.

6. *Duo millia & trecentos hostium cæsos.*] Majorem numerum quidam prodidere apud Plutarch. in Marcello, nimirùm quinque millium: iidem quingentos ex Romanorum exercitu desideratos tradiderunt, sed minorem numerum fatetur à Livio editum.

7. *Non plus uno Romanos amisisse.*] Lege *Romanum*, inquit Gronovius. Sed *Romanos* idem est ac ex parte Romanorum.

8. *Non vinci enim ab Annibale vincentibus difficilius fuit.*] Quæ sit sententia hujus loci, difficile est capere, nisi quis docuerit eosdem eodem tempore & victos & victores esse posse. Hoc vidit Laur. Valla, qui opinatur pro *vincentibus* legendum esse, aut *vinci solitis*, sive *vinci suetis*, aut *vincere solito*, seu *vincere sueto*, Annibale scilicet. Mihi vel delendum omnino illud *vincentibus*, videtur; vel ejus loco scribendum, *victis jam sæpius*. Posset tamen ad Romanos fortè referri, si *vincentibus* sumatur pro, jam *victoribus*, id est, iis qui nunc ad Nolam vincebant. Illud sanè ingens, quòd post Cannensem calamitatem, primùm Marcelli ad Nolam prælio populus Romanus se erexit, ut ait Cicero in Bruto. Hic Marcellus cùm vinci posse Annibalem exemplo suo docuisset, Romanorum gladius dici cœpit, quemadmodùm Fabius eorum clypeus habebatur.

Urb. Cond. an. 537. Cos. M. Terent. Varr.

consedit. Pœnus Acerras primum ad voluntariam deditionem conatus perlicere; posteaquam obstinatos vidit, obsidere inde atque oppugnare parat. ceterum Acerranis plus animi quam virium erat. itaque desperata tutela urbis, ut circumvallari mœnia viderunt, priusquam continuarentur hostium opera, per intermissa munimenta neglectasque custodias silentio noctis dilapsi, per vias inviaque, qua quemque [1] aut consilium, aut terror tulit, in urbes Campaniæ, quas satis certum erat non mutasse fidem, perfugerunt. Annibal Acerris direptis atque incensis, quum à Casilino dictatorem Romanum legionesque eminus aspici nunciassent; ne quis tam propinquis hostium castris [2] Capuam quoque recurrat, exercitum ad Casilinum ducit. Casilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant, cum paucis Romanis Latinique nominis, quos eodem [3] audita Cannensis clades contulerat. hi non confecto Præneste ad diem delectu, serius profecti domo, quum Casilinum ante adversæ pugnæ famam venissent, & aliis aggregarent sese Romanis sociisque: profecti a Casilino cum satis magno agmine irent; avertit eos retro Casilinum nuncius Cannensis pugnæ. ibi quum dies aliquot suspecti Campanis, timentesque cavendis ac struendis invicem insidiis traduxissent; jamque de Capuæ defectione agi, accipique Annibalem satis pro certo haberent: interfectis nocte oppidanis, partem urbis quæ cis Vulturnum est, (eo enim dividitur amni) occupavêre. idque præsidium Casilini habebant Romani. Additur & Perusina cohors homines quadringenti & sexaginta, eodem nuncio, quod Prænestini paucos ante dies Casilinum compulsi. & satis ferme armatorum ad tam exigua mœnia, & flumine altera parte cincta, tuenda, erat. penuria frumenti, nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat.

XVIII. Annibal quum jam inde haud procul esset, [1] Gætulos, cum præfecto nomine Isalca, præmittit: ac primo, si fiat colloquii copia

N O T Æ.

1. *Aut consilium aut terror.*] Dubitanter Gronov. at Tanaq. Faber velut certò emendat *error*: rationem correctionis ille adjecit, quòd *terror* non minùs eos agitaret, qui consilio perfugium legerunt, quàm eos, qui forte huc vel illuc delati, sed terror errandi causa.

2. *Capuam quoque recurrat.*] Corruptum volunt hunc locum. Lips. scripsit, *Capua quoque occurreret*; sed quia in Puteano erat *Capua quoque orere currunt*, Gronov. putat olim fuisse, *ne quid, tam propinquis hostium castris, Capua quoque moveretur*. An *ne quis* Acerranorum. *Capuam quoque recurrat*, nullo mutato.

3. *Audita Cannensis clades contulerat.*] Non ineleganter *contulerat*, pro *collegerat congregaverat*. Sed num potius, fortè eodem quoque sensit, *compulerat*: certè paulò antè Perusinam cohortem eodem nuncio *Casilinum compulsam* dicit, id est, convenire & confugere adactam. Poëta Eclo. 7.

Compulerantque greges Corydon & Tyrsis in unum.

1. *Gætulos.*] Populi ultra Africam propriè dictam, Numidiam, & Mauritaniam fuere *Gætuli*, Libyæ interioris ingens natio, in eo tractu, qui hodie *Biledulgerid*: in quo illis, ut pote vagari solitis, certam assignare sedem difficile fuerit. Aliquam nominis affinitatem cum Gætulia habere videtur *Guzula* regni Marrochiani provincia.



Urb. Cond. an. 537. Coss. M. Terent. Varr.

verbis benignis ad portas aperiendas præsidiumque accipiendum perlicere jubet: si in pertinacia perstent, rem gerere ac tentare si qua parte invadere urbem possit. Ubi ad mœnia accessere, quia silentium erat, solitudo visa; [a] [2] metuque concessum barbarus ratus, moliri portas & claustra refringere parat. quum patefactis repente portis cohortes duæ, ad id ipsum instructæ intus, ingenti cum tumultu erumpunt, stragemque hostium faciunt. Ita primis repulsis, Maharbal cum majore robore virorum missus, nec ipse eruptionem cohortium sustinuit. postremo Annibal, castris ante ipsa mœnia oppositis, parvam urbem parvumque præsidium summa vi atque omnibus copiis oppugnare parat. ac dum instat lacessitque, coronâ undique circumdatis mœnibus, aliquot milites & promptissimum quemque è muro turribusque ictos amisit. Semel ultro erumpentes agmine elephantorum opposito prope interclusit, trepidosque compulit in urbem, satis multis, ut ex tanta paucitate, interfectis: plures cecidissent, ni nox prælio intervenisset. Postero die omnium animi ad oppugnandum accenduntur; utique posteaquam [3] corona aurea muralis proposita est, atque ipse dux, castelli plano loco positi segnem oppugnationem Sagunti expugnatoribus exprobrabat; Cannarum Thrasymenique & Trebiæ singulos admonens, universosque. Inde vineæ quoque cœptæ agi cuniculique: nec ad varios conatus hostium aut vis ulla, aut ars deerat. Socii Romanorum propugnacula adversus vineas statuere, [4] transversis cuniculis hostium cuniculos excipere, & palam & clam cœptis obviam ire; donec pudor etiam Annibalem ab incœpto avertit: castrisque communitis ac præsidio modico imposito, ne omissa res videretur, in hiberna Capuam concessit. Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis habuit; adversus omnia humana mala [5] sæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. itaque quos nulla mali vi-

INTERPRETATIO.

a *Et* præsidium aliò *ex timore abiisse*.

NOTÆ.

2. *Metuque concessum*.] Num potiùs *consessum* supple *esse* ab iis qui se Casilinum receperant, id est, eos metu, cessare, non moveri, ut *considere in otio*, ita apud Virgilium 11. Æn.

——— *sedeant, spectentque Latini*.

Nam *sedere* & *considere* sæpe idem significant quod *desidere*, vel *residere*.

3. *Corona aurea muralis*.] Ei scilicet qui primus murum hostilem ascendisset.

4. *Transversis cuniculis*.] Jam tum cognita non tantum agendorum cuniculorum ars, sed etiam cuniculos hostium contrariis cuniculis inutiles reddendi, nos hodie vocamus, *fourneaux & contremines*.

5. *Sæpe ac diu durantem*.] Est quidem *durare* idem ac *perdurare*, *obfirmatum esse*. Sic apud Maronem 1. Æn.

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Verùm adverbiis *sæpe ac diu* convenire magis videtur *duratum* idest, *induratum*; à quo non abhorrent scripti Put. & Pet. ubi legitur *duratam*. Et de hoc eodem exercitu noster lib. 30. *duratum omnium rerum patientiâ*.

cerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ: & eo impensius, quo avidius, b ex insolentia, in eas se merserant. Somnus enim, & vinum, & epulæ, & scorta, balneaque, & otium, consuetudine in dies blandius, ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde præteritæ eos victoriæ quam præsentes tutarentur vires: majusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad urbem Romanam duxisset. illa enim cunctatio, distulisse modo victoriam videri potuit; hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque, hercule, velut si cum alio exercitu à Capua exiret, nihil usquam pristinæ disciplinæ tenuit. nam & redierunt plerique scortis impliciti: & ubi primum sub pellibus haberi cœpti sunt, viaque & alius militaris labor excepit, tyronum modo, corporibus animisque deficiebant: & deinde per omne æstivorum tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur: neque aliæ latebræ, quam Capua, desertoribus erant.

Urb. Cond. an. 537. Cos. C. Terent. Varr. Dictat. M. Junio.

XIX. Cæterum, mitescente jam hieme, educto ex hibernis milite, Casilinum redit; ubi, quanquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continuata oppidanos præsidiumque ad ultimum inopiæ adduxerat. Castris Romanis Tib. Sempronius præerat; dictatore auspiciorum repetendorum caussa profecto Romám. Marcellum & ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, Vulturnus amnis, inflatus aquis, & preces Nolanorum [1] atque Acerranorum, tenebant, Campanos timentium, si præsidium Romanum abscessisset. Gracchus assidens tantum Casilino, [2] quia prædictum erat dictatoris, *ne quid absente eo rei gereret*, nihil movebat: quanquam quæ facile omnem patientiam vincerent, nunciabantur à Casilino. nam & præcipitasse se quosdam non tolerantes famem, constabat: & stare inermes in muris, nuda corpora ad missilium telorum ictus præbentes. Ea ægre patiens Gracchus; quum neque pugnam conserere dictatoris injussu auderet; (pugnandum autem esse, si palam frumentum importaret, videbat); neque clam importandi spes esset: farre, ex agris circa undique convecto, quum complura dolia complesset, nuncium ad magistratum Casilinum misit, ut exciperent dolia, quæ amnis deferret. Insequenti nocte intentis omnibus in flumen, ac spem ab nuncio Ro-

INTERPRETATIO.

b In eas voluptates, *eò ardentiùs se* ingurgitaverant, *quo* ipsis *insueta* erant.

NOTÆ.

1. *Atque Acerranorum.*] Objicit Gronovius Acerranos tunc nullos fuisse, *Acerris* jam incensis, suprà cap. 17. respondet tamen fortè restitutos fuisse; aut certè legendum *Avellanorum*, quod satis probabile; fuit enim *Abella*, seu *Avella* Campaniæ oppidum, Nolæ adhuc propior quàm sint Acerræ.

2. *Quia prædictum erat dictatoris.*] Malim *edictum dictatoris*, aut *prædictum à Dictatore*.

Urb. Cond. an. 537. Cos. C. Terent. Varr. Dictat. M. Junio.

mano factam, dolia medio missa amni a defluxerunt: æqualiter inter omnes frumentum divisum. Id postero quoque die ac tertio factum est. nocte & mittebantur & perveniebant: eò custodias hostium fallebant. Imbribus deinde continuis citatior solito amnis, transverso vortice dolia impulit ad ripam quam hostes servabant. ibi hærentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur: nunciatumque Annibali est, & deinde intentiore custodia cautum, ne quid falleret Vulturno ad urbem missum. 3 Nuces tamen fusæ ab Romanis castris, quum medio amni ad Casilinum defluerent, cratibus excipiebantur. Postremo ad id ventum inopiæ est, ut lora detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur, nec muribus aliove animali abstinerent, & omne herbarum radicumque genus aggeribus infimis muri eruerent; & quum hostes obarassent quidquid herbidi terreni extra murum erat, 4 raporum semen injecerunt, ut Annibal, *Eone usque dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum*, exclamaret: & qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemptione liberorum capitum: 5 Septunces auri in singulos pretium convenit. Fide accepta, sese tradiderunt: donec omne aurum persolutum est, in vinculis habiti: tum remissi Cumas cum fide. Id verius est, quam ab equite in abeuntes immisso interfectos. Prænestini maxima pars fuêre. ex quingentis septuaginta, qui in præsidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit: cæteri incolumes Præneste cum prætore suo Manicio (scriba is antea fuerat) redierunt. Statua ejus indicio fuit, Præneste in foro statuta, loricata, amicta toga, 6 velato capite. & tria signa cum titulo laminæ æneæ inscripto, *Manicium pro militibus, qui Casilini in præsidio fuerint, votum vovisse*. Idem titulus tribus signis in æde Fortunæ positis fuit subjectus.

INTERPRETATIO.

a *Devecta sunt* secundo amne.

NOTÆ.

3. *Nuces inde fusæ.*] Membranæ habent *Nuces tamen fusæ*, id est, quamvis intenta esset custodia Pœnorum, nihilominùs nuces projectæ in flumen, ferebantur Casilinum usque. Hinc Prænestinos *Nuculos* dictos esse Festus notat, quòd hæ illorum cohortes Casilini inclusæ sese nucibus sustentassent.

4. *Raporum semen.*] Cum Pœni herbidum solum muris vicinum, (non intra urbem, quod voluit Glareanus, quasi πλήτιον τῶ τείχους esset intra muros, cùm sit juxta muros;) arassent, ne obsessi herbis ibi natis uti possent; hi raporum sive raparum semine solum idem impleverunt, quò se commodum inde aliquod nihilominùs percepturos ostenderent, & obsidionem adhuc satis diu toleraturos, dum hæc legumina nascerentur.

5. *Septunces auri.*] Si unciam Romanam auri hodierno pretio æstimemus, non minùs 44. libris Francicis valebit. Septem igitur unciæ efficient plus trecentis libris nostratibus in singula capita: eoque ultro pacto se dediderunt.

6. *Velato capite*,] Ut in re divina & voto concipiendo reddendove.

Casi-

XX. Casilinum oppidum redditum Campanis est; firmatum septingentorum de exercitu Annibalis præsidio, ne ubi Pœnus inde abscessisset, Romani oppugnarent. Prænestinis militibus senatus Romanus, duplex stipendium & quinquennii militiæ vacationem decrevit. civitate quum donarentur ob virtutem, 1 non mutaverunt. 2 Perusinorum casûs obscurior fama est: quia nec ipsorum monumento ullo est illustratus, nec decreto Romanorum. Eodem tempore 3 Petellinos, qui uni ex Brutiis mauserant in amicitia Romana, non Carthaginienses modo, qui regionem obtinebant, sed Brutii quoque cæteri ob separata ab se consilia oppugnabant. Quum obsistere malis nequirent Petellini, legatos Romam ad præsidium petendum miserunt. quorum preces lachrymæque (in questus enim flebiles, quum sibimetipsi consulere jussi sunt, sese in vestibulo curiæ profuderunt) ingentem misericordiam Patribus ac populo moverunt. consultique iterum 4 à Manio Pomponio Prætore Patres, circumspectis omnibus imperii viribus, fateri coacti, nihil jam longinquis sociis in se præsidii esse; redire domum, fideque ad ultimum expleta, consulere sibimetipsos in præsenti fortuna jusserunt. Hæc posteaquam renunciata legatio Petellinis est, tantus repente mœror pavorque senatum eorum cœpit, ut pars profugiendi qua quisque posset, ac deserendæ urbis auctores essent, pars quando deserti à veteribus sociis essent, adjungendi se cæteris Brutiis, ac per eos dedendi Annibali. Vicit tamen ea pars, quæ nihil raptim nec temere agendum, consulendumque de integro censuit. a Relaxata postero die per minorem trepidationem retinuerunt optimates, ut convectis omnibus ex agris, urbem ac muros firmarent.

Urb. cond. ann. 537. Cos. C. Terent. Varr. Dictat. M. Junio.

INTERPRETATIO.

a *Prolatâ* & in crastinum rejectâ *deliberatione*, *Senatores primarii postridie retinendo* plebem *effecerunt*, *&c.*

NOTÆ.

1. *Non mutaverunt*.] *Civitatem* scilicet: sed manserunt Præneste, aut jure civium Prænestinorum fuere contenti.

2. *Perusinorum*.] Cohortem Perusinorum quadringentorum ac sexaginta, nuncio Cannensis pugnæ accepto, Casilinum compulsos, quemadmodum & Prænestinos, vidimus extremo cap. 17. Horum quæ fortuna fuerit minùs certum. Eò ducit conjectura, ut qui eorum superstites fuere, parem cum Prænestinis habuerint exitum. *Perusia* Tusciæ urbs non procul dextrâ Tiberis ripâ: hodieque *Perugia* Academiam habet cum Episcopatu in Ecclesiæ Romanæ ditione.

3. *Petellinos*.] *Petellia*, seu *Petilia* urbs Brutiorum inter Turios & Crotonem, ex Tabula itineraria: à Philoctete olim condita, ut Strabo & Servius scribunt. Ad sinum Scyllaceum fuisse ubi nunc *Strongoli* Episcopale Calabriæ Citerioris oppidum, censet post Gualterium Holstenius, in eaque sententia fuerat Cluverius pag. 1257. quanquam paginâ deinde 1315. existimet fuisse *Belcastro* in limine Calabriæ ulterioris. Sansoni ad Ptolemæum est *Cirenza*, quæ paulò interior Strongylo in Calabriæ Citerioris finibus.

4. *A M. Pomponio pretore*.] Correctio est Sigonii, cùm anteà legeretur *à M. Æmilio pretore*, quo nomine nullus hoc anno prætor: sed Ma. Pomponius præ tor erat urbanus.

Urb. cond. an. 537. Dictat. M. Junio. Cos. M. Terentio.

XXI. Per idem fere tempus literæ ex Sicilia Sardiniaque Romam allatæ. Priores ex Sicilia T. Otacilii Proprætoris in senatu recitatæ sunt: L. Furium Prætorem cum classe ex Africa Lilybæum venisse: ipsum graviter saucium in discrimine ultimo vitæ esse. militi & navalibus sociis neque stipendium neque frumentum ad diem dari; neque unde detur, esse. Magnopere suadere, ut quanprimum ea mittantur: sibique si ita videatur, ex novis prætoribus successorem mittant. Eademque ferme de stipendio frumentoque ab A. Cornelio Mammula Proprætore ex Sardinia scripta. Responsum utrisque, *non esse unde mitteretur*. jussique *ipsi classibus atque exercitibus suis consulere*. T. Otacilius, ad unicum subsidium populi Romani Hieronem legatos quum misisset, in stipendium, quantum argenti opus fuit, & sex mensium frumentum, accepit. Cornelio in Sardinia civitates sociæ benigne contulerunt. Et Romæ quoque propter penuriam argenti, triumviri mensarii rogatione Minucii trib. pleb. facti. L. Æmilius Papus qui consul censorque fuerat: & M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat: & L. Scribonius Libo, qui tum tribunus pleb. erat. Et duumviri creati, M. & C. Atilii, ædem Concordiæ, quam L. Manlius Prætor voverat, dedicaverunt. Et tres pontifices creati, Q. Cæcilius Metellus, Q. Fabius Maximus, & Q. Fulvius Flaccus; in locum P. Scantinii demortui, & L. Æmilii Paulli Consulis, & Q. Ælii Pæti, qui ceciderant pugna Cannensi.

XXII. Quum cætera quæ continuis cladibus fortuna minuerat, quantum consiliis humanis assequi poterant, Patres explessent; tandem se quoque & solitudinem curiæ, paucitatemque convenientium ad publicum concilium respexerunt. neque enim 1 post L. Æmilium & C. Flaminium censores senatus lectus fuerat; quum tantum senatorum adversæ pugnæ, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumpsissent. Quum de ea re Manius Pomponius Prætor, dictatore post Casilinum amissum profecto jam ad exercitum, exposcentibus cunctis retulisset; tum Sp. Carvilius, quum longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam civium, ex quibus in Patres legerentur, conquestus esset; explendi senatus caussa, & jungendi arctius Latini nominis, a pro magna re suadere, dixit, ut ex singulis populis Latinorum, binis senatoribus, si Patres Romani censuissent, civitas daretur: atque in demortuorum locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quam ipsorum quondam postulatum Latinorum Patres audierunt: & quum fremitus

INTERPRETATIO.

a *Auctor esse, velut ingentis boni.*

NOTÆ.

1. *Post L. Æmilium, & C. Flaminium.*] consulares, quorum hic viam Flaminiam Hi ante [illegible] Censores fuerant eà censurà munivit, & Circum Flami- [illegible] 5,3. & [illegible] 43. condiderat niam struxit, triennio post interfectus L. [illegible]: & C. Flaminius viri prælio ad Trasimenum.

Urb. cond. an. 537. Dictat. M. Junio, Cos. M. Terent.

indignantium totâ curiâ esset; & præcipue Manlius, *esse etiam nunc stirpis ejus virum*, diceret, *ex qua quondam in Capitolio Consul minatus esset*, quem Latinum in curia vidisset, eum sua manu se interfecturum; Q. Fabius Maximus, *Nunquam rei ullius alieniore tempore mentionem factam in senatu*, dixit: *quam inter tam suspensos sociorum animos, incertamque fidem*, [1] *id tactum, quod insuper solicitaret eos. eam unius hominis temerariam vocem silentio omnium extinguendam esse: & si quid unquam arcani sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliviscendum, pro non dicto habendum esse*. ita ejus rei oppressa mentio est. Dictatorem, qui censor ante fuisset, vetustissimusque ex eis qui viverent censoriis esset, creari placuit, [3] qui senatum legeret: acciri que C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum jusserunt. qui quum ex Apulia, relicto ibi præsidio, magnis itineribus Romam rediisset: nocte proxima, ut mos erat, [4] M. Fabium Buteonem ex SC. sine magistro equitum dictatorem in sex menses dixit.

XXIII. Is, ubi cum lictoribus in Rostra ascendit, [1] *neque duos dictatores tempore uno, quod nunquam antea factum esset, probare se*, dixit: *neque dictatorem se sine magistro equitum: nec censoriam vim permissam uni & eidem iterum: nec dictatori, nisi rei gerendæ caussa creato, in sex menses datum imperium*. [a] *Quæ immoderata sors, tempus ac necessitas fecerint, iis se modum impositurum. nam neque senatu quenquam moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Æmilius censores in senatum legissent: transcribi tantum recitarique eos jussurum;* [2] *ne penes unum ho-*

INTERPRETATIO.

a Se temperaturum ea quæ fortuna nimia, quæ tempus præsens, & necessitas rerum fieri coëgerunt.

NOTÆ.

1. *Id tactum.*] Scribebat Gronov. *id jactum*: non improbabiliter, hoc est, jactatum, propositum. Agnoscit tamen non malè dici *id tactum*, quâ formâ loquendi usus Cic.

3. *Qui Senatum legeret.*] Hæc potestas legendi Senatum, post reges exactos penes consules fuerat: donec creati Censores: qui hoc munere fungerentur. Interdum, sed rariùs Dictator, aut etiam Triumviri ea de causa creati id agebant, ut annotat Majorag. de Senatu Rom. cap. 14.

4. *M. Fabium Buteonem.*] In Capitolinis Tabulis leguntur an. 512. Censores creati: horum unius tantùm nomen editur, C. Aurelii Cottæ: alterum, cujus excisum nomen, Sigonius conjicit hunc Fabium Buteonem, qui nullo alio anno Censor fuisse invenitur. Cùm autem eo tempore duo essent Fabii Buteones Consulares, probat magis Censorem esse factum Numerium, qui prior ceperat Consulatum.

1. *Neque duos Dictatores tempore uno.*] Hoc sanè valde novum, etsi M. Junius rei gerendæ causâ creatus ad exercitum profectus, hic Buteo Senatus legendi gratiâ dictus fuerat. cujus rei meminit quoque Plutarch. in Fab. nec minùs novum Dictatorem sine Magistro equitum creari, eidemque bis censorium munus deferri.

2. *Ne penes unum hominem.*] At nonne idem obtinebat in Censoribus: siquidem Claudius Nero Liviusque Salinator collegæ in Censura, alter in alterum animadverterunt, seque invicem publicis ademptis equis etiam ærarios fecerunt ann. 549. Valer. Max. 2. 9. T. Livius

Urb. cond. an. 537. Dictat. M. Junio, & M. Fabio, Cos. M. Terent.

minem judicium arbitriumque de fama ac moribus senatoris fuerit : & ita in demortuorum locum sublecturum, b *ut ordo ordini, non homo homini prælatus videretur*. Recitato vetere senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium & C. Flaminium censores, curulem magistratum cepissent, necdum in senatum lecti essent ; 3 ut quisque eorum primus creatus erat : tum legit, qui ædiles, tribuni plebeji, quæstoresque fuerant : tum ex iis qui magistratus non cepissent, 4 qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione hominum in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit, privatusque de Rostris descendit, lictoribus abire jussis. turbæque se immiscuit privatas agentium res, 5 tempus hoc sedulo terens, ne deducendi sui caussa populum de foro abduceret : neque tamen elanguit cura hominum eâ morâ, frequentesque eum domum deduxerunt. Consul nocte insequenti ad exercitum rediit ; non facto certiore senatu, ne comitiorum caussa in urbe retineretur.

Urb. cond. an. 538. Dictat. M. Junio. Coss. L. Postum. III. & Ti. Sempr.

XXIV. Postero die consultus à Man. Pomponio prætore senatus, decrevit dictatori scribendum, uti, si è republica censeret esse, ad consules subrogandos veniret cum magistro equitum, & prætore M. Marcello, ut ex iis præsentibus noscere Patres possent, quo statu respublica esset, consiliaque ex rebus caperent. Qui acciti erant, omnes venerunt, relictis legatis qui legionibus præessent. Dictator, de se pauca ac modice locutus, in magistrum equitum. Tib. Sempronium Gracchum magnam partem gloriæ vertit ; co-

INTERPRETATIO.

b *Ut in assignando* Senatoribus, qui allegendi essent, priori aut posteriori *loco, non personarum, sed honoris graduum ratio haberetur.*

NOTÆ.

29.3:7 Certum saltem est ab uno Lustrum condi ; ab uno etiam, cui sors obtigerat, Senatum legi solitum, ex Liv. ipso l. 27. c. 11. unde apparet non amborum censorum communi judicio, sed alterutrius arbitrio de fama civium atque adeo Senatorum disceptatum fuisse. Verùm duo ab initio in id creabantur : uter rem exequeretur, sors decidebat.

3. *Ut quisque eorum primus creatus erat.*] Vulgò legebatur, *ut quisque eorum senator primus creatus erat*. Vel, *primùm creatus erat*. Sed redundare vocem *Senator* notarunt Glar. & Sigon. Neque eam habebat vetus editio Badii. Et verò sensus est, eos qui post priores Censores Curulem Magistratum ceperant, lectos esse in Senatum, eo ordine quo magistratum cepissent. Non enim statim, ut Magistratum Curulem gesserant, Senatores fiebant, licèt aditus eis in Curiam daretur : sed ut Senatores censerentur, legi eos à Censoribus oportebat. Nec tamen opus est cum Gron. inserere nomen *magistratus*, & scribere *ut quisque eorum magistratus primus creatus erat* : id enim ex anteriori commate satis intelligitur.

4. *Qui spolia ex hoste fixa domi haberent.*] Post eos, qui Magistratus, tum Curules, tum plebejos gesserant, ii lecti sunt *in Senatum* qui nullo Magistratu gesto, *suâ* tamen suorumve bellicâ virtute insignes essent, eoq; spolia hostibus detracta haberent domi suæ ; erat enim in more positum apud Romanos teste Plin. l. 35. c. 2. ut *foris & circa limina, majorum suorum fortissimorum imagines disponerent affixis hostium spoliis &c.*

5. *Tempus hoc sedulò terens.*] In foro.

mitiaque edixit, quibus L. Postumius tertium, absens, qui tum Galliam provinciam obtinebat, & Tib. Sempronius Gracchus, qui tum magister equitum eo accurrerat, consules crearentur. Prætores inde creati, M. Valerius Lævinus, Ap. Claudius Pulcher, Q. Fulvius Flaccus, Q. Mucius Scævola. Dictator, creatis magistratibus, [1] Teanum in hiberna ad exercitum rediit; relicto magistro equitum Romæ: qui quum post paucos dies [2] magistratum initurus esset, de exercitibus scribendis comparandisque in annum, Patres consuleret. Quum eæ res maxime agerentur, nova clades nunciata: [3] aliam super aliam cumulante in eum annum fortuna; L. Postumium consulem designatum, in Gallia ipsum atque exercitum deletos. Sylva erat vasta [4] (Litanam Galli vocant) qua exercitum traducturus erat. ejus sylvæ dextra lævaque circa viam Galli arbores ita inciderant, ut immotæ starent, [5] momento levi impulsæ occiderent. Legiones duas Romanas habebat Postumius, sociûmque ab Supero mari tantum conscripserat, ut viginti quinque millia armatorum in agros hostium induxerit. Galli oras extremæ sylvæ quum circumsedissent, ubi intravit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt, quæ alia in aliam instabilem per se ac male hærentem, incidentes, ancipiti strage, arma, viros, equos obruerunt, ut vix decem homines effugerent. Nam quum exanimati plerique essent arborum truncis fragmentisque ramorum, cæteram quoque multitudinem inopinato malo trepidam, Galli, saltum omnem armati circumsidentes interfecerunt; paucis è tanto numero captis, qui pontem fluminis petentes, obsesso ante ab hostibus ponte interclusi sunt. Ibi Postumium, omni vi, [6] ne caperetur,

Urb. cond. an. 538. Coss. L. Postum. III. & Ti. Sempr.

NOTÆ.

1. *Teanum.*] Duo fuere in Italia oppida ejus nominis, Teanum Apulum, de quo hic sermo, cujus adhuc rudera extare Cluverius testatur decem millia passuum ab ostio Frentonis. Sanso ad *Chienti* in Capitanata ponit, locum longe diversum à *Civita di Chieti*, quæ in Aprutii utriusque confinio sita, olim *Teate*: alterum *Teanum Sidicinum* in via Latina, & aditu Campaniæ felicis inter Casinum & Casilinum, vulgò *Tiano*.

2. *Magistratum initurus esset.*] Consulatum nempe.

3. *Aliam super aliam.*] *Cladem* intellige.

4. *Litanam Galli vocant.*] Fuit hæc Sylva haud dubiè in Boiis, hoc est, in Mutinensi aut Bononiensi tractu; atque ut ex Zonara discimus, locis montosis: in exitu fortè vallis Carsanianæ, ubi *Selva Romanesca*, aut inde non procul apud locum *Lizana* qui nomini vestigia servare videtur ad Apenninum in Mutinensis, Bononiensis, & Pistoriensis Tusciæ agri confinio.

5. *Momento levi impulsa occiderent.*] Hæc veterum librorum Scriptura: & quandoque *recidere* pro *cadere* sumitur; nam & eo sensu dicimus *Solem occidere*, & cætera etiam sidera *occidere* dicuntur, quasi *cadere* videantur: unde apud Virg. —— *suadentque cadentia sidera somnos.* Gronov. tamen suspicatur legendum *conciderent*. Malim *acciderent*, eo sensu quo dicitur ad pedes, vel ad genua alicujus accidere.

6. *Ne caperetur dimicans occubuit.*] Ita post Puteanum & alios Gronovius Priores habent *obnixus occubuit*. Exiguo sanè quantùm ad sententiam discrimine. In aliis Codicibus neutrum participium occurrit, sed suspensa sic apparet oratio.

Urb. cond. an. 538. Coss. L. Postum. III. & Ti. Sempr.

dimicans, occubuit. spolia corporis caputque ducis præcisum Boji ovantes, templo, quod sanctissimum est apud eos, intulere: purgato inde capite, ut mos iis est, [7] calvam auro cælavere. idque sacrum vas iis erat, quo solennibus libarent: [8] poculumque idem sacerdoti esse, ac templi antistitibus. Præda quoque haud minor Gallis quam victoria fuit. nam etsi magna pars animalium strage sylvæ oppressa erat, tamen ceteræ res, quia nihil dissipatum fuga est, stratæ per omnem jacentis agminis ordinem inventæ sunt.

XXV. Hac nunciata clade, quum per dies multos in tanto pavore fuisset civitas, ut, tabernis clausis, velut nocturnâ solitudine per urbem actâ, senatus ædilibus negotium daret, ut urbem circumvenirent, aperirique tabernas, & mœstitiæ publicæ speciem urbi demi juberent; tum Ti. Sempronius senatum habuit, consolatusque Patres est, & adhortatus, *ne, qui Cannensi ruinæ non succubuissent, ad minores calamitates animos summitterent. quod ad Carthaginienses hostes Annibalemque attinet, prospera modo essent (sicut speraret) futura, Gallicum bellum & mitti tutò & differri posse:* [a] *ultionemque eam fraudis in Deorum ac populi Romani potestate fore. De hoste Pœno exercitibusque, per quos id bellum gereretur, consultandum atque agitandum.* Ipse primùm quid peditum equitumque, quid civium, quid sociorum in exercitu esset dictatoris, disseruit. Tum Marcellus suarum copiarum summam exposuit. Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset, [b] à peritis quæsitum est: [1] nec unde consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur,

INTERPRETATIO.

a *Eam ultionem quam mereretur damnum insidiis Gallorum datum, facilè suo tempore repetendam Deorum ope.*

b *Ab iis quibus cognitus earum copiarum status.*

NOTÆ.

7. *Calvam auro cælavere.*] Longobardorum idem mos fuisse videtur. Ea certè causa legitur præcipua necis Alboino, eorum primo in Italia regi, secundæ uxoris Rosemundæ insidiis illatæ; quod eâ in devicti patris calva bibere coëgisset.

8. *Poculumque idem Sacerdoti esse.*] Freinshemius τὸ *esse* delendum putat: Gronovius τὸ *erat* expungi mavult. Et sanè infinitivus modus pro Indicativo historicis usitatus; & hic verbum *esse* in scriptis video. Porro cum dicit idem poculum *Sacerdoti* fuisse *ac templi antistitibus:* per *Sacerdotem* intelligo eum qui sacra faciebat; per *Antistites* autem eos qui dignitate sacra eminebant.

1. *Nec unde consulares exercitus.*] Ita conjicit Gronovius ex Puteano codice, ubi erat *nec undo consulares;* ubi secunda manus adjecerat inter lineas syllabam *se;* atque inde in plures libros propagata lectio, *ne secundo consulares exercitus,* nullo idoneo sensu. Itaque correctores fecerant, *duone Consulares exercitus satis firmati tanto bello sufficerent inibatur ratio.* Quod Vallæ meritò displicuit; tum quòd pro *efficerentur*, scribebatur, *sufficerentur;* tum etiam quòd non patitur latinitas, ut dicatur *iniri ratio, duone exercitus sufficerent:* ille igitur verum sensum assecutus exiguâ mutatione, legendum putabat, *nec quomodò consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur.*

inibatur ratio. itaque Galliam, quanquam stimulabat justa ira, omitti eo anno placuit. Exercitus dictatoris consuli decretus est. *De exercitu Marcelli*, [2] *qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci, atque ibi militare, donec in Italia bellum esset placuit, eodem ex dictatoris legionibus rejici militem minimi quemque roboris, nullo præstituto militiæ tempore*, [3] *nisi quod stipendiorum legitimorum esset. Duæ legiones urbanæ alteri Consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretæ sunt: cumque, quum primum salvis auspiciis posset, creari placuit. legiones præterea duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri: atque inde consul, cui legiones urbanæ evenissent, militum sumeret quantum opus esset.* [4] *C. Terentio Consuli propagari in annum imperium: neque de eo exercitu quem ad præsidium Apuliæ haberet, quicquam minui.* Urb. cond. an. 538. Cos. Tit. Sempronio.

XXVI. Dum hæc in Italia geruntur apparanturque, nihilo segnius in Hispania bellum erat: sed ad eam diem magis prosperum Romanis, P. & Cn. Scipionibus inter se partitis copias, ut Cnæus terrâ, Publius navibus rem gereret. Asdrubal Pœnorum imperator, [1] neutri parti virium satis fidens, procul ab hoste intervallo ac locis tutus tenebat se: cui multum ac diu obtestanti, quatuor millia peditum, & quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. Tum refecta tandem spe, castra propius hostem movit: classemque & ipse instrui pararique jubet, ad insulas maritimamque oram tutandam. [a] In ipso impetu movendarum de integro rerum, perculit eum præfectorum navium transitio: qui post classem ad Iberum per pavorem desertam graviter increpiti, nunquam deinde satis fidi aut duci aut Carthaginiensium rebus fuerant. Fecerant ii transfugæ motum [2] in Carpesiorum gente, desciverantque

INTERPRETATIO.

a Recrudescente in Hispania bello, *cum de novo majori vi atque impetu agitandæ res essent.*

NOTÆ.

2. *Qui eorum ex fuga Cannensi essent.*] vulgò *qui ex fuga*. Plerique veteres, *eorum qui*. Meliores, *qui eorum*, id est, *qui milites essent ex eorum numero, qui in pugna Cannensi fugerant.*

3. *Nisi quòd stipendiorum legitimorum esset.*] Mavult Gronov. ex manuscriptis *nisi qui stipendiorum legitimorum essent*, ut ad milites, non ad tempus referatur. Vulgaris lectio mihi probatur magis; vult enim Livius eam Senatûs sententiam fuisse, ut præstitutum tempus militiæ in unoquoque milite servaretur, id est, ut non ante impleta viginti annorum stipendia dimitterentur.

4. *C. Terentio Varroni consuli propagari in annum imperium.*] Non ut consulatum retineret per biennium, sed ut pro consule bellum gereret. Nihil autem erat cur contra plerosque manuscriptos & editos Ascensius mutaret *propagari*, in *prorogari imperium*, cùm utrunque rectè dicatur, ut pluribus exemplis confirmat citra necessitatem Gronovius.

1. *Neutri parti virium satis fidens.*] Gall. *Ne se trouvant pas assés fort, ny sur mer, ny par terre.*

2. *In Carpesiorum gente.*] Polybius *Carpesios* dixit pro *Carpetanis*; eumque sequi potuit Livius. Sed meliores Codices habent *Carthesiorum* vel *Tartessiorum*, quorum urbs Carteja. De utrisque jam dictum. Et *Carpetani* quidem, quorum caput *Toletum* Ibero propiores, à quo

Urb. cond. an. 538. Cos. Tit. Sempronio.

iis auctoribus urbes aliquot; una etiam ab ipsis vi capta fuerat. In eam gentem versum ab Romanis bellum est: infestoque exercitu Asdrubal ingressus agrum hostium, pro captæ ante dies paucos urbis mœnibus, 3 Galbum nobilem Carpesiorum ducem, cum valido exercitu castris sese tenentem, aggredi statuit. Præmissa igitur levi armatura, quæ eliceret hostes ad certamen, peditum partem, ad depopulandum, per agros passim dimisit, ut palantes exciperent. Simul 4 & ad castra tumultus erat, & per agros fugaque & cædes, deinde undique diversis itineribus quum in castra se recepissent, adeo repente decessit animis pavor, ut non ad munimenta modo defendenda satis animorum esset, sed etiam ad lacessendum hostem prælio. Erumpunt igitur agmine è castris, tripudiantes more suo: repentinaque eorum audacia terrorem hosti paulo ante ultro lacessenti incussit, itaque & ipse Asdrubal, in collem satis arduum, tutumque flumine etiam objecto, tum copias subducit, & præmissam levem armaturam, equitesque palatos, eodem recipit: nec aut colli aut flumini satis fidens, vallo castra permunit. In hoc alterno pavore, certamina aliquot sunt contracta. nec Numida Hispano eques par fuit: nec jaculator Maurus 5 Cetrato, velocitate pari, robore animi viriumque, aliquantum præstanti.

XXVII. Postea quam neque elicere Pœnum ad certamen obversati castris poterant, neque castrorum oppugnatio facilis erat; urbem 1 Asenam, quo fines hostium ingrediens Asdrubal frumentum commeatusque alios convexerat, vi capiunt, omnique circa agro potiuntur. nec jam aut in agmine aut in castris, ullo imperio contineri. Quam ubi negligentiam ex re (ut fit) bene gesta oriri senserat Asdrubal, cohor-

NOTÆ.

haud multùm exercitus tam Romanorum quàm Pœnorum abfuisse suadet auctoris narratio. Et longiùs à Romanis dissita *Carteja*, intermediusque Asdrubal verti in eam partem bellum à Romanis non facilè sinebat: nec tanta erat Tartessiorum gens, qui pars Turdetanorum sive Olcadum, quemadmodum eos noster appellat lib. 21. ut ex ea plures à Carthaginiensibus urbes deficere possent, aliæ in fide manere: unde non ægrè adducar, ut *Carpesios* potiùs retineam, sive Carpetanos gentis potentioris pluribusque oppidis frequentis; quàm Tartessiorum: nisi Sansonem sequi placeat, apud quem in Tabula Hispaniæ veteris *Carteja Olcadum*, tanquàm longè diversa ab ea quam in Bætica apud Tartessios ad fretum Gaditanum omnes norunt, statuitur inter Tagum & Valeriam, ubi nunc *Hor. cajada*, ni fallor, in Carpetanorum & Celtiberorum confinio.

3. *Galbum.*] Optimi *Chalbum*.

4. *Et ad castra tumultus erat.*] *Castra* intellige, Hispanorum qui defecerant.

5. *Cetrato, velocitate pari.*] *Cetra* quale sit clypei genus, jam explicui.

1. *Asenam.*] Celtiberorum oppidum fuisse, cui nunc nomen *Almeda*, quarto milliari à Toleto, censet Ferrarius, quem in Tabula Hispaniæ sequutus Sanso. Scripti in quibus Colb. habent *Ascuam*. Et facilè potuit in vulgatis irrepere E pro C. & N. pro V. Putarem scribendum *Escuam*, quo nomine oppidum in Turdulis Ptolemæus nominat, cujus & Plinius meminit: id Sanso in conventu Astigitano ponit & *Cabral* interpretatur, qui locus in confinio regni Granatensis & Hispalensis. Sed hoc longius distat à Celtiberis.

tatus

tatus milites, ut palatos sine signis hostes aggrederentur; degressus colle, pergit ire acie instructâ ad castra. quem ut adesse tumultuose nuncii refugientes ex speculis stationibusque attulere, ad arma conclamatum est. Ut quisque arma ceperat, sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati in prælium ruunt. Jam primi conseruerant manus, quum alii catervatim currerent, alii nondum è castris exissent: tamen primo ipsâ audaciâ terruere hostem; deinde rari in confertos illati; quum paucitas parum tuta esset, respicere alii alios, & undique pulsi coire in orbem; a & dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in arctum compulsi, quum vix movendis armis satis spatii esset, coronâ hostium cincti ad multum diei cæduntur. Exigua pars eruptione facta, sylvas ac montes petit: parique terrore & castra sunt deserta, & universa gens postero die in deditionem venit. 2 Nec diu in pacato mansit. nam subinde ab Carthagine allatum est, *ut Asdrubal primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret*. quæ vulgata res per Hispaniam, omnium ferme animos ad Romanos avertit. Itaque Asdrubal extemplo literas Carthaginem mittit; indicans, *quanto fama profectionis suę damno fuisset. Si vero inde pergeret, priusquam Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore. Nam præterquam quod nec præsidium nec ducem haberet, quem relinqueret pro se; eos imperatores esse Romanos, quibus vix æquis viribus resisti possit. Itaque si ulla Hispaniæ cura esset, successorem sibi cum valido exercitu mitterent: cui*, b *ut omnia prospere evenirent, non tamen otiosam provinciam fore*. Urb. cond. an. 538. Cos. Ter. Varr.

XXVIII. Hæ literæ quanquam primò admodum moverunt senatum: tamen quia Italiæ cura prior potiorque erat, nihil de Asdrubale, neque de copiis ejus mutatum. Himilco, cum exercitu justo, & aucta classe, ad retinendam terra marique, ac tuendam Hispaniam est missus: qui ut pedestres navalesque copias trajecit; castris communitis, navibusque subductis, & vallo circumdatis, cum equitibus delectis ipse, quantum maximè accelerare poterat, 1 per dubios infestosque populos c juxta intentus, ad Asdrubalem pervenit. Quum decreta senatus mandataque exposuisset, atque edidicisset ipse invicem, quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit; nulla re

INTERPRETATIO.

a *Et dum se ad globos adjungerent.*

b *Vel si, sive, etiamsi cuncta feliciter procederent: cum tamen non habiturum munus absque negotio & vacuum labore.*

c *Æquè intentus inter nationes dubiæ ac nutantis fidei, ac inter inimicas palàm & infensas.*

NOTÆ.

2. *Nec diu in pacato mansit.*] Si referatur ad Asdrubalem *in pacato manere*, eodem modo dici posset ac in hostico esse. Quòd si ad gentem devictam referas, legendum erit cum Gronovio, *nec diu pacata mansit*. Vel subintelligendum *in pacato statu*.

1. *Per dubios infestosque populos.*] Hinc apparet procul à mari mansisse hactenus Asdrubalem, in populis non omnino pacatis, sive in statu non planè pacifico.

Urb. cond. an. 538. Cos. Ter. Varr.

quam celeritate tutior, quod [a] undique abierat, [2] antequam consentirent. Asdrubal, priusquam moveret castra, pecunias imperat populis omnibus suæ ditionis: satis gnarus, Annibalem transitus quosdam pretio mercatum; nec auxilia Gallica aliter quam conducta habuisse: inopem tantum iter ingressum, vix penetraturum ad Alpes fuisse. pecuniis igitur raptim exactis, ad Iberum descendit. Decreta ad Carthaginiensium & Asdrubalis iter ubi 3 ad Romanos sunt perlata, omnibus omissis rebus, ambo duces junctis copiis, ire obviam cœptis atque obsistere parant; rati si Annibali, vix per se ipsi tolerando Italiæ hosti, Asdrubal dux atque Hispaniensis exercitus esset junctus, 4 illum Romani finem imperii fore. His anxii curis, ad Iberum contrahunt copias, & transito amne, quum diu consultassent, utrum 5 castra castris conferrent, an satis haberent, sociis Carthaginiensium oppugnandis, morari ab itinere proposito hostem; urbem à propinquo flumine 6 Iberam appellatam, opulentissimam ea tempestate regionis ejus, oppugnare parant. quod ubi sensit Asdrubal, pro ope ferenda sociis pergit ipse ire 7 ad urbem, deditam nuper in fidem Romanam, oppugnandam. ita jam cœpta obsidio omissa ab Romanis est, & in ipsum Asdrubalem versum bellum.

XXIX. Quinque millium intervallo castra distantia habuere paucos dies: nec sine levibus prœliis, nec ut in aciem exirent. tandem uno eodemque die velut ex composito utrimque signum pugnæ propositum est, atque omnibus copiis in campum descensum est. 1 Triplex stetit Romana acies. 2 Veli-

INTERPRETATIO.

a *Ex regionibus singulorum populorum, qui suspecti erant.*

NOTÆ.

2. *Antequàm consentirent.*] Populi scilicet Hispanici ad eum arcendum, ne ad castra sua, quæ haud dubiè maritima, perveniret.

3. *Ad Romanos perlata.*] Ad Scipiones fratres, Romanorum in Hispania duces.

4. *Illum Romani finem.*] Vulgò scribebatur *illico Romani, &c.* non malè. Elegantius tamen quod Gronov. subjicit *illum Romani &c.* ex Puteano codice, ut sit tunc futurum Romani imperii finem, probatque pluribus exemplis ex ipso Livio. Sufficit ex lib.3. cap.36. *Ille finis Appio aliena personæ ferendæ fuit.*

5. *Castra castris.*] Id est, castra sua cum castris Asdrubalis.

6. *Iberam.*] Creditur *Ibera* tunc temporis dicta, quæ post *Dertusa* paulò supra ostia Iberi in Ilercaonibus Tarraconensis Hispaniæ populis, nunc *Tortosa* in Cataloniæ versus Valentiæ regnum finibus, Episcopatus titulo nobilis civitas.

7. *Ad urbem, deditam in fidem Romanam.*] Aliam scilicet ab Ibera à Scipionibus tunc oppugnata. Illius autem alterius nomen non indicatur.

1. *Triplex stetit Romana acies.*] Divisi scilicet pedites gravis armaturæ pro more illorum temporum in tria corpora, Hastatos, Principes, & Triarios, immixtâ corpori Hastatorum ac Triariorum levi armaturâ, quos hic Velites appellat. Vide lib.8. cap.8.

2. *Velitum pars inter antesignanos locata, pars post signa accepta.*] Ita Gronov. ex Puteano: vulgò legitur, *peditum pars ante signa locata*; sensu nihil diverso, quod ad situm attinet: idem enim est *ante signa*, & *inter antesignanos*. Sed aliud Velites, aliud Pedites, quo nomine graviùs armati designari solent. Et Pe-

Urb. cond. an. 538. Cos. Ter. Varr.

tum pars inter antesignanos locata, pars post signa accepta, equites cornua cinxere. Asdrubal mediam aciem Hispanis firmat: in cornibus, dextro Pœnos locat, lævo Afros; mercenariorumque auxilia equitum, Numidas Pœnorum peditibus, 3 cæteros Afris, 4 pro cornibus opponit. nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum, binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam, in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. Quum hoc modo instructi starent, imperatorum utriusque partis haud ferme dispares spes erant. nam ne multum quidem, aut numero, aut genere militum, hi aut illi præstabant: militibus longe dispar animus erat. Romanis enim, quanquam procul à patria pugnarent, facile persuaserant duces, pro Italia atque urbe Romana eos pugnare. itaque, velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnæ verteretur, obstinaverant animis, vincere aut mori. Minus pertinaces viros habebat altera acies. nam maxima pars Hispani erant, qui vinci in Hispania, quam victores in Italiam trahi, malebant. Primo igitur concursu quum vix pila conjecta essent, retulit pedem media acies, inferentibusque sese magno impetu Romanis terga vertit. Nihilo segnius in cornibus prælium fuit. hinc Pœnus, hinc Afer urget: & velut in circumventos prælio ancipiti pugnant. Sed quum in medium tota jam coisset Romana acies, satis virium ad dimovenda hostium cornua habuit. Itaque duo diversa prælia erant: utroque Romani, 5 ut qui pulsis tandem mediis, & numero & robore virorum præstarent, haud dubie superarunt. Magna vis hominum ibi occisa, & nisi Hispani vix dum conserto prælio tam effuse fugissent, perpauci ex tota superfuissent acie. Equestris pugna nulla admodum fuit, quia simul inclinatam mediam aciem Mauri Numidæque viderunt, extemplo fugâ effusâ nuda cornua, elephantis quoque præ se actis, deseruere. Et Asdrubal usque ad ultimum eventum pugnæ moratus, è media cæde cum paucis effugit. Castra Romani cepere, atque diripuere. Ea pugna, si qua dubia in Hispania

NOTÆ.

dites generaliter partim ante, partim post signa locari novum non est: nec *accipi* rectè dicitur, nisi minor numerus in majori: major autem semper numerus peditum graviter armatorum, quàm levis armaturæ. Meliùs itaque *Velitum* qui immixti Hastatis & Triariis; quam *peditum*, quibus tota constare solet media acies.

3. *Cæteros Afris.*] Auxiliarem scilicet aliarum à Numidis nationum equitatum.

4. *Pro cornibus opponit.*] Rubenius scribendum putabat, *apponit*, & sanè id videtur exigere sententia, ut equites peditibus hinc atque hinc adjuncti significentur, sive ante peditum cornua, sive ut illis additi ex utroque latere Cornuum loco essent. Gronovius tamen retinet *opponit*, firmatque exemplis; sed quæ nonnisi ad hostes referri possint.

5. *Ut qui pulsis tandem mediis.*] Mavult Gronovius *pulsis jam tum vel pulsis jam antè mediis*: quod superioribus magis congruit, ubi vix conjectis pilis, statim retulisse pedem media acies dicitur. Particula verò *tandem* exigit, ut magno molimine perfecta res fuerit.

Urb. cond. an. 538. Cos. Ter. Varr.

erant, Romanis adjunxit: Asdrubalique non modo in Italiam traducendi exercitus, sed ne manendi quidem satis tuto in Hispania, spem reliquit. Quæ posteaquam literis Scipionum Romæ vulgata sunt: non tam victoriâ, quam prohibito Asdrubalis in Italiam transitu lætabantur.

XXX. Dum hæc in Hispania geruntur, Petellia in Brutiis aliquot post mensibus quam cœpta oppugnari erat, ab Himilcone præfecto Annibalis, expugnata est; multoque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit: nec ulla magis vis obsessos, quam fames expugnavit. absumptis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum; [1] sutrinæ postremo coriis, herbisque & radicibus, & corticibus teneris, [2] strictisque rubis vixere: nec, antequam vires ad standum in muris ferendaque arma deerant, expugnati sunt. Recepta Petellia, Pœnus [3] ad Consentiam copias traducit: quam minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditionem accepit. Iisdem ferme diebus & Brutiorum exercitus Crotonem, Græcam urbem, circumsedit; opulentam quondam armis virisque: tum jam adeo multis magnisque cladibus afflictam, ut omnis ætatis minus viginti millia civium superessent. itaque urbe defensoribus vasta, facile potiti sunt hostes: arx tantum retenta, in quam inter tumultum captæ urbis è media cæde quidam effugere. [4] Et Locrenses descivere ad Brutios Pœnosque; prodita multitudine a principibus. [5] Rhegini tantummodo regionis ejus, & in fide erga Romanos, & potestatis suæ ad ultimum manserunt. In Siciliam quoque eadem inclinatio animorum pervenit: & ne domus quidem Hieronis tota ab defectione abstinuit. namque Gelo maximus stirpis, contempta simul senectute patris, simul post Cannensem cladem, Romana societate ad Pœnos defecit: movissetque in Sicilia res, nisi mors adeo opportuna, ut patrem quoque suf-

NOTÆ.

1. *Sutrina postremò coriis.*] Tolerari posset, ut intelligantur *coria*, quibus sutores in officinis suis utuntur; sed in plerisque libris legitur, *suetemque postremo coriis*: unde conjecit Laur. Valla *scutorumque postremo coriis*, quæ sanè in cibum aliàs quoque versa indubitatum est. Sed Salmas. & Gronov. ex Puteano codice legunt *suetaque*: ita *carnisque omnis generis quadrupedum suetaque* (id est carnis quacunque vesci homines consueverunt, *postremo coriis*.

2. *Strictisque rubis.*] *Strictos* intellige, vel collectos ac decerptos, ut apud Cæsarem 3. de bello civili *foliis ex arboribus strictis*. Et apud Virgil. 2. Georg.

Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus
Et lauri Baccas. —

3. *Ad Consentiam.*] De Consentia, & Crotone actum Decad. 1. Caput Brutiorum olim, nunc citerioris Calabriæ *Consentia* est, vulgò *Cosenza*, ad Cratim amnem, titulo Archiepiscopali decorata.

4. *Et Locrenses.*] Locri hi sunt Epizephyrii dicti sive Occidentales. Nomen fuit oppidi à Græcis supra Zephyrium promontorium extremæ Brutiorum regionis conditi: hodie *Gierace*, in ora maris Jonii, & ulteriore Calabria.

5. *Rhegini.*] Rhegium eodem tractu, sed cis Apenninum in extremo Italiæ, ea parte cornu; Græcorum quoque colonia è regione Messanæ, intercurrente freto Siculo: dicitur adhuc *Reggio* Archiepiscopatus, & metropolis Calabriæ ulterioris.

picione adspergeret, armantem eum multitudinem, solicitantemque socios, absumpsisset. Hæc eo anno in Italia, in Africa, in Sicilia, in Hispania vario eventu acta. Exitu anni Q. Fabius Maximus à senatu postulavit, ut ædem Veneris Erycinæ, quam dictator vovisset, dedicare liceret. Senatus decrevit, ut Ti. Sempronius Consul designatus, quum primum magistratum inisset, ad populum ferret, [6] ut Q. Fabium duumvirum esse juberent ædis dedicandæ caussa. Et [7] M. Æmilio Lepido, qui bis consul augurque fuerat, filii tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti per triduum in foro dederunt. Ædiles curules C. Lætorius, & Tib. Sempronius Gracchus, [8] Consul designatus, qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt. Plebeji ludi ædilium M. Aurelii Cottæ, & M. Claudii Marcelli ter instaurati. Circumacto tertio anno Punici belli, Tib. Sempronius Consul Idibus Martiis magistratum iniit. Prætores Q. Fulvius Flaccus, qui antea consul censorque fuerat, urbanam; M. Valerius Lævinus peregrinam sortem in jurisdictionem habuit. Ap. Claudius Pulcher Siciliam, Q. Mucius Scævola Sardiniam sortiti sunt. M. Marcello Proconsule imperium esse populus jussit, quod post Cannensem cladem unus Romanorum imperatorum in Italia prospere rem gessisset.

Urb. cond. an. 538. Coss. Ti. Sempronio Graccho, & Lu. Postum.

XXXI. Senatus quo die primum est in Capitolio consultus, decrevit, ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuissent. De exercitibus ita decreverunt, ut duabus legionibus urbanis Tib. Sempronius Consul Cales ad conveniendum diem ediceret. Inde sex legiones [1] in castra Claudiana supra

N O T Æ.

6. *Ut Q. Fabium Duumvirum esse juberent.*] Hæc vera scriptura ex optimis codicibus: mutarunt Valla & Sigonius, scripseruntque, ut *Duumviros esse juberent*, quòd dubitarent an *Duumvir* in singulari rectè diceretur; sed nihil est quòd ambigatur. Sic enim sæpe Livius ipse, ut ostendit Gronov. veluti lib. 2. ubi de æde Castoris à Postumio votâ Latino bello, *filius ejus Duumvir* ad id ipsum creatus dedicavit. Quod autem Glareanus ait servandum esse saltem pluralem numerum, quòd præter Fabium T. Otacilius creatus sit eodem tempore, qui ædem Mentis dedicaret, infrà cap. proximo: unde & scribendum esse *ædium dedicandarum causâ*, id nullius momenti est, quandoquidem hoc loco unius tantùm ædis dedicandæ mentio à Livio fit, nimirum Veneris Erycinæ.

7. *M. Æmilio Lepido, qui bis consul augurque.*] Hunc & M. Valerium Lævinum bis consules nominat Livius. Sed cùm neque in fastis Capitolinis, neque apud Cassiodorum, nisi semel in consulum numero legantur; suspicatur Sigonius eos suffectos fuisse in locum L. Veturii, & C. Lutatii. Notum enim est in fastis ordinariorum tantùm fieri mentionem, qui scilicet primi suo anno creati, ei nomen dabant.

8. *Consul designatus.*] Novum & inusitatum ex ædilitate consulatum capere; sed nimirùm hic Tib. Gracchus cùm in ædilitate Magister equitum fuisset, quæ dignitas Præturâ major: potuit hac prætermissâ Consul fieri.

1. *In castra Claudiana.*] Cùm duo ex gente Claudia in imperio essent, M. Claudius Marcellus proconsul, & Appiu

Urb. cond. an. 538. Coss. Tib. Sempronio Graccho, & Lu. Postum.

Suessulam deducerentur, quæ ibi legiones essent (erant autem Cannensis maxime exercitus) eas App. Claudius Pulcher Prætor in Siciliam trajiceret: quæque in Sicilia essent, Romam deportarentur. Ad exercitum, cui ad conveniendum Cales edicta dies erat, M. Claudius Marcellus missus: isque jussus in castra Claudiana deducere urbanas legiones. Ad veterem exercitum accipiendum, deducendumque inde in Siciliam, T. Metilius Croto legatus ab Ap. Claudio est missus. Taciti primo expectaverant homines, uti consul comitia collegæ creando haberet. deinde, ubi ablegatum, velut de industria, M. Marcellum viderunt, quem maxime consulem in eum annum ob egregie in prætura res gestas creari volebant, fremitus in curia est ortus. Quod ubi sensit consul; *Utrunque*, inquit, *è republica fuit, Patres Conscripti, & M. Claudium ad permutandos exercitus in Campaniam proficisci, & comitia non prius edici, quam is inde, confecto, quod mandatum est, negotio, revertisset: ut vos consulem, quem tempus reipublicæ postularet, quem maxime vultis, haberetis.* Ita de comitiis, donec rediit Marcellus, silentium fuit. Interea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus & T. Otacilius Crassus, ædibus dedicandis: Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ. Utraque in Capitolio est; canali uno discretæ. Et de trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis Romam venerant, dein latum ad populum, *ut cives Romani essent:* item,[2] *uti municipes Cumani essent*,[3] *pridie quam populus Campanus à populo Romano defecisset.* Maximè a ut hoc

INTERPRETATIO.

a *Motus inprimis populus Romanus fuerat ad hoc sanciendum, quia ipsi equites Campani fatebantur se nescire cui populo adscribendi essent.*

N O T Æ.

Claudius Pulcher prætor: ambigi posset utrius hæc castra essent; nisi quod Appius nunc primùm præturam inierat, necdum in Siciliam provinciam erat profectus. Hinc patet Claudii Marcelli castra intelligenda, quæ supra Suessulam posita habebat: mirum tamen quod Claudius Marcellus in castra Claudiana legiones deducere jussus dicatur, potiùs quàm in sua castra. Sed quamvis ab eo imperatore nomen haberent, non tamen ejus castra erant, sed populi Romani.

2. *Uti municipes Cumani essent.*] Fur. Camillo, C. Mænio Coss. u. c. 415. Cumani, quòd cum Latinis rebellassent, ejusdem juris conditionisque ac Campani esse jussi fuerant lib. 8. cap. 14. Campani autem agro fuerant mulctati ejusdem lib. cap. 11. nunc Cumæ ex præfectura in municipium versæ. Municipes autem erant cives Romani suo jure suisque legibus utentes: ita ut honorarii muneris cum populo Romano participes essent, nisi quòd suffragio plerumque carebant, nec magistratus capere poterant.

3. *Pridie quam populus Campanus.*] Suspicatur non immerito Gronov. excidisse tres notas E. A. D. scribendumque, *uti municipes Cumani essent ex ante diem pridie quàm populus Campanus.* Alioquin ineptum esset dicere, ut pridie illius diei cives essent, quasi unico die, qui nempe præcessisset defectionem populi Campani, civitatis jus haberent. Vult itaque ipsis attributum jus municipum, locum habuisse ab eo die qui præcesserat Campanorum defectionem.

Urb. cond. an. 538. Coss. Tib. Sempr. & Q. Fabio Max. III.

ferretur, moverat, quod, *quorum hominum essent*, scire se ipsi negabant; [4] *vetere patria relicta*, [5] *in eam in quam redierant*, *nondum adsciti*. Posteaquam Marcellus ab exercitu rediit, comitia uni consuli rogando in locum L. Postumii edicuntur. Creatur ingenti consensu Marcellus, qui extemplo magistratum occiperet. cui ineunti consulatum [6] quum tonuisset, vocati augures, *vitio creatum videri* pronunciaverunt; vulgoque Patres ità famâ ferebant, quod tum primum duo plebeji consules facti essent, id deis cordi non esse. in locum Marcelli, ubi is se magistratu abdicavit, suffectus Fabius Maximus tertiùm. Mare arsit eo anno: ad Sinuessam bos equuleum peperit: signa Lanuvii [7] ad Junonis Sospitæ cruore manavere, lapidibusque circa id templum pluit. ob quem imbrem novemdiale, ut assolet, sacrum fuit: cæteraque prodigia cum cura expiata.

XXXII. [1] Consules exercitus inter se diviserunt. Fabio exercitus, cui M. Junius dictator præfuerat, evenit; Sempronio [2] volones qui fierent, & sociorum viginti quinque millia; M. Valerio prætori legiones quæ ex Sicilia redissent, decretæ: M. Claudius proconsul, ad eum exercitum, qui supra Suessulam Nolæ præsideret, missus. Prætores in Siciliam ac Sardiniam profecti. Consules edixerunt, [3] *quoties in senatum vocassent, uti senatores*, [4] *quibusque in senatu dicere sententiam liceret, ad portam Capenam convenirent*. Prætores quorum jurisdictio erat, tribunalia [5] ad Piscinam Publicam posuerunt. eo vadimonia fieri jusserunt: ibique eo anno jus dictum est. Interim Carthaginem, un-

N O T Æ.

4. *Vetere patriâ relictâ*.] Capuâ nimirum.

5. *In eam in quam redierant*.] Romam intelligit.

6. *Quum tonuisset*.] Hae de re Plutarchus in Marcello, ait, augures parùm faustum hoc signum existimantes, non tamen ausos fuisse palàm eum impedire, quòd populum timerent: sed Marcellum ipsum ejurasse magistratum.

7. *Ad Junonis sospita*.] *Sospes* non solùm de eo dicitur qui salvus & incolumis est, sed etiam de eo qui servat. Est itaque *Juno Sospita*, Juno servatrix. Ea apud Lanuvinos præcipuo honore colebatur, pingebaturque hastâ & scutulo armata, cum pelle caprina, & calceolis repandis. Ex Cic. de nat. Deor.

1. *Consules exercitus inter se diviserunt.*] Locus in MSS. variè laceratus, ex quibus suspicatur Gronov. legendum, *Consules inter sese jusserunt, Fabio exercitum tradi, cui M. Junius Pera dictator præfuerat, &c.* Verùm à Livii stylo abhorrere mihi videtur illud *Consules inter sese jusserunt*, nec quicquam difficultatis habet communis lectio.

2. *Volones qui fierent*.] *Volones*, inquit Festus, *sunt milites, qui post Cannensem cladem usque ad octo millia, cùm essent servi, voluntariè se ad militiam obtulerunt*. At non semel tantùm, servi hoc tempore volentes nomina in militiam dederunt; si vera est hæc Andreæ & Aldi lectio, quæ pro eo quod scribitur vulgò, *Volones, qui fuerant*, scribunt *Volones qui fierent*. Quod Gronovio placet, quoniam qui antea lecti erant, in exercitu Junii Dictatoris manserant.

3. *Quoties in Senatum vocassent.*] Aliàs *Senatum vocassent*. Utrunque dici ostendimus.

4. *Quibusque in Senatu dicere sententiam liceret*.] Magistratibus, qui nondum in Senatum lecti à Censoribus.

5. *Ad Piscinam Publicam.*] Sub Aventino inter Circum maximum & Portam Capenam fuit hæc *Piscina Publica*, à qua nomen urbis regioni XII. posteà datum.

Urb. Cond. ann. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

de Mago frater Annibalis duodecim millia peditum, & mille quingentos equites, viginti elephantos, 6 mille argenti talenta in Italiam transmissurus erat, cum præsidio sexaginta navium longarum, nuncius affertur, in Hispania rem male gestam, omnesque ferme ejus provinciæ populos ad Romanos defecisse. Erant qui Magonem, cum classe ea, copiisque, omissa Italia, in Hispaniam averterent; quum Sardiniæ recipiendæ repentina spes adfulsit. *Parvum ibi exercitum Romanum esse: veterem prætorem inde A. Cornelium provinciæ peritum decedere, novum expectari. Ad hoc, fessos jam animos Sardorum esse diuturnitate imperii: & proximo iis anno acerbe atque avare imperatum. Gravi tributo & collatione iniqua frumenti pressos. nihil deesse aliud quam auctorem, ad quem deficerent.* Hæc clandestina legatio per principes missa erat: maximè eam rem molientem Hampsicora, qui tum auctoritate atque opibus longe primus erat. His nunciis prope uno tempore turbati erectique, Magonem cum classe sua copiisque in Hispaniam mittunt; in Sardiniam Asdrubalem, cognomento *Calvum*, deligunt ducem: & tantum ferme copiarum, quantum Magoni, decernunt. Et Romæ consules, transactis rebus quæ in urbe agendæ erant, movebant jam sese ad bellum. Ti. Sempronius, 7 militibus Sinuessam diem ad conveniendum edixit. & Q. Fabius, consulto prius senatu, ut frumenta omnes ex agris, 8 ante Calendas Junias primas, in urbes munitas conveherent. *Qui non invexisset, ejus se agrum populaturum: servos sub hasta venditurum, villas incensurum.* Ne prætoribus quidem, qui ad jus dicendum creati erant, vacatio ab belli administratione data est. Valerium prætorem in Apuliam ire placuit, ad exercitum à Terentio accipiendum. quum ex Sicilia legiones venissent; iis potissimum uti ad regionis ejus præsidium: 9 Terentianum mitti cum aliquo legatorum. Et viginti quinque naves

N O T Æ.

6. *Mille argenti talenta.*] Drachmas si octo assibus nostris æstimemus, talentum sex millia drachmarum continens, respondebit libris Francicis 2400. quæ summa millies repetita, dabit libr. 2400000. id est vicies & quater centena millia.

7. *Militibus Sinuessam.*] Volonibus nempe & sociis qui ipsi Ti. Sempronio forte obtigerant: nam diem priùs, ad conveniendum Cales, edixerat legionibus urbanis, ad quas deinde accipiendas missus M. Marcellus.

8. *Ante Calendas Junias primas.*] Fuit loquendi formula in foro recepta, ne de quibus Calendis actum esset ambigeretur: satis tamen supervacuum videtur hic τὸ *primas*. Quis enim id nisi de proximis Calendis intelligat?

9. *Terentianum mitti cum aliquo legatorum.*] Rectè Sigonius *Terentianum* refert ad *exercitum*: quod nomen ex Superiori membro repetit. Terentianus autem exercitus, seu Varroniani milites, ut posteà vocantur, ii erant quibus in Apulia præerat C. Terentius Varro Consul. Ii magnam partem ex reliquiis erant Cannensis exercitûs, ut habetur cap. 31. destinatique fuerant in Siciliam, ut sub auspiciis App. Claudii prætoris ibi militarent. Et cap. 38. legitur iis præfuisse Tarenti L. Apustius legatus; ubi posteà impositi in naves P. Valerio paruerunt.

M. Valerio

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

M. Valerio datæ ſunt, quibus oram maritimam inter 10 Brundusium 11 ac Tarentum tutari poſſet. Par navium numerus Q. Fulvio prætori urbano decretus ad ſuburbana litora tutanda. C. Terentio proconſuli negotium datum, ut in Piceno agro conquiſitionem militum haberet, locisque iis præſidio eſſet. Et T. Otacilius Craſſus poſteaquam ædem Mentis in Capitolio dedicavit, in Siciliam cum imperio, qui claſſi præeſſet, miſſus.

XXXIII. In hanc dimicationem duorum opulentiſſimorum in terris populorum omnes reges genteſque animos intenderant. inter quos 1 Philippus 2 Macedonum rex, eo magis, quod propior Italiæ, ac 3 mari tantum Jonio diſcretus erat. Is ubi primum fama accepit, Annibalem Alpes tranſgreſſum: ut bello inter Romanum Pœnumque orto lætatus erat; ita utrius populi mallet victoriam eſſe, incertis adhuc viribus, fluctuatus animo fuerat. Poſteaquam tertia jam pugna, a tertia victoria cum Pœnis erat; ad fortunam inclinavit, legatoſque ad Annibalem miſit: qui vitantes portus Brunduſinum Tarentinumque, quia cuſtodiis navium Romanarum tenebantur; 4 ad Laciniæ Junonis in terram egreſſi ſunt. Inde per Apuliam petentes Capuam, media in præſidia Romana illati ſunt: deductique ad M. Valerium Lævinum prætorem, circa Luceriam caſtra habentem. Ibi

INTERPRETATIO.

a *Ab Carthaginenſium parte erat tertia victoria.*

NOTÆ.

10. *Brundusium.*] Urbs fuit, & portus nobilis in Calabria veteri, unde proximus in Epirum trajectus. Hod. *Brindiſi* in provincia regni Neapolitani, cui ab Hydrunte nomen, vulgò *Terra d'Otranto*.

11. *Ac Tarentnm.*] Hæc Lacedæmoniorum in Salentinis Colonia, portu quoque ſuo nobilis, adhuc *Taranto* appellatur in eadem *Terra d'Otranto*.

1. *Philippus.*] Penultimus is fuit Macedoniæ rex, de quo anteà.

Hujus effigies ex nummis talis eſt.



2. *Macedonnm rex.*] Inter Theſſaliam, Epirum, Adriaticum ſinum, Illyrium, Dardaniam, Thraciam, & mare Ægeum fuit Macedonia; quæ verſus ortum nomen adhuc priſtinum retinet, verſus Occaſum in Albaniæ nomen ferè tranſiit. Quin & Philippo parebat Theſſalia; hæc omnia nunc ſub Turcis.

3. *Mari tantùm Jonio.*] Pars Mediterranei maris eſt Jonium, quod Siciliam Græciamque interluit; hinc extremam Italiam, inde Epirum, & Peloponneſum attingens.

4. *Ad Laciniæ Junonis.*] Locupletiſſimum fuit templum *Junonis Laciniæ*, juxta Crotonem: unde Lacinium promontorium, in mare Jonium procurrens ultra Sinum Tarentinum. Id nunc *Capo delle Colonne* vocatur, ab ejuſdem templi columnis aliquot adhuc extantibus. Locus eſt in magna Græcia & ora Brutiorum, quæ nunc *Calabria ulteriore*.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

intrepide Xenophanes legationis princeps *à Philippo rege se missum*, ait, *ad amicitiam societatemque jungendam cum populo Romano, mandata habere ad consules, ac senatum populumque Romanum*. Inter defectiones veterum sociorum, Valerius nova societate tam clari regis lætus admodum, hostes pro hospitibus comiter accepit. dat qui prosequantur, itinera cum cura demonstrent, quæ loca, quosque saltus, aut Romani aut hostes teneant. Xenophanes per præsidia Romana in Campaniam, inde qua proximum fuit in castra Annibalis pervenit, fœdusque cum eo atque amicitiam junxit legibus his: *ut Philippus rex quam maxima classe (ducentas autem naves videbatur effecturus) in Italiam trajiceret, & vastaret maritimam oram: bellum pro parte sua terra marique gereret. ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Annibalis esset, prædaque omnis Annibali cederet. Perdomita Italia navigarent in Græciam, bellumque* [5] *cum quibus regibus placeret, gererent. quæ civitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, ea Philippi regnique ejus essent.*

XXXIV. In has ferme leges, inter Pœnum ducem legatosque Macedonum ictum fœdus, missique cum iis ad Regis ipsius firmandam fidem legati, Gisco, & Bostar, & Mago, eodem ad Junonis Laciniæ, ubi navis occulta in statione erat, perveniunt: inde profecti, quum jam altum tenerent, conspecti à classe Romana sunt, quæ præsidio erat [1] Calabriæ litoribus. P. Valerius Flaccus [2] cercuros ad persequendam retrahendamque navem quum misisset, primò fugere regii conati: deinde, ubi celeritate vinci senserunt, tradunt se Romanis: & ad præfectum classis adducti, quum quæreret, qui, & unde, & quo tenderent cursum; Xenophanes primo, satis jam semel felix mendacium struere, à Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium, ad quem unum iter tutum fuerit, pervenisse. Campaniam superare nequisse, septam hostium præsidiis. deinde ut Punicus cultus, habitusque [3] suspectos legatos fecit Annibalis, interrogatosque sermo prodidit; tum, comitibus eorum seductis, ac metu territis, literæ quoque ab Annibale ad Philippum inventæ, [4] & pacta inter

NOTÆ.

5. *Cum quibus regibus placeret.*] Assentior Gronovio scribenti, *cum quibus regi placeret*. Et paulò infrà, *quæque insulæ ad Macedoniam vergunt*.

1. *Calabriæ.*] Quæ nunc terra *d'Otranto.*

2. *Cercuros.*] Ita legendum monente Salmasio, cui favet Puteanus Codex, ubi scribitur *Cercyros:* aliàs *Corcyros*, vulgò *Corcyræos*. Erant autem *Cercuri* genus navigii levioris, ut apparet ex sequentibus, qui ni fallor Corcyræis in usu: & inde apud Latinos tractum nomen; quanquàm Plinius lib. 7. cap. 55. eorum inventum Cypriis assignet. Sed potuere Latini à Corcyræis è proximo accipere.

3. *Suspectos legatos fecit Annibalis.*] Gisgonem aliosque cum legatis Macedonum mixtos prodidit patrius habitus.

4. *Et pacta inter.*] Legebatur vulgò *de Pace inter Regem Macedonum Pœnumque ducem*. At ex Colb. scriptisque à Gronovio laudatis, ubi *& pacta*, cancellatis vocibus duabus quæ adduntur in Put. *& pactis*, reponere non dubito, *& pacta inter Regem*. Non enim propriè pacis pacta inter eos erant, nullo antea inter eos bello, sed *pacta* fœderis.

regem Macedonum Pœnumque ducem. Quibus satis cognitis, optimum visum est, captivos comitesque eorum, Romam ad senatum, aut ad consules, ubicumque essent, quam primum deportare. ad id celerrimæ quinque naves delectæ: ac [5] L. Valerius Antias, qui præesset, missus: eique mandatum, [6] ut in omnes naves legatos separatim custodiendos divideret: daretque operam ne quod iis colloquium inter se, neve quæ communicatio consilii esset. Per idem tempus Romæ quum A. Cornelius Mammula, ex Sardinia provincia decedens, retulisset, qui status rerum in insula esset, bellum ac defectionem omnes spectare; Q. Mucium, qui successisset sibi, [a] gravitate cœli aquarumque, advenientem exceptum, non tam in periculosum, quam longum morbum implicitum, diu ad belli vim sustinendam inutilem fore, exercitumque ibi ut satis firmum [b] pacatæ provinciæ præsidem esse, ita parum bello, quod motum iri videretur: decreverunt Patres, *ut [7] Q. Fulvius Flaccus quinque millia peditum, quadringentos equites scriberet, [8] eamque legionem primo quoque tempore in Sardiniam trajiciendam curaret, mitteretque cum imperio quem ipsi videretur, qui rem gereret, quoad Mucius convaluisset*. Ad eam rem missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censorque fuerat, subegeratque in consulatu Sardos. Sub idem ferè tempus, & à Carthagine in Sardiniam classis missa duce Asdrubale, cui Calvo cognomen erat, fœda tempestate vexata, [9] ad Baleares insulas ejicitur. ibique (adeò non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant) subductæ naves dum reficiuntur, aliquantum temporis triverunt.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

XXXV. In Italia quum post Cannensem pugnam, fractis partis alterius viribus, alterius mollitis animis, segnius bellum esset: Campani per se adorti sunt rem Cumanam suæ ditionis facere; primo sollicitantes, ut ab Romanis deficerent. ubi id parum processit, dolum ad capiendos eos comparant. Campanis omnibus statum sacrificium [1] ad Hamas. eo senatum

INTERPRETATIO.

a *Afflatum afflictumque malignitate crassi aëris, &c. sub adventum suum.*

b *Custodem provinciæ*, sive *ad præsidium provinciæ tempore pacis.*

NOTÆ.

5. *L. Valer. Antias.*] Alius ab eo qui Annalium grande opus scripsit: hunc enim Vellejus testatur æqualem fuisse L. Sisennæ, Rutilii, Quadrigarii: Sisennam autem a firmat bellum civile Syllanum scripsisse, quod ad annum urbis 666. pertinet.

6. *Ut in omnes naves legatos separatim divideret.*] In quinque naves sibi datas, totidem legatos, tres Annibalis, duosque, ut hinc conjicere est, Philippi.

7. *Q. Fulvius.*] Cui licèt prætura urbana obvenisset, data nihilominùs provincia est oræ maritimæ classe tuendæ supra cap. 32. sub finem.

8. *Eamque legionem.*] Majorem solito vires militum in legione numerum quinque millia peditum, equites quadringentos.

9. *Ad Baleares insulas ejicitur.*] Notat Gronov. in scriptis esse *dicitur*, factum ex *deicitur*: vultque hic legi ad *Baleares insulas dejicitur*: licet enim naufragii ejici dicantur; ii tamen qui à cursu suscepto vel à medio mari ad inferiorem partem tempestate deferuntur, propriè *dejici* dicuntur.

1. *Ad Hamas.*] *Hamæ*, sive *Hama* locus fuit Campaniæ in Cumanorum finibus Capuam versus: sylva adhuc nomen servat vulgò *Selva di Hami*.

Urb. Cond. an. 538. Coss. C. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

Campanum venturum certiores Cumanos fecerunt: petieruntque, ut & Cumanus eo senatus veniret ad consultandum communiter, ut eosdem uterque populus socios hostesque haberet: præsidium ibi armatum sese habituros, ne quid 2 ab Romano Pœnove periculi esset. Cumani (quanquam suspecta fraus erat) nihil abnuere; ita regi fallax consilium posse rati. Interim Ti. Sempronius consul Romanus Sinuessæ, quo, ad conveniendum, diem edixerat, 3 exercitu lustrato, transgressus Vulturnum flumen, circa Liternum castra posuit. Ibi, a quia otiosa stativa erant, 4 crebro decurrere milites, cogebat; ut tyrones (ea maxima pars volonum erat) assuescerent signa sequi, & in acie agnoscere ordines suos. 5 Inter quæ, concordiæ maxima erat cura duci: itaque legatis tribunisque præceperat, *ne qua 6 exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiam inter ordines sereret: vetus miles tyroni, liber voloni sese exæquari sineret: omnes satis honestos, generososque ducerent, quibus arma sua signaque populus Romanus commisisset. quæ fortuna coëgisset ita fieri, eandem cogere tueri factum.* Ea non majore curâ præcepta ab ducibus sunt, quam à militibus observata, brevique tantâ concordiâ coaluerant omnium animi, ut prope in oblivionem veniret, qua ex conditione quisque esset miles factus. Hæc agenti Graccho, legati Cumani nunciârunt, quæ à Campanis legatio paucos ante dies venisset, & quid iis ipsi respondissent. Triduum post eum diem festum esse: non senatum solùm omnem ibi futurum, sed castra etiam & exercitum Campanum. Gracchus, jussis Cumanis omnia ex agris in urbem convehere & manere intra muros; ipse pridie quam statum sacrificium Campanis esset; Cumas movet castra. Hamæ inde tria millia passuum absunt. Jam Campani eo frequentes ex composito convenerant, nec procul inde in occulto 7 Marius Alfius Medixtuticus (summus magistratus erat Campanis) cum quatuordecim millibus armatorum habebat castra; in sacrifi-

INTERPRETATIO.

a *Quoniam sine militari factione milites in stativis castris agebant.*

NOTÆ.

2. *Ab Romano Pœnove.*] Conjectura Gronovii est ex Puteano. Vulgata lectio, *ne quid ab Romano novi periculi esset.*

3. *Exercitu lustrato.*] Populum Censores, Imperatores exercitum lustrare dicebantur, cum facto sacrificio multitudinem expiabant, eorumque numerum inibant.

4. *Crebrò decurrere.*] Gallicè, *faire souvent l'exercice*.

5. *Inter quæ concordiæ maxima erat cura duci.*] Vulgò; *itaque concordiæ maxima erat cura duci*: mutavit Gronovius quòd aliqui meliorum Codicum ignorent τὸ *concordiæ* unde illud *itaque* quod sequitur negat esse causale, sed positum pro, *& ita*. Verùm perspicua magis erit sententia, si retineamus nomen *Concordiæ*, quod & scripti non pauci & editi habent; & suadent quæ sequuntur: Alioqui suspensa quodammodo esset oratio; nec appareret cujus rei maxima esset cura Sempronio.

6. *Exprobratio cuiquam veteris fortunæ:*] Hæc præsertim ob Volones ex servili conditione in militiam novam admissos.

7. *Marius Alfius.*] Marius hic Alfius, qui summus Magistratus; in optimis codicibus est, *Marius Alpius edixit uti qui summus magistratus*, unde à Gronovio factus *Medixtuticus*: quod nomen summi magistratus Capuæ fuisse constat ex lib. 24. cap. 19. aliisque locis.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempronio & Q. Fab. Max. III.

cio apparando, & inter id instruendæ fraudi aliquanto intentior, quam muniendis castris, aut ulli militari operi. Triduum sacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, custodibus ad portas positis, ne quis enunciare posset cœpta, & [8] ab decima diei hora coactis militibus corpora curare, somnoque operam dare, ut primis tenebris convenire ad signum possent; vigilia ferme prima tolli jussit signa, silentique profectus agmine; quum ad Hamas media nocte pervenisset, castra Campana, ut in pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit: alios somno stratos, alios perpetrato sacro inermes redeuntes, obtruncat. hominum eo tumultu nocturno cæsa plus duo millia cum ipso duce Mario Alfio. capta sunt signa militaria quatuor & triginta.

XXXVI. Gracchus minus centum militum jactura castris hostium potitus, Cumas se propere recepit; ab Annibale metuens, qui super Capuam in Tifatis habebat castra. Nec eum provida futuri fefellit opinio. nam simul Capuam ea clades est nunciata, ratus Annibal, ab re bene gesta insolenter lætum exercitum tyronum magna ex parte servorumque, spoliantem victos, prædasque agentem, ad Hamas se inventurum: citatum agmen præter Capuam rapit; obviosque ex fuga [1] Campanorum, dato præsidio Capuam duci, saucios vehiculis portari jubet. ipse Hamis vacua ab hostibus castra, nec quicquam præter recentis vestigia cædis, strataque passim corpora sociorum invenit. Auctores erant quidam, ut protinus inde Cumas duceret, urbemque oppugnaret. Id quanquam haud modice Annibal cupiebat, ut quia Neapolim non potuerat, Cumas saltem, maritimam urbem, haberet; tamen, quia præter arma nihil secum miles raptim acto agmine extulerat, retro in castra supra Tifata se recepit. inde fatigatus Campanorum precibus, sequenti die cum omni apparatu oppugnandæ urbis, Cumas redit: perpopulatoque agro Cumano, mille passus ab urbe castra locat. Tum Gracchus, magis verecundia in tali necessitate deserendi socios implorantes fidem suam populique Romani, substitit, quam satis fidens exercitui. Nec alter consul Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vulturnum flumen traducere audebat exercitum: occupatus primo auspiciis repetendis; dein prodigiis, quæ alia super alia nunciabantur, expiantique ea haud facile litari aruspices respondebant.

XXXVII. Hæ caussæ quum Fabium tenerent, Sempronius in obsidione erat; & jam operibus oppugnabatur. adversus ligneam ingentem admo-

NOTÆ.

8. *Ab decimâ diei horâ.*] Ab orto Sole numeranda: non solebant autem Romani nisi serò cœnam capere: sed nunc jubentur milites ante horam consuetam corpora curare, ut somno capto possent paulò post mediam noctem Campanis somno post sacrificium mersis supervenire. Helluones etiam cœnam ante horam decimam inchoabant: unde apud Satyricum,

—— *exul ab octava Marius bibit.*

1. *Campanorum, dato præsidio.*] Hic ex Codicibus, ubi *duo præsidio*, fecit Lipsius *dato præsidio*.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

tam urbi, aliam turrem ex ipso muro excitavit consul Romanus, aliquanto altiorem: quia muro satis per se alto [1] subjectis validis sublicis pro solo usus erat. inde primum saxis, sudibusque, & cæteris missilibus propugnatores mœnia atque urbem tuebantur: postremo, ubi promovendo adjunctam muro viderunt turrem, facibus ardentibus plurimum simul ignem conjecerunt. quo incendio trepida armatorum multitudo quum de turri sese præcipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis facta, stationes hostium fudit, fugavitque in castra; ut eo die obsesso, quam obsidenti similior esset Pœnus. Ad mille trecentos Carthaginiensium cæsi: & undesexaginta vivi capti, qui circa muros & in stationibus solutè ac negligenter agentes, quum nihil minus quam eruptionem timuissent, ex improviso oppressi fuerunt. Gracchus, priusquam se hostes ab repentino pavore colligerent, receptui signum dedit, ac suos intra muros recepit. Postero die Annibal [2] elatum secunda re consulem justo prælio ratus certaturum, aciem inter castra atque urbem instruxit. cæterum postea quam neminem moveri ab solita custodia urbis vidit, nec committi quicquam temerariæ spei, ad Tifata redit infecta re. Quibus diebus Cumæ liberatæ sunt obsidione, iisdem diebus, & in Lucanis ad [3] Grumentum Ti. Sempronius, cui *Longo* cognomen erat, cum Hannone Pœno prospere pugnat. Supra duo millia hominum occidit, & ducentos octoginta milites amisit: signa militaria ad quadraginta unum cepit. Pulsus finibus Lucanis Hanno, retro in Brutios sese recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quæ a populo Romano defecerant, vi recepta per M. Valerium prætorem, [4] Vercellium, Viscellium, Sicilinumque. auctores defectionis securi percussi. supra mille

N O T Æ.

1. *Subjectis validis sublicis.*] Correctio est Laur. Vallæ: cum legeretur insulsè omnino, *subjectis validis supplicatis*.

2. *Annibal elatum secundâ re.*] Negat Gronovius in MSS. legi *τὸ elatum*: constatque satis absque hoc sententia.

3. *Ad Grumentum.*] Hoc Lucanorum oppidum Apenninum inter & sinum Tarentinum, interque Potentiam ac Thurios fuit. Cluverio est hodie *Clarimonte* ad Sirin amnem, vulgò *Sino*. Holstenius illud probabiliùs ponit inter Saponaram, ad dextram Aciris sive Agri fl. ubi nominis vestigia supersunt in loco, qui nunc *Agrometo*, supra ducale oppidum *Tursi*, in Basilicata.

4. *Vercellium, Viscellium, Sicilinum: & auctores.*] Sic ex Put. & Petav. legit Gronov. notatque ex tribus Hirpinorum oppidis factos ab editoribus homines: scripserant enim *Vercellius, Siciliusque auctores defectionis*. Et primò lib. 24. cap. 44. mentionem fieri observat *Jovis Vicilini* in agro Compsano, qui ager in Hirpinis. Hinc *Vescellium*, seu *Vicilium* non procul Compsâ fuisse conjicere licet. Reliqua duo loca, ut cæteris Scriptoribus incognita, quâ parte Hirpinorum fuerint, divinare haud promptum. Fortè detortum ex *Vercellio*, seu Vergello nomen *Monte Vergine*; quod oppidum est ad Aufidum in Principatu ulteriori. Et vero Aufidus, qui & Canna quoque, *Vercelli* nomine al. quâ sui parte dictus videtur. Valer. certe Maximus lib. 9. cap. 2. narrat Annibalem in *flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxisse*: quod Silius aliique de Aufido memorant. Nec novum, Christianis sacris constitutis, antiqua locorum vocabula in Sanctorum nominum haud multùm distantes appellationes mutata. Ex *Sicilino* factum forsitan *Serino*, loci nomen paulò infra Sabati amnis fontes.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

captivorum ſub haſta venierunt: præda alia militi conceſſa, [5] exercitus Luceriam reductus.

XXXVIII. Dum hæc in Lucanis atque in Hirpinis geruntur, quinque naves, quæ Macedonum atque Pœnorum captos legatos Romam portabant, à ſupero mari ad inferum circumvectæ propè omnem Italiæ oram, quum præter Cumas velis ferrentur, neque hoſtium an ſociorum eſſent, ſatis ſciretur, Gracchus obviam ex claſſe ſua naves miſit. cum percunctando invicem cognitum eſſet conſulem Cumis eſſe; naves Cumas appulſæ, captivique ad conſulem deducti, & literæ datæ. Conſul literis Philippi atque Annibalis perlectis, conſignata omnia ad ſenatum itinere terreſtri miſit: navibus devehi legatos juſſit. Quum eodem fere die literæ legatique Romam veniſſent, & percunctatione facta, dicta cum ſcriptis congruerent; primo gravis cura Patres inceſſit cernentes quanta, vix tolerantibus Punicum bellum, Macedonici belli moles inſtaret. cui tamen adeo non ſuccubuerunt, ut extemplo agitaretur, quemadmodum ultro inferendo bello averterent ab Italia hoſtem. [1] Captivis in vincula condi juſſis, comitibuſque eorum ſub haſta venditis, ad naves viginti quinque, quibus P. Valerius Flaccus præfectus præerat, [2] viginti paratas alias decernunt. His comparatis deductiſque, & additis quinque navibus, quæ advexerant captivos legatos, quinquaginta naves ab Oſtia Tarentum profectæ: juſſuſque P. Valerius, militibus Varronianis, quibus L. Apuſtius legatus Tarenti præerat, in naves impoſitis, quinquaginta navium claſſe non tueri modo Italiæ oram, ſed explorare de Macedonico bello. ſi congruentia literis legatorumque indiciis Philippi conſilia eſſent, ut M. Valerium prætorem literis certiorem faceret. iſque L. Apuſtio legato exercitui præpoſito, Tarentum ad claſſem profectus primo quoque tempore in Macedoniam, tranſmitteret: daretque operam, ut Philippum in regno contineret. Pecunia ad claſſem tuendam bellumque Macedonicum ea decreta eſt, quæ Ap. Claudio in Siciliam miſſa erat, ut redderetur Hieroni regi: ea per L. Apuſtium legatum Tarentum eſt devecta. ſimul ab Hierone miſſa ducenta millia modiûm tritici, & hordei centum.

XXXIX. Dum hæc Romani parant, aguntque; ad Philippum navis,

N O T Æ.

5. *Exercitus Luceriam reductus.*] Vulgò *Cumas*, vel *Cumam reductus*. Gronov. ex Put. & Pet. ubi *Curiam eſt reductus*, fecit *Luceriam eſt reductus*: cui ſubſcribo. Nam Cumis obſidebatur Conſul Sempronius Gracchus: hic autem agitur de exercitu M. Valerii Prætoris.

1. *Captivis in vincula condi.*] Legatis nimirum Philippi Macedonum regis, & Annibalis, qui intercepti fuerant à P. Valerio Flacco Romanæ claſſis præfecto in tranſitu ſinûs Tarentini, ſuprà cap. 34.

2. *Viginti paratas alias.*] Ad viginti quinque naves quibus præerat P. Valerius in Jonio mari, quà Italiam ab Epiro dividit, (quarum quinque datæ Valerio Antiati ad deducendos Romam legatos hoſtium) , additæ fuere aliæ viginti; ut ex his, & illis quinque fierent omnino quinquaginta naves: quæ Fulvio prætori urbano ad tuenda litora Latii aſſignatæ, cap. 32.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempronio, & Q. Fab. Max. III.

una ex iis quæ Romam missæ erant, ex cursu refugit: inde scitum legatos cum literis captos, itaque 1 ignarus de iis quæ cum Annibale legatis suis convenissent, quæque legati ejus ad se allaturi fuissent, legationem aliam cum eisdem mandatis mittit. Legati ad Annibalem missi, Heraclitus, cui Scotino cognomen erat, & 2 Crito Berræus, & 3 Sositheus Magnes. Hi prospere tulerunt ac retulerunt mandata. sed prius se æstas circumegit, quam movere ac moliri quicquam rex posset: tantum navis una capta cum legatis momenti fecit ad dilationem imminentis Romanis belli. Et circa Capuam, transgresso Vulturnum Fabio, post expiata tandem prodigia, ambo consules rem gerebant. 4 Combulteriam, & Trebulam, & Saticulam urbes, quæ ad Pœnum defecerant, Fabius vi cepit; præsidiaque in iis Annibalis, Campanique permulti capti. & Nolæ, sicut priore anno, senatus Romanorum, plebs Annibalis erat: consiliaque occulta de cæde principum & proditione urbis inibantur. Quibus ne incœpta procederent, inter Capuam castraque Annibalis, quæ in Tifatis erant, traducto exercitu, Fabius super Vesuvium in castris Claudianis consedit, inde M. Marcellum proconsulem, cum iis copiis quas habebat, Nolam in præsidium misit.

XL. Et in Sardinia res per T. Manlium prætorem administrari cœptæ, quæ omissæ erant, posteaquam Q. Mucius prætor gravi morbo est implicitus. Manlius navibus longis 1 ad Carales subductis, navalibusque sociis armatis, ut terra rem gereret; & à prætore exercitu accepto, duo & viginti millia peditum, mille & ducentos equites confecit. Cum his equitum peditumque copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Hampsicoræ castris castra posuit. Hampsicora tum forte profectus erat 2 in Pellidos Sardos ad juventutem arman-

N O T Æ.

1. *Ignarus de iis.*] Ductâ ex Scriptis, qui mendo non carent, suspicione, scribi vult Gronovius non improbabiliter, *itaque ignarus rex ecqua cum Annibale legati sui convenissent.*

2. *Crito Berræus.*] Dictus videtur à *Berræa*, sive Beroe Macedoniæ ad fluvium Haliacmonem urbe. Quidam scripti videntur Bœotium dicere.

3. *Sositheus Magnes.*] Ex Magnesia nimirum Thessaliæ provincia, quæ tunc sub Macedonum imperio.

4. *Combulteriam.*] Ubi sit hoc oppidum ignorari Cluverius fatetur. Holstenius *Compulterinorum* mentionem fieri in lapide antiquo qui Calatiæ extat, ex Octaviano Melchiore observat, ubi Compulterina marmora laudantur. Porro *Combulterii*, seu *Combulteria* oppidi nominisque vestigia agnoscit in loco *Sancta Maria de Convultere* non procul à civitate Calatiâ in Campaniæ ad occidentem finibus.

1. *Ad Carales.*] Latinis *Carales* plurali numero, Græcis *Caralis*, Melæ *Calaris*, quod verum hujus urbis nomen videtur. Certè ad hodiernum magis accedit: vocatur enim incolis, ut & Hispanis, *Caller*: Italis *Cagliari*. Metropolis est Sardiniæ. Olim ad promontorium usque extensa fuisse videtur ex Claudiano & Ptolemæo: hodie in intimo sinus recessu, Archiepiscopi & Proregis Sardiniæ sedes: ad latus insulæ orientale in meridiem vergens: hinc meridionalis Sardiniæ regio dicitur *Capo Cagliari*.

2. *In Pellidos Sardos.*] Optimi Codices habent *Pellitos*, apud Gronovium: certè à Cicerone *Sardi Mastrucati* vocantur, quòd Mastruca proprio vestimento utedam,

dam, qua copias augeret. Filius ejus, nomine Hiostus, castris præerat: is adolescentia ferox, temere prælio inito fusus, fugatusque. ad tria millia Sardorum eo prælio cæsa, trecenti ferme vivi capti. Alius exercitus primò per agros sylvasque fuga palatus; dein, quo ducem fugisse fama erat, ad 3 urbem nomine Cornum, caput ejus regionis, confugit. debellatumque eo prælio in Sardinia esset, ni classis Punica cum duce Asdrubale, quæ tempestate dejecta ad Baleares erat, in tempore ad spem rebellandi, advenisset. Manlius post famam appulsæ Punicæ classis, Carales se recepit. ea occasio Hampsicoræ data, Pœno se jungendi. Asdrubal copiis in terram expositis, & classe remissa Carthaginem, duce Hampsicora ad sociorum populi Romani agrum populandum profectus, Carales perventurus erat, ni Manlius obvio exercitu ab effusa eum populatione continuisset. Primò castra castris modico intervallo sunt objecta, deinde procursationes leviaque certamina vario eventu inita: postremo descensum in aciem, signisque collatis justo prælio per quatuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Pœni, Sardis facile vinci assuetis, fecerunt: postremò & ipsi, quum omnia circa strage ac fuga Sardorum repleta essent, fusi. cæterum terga dantes, circumducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus. cædes inde magis, quam pugna fuit. Duodecim millia hostium cæsa, Sardorum simul Pœnorumque, ferme tria millia & sexcenta capta, & signa militaria septem & viginti.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

XLI. Ante omnia claram & memorabilem pugnam fecit Asdrubal imperator captus, & Hanno, & Mago, nobiles Carthaginienses. Mago ex gente Barcina, propinqua cognatione Annibali junctus: Hanno auctor rebellionis Sardis; bellique ejus 1 haud dubie concitor. Nec Sardorum duces minus nobilem eam pugnam cladibus suis fecerunt. nam & filius Hampsicoræ Hiostus in acie cecidit; & Hampsicora cum paucis equitibus fugiens, ut super afflictas res necem quoque filii au-

N O T Æ.

rentur. Est autem *Mastruca*, sive Mastruga, vestis scortea, aut ex ferarum pellibus, ut explicat Isidorus lib. 19. orig. cap. 23. qui vestem Germanicam facit, quæ propriè Sardorum fuit, ut liquet ex eodem Cic. pro Scauro, *quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum Mastruca mutavit*. Sed & Germanicæ gentes non absimili vestimentorum genere usæ: unde apud Sidon. ep. 2. lib. 1. Theodorici Gothorum regis sellam circumsistit *Pellitorum turba satellitum*. Videntur autem *Pellitorum* cognomine ii præsertim inter Sardos designati, qui Mediterranea insulæ incolebant, vestesque è pellibus plus cæteris affectabant, circa Cornum urbem.

3. *Urbem nomine Cornum*.] *Cornus* oppidum caput Pellitorum Sardorum, quorum pars *Cornensii* ab eo dicti, qui & Æchilensii apud Ptolemæum, à quo numeratur inter civitates Mediterraneas una cum Bosa interpositis *Manomenis*, id est Insanis, *montibus*. Ponitur & ab Antonino inter Bosam & Tharros. Sunt qui ejus nominis memoriam putant extare in loco, qui nunc vulgò *Corneto* vocatur, nec situm planè abhorrere Cluverius censet. Nic. Sanso *Soni* interpretatur.

1. *Haud dubiè concitor*.] Ita optimi Codices, vulgo *concitator*.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempronio & Q. Fab. Max. III.

divit, nocte ne cujusquam interventus cœptum impediret, mortem sibi conscivit. Cæteris urbs Cornus eadem, quæ ante, fugæ receptaculum fuit. quam Manlius victore exercitu aggressus intra paucos dies recepit. Deinde aliæ quoque civitates quæ ad Hampsicoram Pœnosque defecerant, obsidibus datis, dediderunt sese. quibus stipendio frumentoque imperato pro cujusque aut viribus aut delicto, Carales exercitum reduxit. Ibi navibus longis deductis, impositoque quem secum advexerat milite, Romam navigat, Sardiniamque perdomitam nunciat Patribus: & stipendium quæstoribus, [2] frumentum ædilibus, captivosque Fulvio prætori tradidit. Per idem tempus T. Otacilius prætor quinquaginta navium ab Lilybæo classe in Africam transvectus, depopulatusque agrum Carthaginiensem; quum Sardiniam inde peteret, quo fama erat Asdrubalem à Balearibus nuper trajecisse, classi Africam repetenti occurrit, levique certamine in alto commisso, septem inde naves cum sociis navalibus cepit: cæteras metus haud secus, quam tempestas, passim disjecit. Per eosdem forte dies & [3] Bomilcar cum militibus ad supplementum Carthagine missis, quadragintaque elephantis, & commeatu, Locros accessit. quem, ut incautum opprimeret Ap. Claudius, per simulationem provinciæ circumeundæ Messanam raptim exercitu ducto, [4] æstu secundo Locros trajecit. Jam inde Bomilcar ad Hannonem in Brutios profectus erat, & Locrenses portas Romanis clauserunt. Appius magno conatu nulla re gesta, Messanam repetit. Eadem æstate Marcellus ab Nola, quam præsidio obtinebat, crebras excursiones in agrum Hirpinum, & [5] Samnites Caudinos fecit. adeoque omnia ferro atque igni vastavit, ut antiquarum cladium Samnio memoriam renovaret.

XLII. Itaque extemplo legati ad Annibalem missi simul ex utraque gente, ita Pœnum allocuti sunt: *Hostes populi Romani, Annibal, fuimus primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari pote-*

NOTÆ.

2. *Frumentum ædilibus.*] Quemadmodum ad quæstores pecuniæ publicæ, ita ad Ædiles Curules pertinebat annonæ cura. Postea Augustus præfectum frumentum populo dividendi instituit ex Svetonio: quæ divisio singulis mensibus per tesseras fiebat, pretio vel nullo, vel modico.

3. *Bomilcar cum militibus.*] In quibusdam scriptum est *Bomilcar cum milibus*. Hinc *quatuor* pro *cum* reponit Gronov. corrigitque sic, *Bomilcar quatuor millibus in supplementum Carthagine missis*. numerum addit ex cap. 13. suprà: quod tamen haudquaquam necesse erat hoc loco repetere: præsertim cùm meliores Codices non habeant numerum elephantorum, eod. Gronov. teste.

4. *Æstu secundo Locros trajecit.*] Mavult ex codicibus quibusdam Gronov. *æstuque suo*, nihil variante sententiâ: utraque enim scripturâ Claudio commodus maris æstus significatur: æstumque suum dicere Livius potuit, quemadmodum Ovid. dixit & *vento naviget usque suo*. Gall. *par un vent favorable*.

5. *Samnites Caudinos.*] A Caudio Caudini Samnitum populus; unde & Furcæ Caudinæ, circà *Airola*: de quibus ad Decadem I.

rant. posteaquam iis parum fidebamus [1] *Pyrrho regi nos adjunximus: à quo relicti,* [2] *pacem necessariam accepimus; fuimusque in ea per annos prope quinquaginta, ad id tempus quo in Italiam venisti. Tua nos magis virtus fortunaque, quam unica comitas ac benignitas erga cives nostros, quos captos nobis remisisti, ita conciliavit tibi, ut te salvo atque incolumi amico, non modo populum Romanum, sed ne Deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At, Hercule, non solum incolumi & victore, sed præsente te, quum ploratum prope conjugum ac liberorum nostrorum exaudire, & flagrantia tecta posses conspicere, ita sumus aliquoties hac æstate devastati; ut M. Marcellus, non Annibal vicisse ad Cannas videatur: glorientur Romani, te ad unum modo ictum vigentem,* [3] *velut aculeo emisso, torpere. Per* [4] *centum prope annos cum populo Romano bellum gessimus: nullo externo adjuti nec duce, nec exercitu; nisi quod per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quam suis viribus nos defendit. Non ego secundis rebus nostris gloriabor: duos consules, ac duos consulares exercitus à nobis sub jugum missos, & si qua alia aut læta aut gloriosa nobis evenerunt. quæ aspera adversaque tunc acciderunt, minore*

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

N O T Æ.

1. *Pyrrho Regi nos adjunximus.*] Pyrrhus Epirotarum rex à Tarentinis in Italiam vocatus, adjunctis Samnitium, Lucanorum, Brutiorumque copiis, adversus Romanos bellavit annis aliquot ab anno 473. sed Samnites, quorum hæc ad Annibalem oratio, ei non statim & vix ultra biennium arma cum eo sociarunt, ut mox dicetur. Qua de re Epit. Liv. 13. Zon. aliique.

2. *Pacem necessariam accepimus.*] Anno u. c. 481. Coss. Sp. Carvilio, L. Papirio, qui de ipsis triumphavit, ut & C. Fabricius: à quo tempore ad Annibalis in Italiam adventum, id est, ad an. 532. numerantur anni saltem duo supra quinquaginta: unde Sigon. legendum hic putat. *Fuimusque in ea* (pace) *per annos propè sexaginta*, non quinquaginta.

3. *Velut aculeo emisso torpere.*] Vulgò *ad unum modò ictum vigentem, velut jaculo emisso torpere*: ubi nihil est quod quisquam arguat. Quia tamen in Puteano Codice est: *Velutaculegemisso*: scribi jubet Gronov. *velut aculeo emisso*, ductâ ex apibus non ineleganti metaphorâ: ut Freinshemius conjecerat ex Q. Curtio lib. 4. *ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia, amisso aculeo, torpere.*

4. *Per centum propè annos.*] Ex jactantia magis quàm ex vero Samnites gloriantur se cum Romanis bellum per annos ferme centum gessisse absque externa ope: quanquàm eumdem numerum Varro Consul proferat, suprà cap. 5. Contrà Florus dimidiato contentus, quinquaginta annis domitos subactosque Samnites memorat lib. 1. cap. 16. uno minùs produnt Eutrop. & Oros. Appianus in proœm. hist. *octoginta*. Legati Romanorum ad Ætolos apud nostrum lib. 35. cap. 35. veriùs *septuaginta* numerant annos. Cœptum enim à Romanis in Samnites bellum pro Campanis anno u. c. 410. Coss. M. Valerio III. A. Cornelio Cosso. Ab eo tempore non rarò cum Etruscis, Gallis, Salentinis, aliisque finitimis copias junxerunt ante Pyrrhi adventum, qui ut paulo antè dictum incurrit in an. u. c. 473 Et sic 63. annis ab initio belli in Romanos moti; inde cum Pyrrho conjunctis viribus, gessere bellum ad annum 481. Hac ratione colliguntur anni tres ac sexaginta, quibus bella inter Samnites & Romanos nullo extra Italiam quæsito auxilio: omnino autem septuaginta & unus; sed non continui belli.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempron. & Fab. Max. III.

indignatione referre possumus, quam quæ hodie eveniunt. Magni dictatores cum magistris equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros, ante explorato & subsidiis positis: & sub signis ad populandum ducebant. nunc prope unius & parvi ad tuendam Nolam præsidii præda sumus. Jam, ne manipulatim quidem, sed latronum modo, percursant totis finibus nostris negligentius, quam si in Romano vagarentur agro. Caussa autem hæc est, quod neque tu defendis; & nostra juventus, quæ, si domi esset, tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Nec te, nec exercitum tuum norim, nisi à quo tot Romanas acies fusas stratasque esse sciam, ei facili esse ducam opprimere populatores nostros vagos, sine signis palatos, quò quemque trahit, quamvis vana, prædæ spes. Numidarum paucorum illi quidem præda erunt, 5 præsidiumque missum nobis erit, & Nolæ ademeris: si modo, quos ut socios haberes dignos duxisti, haud indignos judicas, quos in fidem receptos tuearis.

XLIII. Ad ea Annibal respondit: a *Omnia simul facere Hirpinos Samnitesque: & indicare clades suas, & petere præsidium, & queri indefensos se, neglectosque. Indicandum autem fuisse primum, deinde petendum præsidium: postremò, ni impetraretur, tum denique querendum, frustra opem imploratam. Exercitum, se non in agrum Hirpinum Samnitemve, ne & ipse oneri esset: sed in proxima loca sociorum populi Romani adducturum. iis populandis* b *& militem suum repleturum se, & metu procul ab iis summoturum hosteis. Quod ad bellum Romanum attineret, si Trasimeni quam Trebiæ, si Cannarum quam Trasimeni pugna nobilior esset; Cannarum se quoque memoriam obscuram majore & clariore victoria facturum.* Cum hoc responso, muneribusque amplis, legatos dimisit. ipse præsidio modico relicto in Tifatis, profectus cum cætero exercitu, ire Nolam pergit. Eodem Hanno ex Brutiis, cum supplemento Carthagine advecto atque elephantis, venit. castris haud procul positis, longe alia omnia inquirenti comperta sunt, quam quæ à legatis sociorum audierat. nihil enim Marcellus ita gerebat, ut aut fortunæ, aut temere hosti commissum dici posset.

INTERPRETATIO.

a *Ab Hirpinis simul plura commisceri & accumulari*, quæ sigillatim & per partes facienda fuissent, ac diversis temporibus.

b *Fore ut & milites suos predâ locupletet, & avertat à Samnitibus Romanos, qui sociis suis metuent.*

NOTÆ.

5. *Præsidiumque missum nobis erit, & Nolæ ademeris.*] Notant τὸ *erit* Moguntiaci natum, scriptis, editisque quam plurimis deesse. Verùm hoc dempto nulla superest sententia. Retineatur itaque, donec melius quid Codex suppeditet aliquis. Est itaque sensus, si præsidium Pœnorum ad Samnites Caudinos, Hirpinosque ab Annibale mittatur, facilè adimendum Nolanis præsidium Romanorum pulso Marcello. Suspicabatur tamen Gronov. conjectura ex Puteano ductâ Codice *præsidiumque simul nobis, & Nolæ ademptum* [illegible]. *Ut erit*, ex sequenti commate repetitum, ad pronomen *nobis* referatur, & *ademptum erit*, ad nomen *Nolæ*.

explorato, cum firmisque præsidiis tuto receptu prædatum ierat: [c] omniaque velut adversus præsentem Annibalem cauta provisaque fuerunt. Tum ubi sensit hostem adventare, copias intra mœnia tenuit: per muros inambulare senatores Nolanos jussit, & omnia circa explorare, quæ apud hostes fierent. Ex iis, Hanno, quum ad murum successisset, Herennium Bassum, & Herium Petrium, ad colloquium evocatos, permissuque Marcelli egressos, per interpretem alloquitur. Annibalis virtutem, fortunamque extollit: populi Romani obterit senescentem cum viribus majestatem. *quæ si paria essent, ut quondam fuissent: tamen expertis* [1] *quam grave Romanum imperium sociis, quanta indulgentia Annibalis etiam in captivos omnes Italici nominis fuisset; Punicam Romanæ societatem atque amicitiam præoptandam esse. Si ambo consules cum suis exercitibus ad Nolam essent, tamen non magis pares Annibali futuros quam ad Cannas fuissent: nedum prætor unus cum paucis & novis militibus Nolam tutari possit.* [2] *ipsorum magis quam Annibalis interesse, capta an tradita Nola potiretur. potiturum enim, ut Capua Nuceriaque potitus esset:* [3] *sed quid inter Capuæ Nuceriæque fortunam interesset, ipsos prope in medio sitos Nolanos scire. Nolle ominari quæ captæ urbi cessura forent: sed potius spondere, si Marcellum cum præsidio ac Nolam tradidissent, neminem alium quam ipsos legem, qua in societatem amicitiamque Annibalis venirent, dicturum.*

Urb. Cond. an. 538. Coss. Tib. Sempr. & Q. Fabio Max. III.

XLIV. Ad ea Herennius Bassus respondit: *Multos annos jam inter Romanum Nolanumque populum amicitiam esse, cujus neutros ad eam diem pœnitere; & sibi si cum fortuna mutanda fides fuerat, sero jam esse mutare eam. dedituris se Annibali, non fuisse arcessendum Romanum præsidium: cum iis qui ad se tuendos venissent, omnia sibi & esse consociata, & ad ultimum fore.* Hoc colloquium abstulit spem Annibali per proditionem recipiendæ Nolæ. itaque oppidum corona circumdedit, ut simul ab omni parte mœnia aggrederetur. Quem ut successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie, cum magno tumultu erupit. aliquot primo impetu perculsi, cæsique sunt,

INTERPRETATIO.

c *Marcellus eam cautionem omnibus in rebus adhibuerat, atque ita providè cunctis prospexerat, tanquàm si præsens Annibal adfuisset.*

NOTÆ

1. *Quàm grave Romanum imperium.*] Quanquam hoc ab Hannone Romanorum hoste dicatur, verè tamen dicitur. Et grave plerunque reverâ avaritiâ, & libidine magistratuum provincialium erat; cujus rei specimen ingens in uno Verre ostendit Cicero.

2. *Ipsorum magis quàm Annibalis.*] τὸ *magis* abest ab optimis libris. Illudque adverbium & noster & ejus imitatione Tacitus sæpenumerò negligunt in comparatione rerum.

3. *Inter Capua Nuceriaque fortunam.*] Capua fœdere in partes Pœnorum transierat & suis legibus utebatur suprà c. 7. Nuceria fame in deditionem accepta, direpta atque incensa fuerat. cap. 15.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Tib. Sempr. & Q. Fabio Max. III.

1 dein concursu ad pugnam facto, æquatisque viribus, atrox cœpit esse pugna. memorabilisque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantes. Eo die commisso modico certamine, atque irritatis animis, in urbem Romani, Pœni in castra sese receperunt. tamen Pœnorum prima eruptione perculsi ceciderunt, haud plus quam triginta: 2 Romanorum nullus. Imber continens per noctem totam, usque ad horam tertiam diei insequentis, tenuit: itaque quanquam utraque pars avida certaminis erat, eo die tenuerunt sese tamen munimentis. tertio die Annibal, partem copiarum prædatum in agrum Nolanum misit. Quod ubi animadvertit Marcellus; extemplo in aciem copias eduxit: neque Annibal detrectavit. Mille fere passuum inter urbem erant, castraque. eo spatio (a & sunt omnia campi circa Nolam) concurrerunt. Clamor ex parte utraque sublatus, proximos ex cohortibus iis, quæ in agros prædatum exierant, ad prælium jam commissum revocavit. Et Nolani aciem Romanam auxerunt, quos collaudatos Marcellus in subsidiis stare, & saucios ex acie efferre jussit. pugna abstinere, ni ab se signum accepissent.

XLV. Prælium erat anceps: summa vi & duces hortabantur, & milites pugnabant. Marcellus b victis ante diem tertium, fugatis ante paucos dies à Cumis, pulsis priore anno ab Nola ab eodem se duce, milite alio, instare jubet. *Non omnes esse in acie: prædantes vagari in agro, sed qui pugnent, marcere Campana luxuria, vino & scortis, 1 omnibusque lustris per totam hiemem confectos. Abisse illam vim, vigoremque: dilapsa esse robora corporum animorumque, quibus Pyrenæi, Alpiumque superata sint juga. reliquias illorum virorum, vix arma membraque sustinentes pugnare. Capuam Annibali Cannas fuisse, ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam.* Quum hæc exprobrando hosti Marcellus, suorum militum ani-

INTERPRETATIO.

a *Et Nolanus ager omnis Campestris est.*

b *Hortatus est milites suos, ut urgerent eos* hostes, *qui victi fuerant antè tertio die, qui antè paucos dies fugati à Cumis, & qui anno superiore repulsi,* eodem *se duce* Marcello, quamvis *non ab iisdem militibus*.

NOTÆ.

1. *Dein concursu ad pugnam facto.*] potest *pugna*, vel de loco pugnæ accipi, vel de animo pugnandi, ut *ad pugnam* sit ad pugnandum. Gronov. cum in optimis inveniret, *dein & pugnanti*: fecit ex conjectura *deinde concursu ad pugnantes facto*.

2. *Romanorum nullus Imber continens.*] Put. apud Gronov: *Romani liber continens*. Unde legendum putat *Romani quinquaginta. Imber continens*, Quasi L. nota fuerit numeri: scriptumque perperam *iber* pro Imber. Quod mihi verisimile apparet: nam illa *Pœnorum haud plus quam triginta*, majorem fuisse Romanorum primo impetu cæsorum numerum indicare videntur.

1. *Omnibusque lustris.*] Ita Cic. pro Cælio: *domus, in qua lustra libidines luxuries versetur.* *Lustrum* est ganea, popina, sive locus ubi homines helluantur.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempron. & Q. Fab. Max. III.

mos erigeret, Annibal multo [2] gravioribus probris increpabat: *Arma signaque eadem se noscere, quæ ad Trebiam Trasimenumque, postremo ad Cannas viderit, habueritque. militem alium profecto se in hiberna Capuam duxisse, alium inde eduxisse,* [3] *Legatumne Romanum, & legionis unius atque alæ, magno certamine vix toleratis pugnam, quos binæ acies consulares nunquam sustinuerunt? Marcellus, tyrone milite ac Nolanis subsidiis, inultus nos jam iterum lacessit? Ubi ille meus miles est, qui erepto ex equo C. Flaminio consuli caput abstulit? ubi, qui L. Paullum ad Cannas occidit? Ferrum nunc habet? an dextræ torpent? an quid prodigii est aliud? Qui pauci plures vincere soliti estis, nunc paucis plures* [b] *vix restatis. Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua jactabatis. En nunc minor est res. hic experiri vim, virtutemque volo. Expugnate Nolam, campestrem urbem, non flumine non mari septam. hinc vos ex tam opulenta urbe præda spoliisque onustos, vel ducam quo voletis, vel sequar.*

XLVI. Nec bene, nec male dicta profuerunt ad confirmandos animos. Quum omni parte pellerentur, Romanisque crescerent animi, non duce solum adhortante, sed Nolanis etiam per clamorem favoris indicem accendentibus ardorem pugnæ, terga Pœni dederunt, atque in castra compulsi sunt; quæ oppugnare cupientes milites Romanos Marcellus Nolam reducit cum magno gaudio, & gratulatione etiam plebis, quæ ante inclinatior ad Pœnos fuerat. [1] Hostium plus quinque millia cæsa eo die, vivi capti sexcenti, & signa militaria undeviginti, & duo elephanti. quatuor in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti. posterum diem, induciis tacitis, sepeliendo utrinque cæsos in acie, consumpserunt. Spolia hostium Marcellus, [2] Vulcano votum, cremavit. Tertio post die (ob iram credo aliquam, aut spem liberalioris militiæ) mille ducenti septuaginta duo equites, mixti Numidæ Hispanique, ad Marcellum transfugerunt. eorum forti fidelique opera in eo bello usi sunt sæpe Romani. Ager Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum, virtutis caussa [3] latus, datus est. Annibal ab Nola remisso in

INTERPRETATIO.

b *Ægrè resistitis.*

NOTÆ.

2. *Gravioribus probris increpabat.*] Proprios scilicet milites.

3. *Legatumne Romanum.*] Marcellum, qui non consul, sed prætor dumtaxat.

1. *Hostium plus quinque millia cæsa.*] Ita scribit Gronov. conjecturâ ductâ ex Codice Puteano. Vulgares editiones habent, *hostium plus mille cæsi, capti mille sexcenti.* Correxerat Sigonius *hostium plus vel cæsi eo die vel vivi capti quinque millia.* Quem numerum Plut. edidit. Minorem habet Colb. *Hostium plus vel cæsi, vel die eo vivi capti DC.*

2. *Vulcano votum.*] Appositio est; significat enim cremata hostium spolia, quod in honorem Vulcani fieri Marcellus anteà voverat.

3. *Latus datus est.*] Notat Gronovius τὸ *latus* non esse in Puteano à manu prima, adscriptum postea esse *locus* quæ vox in plerisque manu exaratis antiquioribus reperitur, & alterutrum sustineri potest: nam & *latos agros* Cicero dixit, & in lege Thoria habetur sæ-

Urb. Cond. an. 538. Coss. Tib. Sempronio & Q. Fab. Max. III.

Brutios Hannone, cum quibus venerat copiis, ipse Apuliæ hiberna petit; circaque Arpos consedit. Q. Fabius ut profectum in Apuliam Annibalem audivit, frumento ab Nola Neapolique in ea castra convecto, quæ super Suessulam erant, munimentisque firmatis, & præsidio, quod per hiberna ad tutandum locum satis esset, relicto; ipse Capuam propius movit castra, agrumque Campanum ferro ignique est depopulatus. donec coacti sunt Campani, nihil admodum viribus suis fidentes, egredi portis, & castra ante urbem in aperto communire. Sex millia armatorum habebant, peditem imbellem: equitatu plus poterant. itaque equestribus præliis lacessebant hostem. Inter multos nobiles equites Campanos, Cerrinus Jubellius erat, cognomine Taurea. civis indidem erat, longe omnium Campanorum fortissimus: adeo, ut quum apud Romanos militaret, unus eum Romanus Claudius Asellus, gloria equestri æquaret. Hunc Taurea quum diu perlustrans oculis obequitasset hostium turmis; tandem facto silentio, ubi esset Claudius Asellus, quæsivit. *& quoniam verbis secum de virtute ambigere solitus esset, cur non ferro decerneret; daretque 4 opima spolia victus, aut victor caperet?*

XLVII. Hæc ubi Asello nunciata sunt in castra: id modo moratus, ut consulem percunctaretur, liceretne extra ordinem in provocantem hostem pugnare? permissu ejus arma extemplo cepit: provectusque ante stationes equo, Tauream nomine compellavit, congredique ubi vellet, jussit. Jam Romani ad spectaculum pugnæ ejus frequentes exierant: & Campani, non vallum modo castrorum, sed mœnia etiam urbis prospectantes repleverant. a Quum jam ante ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis concitarunt equos. dein libero spatio inter se ludificantes, sine vulnere pugnam extrahebant. Tum Campanus Romano, *Equorum*, inquit, *hoc, non equitum erit certamen, nisi è campo in cavam hanc viam demittimus equos. ibi nullo ad evagandum spatio, cominus conserentur manus*. Dicto prope citius, equum in viam Claudius egit. Taurea verbis ferocior quam re, 1 *Minime sis*, inquit, *cantherium in fossa*.

INTERPRETATIO.

a *Postquàm verbis audacibus futurum prælium illustrius reddere conati erant, equos calcaribus concitarunt infesta spicula in se mutuò dirigentes.*

NOTÆ.

pius, *agrum, locum*: malim tamen utrumque expungere.

4. *Opima spolia.*] Jactanter de se veluti imperatore loquitur Jubellius hic Cerrinus; *opima* enim *spolia* propriè dici notum omnibus ea tantum quæ dux duci detrahit.

1. *Minimè sis Cantherium in fossa.*] *Cantherius*, sive *Cantherium*, è Græco fonte manat. Apud Græcos enim κανθὼν, & κανθήλιος Asinus est: unde & κανθήλια dicuntur *Clitellæ*. Apud Latinos *Cantherii* nomine duo præsertim significantur: primo quidem *equus* castratus, ex Varrone lib. 2. de re rust. Præterea in vitibus *Cantherius* est pedamentum vitium instar furcæ, quo hæ velut adminiculo fulciuntur: hujus ergo

quæ

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

[2] quæ vox in rusticum inde proverbium prodita. Claudius quum ex via longe perequitasset, nulloobvio hoste in campum rursum evectus, increpansignaviam hostis, cum magno gaudio & gratulatione, victor in castra redit. Huic pugnæ equestri rem ([3] quam satis certam, communis existimatio est) mirabilem certe, adjiciunt quidam annales; quum refugientem ad urbem Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium portæ invectum, per alteram, stupentibus miraculo hostibus, intactum evasisse.

XLVIII. Quieta inde stativa fuere, ac retro etiam consul movit castra, ut sementem Campani facerent: nec ante violavit agrum Campanum, quam jam altæ in segetibus herbæ pabulum præbere poterant. id convexit in Claudiana castra super Suessulam; ibique hiberna ædificavit. M. Claudio proconsuli imperavit, ut retento Nolæ necessario ad tuendam urbem præsidio, cæteros milites dimitteret Romam; [1] ne oneri sociis, & sumptui reipublicæ essent. Et Ti. Gracchus à Cumis Luceriam in Apuliam legiones quum duxisset, M. Valerium inde prætorem Brundusium, cum eo, quem Luceriæ habuerat, exercitu misit, tuerique oram agri Salentini, & providere quo ad Philippum bellumque Macedonicum attineret, jussit. Exitu æstatis ejus, qua hæc gesta perscripsimus, literæ à P. & Cn. Scipionibus venerunt, quantas, quamque prosperas in Hispania res gessissent. sed pecuniam in stipendium, vestimentaque, & frumentum exercitui; & sociis navalibus, omnia deesse. Quod ad stipendium attineat, si ærarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quo modo ab Hispanis sumant: cætera utique ab Roma mittenda esse:

N O T Æ.

proverbii sensus patebit ex eo quod Columella scribit lib. 4. cap. 12. *Fodiebantur vineæ: in fossa figebantur Cantherii, quibus applicabantur & imponebantur tenera vites*. Inde Gronov. hoc proverbium *minimè sis cantherium in fossa*: sic explicat, *ne sinas alios de te crescere*, ut vitis crescit adminiculante Cantherio: vel certe vult allusisse Tauream ad significationem Cantherii, pro equo sumpti, quod via cava inter duos altiores campos instar sit fossæ: quare ubi Claudius equum egerat in viam cavam; rustico illo proverbio usus est Taurea, ut irrideret Claudium, & hoc ridiculo invidiam & pudorem ignavi sui discessûs minueret: quasi indicaret nolle se Cantherium agere demittendo se in viam cavam, tanquàm equum enervem in fossam, uti à Claudio factum. Vide & Erasm. Chiliad. 2. cent. 1. adag. 35. qui hoc adagium *Cantherium in fossa* non abludere censet ab illo Græcorum apud Platonem *in puteo constrictus* & quadrare vult adversus eos qui in angustias ejusmodi redacti sunt, ut extricare sese nullo modo possint.

2. *Quæ vox in rusticum inde proverbium prodita.*] Adagium illud veluti jam antè receptum, à Taurea fuisse usurpatum facilè cum Gronovio existimem.

3. *Quam satis certam, communis existimatio est.*] Sic legitur ex Laurentii Vallæ conjectura: cum in scriptis plerisque legatur, *quam ætatis* (aut *vetatis*) *communis certè existimatio est*. Suspicatur Gronov. *rem* (*quam vera sit communis existimatio est*) *mirabilem certè*. Colb. *rem, quam ætatis communis certè existimatio est, mirabilem certè*.

1. *Ne oneri sociis & sumptui reip. essent.*] Commeatus quippe & hospitia sociis incumbebant: respublica verò sumptus stipendiorum faciebat, quæ nonnisi militantibus solvebantur: unde milites domum suam revocati æra non accipiebant.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

nec aliter, aut exercitum, aut provinciam, retineri posse. Literis recitatis, nemo omnium erat, quin & vera scribi & postulari æqua fateretur: sed occurrebat animis, quantos exercitus terrestres navalesque tuerentur, quantaque nova classis mox paranda esset; si bellum Macedonicum moveretur. *Siciliam & Sardiniam, ² quæ ante bellum vectigales fuissent, ³ vix præsides provinciarum exercitus alere: ⁴ tributo sumptus suppeditari. ᵃ verùm quum ipsum tributum conferentium numerum tantis exercituum stragibus, & ad Trasimenum lacum, & ad Cannas, imminutum; tum qui superessent pauci, si multiplici gravarentur stipendio, aliâ perituros peste. Itaque ⁵ nisi fide staret respublica, opibus*

INTERPRETATIO.

a *Et numerum ipsum eorum qui tributum solvant*, (civium nempe aut Sociorum) *diminutum esse tot exercitibus profligatis, tum ad lacum Trasimenum, tum ad Cannas: & prætereà eos qui exiguo numero supersint*, (ad tributum conferendum) *si onerarentur multiplicatâ stipendiorum solutione, perituros alio malo*, nimirum, si non belli cladibus, saltem summâ inopiâ ad quam redigerentur.

NOTÆ.

2. *Quæ ante bellum vectigales fuissent.*] *Vectigal*, à vectura dictum, propriè quidem portorium significat: latiùs tamen accipitur pro tributo & pecunia, publicarum necessitatum causâ singulis pro ratione censûs imperari solita; & pro stipendio, sive militari ære, quod per stipes, seu modica æra colligebatur: eoque nomine comprehendebantur Decumæ aliaque collationum sive onerum nomina. Vectigales itaque provinciæ dicebantur, quæ vectigal pendebant; ut tributariæ, quæ tributum; stipendiariæ, quæ stipendium conferebant. Vide Sigon. de antiquo jure provinc. lib. 1. cap. 1.

3. *Vix præsides Provinciarum exercitus alere.*] Circa Livii ætatem cœpere provinciæ Cæsaris à præsidibus, ejus legatis, administrari: & sic præsidis nomen substantivum, titulus fuit honoris seu magistratus sub Imperatoribus: non hoc tempore Punici belli, sed *præsides exercitus* dicit adjectivè pro exercitibus qui provinciis præsidio erant.

4. *Tributo sumptus suppeditari.*] Verè Tacitus 4. histor. *nec quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt*: ubi *stipendia* accipiuntur pro pecunia quæ militibus erogatur: *tributa* vero pro ea quam conferunt Provinciales. Cæterùm quod Tan. Faber legit, *tributum sumptibus suppeditari*, præterquàm quod nullo auctore mutantur Livii verba, ea mutatio nulla ex causa fit: sufficit enim si hoc loco dicatur *sumptus* (qui pro pecunia in sumptus belli eroganda accipiuntur) *suppeditari*, & pendere ex tributo, & subjectorum collatione niti: cùm mox addatur numerum eorum, sive civium sive sociorum, qui tributum conferrent, imminutum; & paucos eorum qui superessent non debere multiplici stipendio gravari. Sic enim intelligitur quod vult Faber, tributum quod colligatur, sumptibus non sufficere.

5. *Nisi fide staret resp.*] Sumitur hic *fides* pro credito, & pecunia mutua; quam creditor, cùm debitori dat, ejus fidem sequitur, ei fidem habet; unde & fidejussorum nomen: & qui solvit fidem suam liberare dicitur: hoc sensu Cicero pro Pompejo. *Scimus Romæ solutione impeditâ fidem concidisse*. Et Cæsar 3. belli Gallici, *cùm fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur*. Hinc Gallicè dicimus *le credit*. Est itaque sensus Livii: ex præsenti pecunia, quæ admodum modica in ærario esset, aut ex tributis corradi posset; nullo pacto sustineri posse onera reipublicæ: ideoque confugiendum necessariò esse ad mutuo sumendam à publicanis pecuniam.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

non staturam. Prodeundum in concionem Fulvio prætori esse, indicandas populo publicas necessitates, b *cohortandosque,* 6 *qui redempturis auxissent patrimonia, ut reipublicæ, ex qua crevissent, ad tempus commodarent; conducerentque ea lege* 7 *præbenda quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, ut quum pecunia in ærario esset, iis primis solveretur.* Hæc prætor in concione, edixitque qua die vestimenta, frumentum Hispaniensi exercitui præbenda, quæque alia opus essent navalibus sociis, esset locaturus.

XLIX. Ubi ea dies venit, ad conducendum 1 tres societates aderant hominum undeviginti, quorum duo postulata fuere: 2 unum, *ut militia vacarent, dum in eo publico essent:* alterum, *ut quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatisque vi,* 3 *publico periculo essent.* Utroque impetrato conduxerunt: privataque pecuniâ respublica administrata est. HI MORES, eaque charitas patriæ per omnes ordines velut tenore uno pertinebat. Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic summa fide præbita: 4 nec secus quam si ex opulento ærario, ut

INTERPRETATIO.

b *Et exhortandos esse eos qui opes suas conductionibus publicis amplificaverant, ut cùm ditiores facti essent ex rebus ad populum pertinentibus, aliquid in ejusdem populi commoda conferrent, cumque juvarent. Et susciperent in se curam præbendi & subministrandi exercitui Hispanico quæ necessaria essent; idque eâ conditione ut sumptus in eam rem facti illis refunderentur, quàm primùm pecunia esset in ærario, antequàm aliis creditoribus publicis debita solverentur.*

NOTÆ.

6. *Qui redempturis auxissent patrimonia.*] *Redemptores* propriè dicebantur qui vectigalia, aut etiam opera publica facienda redimebant, sive conducebant: alio nomine *Publicani:* quorum ordo Romæ, imò ubique & semper, potentissimus & maximæ auctoritatis: hinc *redemptura* pro redemptione seu conductione publicorum proventuum.

7. *Præbenda.*] Verbum est militare, quo quid intelligatur patet ex proximè sequentibus: hinc Præbendarum in Ecclesiastica militia vocabulum.

1. *Tres societates.*] Publicæ res non sine magnis sumptibus, & præsenti pecunia exerceri possunt: ideoque plures ad ea socii accedant necesse est; & quot sunt genera publicorum redituum, tot ferè solent esse societates. Hinc apud Cic. pro Sextio *societas* vectigalium.

2. *Unum ut militia vacarent, dum in eo publico essent.*] Ex Puteani codice erutam hanc correctionem Gronov. auream vocat, adstruitque 4. observat. 23. Nolim tamen vulgatam à Laur. Valla lectionem damnare: *unum ne alii triennio eo publicani essent;* est enim *publicanis*, de quibus hic agitur, dignum postulatum: quos aliunde vacationem à militia habuisse valde credibile est; difficile quippe admodùm esset militiæ simul & curandis publicis vectigalibus aut operibus operam dare.

3. *Publico periculo essent.*] *Alicujus periculo esse* dicuntur ea quæ si perierint aut deteriora facta fuerint, ad ipsius onus pertinent. Gallicè dicimus, *à ses risques, perils, & fortunes.* Ita Cic. 7. in Verrem. *Sumptu periculoque suo armatam navim aliquò mittere:* & pro Sextio, *ego qui periculo reip. vivebam.*

4. *Nec secùs quàm si ex opulento ærario.*] Lectio Gronov. est. Valla legendum censebat, *nec secùs ac si.* Vulgò legebatur *nec quidquam desideratum, ac si ex opulento ærario:* sed τὸ *desideratum* in omnibus scriptis desideratur.

Urb. Cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

quondam, alerentur. Quum hi commeatus venerunt, 5 Illiturgi oppidum ab Asdrubale ac Magone, & Amilcare Bomilcaris filio, ob defectionem ad Romanos oppugnabatur. Inter hæc trina castra hostium Sciopiones, quum in urbem sociorum, magno certamine ac strage obsistentium, pervenissent; frumentum cujus inopia erat, advexerunt: cohortatique oppidanos, ut eodem animo mœnia tutarentur, quo pro se pugnantem Romanum exercitum vidissent; ad castra maxima oppugnanda, quibus Asdrubal præerat, ducunt. Eodem & duo duces, & duo exercitus Carthaginiensium, ibi rem summam agi cernentes, convenerunt. Itaque eruptione è castris pugnatum est. sexaginta hostium millia eo die in pugna fuerunt, a sexdecim circiter Romanis. tamen adeo haud dubia victoria fuit, ut plures numero, quam ipsi erant, Romani hostium occiderint; ceperint amplius tria millia hominum, paulo minus mille equorum, undesexaginta militaria signa; elephantis quinque in prælio occisis. trinisque castris eo die potiti sunt. Illiturgi obsidione liberata, 6 ad Intibili oppugnandum Punici exercitus traducti; suppletis copiis ex provincia, ut quæ maxime omnium belli avida, modò præda aut merces esset; & tum juventute abundante. Iterum signis collatis eâdem fortunâ utriusque partis pugnatum. supra tredecim millia hostium cæsa, supraque tria capta; cum signis duobus & quadraginta, & novem elephantis. Tum verò omnes propè Hispaniæ populi ad Romanos defecerunt: multoque majores ea æstate in Hispania quam in Italia res gestæ.

INTERPRETATIO.

a *Cùm Romani non multò plures essent sexdecim millibus.*

NOTÆ.

5. *Illiturgi.*] Ptolemæo fortè corruptè *Ilurgis* oppidum Turdulorum in Hispania ulteriori, eâque parte, quæ post Bætica, circa flumen Bætim supra Cordubam, hodie Morali *Andujar el Viejo*, tribus passuum millibus ab Andujar. Sanso ponit ex adverso oppidi Linares: hæc cuncta in regno Giennensi, *de Jaen*, quæ pars est Andalusiæ Orientalis.

6. *Ad Intibili oppugnandum.*] *Intibilis* oppidi meminit quoque Antoninus & Frontinus: *Tiaria Julia* creditur esse Ptolemæi, quæ accedit ad nomen civitatis Aragonicæ *Teruel. Intibilis* tamen sive *Indibilis* Floriano est *Chelva* in ora regni Valentiæ: Sansoni Tiara Julia est *Trayguero* in eodem regno ad confinia Cataloniæ. Meritò reprehenditur à Sigonio. Glar. qui hoc loco *Indibili*, viri nomen esse putat, de quo posteà sæpius. Quem si Livius intelligeret, dixisset *ad Indibilim oppugnandum*, pro *ad Indibili*.

FINIS LIBRI XXIII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXIV.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

HIERONYMUS, Syracusanorum rex, cujus avus Hiero amicus populo Romano fuerat, ad Carthaginienses defecit: & propter crudelitatem superbiamque, à suis interfectus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul prospere adversus Pœnos & Hannonem ducem ad Beneventum pugnavit; servorum maxime opera, quos liberos esse jussit. Claudius Marcellus consul in Sicilia, quæ prope tota ad Pœnos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est, qui ad Apolloniam nocturno prælio oppressus, fugatusque, in Macedoniam cum prope inermi exercitu perfugit. ad id bellum gerendum Valerius prætor missus. Res præterea in Hispania à P. & Cn. Scipionibus adversus Carthaginienses gestas continet. Syphax rex Numidarum, in amicitiam ascitus, & à Masanissa, rege Massyliorum, pro Carthaginiensibus pugnante, victus, a in Maurusios cum maxima manu transit contra Gades, ubi angusto freto Africa & Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti. quorum auxiliis ascitis, tunc primùm mercenarium militem Romana castra habuerunt.

I. UT ex Campania in Brutios reditum est, Hanno adjutoribus & ducibus Brutiis 1 Græcas urbes tentavit: eo facilius in societate manentes Romana, quod Brutios, quos & oderant, & metuebant, Carthaginiensium partis factos cernebant. Rhegium primum tentatum est, diesque aliquot ibi nequicquam absumpti. Interim 2 Locrenses fru- Urb. Cond. an. 539. Coss. M. Claud. Marc. III. & Q. Fab. Max. IV.

INTERPRETATIO.

a *Transit in Maurusiorum regionem obversam Gadibus.*

NOTÆ.

1. *Græcas urbes.*] Intelligit colonias Græcorum, quæ in Magna Græcia, & Brutiorum ora, Rhegium, Locros, Crotonem, &c.

2. *Locrenses.*] Diximus *Locros* fuisse ubi nunc *Gerace* in ulteriore Calabriæ: hos quidem unà cum Crotone ad Annibalem jam desciviste scriptum libro

Urb. Cond. an. 539. Coss. M. Claud. Marc. III. & Q. Fab. Max. IV.

mentum, lignaque, & cætera necessaria usibus ex agris in urbem rapere; etiam ne quid relictum prædæ hostibus esset: & in dies major omnibus portis multitudo effundi. postremo ii modo relicti in urbe erant, qui reficere muros ac portas, telaque in propugnacula congerere cogebantur. In permixtam omnium ætatum ordinumque multitudinem, & vagantem in agris magna ex parte inermem, Amilcar Pœnus equites emisit, qui violare quemquam vetiti, tantum ut excluderent ab urbe fuga dissipatos, turmas objecere. Dux ipse loco superiore capto, unde agros urbemque posset conspicere, Brutiorum cohortem adire muros, atque evocare principes Locrensium ad colloquium jussit, & pollicentes amicitiam Annibalis, adhortari ad urbem tradendam. a Brutiis in colloquio nullius rei primo fides: deinde ut Pœnus apparuit in collibus, & refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant; tum, metu victi, consulturos se populum responderunt. advocataque extemplo concione, quum & levissimus quisque novas res novamque societatem mallent, & quorum propinqui extra urbem interclusi ab hostibus erant, velut, obsidibus datis, pigneratos haberent animos; pauci magis taciti probarent constantem fidem, quam probatam tueri auderent: b haud dubio in speciem consensu fit ad Pœnos deditio: L. Atilio præfecto præsidii, quique cum eo milites Romani erant, clam in portum deductis, atque impositis in naves, ut Rhegium deveherentur; Amilcarem Pœnosque ea conditione, *ut fœdus extemplo æquis legibus fieret*, in urbem acceperunt. cujus rei propè non servata fides deditis est, quum Pœnus, dolo dimissum Romanum incusaret: Locrenses, profugisse ipsum caussarentur. Insecuti etiam equites sunt, si quo casu in freto æstus morari aut deferre naves in terram posset. & eos quidem, quos sequebantur, non sunt adepti: alias à Messana trajicientes freto Rhegium naves conspexerunt. Milites erant Romani à Claudio prætore missi c ad obtinendam urbem præsidio. itaque Rhegio extemplo abscessum est. Locrensibus jussu Annibalis data pax, *ut liberi suis legibus viverent: 3 urbs pateret Pœnis, portus in potestate Locrensium esset: societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensisque Pœnum pace ac bello juvaret.*

II. a Sic à freto Pœni reducti, frementibus Brutiis, quod Reghium

INTERPRETATIO.

a *Initio Locrenses nihil credebant eorum quæ à Brutiis per colloquium dicebantur.*

b *Consensu, qui* licet coactus, attamen *certus & voluntarius apparebat.*

c *Ad Rhegium oppidum imposito præsidio in fide retinendum: sic Pœni statim ex agro* Rhegino *discesserunt.*

a *Siculo, ac vicino tractu.*

NOTÆ.

superiore. Verùm ibi rem totam paucis in antecessum indicaverat Livius: hic velut suo loco pluribus narrat.

3. *Urbs pateret Pœnis, portus, &c.* Lectio est Gronovii ex Codice Puteano. Vulgò *urbs pariter & Pœnis portus.*

ac Locros, quas urbes direpturos se destinaverant, intactas reliquissent. Itaque per se ipsi conscriptis armatisque juventutis suæ quindecim millibus, ad Crotonem oppugnandum pergunt ire; Græcam & ipsam urbem, & maritimam: plurimum accessurum opibus; si in ora maris portum ac urbem mœnibus validam tenuissent, credentes. Ea cura angebat, quod neque non arcessere ad auxilium Pœnos satis audebant, a ne quid non pro sociis egisse viderentur: & si Pœnus rursus magis arbiter pacis quam adjutor belli fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut ante Locrorum, frustra pugnaretur. Itaque optimum visum est, ad Annibalem mitti legatos: caverique ab eo, ut receptus Croto Brutiorum esset. Annibal quum, b præsentium eam consultationem esse, respondisset, & ad Hannonem eos rejecisset: 1 ab Hannone nihil certi allatum. Nec enim diripi volebant nobilem atque opulentam urbem: & sperabant quum c Brutius oppugnaret, Pœnos nec probare, nec juvare eam oppugnationem appareret, eo maturiùs ad se defecturos. Crotone nec consilium unum inter populares nec voluntas erat. Unus velut morbus invaserat omnes Italiæ civitates, ut plebs ab optimatibus dissentiret: senatus Romanis faveret, plebs ad Pœnos rem traheret. Eam dissensionem in urbe perfuga nunciat Brutiis, Aristomachum esse principem plebis, tradendæque auctorem urbis: & in vasta urbe, 2 lateque omnibus disjectis mœnibus, partitas stationes custodiasque senatorum ac plebis esse. quacumque custodiant plebis homines, eà patere aditum. Auctore ac duce perfuga, Brutii corona cinxerunt urbem: acceptique à plebe, primo impetu 3 locos omnes, præter arcem, cepere. Arcem optimates tenebant; præparato jam ante ad talem casum perfugio. Eodem Aristomachus perfugit; tanquam Pœnis, non Brutiis, auctor urbis tradendæ fuisset.

Urb. Cond. an. 539. Coss. M. Claud. Marc. III. & Q. Fab. Max. IV.

III. Urbs Croto murum in circuitu patentem duodecim millia passuum habuit ante Pyrrhi in Italiam adventum. post vastitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur: flumen, quod medio oppido fluxerat, ex-

INTERPRETATIO.

a *Ne viderentur aliquid fecisse non tanquam socii.*

b *Id deliberandum esse ab iis qui præsentes erant;* non à se, qui a Brutiis aberat.

c *Sperabantque* Annibal atque Hanno, *fore ut Crotoniatæ promptiùs ad Pœnorum partes accederent, si eos hinc impugnarent Brutii, inde constaret Pœnos nec approbare nec adjuvare oppugnationem à Brutiis cœptam.*

NOTÆ.

1. *Ab Hannone nihil certè allatum.*] Gall. *Hannon ne se declara point.*

2. *Lateque omnibus disjectis mœnibus.*] Conjicit Gronovius ex Puteano & Vossiano fuisse scriptum: *in vasta urbe, laxaque omnibus disjectis mœnibus raras stationes custodiasque Senatorum esse.*

3. *Locos omnes præter arcem capere.*] Optimi libri nesciunt *locos*, sed unus pro *omnes* habet *omnia*: alius superscriptum inter versus habet *omnem*, nempe urbem.

Urb. Cond. an. 539. Coss. M. Claud. Marc. 5II. & Q. Fab. Max. IV.

tra frequentia tectis loca [1] præterfluebat: & arx procul iis, quæ habitabantur. [2] Sex millia aberat ab urbe nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti sylva, & proceris abietis arboribus septus: læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum Deæ pascebatur pecus sine ullo pastore; separatimque egressi cujusque generis greges, nocte remeabant ad stabula; nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta, & sacrata est: inclitumque templum, divitiis etiam, non tantum sanctitate, fuit. Ac miracula aliqua affinguntur plerunque tam insignibus locis. Fama est, aram esse in vestibulo templi, cujus cinerem [3] nullus unquam moveat ventus. Sed arx Crotonis una parte imminet mari, altera vergente in agrum, situ tantum naturali quondam munita, postea & muro cincta est, quà per aversas rupes ab Dionysio Siciliæ tyranno per dolum fuerat capta. Eam tum arcem satis, ut videbatur, tutam, Crotoniatum optimates tenebant; circumsedente eum Brutiis eos etiam plebe sua. Postremo Brutii, quum suis viribus inexpugnabilem viderent arcem, coacti necessitate, Hannonis auxilium implorant. Is conditionibus ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, ut coloniam Brutiorum eo deduci, [4] antiquamque frequentiam eorum recipere vastam ac desertam bellis urbem paterentur; omnium neminem præter Aristomachum movit. morituros se affirmabant citius, quam, immixti Brutiis, in alienos ritus, mores legesque, ac mox linguam etiam verterentur: Aristomachus unus, quando nec suadendo ad deditionem satis valebat, nec, sicut urbem prodiderat,

N O T Æ.

1. *Præterfluebat: & arx.*] Valla *præterfluebat muros*: scripti ferè *præterfluebat & agros*. Puteanus habuit *præterfluebat & aros*, superscripta alterâ manu τὸ' g. ut esset, *& garos*. Non abs re conjiciebat Gronov. legendum *Æsaros*, pro *& agros*: est enim *Æsarus* nomen amnis, qui ad Crotonem influit in mare Jonium, testibus Strabone, Dionysio Afro, & Theocriti Scholiaste; qui amnis nomen adhuc retinet, & vulgò dicitur *Esaro*. Ipse tamen Gronov. veriorem putat Salmasii conjecturam, rejectis non immerito cæteris scripturis, legentis, *extra frequentia tectis loca præterfluebat: & arx procul iis quæ habitabantur*; scriptum enim fuerat *& arcs*: inde factum corruptè *etaros*.

2. *Sex millia aberat.*] Verior videtur hæc distantia Laciniæ Junonis à Crotone, eâ quam designat Strabo, qui centum quinquaginta stadia numerat, hoc est, prope novemdecim millia passuum. De eo templo suprà.

3. *Nullus unquam moveat ventus.*] Mavult Gronov. *nullo unquam moveri vento*: quâ lectione quod sit operæ pretium haudquaquam video. Rem confirmat Plinius lib. 2. cap. 107. *In Laciniæ Junonis ara sub Dio sita cinerem immobilem esse proflantibus undique procellis.*

4. *Antiquamque frequentiam eorum recipere.*] Rectè notat Gronov. nihil ad rem facere τὸ *eorum*, nisi scilicet aliquid addatur: plana res erit, si dixeris *eorum ope*, nempe Brutiorum; quod malim quam quod scripti nonnulli, *eò recipere*.

locum

Urb. Cond. ann. 538. Coss. Ti. Sempronio, & Q. Fab. Max. III.

locum prodendæ arcis inveniebat; transfugit ad Hannonem. Locrenses brevi post legati quum permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent, ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent. Jam hoc ut sibi liceret, impetraverant & ab Annibale, missis ad ipsum legatis. ita Crotone excessum est: deductique Crotoniatæ ad mare, naves conscendunt. [5] Locros omnis multitudo abeunt. In Apulia ne hiems quidem quieta inter Romanos atque Annibalem erat. Luceriæ Sempronius consul, Annibal haud procul Arpis hibernabat. Inter eos levia prælia ex occasione, aut opportunitate hujus aut illius partis oriebantur: [a] meliorque eis Romanus, & in dies cautior tutiorque ab insidiis fiebat.

IV. In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis, regnumque [1] ad Hieronymum nepotem ejus translatum: puerum, [b] vixdum libertatem, nedum dominationem modice laturum. [2] Lætè id ingenium tutores atque amici ad præcipitandum in omnia vitia acceperunt. quæ ita futura cernens Hiero, ultimâ senectâ voluisse dicitur liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili, per ludibrium, bonis artibus partum firmatumque interiret regnum. Huic consilio ejus summa ope obstitere filiæ; nomen regium penes puerum futurum ratæ, regimen rerum omnium penes se, virosque suos, [3] Andranodorum, & Zoippum: nam ii tutorum primi relinquebantur. Non facile erat nonagesimum jam agenti annum, circumsesso dies noctesque, muliebribus blanditiis liberare animum, & [4] convertere ad publicam privatamque curam. Itaque tutores nu-

INTERPRETATIO.

a *Et Romani* milites per ea leviora *prælia fortiores evadebant & cautiores.*

b *Qui non solùm dominatu, sed & liberè agendi potestate non videbatur moderatè usurus.*

NOTÆ.

5. *Locros omnis multitudo abeunt.*] Intelligo multitudinem optimatum, qui cum suis in arcem confugerant: nam plebs, quæ reverà multitudo erat, Brutios acceperat. Cur autem à Locrensibus vocati fuerint & in urbem suam asciti Crotoniatæ, ratio fuit communis ex Græcia origo. Nam hi Locri Epizephyrii colonia fuere Locrorum Ozolarum qui Crisseum accolunt sinum, deducta ab Evanthe, non multò post Crotonem à Lacedæmoniis conditam. Croton autem à Micyllo Lacedæmonio posita est.

1. *Ad Hieronymum nepotem ejus.*] Natus erat ex Gelone, qui ante Hieronem patrem obierat.

2. *Lætè id ingenium.*] Plures Codices habent, *laturum ætatis id ingenium*: quod non cohæret. Unde La. Valla conjecerat *laturum. Lætati id ingenium, &c.* Aliter Salmas. & Ruben. Gron. verò *latura ætatis. Id ingenium.* Et proximè ad scripturam veterem. Sed ætas puerilis notata jam fuerat.

3. *Andranodorum & Zoippum.*] Ita legendum ex Polybio, non *Andranodorum & Zoilum* ut vulgò scribebatur: & *Andranodorus*, pro *Adranodoro*, litterâ *n* Euphoniæ causâ interjectâ, dictus videtur Gronovio; qui monet Adranum fuisse proprium Adranitarum in Sicilia oppidi Deum, ex Æliano de animalibus XI. 20.

4. *Convertere ad publicam privatamque curam.*] In optimis scriptum est *convertere ad publicam privata curam*: unde melior sententia: est enim, *res privatas & statum domus suæ accommodare*, ac traducere *ad reip. utilitatem*.

Vrb. cond. an. 538. Coss. Ti. Sempr. & Fab. Max. III.

mero quindecim puero reliquit. quos precatus est moriens, ut 5 fidem erga populum Romanum quinquaginta annos ab se cultam, inviolatam servarent, juvenemque suis potissimum vestigiis insistere vellent, 6 disciplinæque, 7 in qua edoctus esset. Post hæc mandata quum exspirasset, tutores prodeunt. testamento prolato, pueroque in concionem producto; (erat autem quindecim tunc ferme annorum) paucis, qui per concionem ad excitandos clamores dispositi erant, approbantibus testamentum, cæteris velut patre amisso in orba civitate omnia timentibus; funus fit regium, magis amore civium & charitate, quam cura suorum celebre. Deinde cæteros tutores summovet Andranodorus: 8 juvenem jam esse dictitans Hieronymum, ac regni potentem: deponendoque tutelam, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.

V. Vix quidem ulli bono, moderatoque regi facilis erat favor apud Syracusanos, a succedenti tantæ charitati Hieronis. verùm enimvero Hieronymus, b velut 1 suis vitiis desiderabilem efficere vellet avum, primo statim conspectu omnia quam disparia essent, ostendit. nam qui per tot annos Hieronem, filiumque ejus Gelonem, nec vestis habitu, nec alio ullo insigni differentes à cæteris civibus vidissent, conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos: quadrigisque etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem, more Dionysii tyranni. Hunc tam superbum apparatum habitumque, 2 convenientes sequebantur, contemptus om-

INTERPRETATIO.

a *Quisquis succederet Hieroni adeo charo* Syracusanis.

b *Quasi efficere vellet ut propter ipsius vitia* magis ac magis *desideraretur* Hiero *avus*, ejusque virtutes.

NOTÆ.

5. *Fidem erga populum Romanum.*] Hieronis cum Romanis fœdus initum est anno 2. primi belli Punici, u. c. 490. M. Valerio & M. Otacilio consulibus: à quo tempore nunc annus currebat quadragesimus nonus.

6. *Disciplinæque in qua, &c.*] Rectè hic notat Gronovius disciplinam non pro doctrina sumi, sed pro vivendi ratione & instituto. Ita noster lib. 1. cap. 18. de Numa *disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum*. Cic. quoque 5. Verr. dixit *erudire aliquem ad civitatis disciplinam: & non degenerare à disciplina patris*.

7. *In qua edoctus.*] Meliùs ut Gronovii & Tan. Fabri, ita meo quoque judicio *eductus*: id est, educatus.

8. *Juvenem jam esse dictitans.*] Adolescens propriè vocatur qui annos tantum quindecim natus est: *juvenis* autem non censetur nisi major viginti quinque annis. Sed Andranodorus, ut causæ faveret, Hieronymum juvenem appellabat, ut censeretur ad regnandum idoneus, sive regni potens, ut noster loquitur: & apud Romanos anno decimo quarto completo finiebatur tutela.

1. *Suis vitiis desiderabilem.*] Id apud Tacit. Augusto à quibusdam attributum, ut Tiberium non charitate aut reip. curâ successorem adsciret; sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrimâ sibi gloriam quæsivisse.

2. *Convenientes sequebantur.*] *Contemptus* nempe *omnium hominum, superbæ aures, &c.* quæ res conveniebant superbo cultui, eumque comitabantur. Valla mavult *convenientia*, Gron. *convenienter*, facilius esset, si manuscripti faverent, *convenientes sequebantur mores*.

Urb. cond. an. 538. Coss. Ti. Sempronio, & Q. Fab. Max. III.

nium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta: 3 rari aditus non alienis modo, sed tutoribus etiam: libidines novæ, inhumana crudelitas. Itaque tantus omnes terror invaserat, ut quidam ex tutoribus, aut morte voluntaria aut fuga præverterent metum suppliciorum. Tres ex iis, quibus solis aditus in domum familiarior erat, Andranodorus & Zoippus, generi Hieronis, & Thraso quidam, de aliis quidem rebus haud magnopere audiebantur: tendendo autem duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Romanam, certamine ac studiis interdum in se convertebant animum adolescentis: cum conjuratio in tyranni caput facta, indicatur per Calonem quendam æqualem Hieronymi, & jám inde à puero in omnia familiaria jura assuetum. Index unum ex conjuratis Theodotum, à quo ipse appellatus erat, nominare potuit. qui comprehensus extemplo, traditusque Andranodoro torquendus, de se ipse haud cunctanter fassus, conscios celabat. postremo, quum omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur: victum malis se simulans, avertit ab consciis in insontes indicium, 4 Thrasonem esse auctorem consilii mentitus; nec nisi tam potenti duce confisos, rem tantam ausuros: 5 ab latere tyranni, 6 quorum capita vilissima fingenti inter dolores gemitusque occurrêre. Maximè animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit. Itaque extemplo traditur ad supplicium. c adjectique pœnæ cæteri juxtà insontes. Consciorum nemo, quum diu socius consilii torqueretur, aut latuit, aut fugit. tantum illis in virtute ac fide Theodoti fiduciæ

INTERPRETATIO.

c *Reliqui æquè innoxii, additi* sunt Thrasoni, & *supplicio* pariter addicti.

N O T Æ.

3. *Rari aditus.*] Illud *rari* rectâ conjicit Gron. ex Put. ubi *contumeliosa dicta- ri aditus, non alienis, &c.* Hinc fecit *contumeliosa dicta, rari aditus*. Atque ita inutile erit adituum novum epitheton *difficiles* quod boni libri respuunt.

4. *Thrasonem esse auctorem consilii.*] Hunc adulatorem fuisse Hieronymi & Carcharum cognominatum scribit Athenæus; additque de medio sublatum fuisse artificio alterius adulatoris, qui nomine Osis. Gronov. opinatur Sosin; eundemque, qui posteà Livio nominatur inter conjuratos, à quibus occisus Hieronymus.

5. *Ab latere tyranni.*] Quemadmodum à pedibus alicui esse dicuntur pedissequi, & à secretis quibus secreta negotia committuntur: ita *à latere* dicuntur, qui principibus familiares eorumve satellites. Vulgo hic editum est, *ab latere inde eos nominat tyranni*. Sed verba *inde eos nominat* absunt à plerisque libris. Et interpositâ parenthesi (à voce *indicium*, ad *ausuros*) intelligi potest Theodotus indicium à conjuratis avertisse ad insontes, qui erant ab latere tyranni, & quos perinde ac tyrannum oderat qui torquebatur. Verùm & citra parenthesim, sic explicabitur hic locus, si dicamus, *inter eos quos è numero domesticorum tyranni*, Theodotus *fingebat conjurasse*, & *quorum nomina tanquam vilissimorum Capitum ei occurrebant* inter tormenta, *maximè motum esse Tyrannum*, ut verum crederet torti indicium, ubi Thrasonem nominari audivit.

6. *Quorum vilissima capita .... occurrere.*] Non dicit hos homines vilissimæ reverà conditionis fuisse, sed vilissima habita fuisse innuit indici ex odio tyranni vitiorumque, quibus ipsum imbuebant,

Urb. Cond. Ann. 538. Coss. Ti. Sempr. & Q. Fab. Max. III.

fuit: tantumque ipsi Theodoto virium ad arcana occultanda.

VI. Itaque [a] quod unum vinculum cum Romanis societatis erat, Thrasone sublato è medio, extemplo haud dubie ad defectionem res spectabat. [1] legatique ad Annibalem missi; ac remissi ab eo [2] cum Annibale nobili adolescente Hippocrates & Epicydes nati Carthagine; sed oriundi ab Syracusis, exule avo, Pœni ipsi materno genere. Per hos [b] juncta societas Annibali ac Syracusano tyranno: nec invito Annibale apud tyrannum manserunt. Appius Claudius prætor, cujus Sicilia provincia erat, ubi ea accepit, extemplo legatos ad Hieronymum misit: qui quum sese ad renovandam societatem, quæ cum avo fuisset, venisse dicerent, per ludibrium auditi dimissique sunt ab quærente per jocum Hieronymo, *quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas fuisset: vix credibilia enim legatos Annibalis narrare. Velle quid veri sit scire, ut ex eo* [c] *utram spem sequatur, consilium capiat.* Romani, *quum serio legationes audire cœpisset, red turos se ad eum* dicentes esse; monito magis eo, quam rogato, ne fidem temere mutaret, proficiscuntur. Hieronymus legatos Carthaginem misit ad fœdus ex societate cum Annibale faciendum. Pacto convenit, *ut quum Romanos Sicilia expulissent* (id autem brevi fore, si naves atque exercitum misissent) [3] *Himera amnis, qui ferme insulam dividit, finis regni Syracusani ac Punici imperii esset.* Aliam deinde, inflatus assentationibus eorum, qui cum non Hieronis tantum, sed Pyrrhi etiam regis [4] materni avi jubebant meminisse, legationem misit: [5] quia æquum

INTERPRETATIO.

a *Mortuo Thrasone cujus solius* operà *velut vinculo* quodam *cohærebat societas* Syracusanorum *cum Romanis.*

b *Ab Annibale ac tyranno Syracusano initum fœdus.*

c *Ut deliberet quorum adhæreat societati*; Romanorum, an Pœnorum.

NOTÆ.

1. *Legatique ad Annibalem missi.*] Hi legati ab Hieronymo ad Annibalem missi, fuere Polyclitus Cyrenæus & Philodemus Argivus: qui ambo memorantur à Liv. lib. 25. c. 25.

2. *Cum Annibale nobili adolescente.*] Hi non ab Hieronymo ad Annibalem missi, ut censuere Glar. & Sigon. sed quemadmodùm rectè Gronov. observat, ab Annibale missi ad Hieronymum, quod ex Polybio patet: Annibal autem hic Carthaginensis tunc trierarchus erat, tam origine quàm natalibus Carthaginiensis.

3. *Himera amnis.*] Duo sunt hoc nomine in Sicilia fluvii, quorum minor in Aquilonem & mare Tyrrhenum fluit juxta oppidum ejusdem nominis, vulgo nunc *Termini*: major in meridiem mare Libycum flexo cursu subit. Hic omnium totius Siciliæ maximus, vulgò nunc accolis vocatur *Salsi* ab ipsa re: est enim *Salso sapore* sive amaro. Per octoginta millia mediam ferè Siciliam ita dividit, ut altera pars versus occasum ad Lilybæum promontorium: altera ad Pachynum & Pelorum, ad ortum pertineat. Ambo hi fluvii ex montis ejusdem Nebrodis diversis jugis oriuntur. Solinus, Mela, aliique unum faciunt, qui in diversa decurrat.

4. *Materni avi.*] Ex Lanassa Agathoclis Siciliæ Tyranni filia, Pyrrhus Epiri rex Nereidem susceperat, ex qua natus Hieron.

5. *Quia æquum, &c.*] Num potiùs *quà*? legatione.

censebat Sicilia sibi omni cedi: Italiæ imperium proprium quæri Carthaginiensi populo. Hanc levitatem ac jactationem animi neque mirabantur in juvene furioso, neque arguebant; dummodo averterent eum ab Romanis.

Urb. cond. an. 538. Coss. Tit. Sempron. & Q. Fab. Max, III.

VII. Sed omnia in eo præcipitia ad exitium fuerunt. nam quum præmissis Hippocrate atque Epicyde cum binis millibus armatorum ad tentandas urbes, quæ præsidiis tenebantur Romanis; & ipse [1] in Leontinos cum cætero omni exercitu (erant autem ad quindecim millia peditum equitumque) profectus esset; liberas ædes conjurati (& omnes forte militabant) imminentes viæ angustæ, qua descendere [2] ad forum rex solebat, sumpserunt. ibi, quum instructi armatique cæteri transitum exspectantes starent, [a] uni ex eis (Dinomeni fuit nomen) quia custos corporis erat, partes datæ sunt, ut quum appropinquaret januæ rex, per caussam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen. Ita ut convenerat, factum est. [3] tanquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo, moratus turbam Dinomenes, tantum intervalli fecit, ut quum in prætereuntem sine armatis regem impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus quàm succurri posset. Clamore & tumultu audito, in Dinomenem, jam haud dubie obstantem, tela conjiciuntur: per quæ tamen duobus acceptis vulneribus, evasit. Fuga satellitum, ut jacentem videre regem, facta est. interfectores pars in forum ad multitudinem lætam libertate, pars Syracusas pergunt, ad præoccupanda Andranodori, regiorumque aliorum consilia. Incerto rerum statu, Ap. Claudius bellum oriens ex propinquo quum cerneret, senatum literis certiorem fecit; *Siciliam Carthaginiensi populo & Annibali conciliari*: ipse adversus Syracusana consilia, [4] provinciam, regnique fines omnia convertit præsidia. Exitu anni ejus Q. Fabius ex auctoritate senatus [5] Puteolos, per bel-

INTERPRETATIO.

a *Mandatum est uni eorum, datumque negotium, ut.*

NOTÆ.

1. *In Leontinos.*] Apud Ptolemæum *Leontium* vocatur urbs Siciliæ quondam celeberrima, quæ cæteris *Leontini*, communi oppidi & incolarum nomine, quod adhuc paulùm detortum manet: dicuntur enim *Lentini*: medio ferè spatio inter Syracusas & Cataniam, in eadem Orientali Siciliæ ora, eaque parte insulæ, quæ nunc *Val di Noto* appellatur. Patria fuit Gorgiæ Leontini, qui primus extemporalem eloquentiam professus est.

2. *Ad forum.*] Apud Leontinos.

3. *Tanquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo.*] Veterum calcei, superiori parte aperti, ligulis seu vinculis adstringebantur: hinc Dinomenes finxit arctiùs ligatum pedem, quem ut aptaret, tollendus in altum fuit.

4. *Provinciam regnique fines.*] Emendat non abs re Pighius *ad Provincia regnique fines*: id est, ad confinia regni Syracusani, & provinciæ quàm in Sicilia Romani habebant.

5. *Puteolos.*] Loci nomen, Græci Δικαιαρχίαν dixere: antiquitùs Navale Cumanorum fuit in supercilio litoris exstructum: hoc tempore à Romanis frequentari cœptum, qui *Puteolos* vocarunt, vel à *puteis*, vel à *putore*. Situs fuit ultra Misenum promontorium & lacus Lucrinum atque Avernum, Bajas inter & Neapolim, ad mare Tyrrhenum. Hodie *Pozzuolo* appellatur in terra Laboris.

Urb. cond. an. 539. Coss. Tib. Otacilio, & M. Æmilio.

lum cœptum frequentari emporium, communiit, præsidiumque imposuit. inde Romam comitiorum caussa veniens, in eum quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit; atque [6] ex itinere præter urbem in campum descendit. Eo die quum sors [7] prærogativæ Aniensi juniorum exisset, eaque T. Otacilium, & M. Æmilium Regillum consules diceret; tum Q. Fabius silentio facto, tali oratione est usus.

VIII. *Si aut pacem in Italia, aut bellum cum eo hoste haberemus,* [1] *in quo negligentiæ, aut errori locus esset: qui vestris studiis, quæ in campum admandandos, quibus velitis, honores affertis, moram ullam offerret, is mihi parum meminisse videretur vestræ libertatis. sed quum in hoc bello, in hoc hoste, numquam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum sit, eadem vos cura, qua in aciem armati descenditis inire suffragium adcreandos consules decet, & sibi sic quemque dicere; Annibali imperatori parem consulem nomino. Hoc anno ad Capuam Jubellio Taureæ Campano summo equiti provocanti, summus Romanus eques Asellus Claudius est oppositus. Adversus Gallum quondam provocantem in ponte Anienis, T. Manlium, fidentem & animo & viribus, misere majores nostri. Ob eandem caussam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur, adversus similiter provocantem arma capienti Gallum ad certamen. Quemadmodum pedites equitesque optamus, ut validiores, si minus, ut pares hosti, habeamus: ita duci hostium parem imperatorem quæramus. Quum qui est summus in civitate dux, eum legerimus; tamen repente lectus, in annum creatus adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque temporis, neque juris inclusum angustiis, quo minus ita omnia gerat administretque, ut tempora postulabunt belli. nobis autem in apparatu ipso, ac tantum inchoantibus res, annus circumagitur. Quoniam quales viros creare vos consules deceat, satis est dictum: restat ut pauca de eis,* [a] *in quos prærogativæ favor inclinavit, dicam. M. Æmilius*

INTERETATIO.

a *Quibus faverunt suffragia centuriæ primùm sorte ductæ.*

NOTÆ.

6. *Ex itinere præter urbem.*] Igitur urbem non est ingressus, sed per pomœrium exterius in Campum Martium venit, qui adhuc extra pomœrium. Illud *ex itinere* est à correctione Laur. Vallæ, cùm anteà scriptum esset, *atque edixit inire.*

7. *Prærogativa Aniensi juniorum.*] Vulgò legitur *prærogativa antè juniorum*: in manuscriptis est *antesiludiorum*: præclaré correxit Gronovius, qui hac de re latè differit 4. observat. cap. 1. Sorte educi solitæ tribus centuriæque, quæ primæ in suffragia mitterentur: & prærogativa *Tribus* dicebatur, cujus sors prima exierat, interque ejus centurias alterâ sortitione ducebatur, quæ prærogativa esset; id est, quæ primo loco rogaretur, ut jam observatum est. Cæterum Tribus Aniensis ab Aniene fluvio dicta, numero trigesima secunda, prioribus addita est anno 455. ut est apud Livium lib. 10.

1. *In quo negligentiæ aut errori locus esset.*] Hanc receptam lectionem approbant quæ sequuntur, *nunquam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum sit*, quidquid Gronov. ex quibusdam scriptis reponendum censeat, *negligentiæ laxior locus esset*; quid enim hic sit *locus laxior*, non satis perspicio: fortè tolerabilius esset, *negligentiæ laxiori*.

Regillus flamen est Quirinalis, 2 *quem neque mittere à sacris, neque retinere possumus, ut non Deûm aut belli deseramus curam. Otacilius, sororis meæ filiam uxorem, atque ex ea liberos habet. cæterum* b *non ea vestra in me majoresque meos merita sunt, ut non potiorem privatis necessitudinibus rempublicam habeam. Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare potest: ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis: tum viro & gubernatore opus est. Non tranquillo navigamus; sed* 3 *jam aliquot procellis submersi penè sumus. itaque quis ad gubernacula sedeat, summa cura providendum ac præcavendum vobis est. In minore re experti, T. Otacili, operam tuam sumus. haud sane, cur ad majora tibi fidamus, documenti quicquam dedisti. Classem hoc anno, cui tu præfuisti, trium rerum caussa paravimus: ut Africæ oram popularetur; ut tuta nobis Italiæ litora essent, ante omnia, ne supplementum cum stipendio commeatuque ab Carthagine Annibali transportaretur. Create consulem T. Otacilium, non dico si omnia hæc, sed si aliquid eorum reipublicæ præstitit. Sin autem, te classem obtinente, etiam velut pacato mari quælibet Annibali tuta atque integra ab domo venerunt; si ora Italiæ infestior hoc anno, quam Africa fuit; quid dicere potes, cur te potissimum ducem* 4 *Annibali hosti opponamus? Si consul esse, dictatorem dicendum exemplo majorum nostrorum censeremus. nec tu id indignari posses, aliquem in civitate Romana meliorem bello haberi, quam te. Magis nullius interest, quam tua, T. Otacili, non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas. Ego magnopere suadeo, eodem animo, quo si stantibus vobis in aciem armatis repentè deligendi duo imperatores essent, quorum ductu atque auspicio dimicaretis, hodie quoque consules creetis: quibus sacramento liberi vestri dicant, ad quorum edictum conveniant, sub quorum tutela atque cura militent. Lacus Trasimenus & Cannæ tristia ad recordationem exempla, sed ad præcavendum simile utiles documento sunt.* 5 *Præco Aniensem juniorum in suffragium revoca.*

Urb. cond. an. 539. Coss. Ti. Otacilio, & M. Æmilio.

IX. Quum T. Otacilius ferociter, *eum continuare consulatum velle* vociferaretur, atque obstreperet, lictores ad eum accedere consul jussit.

INTERPRETATIO.

b *Non tam exigua sunt beneficia quæ vos in me, ac majores meos contulistis.*

NOTÆ.

2. *Quem neque mittere à sacris.*] Flamines adeo adstricti erant sacris, ut ab urbe abnoctare ipsis vetitum esset, saltem Diali, ut vidimus lib. 5. cap. 56.

3. *Jam aliquot procellis.*] Metaphora à mari ad rempub. ducta: intelliguntur autem pugnæ ad Trasimenum & Cannas.

4. *Annibali hosti opponamus.*] A Salmasio est correctio. Legebatur anteà *opponant*: quod tamen tolerari potest, ut intelligantur cives Romani.

5. *Præco Anienses Juniorum in suffragium revoca.*] Emendatio est Gronovii haud omnino necessaria: nihil enim habet reprehendendum vulgaris lectio, *prærogativa Juniorum in suffragium revocata*; perinde enim est, si Q. Fabius præconi imperet ut revocentur ad suffragium Anienses Juniores, & si narrentur ab auctore in suffragium revocati.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

& [1] quia in urbem non inierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit, cum securibus sibi fasces praeferri. Iterum praerogativa suffragium init; creatique in ea Consules Q. Fabius Maximus quartùm, M. Marcellus tertiùm. Eosdem consules caeterae centuriae sine variatione ulla dixerunt. Et praetor unus refectus, Q. Fulvius Flaccus: novi tres alii creati, T. Otacilius Crassus iterum, Q. Fabius consulis filius, qui tum aedilis curulis erat, P. Cornelius Lentulus. Comitiis praetorum perfectis, senatusconsultum factum est, *ut* [2] *Q. Fulvio extra ordinem urbana provincia esset: isque potissimum consulibus ad bellum profectis, urbi praeesset*. 9 Aquae magnae bis eo anno fuerunt: Tiberisque agros inundavit cum magna strage tectorum, pecorumque & hominum pernicie. Quinto anno secundi Punici belli, Q. Fabius Maximus quartùm, M. Claudius Marcellus tertiùm, consulatum ineuntes, plus solito converterant in se civitatis animos. multis enim annis tale consulum par non fuerat. Referebant senes, sic [4] Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum Gallicum, sic postea Papirium & Carvilium adversus Samnites, Brutiosque, & Lucanum cum Tarentino populum, consules declaratos. Absens Marcellus Consul creatus, quum ad exercitum esset; praesenti Fabio, atque ipso comitia habente, consulatus continuatus. Tempus ac necessitas belli, ac discrimen summae rerum faciebant, ne quis aut [a] in exemplum exquireret, aut suspectum cupiditatis imperii consulem haberet. quin laudabant potius magnitudinem animi, quod quum summo imperatore esse opus reipublicae sciret, [b] seque eum haud dubie esse; minoris invidiam suam, si qua ex re oriretur, quam utilitatem reipublicae fecisset.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. M. Claud. Marc. III.

X. Quo die magistratum inierunt consules, senatus in Capitolio est habitus: decretumque omnium primum, *ut consules sortirentur, compararentve inter se, uter censoribus creandis comitia haberet, prius-*

INTERPRETATIO.

a *Obstabant quominùs quisquam inquireret in ejusmodi factum, velut in rem mali exempli.*

b *Et se reverà esse hujusmodi*, nempe summum imperatorem.

NOTAE.

1. *Quia in urbem non inierat,*] Cùm extra urbem esset Fabius consul, secures fascibus illigatos habebat, summi indices imperii, cujus Otacilium admonebat: nam intra urbem fasces absque securibus Consuli praeferebantur ex instituto P. Valerii Poblicolae, de quo lib. 2.

2. *Q. Fulvio extra ordinem.*] Ubi creati magistratus erant, provinciam plerunque suam quisque sortiebantur, aut inter se comparabant, & munera diversa consensu mutuo partiebantur inter se: aliquando tamen sine sorte, nec expectatâ eorum deliberatione, hanc vel illam provinciam, seu Consularis aut Praetorii muneris partem, Senatus extra ordinem alicui assignabat, ut huic Q. Fulvio praeturam urbanam.

3. *Aquae magnae bis eo anno.*] Ita Gron. ex Put. aliàs *atque magna nives:* vulgò *magna aqua & nives:* quidni potiùs, *aqua magna vis eo anno?*

4. *Maximum Rullum.*] Imò Q. Fabium Maximum Rullianum, qui consul v. fuit an. 457. cum Publio Decio Mure IV. lib. 10.

quam

Orb. cond. an. 539. Coss. Q. Fabio Max. IV. & M. Marcel. III.

quam ad exercitum proficisceretur. Prorogatum deinde imperium omnibus qui ad exerciuts erant; jussique in provinciis manere. Ti. Gracchus Luceriæ, ubi cum volonum exercitu erat; C. Terentius Varro in agro Piceno; Manius Pomponius in Gallico. ex prætoribus prioris anni proprætore Q. Mucius obtineret Sardiniam; M. Valerius ad Brundusium oræ maritimæ, intentus adversus omnes motus Philippi Macedonum regis, præesset. P. Cornelio Lentulo prætori Sicilia decreta provincia: T. Otacilio classis eadem, quam adversus Carthaginienses priore anno habuisset. Prodigia eo anno multa nunciata sunt. Quæ quo MAGIS credebant simplices ac religiosi homines, eò etiam plura nunciabantur: Lanuvii in æde intus Sospitæ Junonis corvos nidum fecisse. In Apulia palmam viridem arsisse. Mantuæ stagnum effusum Mincio amni. cruentum visum. Et Calibus cretâ, & Romæ in foro boario sanguine pluisse. Et [1] in vico Istrico fontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, [2] ut serias doliaque quæ in eo loco erant, prouoluta velut impetus torrentis tulerit. Tacta de cœlo, atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, nucem in Sabinis, publicamque viam, murum ac portam Gabiis. Jam alia vulgata miracula erant hastam Martis Præneste sua sponte promotam: bovem in Sicilia locutum: infantem in utero matris in Marrucinis, *Io triumphe*! clamasse: ex muliere Spoleti virum factum. Hadriæ aram in cœlo, speciesque hominum circum eam, cum candida veste, visas esse. Quin Romæ quoque in ipsa urbe [a] secundum apum examen in foro visum, affirmantes quidam legiones se armatas in Janiculo videre, concitaverunt civitatem ad arma: [3] qui tum in Janiculo essent, negarunt quemquam ibi, præter assuetos collis ejus cultores, apparuisse. Hæc prodigia hostiis majoribus procurata sunt, ex aruspicum responso: & supplicatio omnibus diis, quorum pulvinaria Romæ esset, indicta est.

XI. Perpetratis quæ ad pacem Deûm pertinebant, de republ. bello-

INTERPRETATIO.

a *Postquàm apum globus in foro apparuisset.*

b *Post sacrificia & supplicationem celebratam ad pacanda numina, sive ad obtinendum eorum præsidium.*

NOTÆ.

1. *In vico Istrico.*] An in *vico Ustrino*, qui Romæ in regione Esquilina & Viminali legitur apud P. Victorem & Sex. Rufum? An in aliquo Istriæ regionis vico? Sed hæc remotior.

2. *Ut serias doliaque.*] Majus vas fictile fuit *seria*, capaciusque culleo viginti amphoras continente. Ex iis in alia minora vasa diffundi vinum solebat ad vetustatem servandam, ut docet Columella lib.13. Nec tantùm vinum, sed oleum quoque, & olivæ conditæ in *seriis*, quæ inde oleariæ dictæ, servabantur; earumque meminit Varro lib.3. de re rust. cap.2. laudante Marcello Donato.

3. *Qui tum in Janiculo essent,*] Num vulgaris lectio *qui cùm in Janiculum ivissent*, qui nempe civium, concitati ad arma eo viso, cùm in Janiculum essent transgressi, renunciarunt nihil eorum quæ procul apparuerant, à se repertum.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

que gerendo, & quantum copiarum, & ubi quæque essent, consules ad senatum retulerunt. 1. Duodeviginti legionibus bellum geri placuit: c binas consules sibi sumere: binis Galliam Siciliamque ac Sardiniam obtineri: duabusque Q. Fabium prætorem Apuliæ; duabus volonum Ti. Gracchum circa Luceriam præesse. singulas C. Terentio proconsul. ad Picenum, & M. Valerio ad classem circa Brundusium relinqui; & duas urbi præsidio esse. Hic ut numerus legionum expleretur, sex novæ legiones erant scribendæ. eas primo quoque tempore consules scribere jussi, & classem parare: ut cum eis navibus quæ pro Calabriæ litoribus in statione essent; centum quinquaginta longarum navium classis eo anno expleretur. Delectu habito, & navibus novis deductis, Q. Fabius comitia censoribus creandis habuit. creati M. Atilius Regulus, & P. Furius Philus. Quum increbesceret rumor, bellum in Sicilia esse; T. Otacilius eo eum classe proficisci jussus est. Quum deessent nautæ, consules ex senatusconsulto edixerunt, *ut qui L. Æmilio, C. Flaminio censoribus, 2 millibus æris quinquaginta ipse aut pater ejus census fuisset usque ad centum millia; aut cui postea res tanta esset facta; nautam unum cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia 3 usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra trecenta millia usque ad 4 decies æris, quinque nautas: qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent.* Ex hoc edicto dati nautæ armati instructique ab dominis, cum 5 triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt. Tum primum est factum, ut classis Romana sociis navalibus privatâ impensâ paratis compleretur.

XII. Hic major solito apparatus præcipuè conterruit Campanos, ne ab obsidione Capuæ bellum ejus anni Romani inciperent. itaque legatos ad Annibalem oratum miserunt, *ut Capuam exercitum admoveret. ad eam oppugnandam novos exercitus scribi Romæ, nec ullius urbis defectioni magis infensos 1 eorum animos esse.* Id quia tam trepidi nunciabant, maturandum Annibal ratus, ne prævenirent Romani; profectus Arpis ad Tifata, in veteribus castris super Capuam consedit. inde Numidis Hispanisque, ad præsidium simul castrorum, simul Capuæ reli-

INTERPRETATIO.

c *Ut Consulum unusquisque haberet duas legiones.*

NOTÆ.

1. ***Duodeviginti Legionibus.***] Hoc numero nondum invenio gestum à Romanis bellum, fiunt enim saltem septuaginta duo peditum Romanorum, totidemque sociorum, id est, centum quadraginta quatuor millia, præter equitatum.

2. ***Millibus æris quinquaginta.***] Si cum argentea moneta nostra semiunciales asses comparemus, minor paulo erit hæc summa 1460. libris.

3. ***Usque ad trecenta millia.***] Trecenta assium æreorum millia libras nostrates redderent fere 8760.

4. ***Decies æris.***] Assium ejus temporis decies centena millia respondere videntur libris Francicis 27200.

5. ***Triginta dierum coctis cibariis.***] Gall. *Pourveus de biscuit, &c. pour un mois.*

1. ***Eorum animos,***] Romanorum.

ctis, cum cætero exercitu 2 ad lacum Averni, (per speciem sacrificandi; re ipsa, ut tentaret Puteolos, quodque ibi præsidium erat) descendit. 3 Maximus, postquam Annibalem Arpis profectum, & regredi in Campaniam, allatum est; nec die nec nocte intermisso itinere, ad exercitum redit: & Ti. Gracchum ab Luceria Beneventum copias admovere, Q. Fabium Prætorem (is filius consulis erat) 4 Luceriam Graccho succedere jubet. In Siciliam eodem tempore duo prætores profecti; P. Cornelius ad exercitum; Otacilius, qui maritimæ oræ reique navali præesset; & cæteri in suas quisque provincias profecti; & quibus prorogatum imperium erat, easdem quas priore anno regiones obtinuerunt.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

XIII. Ad Annibalem, quum ad lacum Averni esset, quinque nobiles juvenes ab Tarento venerunt; partim ad Trasimenum lacum, partim ad Cannas capti; dimissique domos cum eadem comitate, qua usus adversus omnes Romanorum socios Pœnus fuerat. Ii memores beneficiorum ejus, *Perpulisse magnam partem se juventutis Tarentinæ*, referunt, *ut Annibalis amicitiam ac societatem, quam populi Romani mallent. legatosque ab suis missos rogare Annibalem, ut exercitum propius Tarentum admoveat. Si signa ejus, si castra conspecta à Tarento sint, haud ullam intercessuram moram, quin urbs dedatur. In potestate juniorum plebem, in manu plebis rem Tarentinam esse*. Annibal collaudatos eos, oneratosque ingentibus promissis, domum ad cœpta maturanda redire jubet: se in tempore affuturum esse. Hac cum spe dimissi Tarentini. Ipsum ingens cupido incesserat 1 Tarenti potiundi. Urbem esse videbat, quum opulentam nobilemque, tum maritimam, & in Macedoniam opportunè versam: regemque Philippum hunc portum, si transiret in Italiam, quum Brundusium Romani haberent, petiturum. Sacro inde perpetrato, ad quod venerat, & dum

NOTÆ.

2. *Ad lacum Averni.*] *Lacus Avernus* sic dictus putatur quasi ἄορνος, cujus appellationis locus alius in Thesprotia Epiri regione, id est, *sine avibus*; quòd propter gravem odorem quem exhalat, supervolantes volucres exanimari dicantur: unde poëtis occasio nominis illius ad inferos transferendi. Juxta Lucrinum lacum fuit, sed Lucrinus lacus an. Christi 1538. terræ motu ferè omnis interiit. Avernus extat incredibili profunditate inter Bajas & Puteolos maritima Campaniæ Felicis oppida, & adhuc nomen servat.

3. *Maximus.*] Nempe Q. Fabius.

4. *Luceriam.*] Ita dixit *Luceriam succedere*, quemadmodum *Luceriam ire* alii dixissent: significat *ad*, vel *apud* Luceriam Graccho succedere.

1. *Tarenti potiundi.*] *Tarentum*, à quo sinus Tarentinus, Siculi, seu Jonii maris pars, in cujus intimo recessu condita fuit vel capta à Phalanto exulum Laconum Partheniatarum duce in Calabria: tum magnitudine & muris portuque nobilis, tum mirabilis situ (quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, ut ait Florus lib. 1. cap. 18.) hodie *Taranto* Archiepiscopatûs & Principatùs titulo nobilis urbs, in Hydruntina regni Neapolitani Provincia. Cæterùm *potiundi* verbum, quamvis plerunque cum auferendi casu jungatur, tamen aliquando accusativo gaudere hinc, & ex proximè sequentibus patet, ubi *libertatis potiunda*.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

ibi moratur, pervastato agro Cumano usque [2] ad Miseni promontorium; Puteolos repente agmen convertit, ad opprimendum præsidium Romanum. Sex millia hominum erant; & locus munimento quoque, non natura modo tutus. Triduum ibi moratus Pœnus, ab omni parte tentato præsidio, deinde ut nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum, magis ira quam potiundæ urbis spe processit. Adventu ejus in propinquum agrum Nolana mota est plebs jamdiu aversa ab Romanis, & infesta senatui suo: itaque legati ad arcessendum Annibalem cum haud dubio promisso tradendæ urbis venerunt. Prævenit inceptum eorum Marcellus consul à primoribus accitus. Die uno Suessulam à Calibus, quum Vulturnus amnis trajicientem moratus esset, contenderat. inde proxima nocte sex millia peditum, equitesque trecentos, qui præsidio senatui essent, Nolam intromisit: & uti à consule omnia impigre facta sunt ad præoccupandam Nolam; ita Annibal tempus terebat: bis jam ante nequicquam tentata re, segnior ad credendum Nolanis factus.

XIV. Iisdem diebus & Q. Fabius consul ad Casilinum tentandum, quod præsidio Punico tenebatur, venit: Et ad Beneventum, velut ex composito, parte altera Hanno ex Brutiis cum magna peditum equitumque manu, altera Ti. Gracchus ab Luceria accessit. qui primo oppidum intravit. deinde, ut Hannonem tria millia ferme ab urbe [1] ad Calorem fluvium castra posuisse, & inde agrum populari audivit; & ipse egressus mœnibus, mille ferme passus ab hoste castra locat: ibique concionem militum habuit. Legiones magna ex parte [2] volonum habebat: qui jam alterum annum libertatem tacite mereri, quam postulare palam maluerant. Senserat tamen, hibernis egrediens, murmur in agmine esse quærentium, *numquamne liberi militaturi essent?* Scripseratque senatui, non tam quid desiderarent, quam quid meruissent; bona fortique opera eorum se ad eam diem usum: neque ad exemplum justi militis quicquam eis, præter libertatem, deesse. De eo permissum ipsi erat, faceret quod è republica duceret esse. Itaque priusquam cum hoste manum consereret, pronunciat; *tempus venisse ejus libertatis*,

NOTÆ.

2. *Ad Miseni promontorium.*] Nomen accepisse traditur à Miseno Æneæ tubicine ibi sepulto: quanquàm Strabo Bajarum & Miseni nomina ab sociis Vlyssis derivat, qui his nominibus dicti. Situm habet ultra Cumas, ex adverso *Ænaria*, seu *Prochyta insula*. Hodie quoque vocatur *Capo Miseno*. Vicinum habet portum eumque pulchrum & pro fundum: atque in eo Augustus classem collocavit ad tutelam Inferi maris: Incolæ *Porto Giulio* appellant, falsò, ut ait Cluver. cùm *Julius portus* fuerit ad Lucrinum Avernumque lacus. Circa hæc litora fuere Cimmerii Homerici.

1. *Ad Calorem fluvium.*] Aliàs *Calonem*. Amnis est ex Apennino per Hirpinorum regionem in Sabbatum defluens, non procul *Benevento*. Vetus nomen adhuc retinet.

2. *Volonum habebat.*] Servorum nempe, qui voluntate arma ceperant libertatis adipiscendæ causâ.

quam diu speraſſent, potiundæ. poſtero die ſignis collatis dimicaturum [3] *puro ac patenti campo; ubi ſine ullo inſidiarum metu vera virtute geri res poſſet. Qui caput hoſtis retuliſſet, eum ſe extemplo liberum juſſurum eſſe: qui loco ceſſiſſet, in eum* [4] *ſervili ſupplicio animadverſurum. Suam cuique fortunam in manu eſſe: libertatis auctorem eis non ſe fore ſolum, ſed conſulem M. Marcellum, ſed univerſos Patres, quos conſultos ab ſe* [5] *de libertate eorum, ſibi permiſiſſe*. Literas inde conſulis ac ſenatuſconſultum recitavit. Ad quæ clamor cum ingenti aſſenſu eſt ſublatus. pugnam poſcebant, ſignumque ut daret extemplo, ferociter inſtabant. Gracchus prælio in poſterum diem pronunciato concionem dimiſit. Milites læti, præcipue quibus merces navatæ in unum diem operæ libertas futura erat, armis expediendis diei reliquum conſumunt.

Urb. cond. an. 539. Coſſ. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcell. III.

XV. Poſtero die ubi ſigna cœperunt canere, [1] primi omnium parati inſtructique ad prætorium conveniunt. Sole orto, Gracchus in aciem copias educit. nec hoſtes moram dimicandi fecerunt. Decem & ſeptem millia peditum erant; maxima ex parte Brutii ac Lucani. equites mille ducenti: inter quos pauci admodum Italici, cæteri Numidæ ferè omnes Maurique. Pugnatum eſt & acriter, & diu. quatuor horis neutrò inclinata eſt pugna: nec alia magis Romanum impediebat res, quum capita hoſtium pretia libertati facta. Nam ut quiſque hoſtem impigre occiderat, primum capite ægre inter turbam tumultumque abſcindendo tempus terebat: deinde, occupata dextra tenendo caput, fortiſſimus quiſque pugnator eſſe deſierat: [a] ſegnibus ac timidis tradita pugna erat. Quod ubi tribuni militum Graccho nunciaverunt, [b] neminem ſtantem jam vulnerari hoſtem: carnificari jacentes, & in dextris militum pro gladiis humana capita eſſe: [2] ſignum dare propere juſſit: *projicerent capita, invaderentque hoſtem. Claram ſatis & inſignem virtutem eſſe: nec dubiam libertatem futuram ſtrenuis viris*. Tum redintegrata pugna eſt, & eques etiam in hoſtem emiſſus. [3] Quibus quum impigre Numidæ concurriſſent, nec ſegnior

INTERPRETATIO.

a *Sic devolutum erat pugnandi onus ad inertiores.*

b *Nulli ex hoſtibus qui recti ſtarent, vulnus inſligi; ſed ſæviri tantùm in eos qui jam proſtrati erant.*

NOTÆ.

3. *Puro ac patenti campo.*] *Purus Campus* hic appellatur, non, ut apud Juriſconſultos, profanus, qui nulla religione tenetur; ſed qui propriè campus, montibus collibuſve & convallibus caret. Gall. *en raſe campagne*.

4. *Servili ſupplicio*.] Id eſt, in crucem patibulumve ſublaturum, quod erat ſupplicium ſervorum.

5. *De libertate eorum ſibi permiſiſſe*.] Intellige liberum arbitrium decernendi, qui libertate digni eſſent.

1. *Primi omnium*.] Volones, nempe ante omnes alios.

2. *Signum dare*.] Imperavit tribunis militum, ut ſignificarent abjicienda eſſe hoſtium cæſorum capita.

3. *Quibus cùm impigrè, &c.*] Parùm uſitata loquendi forma & poëtico magis quàm ſoluto ſermone digna; dicimus

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcell. III.

equitum quam peditum pugna esset; iterum in dubium adducta res; quum utrinque duces Romanos Brutium Lucanumque, toties à majoribus suis victos subactosque; Pœnus mancipia Romana, & ex ergastulo militem, a verbis obtereret. Postremo pronuntiat Gracchus, *esse nihil quod de libertate sperarent, nisi eo die fusi fugatique hostes essent*.

XVI. Ea demum vox ita animos accendit, atque renovato clamore, velut alii repente facti, tanta vi se in hostem intulerunt, ut sustineri ultra non possent. Primo antesignani Pœnorum, deinde signa perturbata, postremo tota impulsa acies: inde haud dubiè terga data; ruuntque fugientes in castra, adeo pavidi trepidique, ut ne in portis quidem aut vallo quisquam restiterit; ac propè continenti agmine Romani insecuti, novum de integro prælium inclusi hostium vallo ediderint. Ibi sicut pugna impeditior in angustiis, ita cædes atrocior fuit: & adjuvere captivi, qui rapto inter tumultum ferro conglobati, & ab tergo ceciderunt Pœnos, & fugam impedierunt. Itaque minus duo millia hominum ex tanto exercitu, & ea major pars equitum, cum ipso duce effugerunt: alii omnes cæsi aut capti. capta & signa duodequadraginta. Ex victoribus duo millia ferme cecidere. præda omnis (præterquam hominum captorum) militi concessa est: 1 & pecus exceptum est, quod intra dies triginta domini cognovissent. Quum præda onusti in castra redissent, quatuor millia ferme volonum militum, qui pugnaverant segnius, nec in castra irruperant simul; metu pœnæ collem haud procul castris ceperunt. postero die per Tribunum militum inde deducti, concione militum advocata à Graccho, superveniunt. Ubi quum proconsul veteres milites primùm, prout cujusque virtus atque opera in ea pugna fuerat, militaribus donis donasset; tunc quod ad volones attineret, *omnes*, ait, *malle laudatos à se, dignos indignosque, quam quemquam eo die castigatum esse. Quod bonum, faustum, felixque reipublicæ ipsisque esset, omnes eos liberos esse jubere*. Ad quam vocem quum clamor ingenti alacritate sublatus esset; ac nunc complexi inter se gratulantesque, nunc manus ad cœlum tollentes, bona omnia populo Romano Gracchoque ipsi precarentur; tum Gracchus: *Prius quam omnes jure libertatis æquassem*, inquit, *neminem nota strenui aut ignavi militis notasse volui. Nunc exsoluta jam fide publica, ne discrimen omne virtutis ignaviæque pereat, nomina eorum, qui detrectatæ*

INTERPRETATIO.

a *Uterque imperator hostes verbis* apud suos *deprimeret*.

NOTÆ.

enim *cum aliquo concurrere*, non ita *alicui*. Virg. tamen 1. Æneid.

—— *audetque viris concurrere Virgo*.

1. *Et pecus exceptum est*.] Ex præda quæ in exercitu Pœnorum reperta militibus concedebatur; excipi placuit tum captivos; tum pecora, non quidem omnia, sed quæ cum rapta essent ex vicinis agris, cognoscerentur à dominis intra mensem.

pugnæ memores secessionem paulo ante fecerunt, referri ad me jubebo: citatosque singulos jurejurando adigam, nisi queis morbus caussa erit, non aliter, quam [2] *stantes cibum potionemque, quoad stipendia facient, capturos esse. Hanc mulctam ita æquo animo feretis, si reputabitis, nulla ignavia nota leviore vos designari potuisse.* Signum deinde colligendi vasa dedit: militesque prædam portantes agentesque, per lasciviam ac jocum ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie reverti viderentur. Beneventani omnes turba effusa quum obviam ad portas exissent, complecti milites, gratulari, vocare in hospitium. Apparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant: ad ea invitabant, Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permisit, [3] in publico epularentur omnes. Ante suas quibusque fores prolata omnia. [4] pileati, [5] aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt, [6] alii accubantes, alii stantes: qui simul ministrabant, vescebanturque. Digna res visa, ut simulacrum celebrati ejus diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingi juberet in æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex mulctaticia pecunia faciendam curavit dedicavitque.

Urb. cond. ann. 538. Coss. Q. Fab. Max. IV. M. Marc. III.

XVII. Dum hæc ad Beneventum geruntur, Annibal depopulatus agrum Neapolitanum, ad Nolam castra movet. quem ubi adventare consul sensit, [1] Pomponio proprætore cum eo exercitu, qui super Suessulam in castris erat, accito, ire obviam hosti parat, nec moram dimicandi facere. Claudium Neronem cum robore equitum, silentio noctis per aversam maximè ab hoste portam emittit, circumvectumque occultè subsequi sensim agmen hostium jubet; & quum coortum prælium videret, ab tergo se objicere. Id errore viarum, an exiguitate temporis, Nero exsequi non potuerit, incertum est. Absente eo quum prælium commissum esset, superior quidem haud dubie Romanus erat: sed quia equites non affuere in tempore, [a] ratio compositæ

INTERPRETATIO.

a *Perturbatus est modus rei peragendæ prout convenerat.*

NOTÆ.

2. *Stantes cibum potionemque.*] Pœna hæc seu ignominia militum minùs strenuorum inter levissimas: ne cum reliquis de more accumbentes cibum caperent.

3. *In publico epularentur.*] In publico, & in propatulo est palàm & loco aperto: sed aliud est in propatulo ædium, aliud in publico; illud significat in atrio, *dans la Cour*; hoc verò omnino extra ædes, *dans la ruë*.

4. *Pileati.*] Ut potè libertate publicè donati à Graccho: est enim *pileus* libertatis adeptæ nota, quòd capiti eorum, qui manumittebantur, imponi soleret, ut cuilibet notum.

5. *Aut lana alba velatis capitibus.*] Amiculo scilicet ex pãno laneo albi coloris.

6. *Alii accubantes.*] Qui strenuè se gesserant accũbebant mensæ: minùs fortes stabant, aliisq; ministrabant, eodemq; tempore cibum sumebant cum aliis: ut hodieque apud Polonos famuli ponè stantes, eodem tẽpore cum dominis sedentibus, epulantur.

1. *Pomponio proprætore.*] Is cap. 10. jussus fuerat initio hujus anni in agro Gallico manere: inde Romam accitum fuisse oportet, & cum Marcello Consule in Campaniam profectum.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

rei turbata est. non ausus insequi cedentes Marcellus, vincentibus suis signum receptui dedit. Plus tamen duo millia hostium eo die cæsa traduntur: Romani minus quadringentis. Solis ferè occasu Nero diem noctemque nequicquam fatigatis equis hominibusque, ne viso quidem hoste rediens, adeo graviter est ab consule increpitus, ut *per eum stetisse* diceret, *quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades*. Postero die Romanus in aciem descendit: Pœnus tacita etiam confessione victus, castris se tenuit. Tertio die silentio noctis; omissa spe Nolæ potiundæ, rei nunquam prosperè tentatæ, Tarentum ad certiorem spem proditionis proficiscitur.

XVIII. Nec minore animo res Romana domi quam militiæ gerebatur. Censores vacui ab operum locandorum cura, propter inopiam ærarii; ad mores hominum regendos animum adverterunt, castigandaque vitia; quæ velut diutinis morbis ægra corpora ex se gignunt, nata bello erant. Primum eos citaverunt, qui post Cannensem pugnam rempublicam deseruisse Italiaque excessisse velle dicebantur. princeps eorum L. Cæcilius Metellus, qui quæstor tum forte erat. Jusso deinde eo, cæterisque ejusdem noxæ reis caussam dicere, quum purgari nequissent, pronuntiarunt, verba orationemque eos adversus rempublicam habuisse, quo conjuratio deserendæ Italiæ caussâ fieret. Secundum eos citati nimis callidi exsolvendi jurisjurandi interpretes: qui captivorum; ex itinere regressi clam in castra Annibalis, solutum quod juraverant redituros, rebantur. His superioribusque illis equi adempti, qui [1] publicum equum habebant: [2] tribuque moti, ærarii omnes facti. [a] Neque senatu modo, aut equestri ordine regendo cura se censorum tenuit: nomina omnium ex juniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent; [3] quibus neque vacatio justa militiæ, neque morbus caussa fuisset. Et ea supra duo millia nominum in ærarios relata, tribuque omnes moti. [4] Additumque inerti censoriæ notæ triste senatusconsultum: ut ii om-

INTERPRETATIO.

a *Nec contenti fuere Censores Senatum tantùm aut equites ordinare, sed descripserunt ex censualibus tabulis eorum nomina, qui cùm juniores essent, militia nomen proximo quadriennio non dederant.*

NOTÆ.

1. *Publicum equum.*] De equo publico anteà.

2. *Tribuque moti, ærarii omnes facti.*] *Tribu movebant* Censores cum ex honestiore tribu, rusticâ putâ, in minùs honestam, veluti urbanam, transferebant ignominiæ causâ: neque enim omnibus tribubus eliminare poterant; alioqui è numero civium Romanorum omnino sustulissent.

3. *Quibus neque vacatio justa militiæ, neque morbus causa fuisset.*] Immunes à militia erant Sacerdotes, Magistratus, & ni fallor qui Magistratibus urbanis apparebant; item septemdecim annis minores.

4. *Additumque inerti censoriæ notæ.*] Nihil opus esse puto correctione, licèt Gronov. suspicetur legendum *tam amara* vel *acerba censoria nota*. Etenim *inertem* dicit per hypallagen, quæ non ipsa quidem *iners*, sed aliorum inertiam notanes,

nes, quos censores notassent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non prius quam pulsus Italia hostis esset [b] finitum stipendiorum tempus erat. Quum censores, ob inopiam ærarii se jam locationibus abstinerent [5] ædium sacrarum tuendarum, [6] curuliumque equorum præbendorum, ac similium his rerum: convenere ad eos frequentes, [7] qui hastæ hujus generis assueverant; hortatique censores, ut omnia perinde agerent locarent, ac si pecunia in ærario esset: neminem nisi bello confecto, pecuniam ab ærario petiturum esse. Convenere deinde domini eorum, quos Ti. Sempronius ad Beneventum manu emiserat: arcessitosque se ab triumviris mensariis esse dixerunt, ut pretia servorum acciperent: cæterum non ante quam bello confecto accepturos esse. Quum hæc inclinatio animorum plebis ad sustinendam inopiam ærarii fieret: pecuniæ quoque pupillares primo, deinde viduarum cœptæ conferri: nusquam eas tutius sanctiusque deponere credentibus qui deferebant, quam in publica fide. [c] inde si quid emptum paratumque pupillis ac viduis foret, à quæstore perscribebatur. Manavit ea privatorum benignitas ex urbe etiam in castra, ut non eques, non centurio stipendium acciperent, mercenariumque increpantes vocarent, qui accepisset.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. iv. & M. Marcell. iii.

XIX. Q. Fabius Consul ad Casilinum castra habebat, quod duûm millium Campanorum, & septingentorum militum Annibalis tenebatur præsidio. Præerat Statius Metius, missus ab Cn. Magio Atellano qui eo anno Medixtuticus erat, servitiaque & plebem promiscue armabat, ut castra Romana invaderet; intento consule ad Casilinum oppugnandum. Nihil eorum Fabium fefellit. Itaque Nolam ad collegam mittit, altero exercitu, dum Casilinum oppugnatur, opus esse, qui Campanis opponatur. Vel ipse relicto Nolæ præsidio modico veniret: vel si eum Nola teneret, & necdum securæ res ab Annibale essent, se Ti. Gracchum proconsulem à Benevento acciturum. Hoc nuncio Marcellus duobus militum mil-

INTERPRETATIO.

b *Militandi tempus præscriptum ac definitum erat.*

c *Si ex pecunia pupillorum & viduarum, quæ in publicum conferebatur, aliquid esset quod ipsis emi commodè posset, id scribebat quæstor, ut scilicet constaret ipsis emptio, pretio deinde post bellum numerando ex ærario.*

NOTÆ.

bat; ut Horatius *inertem glaciem*, Seneca *inertem dolorem* dixerunt, quòd inertes & inutiles redderent.

5. *Ædium sacrarum tuendarum.*] *Ædes sacræ* faciendæ Duumvirorum, aut Triumvirorum ad id delectorum curâ locabantur, ut & alia opera publica: at postquàm ædificatæ erant, sarta tecta tuebantur Censores.

6. *Curuliumque equorum præbendorum.*] Equos *Curules* Festus Pompejus interpretatur *quadrigales*: quales vehendis curulibus magistratibus publico sumptu præbitos hinc colligas.

7. *Qui hastæ hujus generis assueverant.*] Ad hastam fieri solitæ non tantùm auctiones, sed etiam locationes publicæ. Huic hastæ assueti mancipes.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

libus Nolæ in præsidio relictis, cum cætero exercitu Casilinum venit, adventuque ejus Campani, jam moventes sese, quieverunt. Ita à duobus consulibus Casilinum oppugnari cœptum. ubi quum multa, succedentes temere mœnibus Romani milites acciperent vulnera, neque satis [1] inceptis succederet, Fabius omittendam rem parvam ac juxta magnas difficilem, abscedendumque inde censebat, quum res majores instarent. Marcellus, multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse, dicendo, quia magna famæ momenta in utramque partem fierent, tenuit, ne irrito incœpto abiretur. Vineæ inde omniaque alia operum machinationumque genera quum admoverentur, Campanique Fabium orarent, ut abire Capuam tuto liceret; paucis egressis, Marcellus portam, qua egrediebantur, occupavit, cædesque promiscue omnium circa portam primò, deinde, irruptione facta, etiam in urbe fieri cœpta est. Quinquaginta ferè primo egressi Campanorum, quum ad Fabium confugissent, præsidio ejus Capuam pervenerunt. Casilinum, inter colloquia cunctationemque petentium fidem, per occasionem captum est. captivi, quique Campanorum, quique Annibalis militum erant, Romam missi, atque ibi in carcere inclusi sunt: oppidanorum turba per finitimos populos in custodiam divisa.

XX. Quibus diebus à Casilino re bene gesta recessum est, eis Gracchus in Lucanis aliquot cohortes in ea regione conscriptas cum præfecto sociorum in agros hostium prædatum misit. eos effuse palatos Hanno adortus, haud multo minorem quam ad Beneventum acceperat, reddidit hosti cladem; atque in Brutios raptim, ne Gracchus assequeretur, concessit. Consules, Marcellus retro, unde venerat, Nolam redit; Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendasque armis, quæ defecerant, urbes, processit. Caudinus Samnis gravius devastatus; perusti latè agri, prædæ pecudum hominumque actæ. oppida vi capta, [1] Compulteria, Telesia, Compsa, [2] Melæ, [3] Fulsulæ & [4] Orbitanium. Ex Lucanis [5] Blandæ.

N O T Æ.

1. *Inceptis succederet.*]Pro *incepta succederent*: rara alibi loquendi forma. Dicitur enim *res alicui succedere*, sed novum eò sensu *rei succedere*.

1. *Compulteria.*] Fatetur Cluver. ubi Compulteria fuerit non constare: Holstenius docet oppidi nominisque vestigia extare in loco *S. Maria di Covultere*, non procul ab urbe Calatia, in Campania Felici, nunc *Terra di Lavoro*.

2. *Melæ.*] Holst. nunc *Molito* in Principatu ulter. vel *Molise* Comitatûs sui caput, in regno Neapolitano.

3. *Fulsula.*] Alià *Fulsula* monte *Fusculo* in Princip. ulter. est Holstenio.

4. *Orbitanium.*] Vbi fuerit nemo docet. Fortè in scriptura ejus nominis error intervenit; fuitque Obbitatium, aut quid simile: unde fieri potuit *Bisaccium*, quod nomen est oppidi in ulteriori Principatu ad Apenninum inter Trevicum ad Caurum, & Monteverde ad Vulturnum.

5. *Blanda.*] Aliis *Blanda*, quam Brutiis Plinius perperam adscribit, cùm sit Lucanorum, ut ex Livio hic, & ex itineraria Tab. patet, quæ cis Laum amnem locat. Barrio *Belvedere*. Cluverio *Maratea*, sed dubitanter: Holst. probare videtur Phil. Caraffæ Canonici Buxentini

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

Apulorum [6] Æcæ oppugnatæ. Millia hostium in his urbibus viginti quinque capta aut occisa: & recepti perfugæ trecenti septuaginta; quos quum Romam misisset consul, virgis in comitio cæsi omnes, ac de saxo dejecti. Hæc à Q. Fabio intra paucos dies gesta. Marcellum ab gerundis rebus valetudo adversa Nolæ tenuit. Et à prætore Q. Fabio, cui circa Luceriam provincia erat, [7] Accua oppidum per eos dies vi captum: stativaque ad [8] Ardoneas communita. Dum hæc aliis locis ab Romanis geruntur, jam Tarentum pervenerat Annibal, cum maxima omnium, quacunque ierat, clade. In Tarentino demum agro pacatum incedere agmen cœpit. nihil ibi violatum, neque usquam viâ excessum est: apparebatque non id modestiâ militum aut ducis, nisi ad conciliandos Tarentinorum animos, fieri. Cæterum quum propemodo muris accessisset, nullo ad conspectum primi agminis, ut rebatur, motu facto, castra ab urbe ferme passus mille locat. Tarenti triduo antequam Annibal ad mœnia accederet, à M. Valerio proprætore, qui classi ad Brundusium præerat, missus M. Livius. [a] is primore juventute conscripta, dispositisque ad omnes portas, circaque muros, qua res postulabat, stationibus, die ac nocte plurimum intentus, neque hostibus, [9] neque dubiis sociis loci quicquam præbuit ad tentandum. Quare diebus aliquot frustra ibi absumptis, Annibal, quum eorum nemo qui ad lacum Averni adissent, aut ipsi venirent, aut nuncium literasve mitterent, vana promissa se temere secutum cernens, castra inde movit. Tum quoque, intacto agro Tarentino (quanquam simulata lenitas nihildum profuerat, tamen [b] spe labefactandæ fidei

INTERPRETATIO.

a *Delectu ex primariis juvenibus* Tarentinis *habito*.

b *Nondum renuncians spei* quam conceperat *avertendi* Tarentinos *à fide* Romanis data.

NOTÆ.

sententiam; qui ait vestigia Blandæ apparere ad portum *Sapri*, cui imminet *turris Buondormire*.

6. *Æca*.] Anteà legebatur *Anca*, malè. Correxit ex Petav: Codice Gronov. *Æcarum* meminit tabula Peutingeri, ut Plinius lib. 30. cap. 11. *Æcanorum* in Apulia: Polybio corruptè Ægæ. Id oppidum ceperat Annibal post Cannensem cladem. Ad Apuliæ Samniiq; & Hirpinorum confinia sub ipso Apennino fuit, Ibi postea *Troja* exstructa est à Græcis, quod adhuc nomen servat in *Capitanata*, paulò infrà fontes Cădelari, Episcopatus titulo donata.

7. *Accua*.] Non Campaniæ, ut voluit Ortel. sed Apuliæ oppidum fuit, ut colligere est ex hoc loco. Haud procul fuisse hinc à Luceria, hinc ab Herdonia, circa fines Hirpinorum suadet Livii narratio. Ejus oppidi nulla, quod sciam, occurrit alibi mentio. Si nominis vestigia sequamur, potest *Accua* fuisse locus qui nunc *Accadia*, vel *Acchidia* juxta Sanctam Agatham, in confinio principatus ulterioris atque Apuliæ.

8. *Ad Ardoneas*.] Alibi *Ardonea*, sive *Herdonia*, semper in numero singulari. Vrbs est Apuliæ Dauniæ, quam Capitanatam vocant, in regno Neapolitano: vocaturque adhuc *Ardona*, inter Cervarium & Carapellem amnes.

9. *Neque dubiis sociis*.] Tarentinorum enim, alii ac maximè plebeji propensi ad Pœnos erant.

Urb. Cond. ann. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

haud absistens) 10 Salapiam ut venit, frumentum ex agris Metapontino atque Heracliensi (jam media æstas exacta erat, & hibernis placebat locus) comportat. Prædatum inde Numidæ Maurique per Salentinum agrum, proximosque Apuliæ saltus dimissi. unde cæteræ prædæ haud multum, equorum greges maxime abacti: è quibus ad quatuor millia domanda equitibus divisa.

XXI. Romani, quum bellum nequaquam contemnendum in Sicilia oriretur, morsque tyranni duces magis impigros dedisset Syracusanis, quam caussam aut animos mutasset, M. Marcello alteri consulum eam provinciam decernunt. Secundum Hieronymi cædem primo tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat, vociferatumque ferociter, *parentandum regi sanguine conjuratorum esse*. Deinde libertatis restitutæ dulce auditu nomen crebro usurpatum, spes facta ex pecunia regia largitionis 1 militi, atque fungendi potioribus ducibus, & relata tyranni fœda scelera, fœdioresque libidines adeò mutavere animos, ut insepultum jacere corpus paulò ante desiderati regis paterentur. Quum cæteri ex conjuratis ad exercitum obtinendum remansissent, Theodotus & Sosis regiis equis quanto maximo cursu poterant, ut ignaros omnium regios opprimerent, 2 Syracusas contendunt. cæterum prævenerat, non fama solum, (qua nihil in talibus rebus est celerius) sed nuntius etiam ex regiis servis. Itaque Andranodorus, & Insulam & arcem, & alia quæ poterat, quæque opportuna erant, præsidiis firmarat. 3 Hexapylo Theodotus ac Sosis post solis occasum jam obscura luce invecti, quum cruentam regiam vestem atque insigne capitis ostentarent, travecti per Tycham simul ad libertatem, simul ad arma vocantes, in Achradinam convenire jubent. Multitudo pars procurrit in vias, pars in ædium vestibulis stat: pars ex tectis fenestrisque prospectant, & quid rei sit, rogitant. Om-

NOTÆ.

10. *Salapiam*.] Ad Apuliæ utriusque confinia, tribus fere milliaribus à ripa Aufidi sinistrâ est *Salapia* Capitanatæ provinciæ contributa, servansque vestigia pristini nominis: vocatur enim *Salpe*, nunc in vicum redacta.

1. *Militi, atque fungendi potioribus ducibus*.] Vulgaris hæc lectio est: mutavit Gronov. in, *militiaque fungendæ potioris ducibus*: ut velle videatur spem ducibus factam potioris militiæ. Quod ferri potest. Aliunde, *Spes facta largitionis militi*, rectè habet: & *fungendi potioribus ducibus* dici potuit pro eo quod est *fungendi munere ac militia sub melioribus ducibus*, quàm tyrannus fuisset. Sic certè Jurisconsulti *dotem fungi*, & *functam* esse dicunt absolutè, de ea quæ in matrimonium data est.

2. *Syracusas contendunt*.] Jam diximus paulò antè Syracusas nobilissimam fuisse totius Siciliæ urbem maritimam in ejus parte Orientali; eam condiderat Archias Heraclides Bacchiadarum Corinthiorum stirpe ortus, ex quatuor castellis pagisve formatâ civitate, impositoque unius ex filiabus nomine. Hodie Siculis *Siracosa* dicitur, Hispanis dominantibus *Saragossa*. Ex quatuor urbibus constabat, ea nempe quæ *Insula* dicebatur, *Acradina*, (in qua templum Jovis Olympii) *Tycha*, & *Neapolis*. Porrò Insula Syracusarum propriè nomen tulit, junctaque erat ponte cum Acradina. His quatuor partibus adjiciuntur Epipolæ, quæ pars instar suburbii.

3. *Hexapylo*.] Porta fuit in ea parte, quæ *Tyche* dicebatur.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

nia luminibus collucent, strepituque vario complentur. armati locis patentibus congregantur. inermes ex Olympii Jovis templo spolia Gallorum Illyriorumque, dono data Hieroni à populo Romano fixaque ab eo detrahunt; precantes Jovem, ut volens propitius præbeat sacra arma, pro patria, pro Deûm delubris, pro libertate sese armantibus. Hæc quoque multitudo stationibus per principes regionum urbis dispositis adjungitur. In Insula inter cætera Andranodorus præsidiis firmat horrea publica. Locus saxo quadrato septus, atque arcis in modum emunitus, capitur ab juventute quæ præsidio ejus loci attributa erat: mittuntque nuncios in Acradinam; horrea frumentumque in senatus potestate esse.

XXII. Luce prima populus omnis armatus inermisque in Acradinam ad Curiam convenit. ibi pro Concordiæ ara, quæ in eo sita loco erat, ex principibus unus nomine Polyænus concionem & liberam & moderatam habuit: [1] *Servitudinis indignitatisque homines expertos, adversus notum malum irritatos esse. Discordia civilis quas importet clades, audisse magis à patribus Syracusanos, quam ipsos vidisse. Arma quod impigre cœperint, laudare: magis laudaturum, si non utantur, nisi ultima necessitate coacti. In præsentia legatos ad Andranodorum mitti placere, qui denuncient, ut in potestate senatus, ac populi sit; portæ Insulæ pateant,* [2] *recedat præsidium. Si tutelam alieni regni suum regnum velit facere, eundem se censere multò acriùs ab Andranodoro, quam ab Hieronymo repeti libertatem.* Ab hac concione legati missi sunt. Senatus inde haberi cœptus est. [a] quod sicut regnante Hierone manserat publicum consilium, ita post mortem ejus ante eam diem ulla de re neque convocati neque consulti fuerant. Ut ventum ad Andranodorum est, ipsum quidem movebat & civium consensus & quum aliæ occupatæ urbis partes, tum [3] pars Insulæ, velut munitissima prodita atque alienata: sed evocatum eum ab legatis Demarata uxor, filia Hieronis, inflata adhuc regiis animis ac muliebri spiritu, admonet

INTERPRETATIO.

a *Quod publicum consilium* (Senatorum) *manserat quidem Hierone regnante; sed ii post ejus mortem convocati non fuerant.*

NOTÆ.

1. *Servitudinis indignitatisque homines expertos.*] Duo hic nova: vocabulum *servitudinis* & *expertos* cum gignendi casu junctum; sed nomen *servitudinis* extat apud Festum: & noster minùs receptis loquendi formis, & nominum verborumque constructionibus non parcit: Lipsius tamen conjicit *Servitii tædium.* Gronov. autem *servitii pœnas indignitatesque.*

2. *Recedat præsidium.*] Ex Gronovii conjectura est: legitur vulgò *reddat præsidium*, nempe Andranodorus.

3. *Pars Insulæ, velut munitissima.*] Partem urbis intellige, quæ propriè Syracusæ, in Insula sitæ. Libens amplector emendationem Gronovii, qui legit *pars vel munitissima*: sumitur enim eleganter particula *vel*, pro *in primis, præcipuè*: hic autem intelliguntur *horrea publica* arcis in modum munita.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

sæpe usurpatæ Dionysii tyranni vocis: *qua*, [4] *pedibus tractum, non insidentem equo relinquere tyrannidem dixerit debere*. FACILE ESSE MOMENTO *quo quis velit, cedere possessione magnæ fortunæ: facere & parare eam difficile atque arduum esse. Paululum sumeret spatii ad consultandum ab legatis. eo uteretur ad arcessendos ex Leontinis milites: quibus si pecuniam regiam pollicitus esset, omnia in potestate ejus futura*. Hæc muliebria consilia Andranodorus neque tota aspernatus est, neque extemplo accepit: tutiorem ad opes affectandas ratus esse viam, si in præsentia tempori cessisset. Itaque legatos renunciare jussit, futurum se in senatus ac populi potestate. Postero die luce prima patefactis Insulæ portis in forum Acradinę venit. ibi in aram Concordiæ, ex qua pridie Polyænus concionatus erat, ascendit: orationemque eam orsus est, qua primum cunctationis suę veniam petivit. *Se enim clausas habuisse portas; non separantem suas res à publicis, sed* [b] *strictis semel gladiis timentem, qui finis cædibus esset futurus: utrum, quod satis libertati foret, contenti nece tyranni essent; an quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent, aliena culpæ rei trucidarentur. Postquam animadvertit, eos qui liberassent patriam, servare etiam liberatam velle, atque* [c] *undique consuli in medium; non dubitasse, quin & corpus suum, & cætera omnia, quæ suæ fidei tutelæque essent, quoniam eum qui mandasset, suus furor absumpsisset, patriæ restitueret*. Conversus deinde ad interfectores tyranni, ac nomine appellans Theodotum ac Sosim: *Facinus, inquit, memorabile fecistis. Sed mihi credite, inchoata vestra gloria, nondum perfecta est: periculumque ingens manet,* [5] *nisi paci & concordiæ consulitis,* [d] [6] *ne libera efferatur respublica*.

INTERPRETATIO.

b *Sed quòd metueret ac dubitaret quem finem habitura essent homicidia, si semel gladii stringerentur: an cives contenti futuri essent morte tyranni, quod quidem ad libertatem sufficeret: an vero &c.*

c *Ut ab omnibus in commune consuleretur.*

d *Ne* ubi *libera* fuerit resp. Cives nimium *se extollant*, atque ad lasciviam luxurient.

NOTÆ.

4. *Pedibus tractum non insidentem equo.*] Tyranni quasi proverbialis sententia, quâ significatur summæ potentiæ nonnisi ultimâ vi renunciandum.

5. *Nisi paci & concordiæ consulitis.*] Hæc optima Vallæ correctio, ex Codicibus illis in quibus *nisi faciet concordiæ consulitis*.

6. *Ne libera efferatur respublica.*] Non eo sensu hic accipiendum *efferatur*, quo dicuntur cadavera efferri, ut existimabat Sigon. adducto loco ex lib. 28. *meo unius funere elata populi Romani esset respublica:* sed ut *efferri* dicatur pro eo quod est *supra modum extolli*, ut apud Cic. 2. contra Rullum; *sed certò non continebuntur, progredientur longius, efferentur*. Et 3. de Orat. *dolore efferri & iracundiâ longius digredi quàm deceat*. Metaphorâ itaque ab equis ductâ intelligitur periculum esse ne libertate abutantur Syracusani. Antea legebatur *res*, addidit literam P. Sigonius quasi litera prima sequentis vocis causa fuisset, ut hic à librario per incuriam omitteretur; sed res eòdem redit: *Rem* enim pro republ. sumi non est incognitum. Quod tamen Gronov. vult, *ne luxuriet effera res*, longiùs à textu abit.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. iv. & M. Marcel. iii.

XXIII. Post hanc orationem claves portarum pecuniæque regiæ ante pedes eorum posuit. atque illo quidem die dimissi ex concione læti, circa omnia fana Deûm supplicaverunt cum conjugibus ac liberis: postero die comitia Prætoribus creandis habita. Creatus in primis Andranodorus, cæteri magna ex parte interfectores tyranni. duos etiam absentes, Sopatrum ac Dinomenem fecerunt. Qui auditis quæ Syracusis acta erant, pecuniam regiam, quæ in Leontinis erat, Syracusas devectam, quæstoribus ad idipsum creatis tradiderunt: & ea quæ in Insula erat & Acradina, tradita est, murique ea pars, quæ ab cætera urbe nimis firmo munimento interscpiebat Insulam, consensu omnium dejecta est. secutæ & cæteræ res hanc inclinationem animorum ad libertatem. Hippocrates atque Epicydes audita morte tyranni, quam Hippocrates etiam nuncio interfecto celare voluerat; deserti à militibus, quia id tutissimum ex præsentibus videbatur, Syracusas rediere. 1 ubi ne suspecti observarentur, tanquam novandi res aliquam occasionem quærentes, prætores primum, deinde per eos senatum adeunt: *Ab Annibale se missos* prædicant *ad Hieronymum; tanquam amicum ac socium. 2 paruisse imperio ejus, cujus imperator suus voluerit. velle ad Annibalem redire. cæterum quum iter tutum non sit, vagantibus passim per totam Siciliam Romanis armis, petere ut præsidii dent aliquid, quo Locros in Italiam perducantur. gratiam magnam eos parvâ operâ apud Annibalem inituros.* Facile res impetrata: abire enim duces regios, quum peritos militiæ, tum egentes eosdem atque audaces cupiebant: sed a quod volebant, non quam maturato opus erat, naviter expediebant. Interim juvenes militares, & assueti militibus, nunc apud eos ipsos, nunc apud transfugas, quorum maxima pars ex navalibus sociis Romanorum erat, nunc etiam apud infimæ plebis homines crimina serebant in senatum optimatesque: id moliri clam eos atque struere, ut Syracusæ, per speciem reconciliandę societatis, in ditione Romanorum sint; dein factio, & pauci auctores fœderis renovati dominentur.

XXIV. His audiendis credendisque opportuna multitudo major in dies Syracusas confluebat: nec Hippocrati & Epicydi solum spem novandarum rerum, sed Andranodoro etiam præbebat. Qui fessus tandem uxoris

INTERPRETATIO.

a *Verùm Syracusani, id quod cupiebant, non tantâ celeritate, quantâ opus erat, exequebantur,*

NOTÆ.

1. *Ubi ne suspecti observarentur.*] Mavult Gronov. *obversarentur*, id est, ne obversando & obambulando suspecti fierent. Sed nihil tanti est: habet enim non incommodum sensum τὸ *observarentur*, id est, notarentur tanquàm suspecti.

2. *Paruisse imperio ejus cujus Imperator suus voluerit.*] Hoc melius, quàm quod Gronov. vult, aut τὸ *ejus* deleri, aut scribi, *cui*: est enim *paruisse imperio ejus, cujus imperio pareri imperator suus voluerit*, nempe Annibal.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

vocibus monentis, Nunc illud esse tempus occupandi res, dum turbatâ omnia [a] novâ atque inconditâ libertate essent, dum regiis stipendiis pastus obversaretur miles: dum ab Annibale missi duces assueti militibus, juvare possent incœpta. cum Themisto, cui Gelonis filia nupta erat, [b] rem consociatam paucos post dies Aristoni cuidam tragico actori, cui & alia arcana committere assuerat, incaute aperit. Huic & genus & fortuna honesta erant, [1] nec ars, quia nihil tale apud Græcos pudori est, ea deformabat. itaque fidem potiorem ratus quam patriæ debebat, indicium ad Prætores defert. Qui ubi rem haud vanam esse certis indiciis compererunt, consultis senioribus, & auctoritate eorum præsidio ad fores posito, ingressos curiam Themistum atque Andranodorum interfecerunt: & quum tumultus ab re in speciem atrociore, caussam aliis ignorantibus, ortus esset; silentio tandem facto, indicem in curiam introduxerunt. Qui quum ordine omnia edocuisset, & principium conjurationis factum ab Harmoniæ Gelonis filiæ nuptiis, quibus Themisto juncta esset; Afrorum Hispanorumque auxiliares instructos ad cædem Prætorum principumque aliorum; bonaque eorum prædæ futura interfectoribus pronunciatum; jam mercenariorum manum assuetam imperiis Andranodori paratam fuisse ad Insulam rursus occupandam; singula deinde, quæ per quosque agerentur, totamque viris armisque instructam conjurationem ante oculos posuisset: senatui quidem tam jure cæsi, quam Hieronymus, videbantur. [c] Ante curiam variæ atque incertæ rerum multitudinis clamor erat. quam ferociter minitantem in vestibulo curiæ, corpora conjuratorum eo metu compresserunt, ut silentes integram plebem in concionem sequerentur. Sopatro mandatum ab senatu & ab collegis, ut verba faceret.

XXV. Is tanquam reos agebat. ab anteacta vita orsus, quæcumque post Hieronis mortem scelestè atque impie facta essent, Andranodorum ac Themistum arguit fecisse. [1] *Quid enim sua sponte fe-*

INTERPRETATIO.

a *Dum libertas* adhuc *incomposita esset, nec certis legibus firmata.*

b *Andranodorus Aristoni Tragœdo revelat per imprudentiam se cum Themisto societatem* occupandi principatum *iniisse.*

c *Fiebat ante Curiam vociferatio vulgi, quod mutabile, ac dubium erat quid ageretur, quidve agendum esset: verùm hanc multitudinem minas cum ferocia intentantem tanto cum timore repressêrunt cadavera* Andranodori *&* Themisti *pro foribus curiæ exposita, ut conjurati plebem benè animatam sequuti sint ad concionem.*

NOTÆ.

1. *Nec ars.... apud Græcos pudori est.*] Ita quidem apud Græcos, quia *natio comœda est*; aliter apud Romanos; nam edicto Prætoris *notantur infamiâ qui artis ludicræ pronunciandive causâ in scenam prodierint.*

1. *Quid enim suâ sponte fecisse Hieronymum.*] Non video cur Gronov. pro insititio respuat *τὸ fecisse*, quasi non eleganter dicatur Hieronymum nec fecisse sponte, nec verò quâ ætate erat, facere quidquam potuisse, &c.

cisse

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

cisse Hieronymum puerum, ac vix dum pubescentem facere potuisse? [2] *Tutores ac magistratus ejus sub aliena invidia regnasse: itaque aut Hieronymum, aut certe cum Hieronymo perire eos debuisse. At illos debitos jam morti destinatosque, alia nova scelera post mortem tyranni molitos: palàm primo, cum clausis Andranodorus Insulæ portis* [3] *hæreditatem regni creverit,* [a] *quæque procurator tenuerat, pro domino possederit, proditus deinde ab eis, qui in Insula erant, circumsessus ab universa civitate, quæ Achradinam tenuerit, nequicquam palam atque aperte petitum regnum, clam & dolo affectare conatus sit, & ne beneficio quidem atque honore potuerit vinci, quum inter liberatores patriæ insidiator ipse libertatis, creatus esset Prætor. Sed animos eis regios regias conjuges fecisse: alteri Hieronis, alteri Gelonis, filias nuptas.* [b] Sub hanc vocem ex omnibus partibus concionis clamor oritur, nullam earum vivere debere, nec quemquam superesse tyrannorum stirpis. Hæc NATURA multitudinis est, [4] aut servit humiliter, aut superbe dominatur: [5] libertatem, quæ media est, [c] nec spernere modice, nec habere sciunt: & non ferme desunt [6] irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes plebejorum animos, ad sanguinem & cædes irritent. Sicut tum extemplo Prætores rogationem promulgarunt: acceptaque penè prius quam promulgata est, ut omnes regiæ stirpis interficerentur. missique a Prætoribus Demaratam Hieronis, & Harmoniam Gelonis filias, conjuges Andranodori & Themisti, interfecerunt.

XXVI. Heraclea erat filia Hieronis, [1] uxor Zoippi, qui legatus ab

INTERPRETATIO.

a *Et regiam potentiam, quam priùs tanquàm tutor & procurator exercuerat, postea possederit tanquàm dominus.*

b *Post hæc dicta.*

c *Nec potest* vulgus *libertatem* aut *moderate contemnere*, cum ea caret; *aut moderate exercere*, cum eà potitur.

NOTÆ.

2. *Tutores ac magistratus ejus.*] Gron. *magistratus* mutat in *magistros*: fateor quidem reprehensurum neminem, si *magistros* dixisset Livius; imò rectiùs fortè id futurum: sed quando scripti libri repugnant, indagandus est verus sensus, salvâ communi lectione, possuntque intelligi tutores illi, & magistratus majores ab ipsis constituti, nomine & auctoritate Hieronymi, omnia reverà egisse regis nomine, in quem omnium rerum ab illis malè gestarum invidia recideret.

3. *Hæreditatem regni creverit.*] *Cernere hæreditatem* est decernere & matura deliberatione habitâ palàm testari se hæredem alicujus esse velle.

4. *Aut servit humiliter.*] Similis Taciti locus lib. I. Annal. *in vulgo nihil modicum: terrere ni paveant; ubi pertimuerint, impunè contemni.*

5. *Libertatem quæ media est.*] Vera libertas media est *inter deforme obsequium & præruptam audaciam*, ut rectè Tacitus.

6. *Irarum indulgentes ministri.*] Sic à Bruto & Senatoribus, Tarquinii bona diripienda plebi sunt data, ut contacta regia præda spem in perpetuum cum eo pacis amitteret, lib. 2. cap. 5.

1. *Uxor Zoippi.*] Variat hoc nomen pro variis exemplaribus: alii habent *Sosippum*; alii *Zoilum*: sed apud Polybium constanter *Zoippus* est.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

Hieronymo ad regem Ptolemæum missus voluntarium consciverat exilium. Ea quum [2] ad se quoque venire præscisset, [3] in sacrarium ad penates confugit cum duabus filiabus virginibus, resolutis crinibus, miserabilique alio habitu: & ad ea addidit preces, *nunc per memoriam Hieronis patris, Gelonisque fratris, ne se innoxiam invidia Hieronymi conflagrare sinerent. Nihil se ex regno illius præter exilium viri habere: neque fortunam suam eandem vivo Hieronymo fuisse, quam sororis, neque interfecto eo caussam eandem esse. Quid? quod si Andranodoro consilia processissent, illa cum viro fuerit regnatura: sibi cum cæteris serviendum. Si quis Zoippo nunciet, interfectum Hieronymum, ac liberatas Syracusas; cui dubium esse, quin extemplo conscensurus sit navim, atque in patriam rediturus?* [4] *Quantum spes hominum falli! In liberata patria conjugem ejus, ac liberos de vita dimicare; quid obstantes libertati, aut legibus? Quod ab se cuiquam periculum, à sola ac prope vidua, & puellis in orbitate degentibus, esse? At enim periculi quidem nihil ab se timeri.* [5] *invisam tamen regiam stirpem esse. Ablegarent ergo procul ab Syracusis Siciliaque, & asportari* [6] *Alexandriam juberent, ad virum uxorem, ad patrem filias.* [7] Aversis auribus animisque à se, ne tempus tereretur, (ferrum enim quosdam expedientes cernebat) tum omissis pro se precibus, *puellis ut saltem parcerent*, orare institit: *à qua ætate etiam hostes iratos* [8] *abstinere; ne tyrannos ulciscendo, quæ odissent scelera, ipsi imitarentur.* Inter hæc abstractam à penetralibus jugulant: in virgines deinde respersas matris cruore impetum faciunt. quæ alienata mente simul luctu metuque, velut captæ furore, eo cursu se ex sacrario proripuerunt; ut si effugium patuisset in publicum, impleturæ urbem tumultu fuerint. Tum quoque haud magno ædium spatio inter medios tot armatos aliquoties integro corpore evaserunt: tenentibusque quum tot ac tam validæ eluctandæ manus essent, sese eripuerunt: tandem vulneribus confectæ, quum omnia replessent sanguine, exanimes corruerunt. Cædemque per se miserabilem miserabi-

NOTÆ.

2. *Ad se quoque venire.*] Meliùs sanè *veniri*, quod vult Gronov. vel intelligas *missos à prætoribus, venire*.

3. *In sacrarium ad penates.*] *Sacrarium* locus erat in interiore ferme ædium parte; ubi *sacra* reposita. Hic lararium intelligit, in quo domestici Dii, qui promiscuè *Lares* & *Penates*. Eorum colendorum mos apud veteres ab Ægyptiis originem habuisse creditur, qui majorum suorum corpora domi asservabant, & velut familiaria numina venerabantur.

4. *Quantùm spes hominum falli!*] Vul. *fallit*. Sed Gronovio placet *falli*, placet & mihi; quòd oratio hæc tota òbliqua sit.

5. *Invisam tamen.*] Objectio est, quam sibi opponit Heraclea, & proposito exilio suo diluit.

6. *Alexandriam.*] Ad maritum nempe, qui jam apud Ptolemæum Ægypti regem sibi exilium indixerat, ut suprà.

7. *Aversis auribus animisque à se.*] Rectè, opinor, ita Ruben. legit, ubi vul. *cassè*: ut hæc sit sententia, *quoniam videbat Heraclea quosdam ferrum expedientes seu stringentes: aversis ab ipsa auribus atque animis omnium, destititit pro se deprecari.*

8. *Abstinere.*] Ita scripti. Nihil tamen huic lectioni cedit vulgaris, *à qua ætate etiam hostes irati abstinerent*.

fiorem casus fecit: quod paullo post nuncius venit, [a] [9] mutatis repente ad misericordiam animis, *ne interficerentur*. Ira deinde ex misericordia orta, quod adeo festinatum ad supplicium, neque locus pœnitendi, aut regressus ab ira relictus esset. itaque fremere multitudo, & in locum Andranodori ac Themisti (nam ambo prætores fuerant) comitia poscere: quæ nequaquam ex sententia prætorum futura essent.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

XXVII. Statutus est comitiis dies: quo [a] nec opinantibus omnibus unus ex ultima turba Epicydem nominavit, tum inde alius Hippocratem: crebriores deinde eæ voces, & [b] cum haud dubio assensu multitudinis esse. Et erat confusa concio: non populari modo, sed militari quoque turba, magna ex parte etiam perfugis, qui omnia novare cupiebant, permixtis. Prætores dissimulare primo, [c] & trahenda re esse, postremò victi consensu, & seditionem metuentes, pronunciant eos prætores. Nec illi primo statim creati nudare quid vellent: quanquam ægre ferebant, & de induciis dierum decem legatos isse ad Appium Claudium, & impetratis eis alios, qui de fœdere antiquo renovando agerent, missos. Ad [1] Murgantiam tum classem navium centum Romanus habebat, quo evaderent motus ex cædibus tyrannorum orti Syracusis, quove eos ageret nova atque insolita libertas, operiens. Per eosdem dies quum ad Marcellum venientem in Siciliam, legati Syracusani missi ab Appio essent; auditis conditionibus pacis, Marcellus posse rem convenire ratus, & ipse legatos Syracusas, qui coram cum prætoribus de renovando fœdere agerent, misit. Et jam ibi nequaquam eadem quies & tranquillitas erat. postquam Punicam classem accessisse [2] Pachynum allatum est, dempto timore Hippocrates & Epicydes, nunc apud mercenarios milites, nunc apud transfugas, *prodi Romanis Syracusas*, criminabantur. Ut vero Appius naves ad ostium portus, quo [3] aliæ partis hominibus animus accede-

INTERPRETATIO.

a *Cùm* Senatus populusque *subitò animum flexissent ad misericordiam, nuncius* ad eis *majus advenit* vetans *ne occiderentur* Heraclea & filiæ.

a *Nemine id opinante*, sive *inopinato*.

b *Hæ voces* nominantium Hippocratem & Epicydem, *excipiebantur indubitato & aperto consensu plebis*.

c *Et in eo erant*, sive *in id tendebant, ut rem differrent*.

NOTÆ.

9. *Mutatis repente animis*.] Senatûs nempe & populi Syracusani animis ad miserationem flexis.

1. *Murgantiam*.] Alii *Morgentium*. Oppidum Siciliæ fuit à Morgetibus antiquissimis Italiæ populis, inter Catanam & Hyblam (quæ & Megara) paulo supra Simæthi ostium, ad latus insulæ orientale: diversa ab ejus nominis urbe, quæ apud Samnites tempore Strabonis jam interierat. Locus nunc vulgo *Murgo* vocatur, teste Fazello, in confinio valliū Demonæ & Noti.

2. *Pachynum*.] Ex tribus Siciliæ promontoriis unum, quo maximè in meridiem latere Orientali procurrit insula; à Syracusis in Austrum ad 40. mill. hominum, hodiè vocatur *Capo Passaro*.

3. *Aliæ partis*.] Minùs usitatum *aliæ partis hominibus*, pro *alterius partis*, sive diversarum partium, nimirum illi ex Syracusanis, qui ad Romanos inclinabant, a Pœnis aversi.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

ret, in statione habere cœpit, ingens in speciem criminibus vanis accesserat fides: ac primo etiam tumultuose decurrerat multitudo ad prohibendos, si in terram egrederentur.

XXVIII. In hac turbatione rerum, 1 in concionem vocari placuit. ubi quum alii alio tenderent, nec procul seditione res esset, Apollonides principum unus orationem salutarem, ut in tali tempore, habuit: *nec spem salutis, nec perniciem propiorem unquam civitati ulli fuisse. Si enim uno animo omnes, vel ad Romanos vel ad Carthaginienses inclinent, nullius civitatis statum fortunatiorem beatioremve fore. si alii alio trahant res, non inter Pœnos Romanosque bellum atrocius fore, quam inter ipsos Syracusanos; quum intra eosdem muros pars utraque suos exercitus, sua arma, suos habitura sit duces. Itaque ut omnes idem sentiant, summa vi agendum esse: utra societas sit utilior, eam 2 longe minorem ac levioris momenti consultationem esse. sed tamen Hieronis potius quam Hieronymi auctoritatem sequendam in sociis legendis, vel quinquaginta annis feliciter expertam amicitiam, 3 nunc incognitæ, quondam infideli, præferendam. Esse etiam momenti aliquid ad consilium, quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, ut non utique in præsentia bellum cum eis geratur: 4 cum Romanis extemplo aut pacem, aut bellum habendum.* Quo minus cupiditatis ac studii visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. Adjectum est prætoribus ac delectis senatorum militare etiam consilium. jussi & duces ordinum præfectique auxiliorum simul consulere. Quum sæpe acta res esset 5 magnis certaminibus: postremo quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla apparebat, pacem fieri placuit, 6 mittique cum eis legatos ad rem confirmandam.

XXIX. Dies haud ita multi intercesserunt, quum ex Leon-

NOTÆ.

1. *In concionem vocari placuit.*] Populum nempe, sive eos, qui jus suffragii haberent. Ita noster sæpe in *Senatum vocari* dicit, ubi alii simplicius dicerent *Senatum vocari*.

2. *Longè minorem ac levioris momenti.*] Hæc correctio ex opt. Cod. Palat. hausta à Gronovio est.

3. *Nunc incognitæ, quondam infideli.*] Carthaginiensium fidem nondum satis exploratam hoc tempore habebant Syracusani, ardente hoc cum Romanis bello. At olim eis tempore Gelonis bellum intulerant, atque Himeram urbem destruxerant: tum etiam Selinuntem populati fuerant, Agrigentum ceperant; & quod caput est, Syracusas obsederant circa ann. u. c. 355. regnante Dionysio, ac deinde pulso Dionysio juniore, vincendi fuerant à Timoleonte iidem Carthaginienses: unde aliquantò post Hiero ad Romanos transierat, eorumque societatem per annos quinquaginta coluerat.

4. *Cum Romanis extemplò aut pacem, aut bellum habendum:*] Romana quippe classis jam in portu Syracusano, quo adducta ab Ap. Claudio; & in Sicilia cum terrestribus copiis Marcellus erat. Carthaginiensium verò classis adhuc procul inde ad Pachynum.

5. *Magnis certaminibus.*] Ita quasi ex Put. ubi *Manis certaminibus* Gronov. scripsit. Legitur vulgò, fortè non omnino malè, *mediis certaminibus.* Est enim *inter media certamina* deliberantium; quæ effecerunt, ut sæpius deliberandum fuerit.

6. *Mittique cum eis.*] Non malè Glar. intelligit, cum Romanis legatis, à Marcello missis, mittendos ad eum legatos à Syracusanis.

tinis legati præsidium finibus suis orantes venerunt. Quæ legatio perop- portuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam, ducesque ejus ablegandos. Hippocrates prætor ducere eo transfugas jussus: secuti multi ex auxiliis mercenariis, quatuor millia armatorum efecerunt. Et mittentibus & missis ea læta expeditio fuit. nam 1 & illis quod jam diu cupiebant, novandi res occasio data est; 2 & hi sentinam quamdam urbis rati exhaustam, lætabantur. cæterum levaverunt modo in præsentia velut corpus ægrum, quo mox in graviorem morbum recideret. Hippocrates enim 3 finitima provinciæ Romanæ primò furtivis excursionibus vastare cœpit: deinde, quum ad tuendos sociorum agros missum ab Appio præsidium esset, omnibus copiis impetum in oppositam stationem cum cæde multorum fecit. Quæ quum essent nunciata Marcello legatos extemplo Syracusas misit, qui *pacis fidem ruptam esse* dicerent: *nec belli defuturam unquam caussam, nisi Hippocrates atque Epicydes, non ab Syracusis modo, sed tota procul Sicilia ablegarentur*. Epicydes ne aut reus criminis absentis fratris præsens esset, aut deesset pro parte sua concitando bello; profectus & ipse in Leontinos, quia satis eos adversus populum Romanum concitatos cernebat, avertere etiam ab Syracusis cœpit. *Nam ita eos pacem pepigisse cum Romanis, ut quicumque populi sub regibus fuissent, a & suæ ditionis essent; nec jam libertate contentos esse, nisi etiam regant ac dominentur. Renunciandum igitur eis esse,* b *Leontinos quoque æquum censere liberos esse: vel quod in solo urbis suæ tyrannus ceciderit, vel quod ibi primum conclamatum ad libertatem, relictisque regiis ducibus Syracusas sit concursum. Itaque aut eximendum id de fœdere esse, aut legem eam fœderis non accipiendam*. Facile multitudini persuasum: legatisque Syracusanorum & de cæde stationis Romanæ querentibus, & Hippocratem atque Epicyden abire, seu Locros, seu quo alio mallent, dummodo Sicilia cederent, jubentibus; ferociter responsum est, *Neque mandasse sese Syracusanis, ut pacem pro se cum Romanis facerent: neque teneri alienis fœderibus*. Hæc ad Romanos Syracusani detulerunt: c *abnuentes Leontinos in sua potestate esse. itaque integro secum fœdere bellum Romanos cum iis gesturos. neque sese defuturos ei bello: ita, ut in*

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

INTERPRETATIO.

a *Essent etiam sub imperio Syracusanorum.*
b *Sibi æquum videri ut etiam Leontini ipsi liberi sint.*
c Syracusani *de Leontinis conquesti apud Romanos, negabant illos sibi obsequi velle.*

NOTÆ.

1. *Nam & illis.*] Missis, nempe Hippocrati, transfugis, & mercenariis, qui Pœnis studebant.

2. *Et hi.*] Mittentes, nimirùm principes Syracusanorum, qui ad Romanorum partes magis propensi.

3. *Finitima provinciæ Romanæ.*] Loca scilicet ditionis Romanæ vicina Leontinis: idque contra mentem Syracusanorum, qui legatos ad Marcellum miserant, de fœdere acturos.

Vrb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

potestatem redacti, suæ rursus ditionis essent, sicut pax convenisset.

XXX. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, Appio quoque accito, ut altera parte aggrederetur, tanto ardore militum est usus [1] ab ira, [2] inter conditiones pacis, interfectæ stationis, ut primo impetu urbem expugnarent. Hippocrates atque Epicydes, postquam capi muros refringique portas viderunt, in arcem sese cum paucis recepere. inde clam nocte [3] Herbesum perfugiunt. Syracusanis octo millium armatorum agmine profectis domo, [4] ad Mylam flumen nuncius occurrit, *captam urbem esse*; cætera falsa mixta veris ferens: *cædem promiscuam militum atque oppidanorum factam, nec quenquam puberem arbitrari superesse. direptam urbem: bona locupletum donata.* Ad nuncium tam atrocem constitit agmen: concitatisque omnibus, duces (erant autem Sosis ac Dinomenes) quid agerent consultabant. [a] [5] erroris speciem haud vanam mendacio præbuerant verberati ac securi percussi transfugæ ad duo millia hominum. cæterum Leontinorum militumque aliorum nemo post captam urbem violatus fuerat: suaque omnia eis, nisi quæ primus tumultus captæ urbis absumpserat, restituebantur. [6] Nec ut Leontinos irent, *proditos ad cædem commilitones* querentes, perpelli potuere, nec ut eodem loco certiorem nuncium expectarent. Quum ad defectionem inclinatos animos cernerent Prætores, sed eum motum haud diuturnum fore, si duces amentiæ sublati essent: [7] exercitum ducunt Mega-

INTERPRETATIO.

a *Transfugarum supplicium, qui securi fuerant percussi, ansam non omnino vanam præstiterant mentienti per errorem.*

NOTÆ.

1. *Ab ira.*] Vulgò *ob iram*, eodem sensu; sed illud à Lipsio auctoribus manuscriptis; propter iram scilicet conceptam ex eo quod hostes præsidium Romanum in statione positum interfecissent dum ageretur de conditionibus pacis.

2. *Inter conditiones pacis.*] Mavult Gronovius *inter conditionem.* id est, dum pax conditur, dum agitur de pace.

3. *Herbesum.*] Duæ fuere in Sicilia urbes *Herbesi*, sive *Erbessi* nomine: alia circa Agrigentum: altera vero in Syracusanorum finibus, de qua hic agitur: quæ Fazello est hodie *Pantalica*, Claverio & Brietio, probabiliùs *Palazzuolo* circa fontem Anapi Syracusarum fluvii, in provincia Siciliæ cui nomen *Valle di Noto*.

4. *Ad Mylam.*] Inter Megaram & Leontinos fluit *Myla*: Fazellus & Bonfilius putant esse illud flumen, quod *Marcellino* vocatur. Aretius & Leander esse *Fiume di S. Giuliano*, cujus ostium *Fiume Yaddeda*, quorum in opinionem Cluver. inclinat.

5. *Erroris speciem.*] Pet. habet, *terroris speciem* quod Gronov. probat. Schelius apud eum malebat *Rumoris speciem haud vani*: ad rem aptè, minùs ad verba auctoris.

6. *Nec ut Leontinos irent.*] Sigon. inseruit propositionem *in*, *nec ut in Leontinos irent*; quasi Leontini nomen tantùm populi esset; cùm sit & oppidi.

7. *Exercitum ducunt Megaram.*] A Megarensibus Græcis condita fuit *Megara*, ad flumen Alabum sive Alabonem, qui vulgò nunc accolis *Cantaro*: urbs antea à duce Hyblone *Hybla* dicebatur. Græci τὰ Μέγαρα dixerunt in plurali numero. Unde Sinus Megarensis, ad quem nunc *Augusta*: fuit in ora Siciliæ orientali non procul vico cui hodie nomen *Mirilli*. Ab hac Hybla parva mel Hyblæum. Fuere enim tres ejus nominis urbes in Sicilia ex Stephano, correcto à Cluve-

ram. ipsi cum paucis equitibus Herbesum proficiscuntur: spe, territis omnibus, per proditionem urbis potiundæ. quod ubi frustra eis fuit inceptum, vi agendum rati, postero die Megaris castra movent, ut Herbesum omnibus copiis oppugnarent. Hippocrates & Epicydes, non tam tutum prima specie, quam unum spe undique abscissa consilium esse rati, ut se militibus permitterent, & assuetis magna ex parte sibi, & tum fama cædis commilitonum accensis, obviam agmini procedunt. Prima forte signa sexcentorum Cretensium erant, [8] qui apud Hieronymum meruerant sub eis, & Annibalis beneficium habebant; capti ad Trasimenum inter Romanorum auxilia, dimissique. quos ubi ex signis armorumque habitu cognovere Hippocrates atque Epicydes, ramos oleæ ac velamenta alia supplicum porrigentes, orare, ut *reciperent sese; receptosque tutarentur, neu proderent Syracusanis: à quibus mox ipsi trucidandi populo Romano dederentur.*

Urb. Cond. ann. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

XXXI. Enimverò conclamant, *bonum ut animum haberent. omnem se cum illis fortunam subituros*. Inter hoc colloquium signa constiterant, tenebaturque agmen: necdum quæ morę caussa foret, pervenerat ad duces. postquam Hippocratem atque Epicyden adesse pervasit rumor, fremitusque toto agmine erat, haud dubie approbantium adventum eorum; extemplo Prętores citatis equis ad prima signa perrexerunt, *Qui mos ille, quæ licentia Cretensium esset*, rogitántes, *colloquia serendi cum hoste, injussuque prætorum miscendi eos agmini suo*. Comprehendi injicique catenas jusserunt Hippocrati. ad quam vocem tantus extemplo primum à Cretensibus clamor est ortus; deinde exceptus ab aliis; ut facile, [a] si ultra tenderent, appareret eis timendum esse. Soliciti, incertique rerum suarum, Megaram, unde profecti erant, referri signa jubent, nunciosque de statu pręsenti Syracusas mittunt. Fraudem quoque Hippocrates addit, inclinatis ad omnem suspicionem animis: & Cretensium quibusdam ad itinera insidenda missis, velut interceptas literas, quas ipse composuerat, recitat; *Prætores Syracusani Cos. Marcello*. secundum salutem, ut assolet, scriptum erat: *Recte eum atque ordine fecisse, quod in Leontinis nulli pepercisset. Sed omnium mercenariorum militum eandem esse caussam, nec unquam Syracusas quieturas, donec quicquam externorum auxiliorum,*

INTERPRETATIO.

a *Ut judicari posset, esse quod sibi Prætores ipsi timerent si ulterius perseverarent* in incœpto vinciendi Hippocratem.

NOTÆ.

rio. Parva hæc in orâ Orientali, cujus oppidani *Megarenses* & *Galeota* vel *Gereata*: duæ aliæ in Mediterraneis: minor, quæ alio nomine Heræa, meridiem versus ad Hirminium fl. vulgò *Ragusa*; & major in agro Catanensi, cujus incolæ Hyblæi simpliciter, ad Simæthum fl. sub Ætnæ montis radicibus, nunc *Paterno* aut circa.

8. *Qui apud Hieronymum meruerant*.] Hi Cretenses conducti priùs ab Hierone avo Hieronymi, atque ab eo inter auxilia missi ad Romanos, capti fuerant ad Trasimenum ab Annibale, ac dimissi.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. iv. & M. Marcell. iii.

aut in urbe aut in exercitu suo esset. itaque daret operam, ut eos qui cum suis prætoribus castra ad Megaram haberent, in suam potestatem redigeret, [b] *ac supplicio eorum liberaret tandem Syracusas.* Hęc quum recitata essent; cum tanto clamore ad arma discursum est, ut prætores inter tumultum pavidi [c] adequitaverint Syracusas: & ne fugâ quidem eorum, seditio compressa est, [1] impetusque in Syracusanos milites fiebant. nec ab ullo temperatum foret, ni Epicydes atque Hippocrates iræ multitudinis obviam issent: [d] non à misericordia aut humano consilio, sed ne spem reditus præciderent sibi, & quum ipsos simul milites fidos haberent, simul obsides; tum cognatos quoque eorum atque amicos tanto merito primum, dein pignore sibi conciliarent: expertique quam vana aut levi aurâ mobile vulgus esset, militem nacti ex eo numero, qui in Leontinis circumsessi erant, subornant, ut Syracusas perferret nuncium convenientem eis, quæ ad Mylam falso nunciata erant: auctoremque se exhibendo, ac velut visa quæ dubia erant, narrando, concitaret iras hominum.

XXXII. Huic non apud vulgum modo fides fuit, sed senatum quoque in curiam introductus movit. haud vani quidam homines palam ferre, *perbene detectam in Leontinis esse avaritiam & crudelitatem Romanorum. eadem si intrassent Syracusas, aut fœdiora etiam,* [2] *quo majus ibi avaritiæ præmium esset, facturos fuisse. Itaque claudendas cuncti portas, & custodiendam urbem censere.* sed non ab eisdem omnes timere, nec eosdem odisse. ad militare genus omne, partemque magnam plebis invisum esse nomen Romanum. Prætores optimatumque pauci [1] quanquam inflati vano nuncio erant, tamen [2] ad propius præsentiusque malum cautiores esse. Et jam [3] ad Hexapylum erant Hippocrates atque Epicydes: ferebanturque colloquia per propinquos popularium, qui in exercitu erant, *ut portas aperirent, sinerentque communem patriam defendi ab impetu Romanorum.* Jam, unis foribus Hexapyli apertis, cœpti erant recipi; quum Prætores intervenerunt. & primo imperio minisque, deinde auctoritate, deterrendo; postremo, ut omnia vana erant, obliti majestatis precibus agebant, ne proderent patriam, tyranni ante satellitibus, & tum cor-

INTERPRETATIO.

b *Et per ipsorum pœnas.*

c *Syracusas in equis profecti sunt.*

d *Non ex miseratione, aut consilio, & cogitatione humanitatis suggerente.*

2 *Quantò opimiora erant* in hac opulenta urbe *præmia avaritiæ.*

NOTÆ.

1. *Impetusque .... fiebant.*] Vulgò *fiebat*: sed hic pluribus simul locis impetum sparsim factum designare voluit.

1. *Quanquàm inflati.*] Gronovio libens alterum mutanti in *afflati*; neque enim insolentia, &, ut ita dicam, inflatio hic convenit. Quid si *impleti, vano nuncio?*

2. *Ad propius præsentiusque malum.*] Prava nempe Hippocratis & Epicydæ consilia, & seditionem plebis in gratiam Carthaginiensium.

3. *Ad Hexapylum.*] Porta fuit ejus Syracusarum partis quæ Tycha dicebatur.

ruptoribus

ruptoribus exercitus. Sed surdæ ad hęc omnia aures concitatæ multitudinis erant, nec minore intus vi quam foris portę effringebantur, effractisque omnibus tuto in Hexapylo agmen receptum est. Pręrores in Achradinam cum juventute popularium confugiunt. mercenarii milites, perfugęque; & quicquid regiorum militum Syracusis erat, agmen hostium augent. Ita Achradina quoque primo impetu capitur, pręrorefque (nisi qui inter tumultum effugerunt) omnes interficiuntur. nox cędibus finem fecit. Postero die servi ad pileum vocati, & carcere vincti emissi: confusaque omnis multitudo Hippocratem atque Epicydem creant pręrores; Syracusęque, quum breve tempus libertas affulsisset, in antiquam servitutem reciderunt.

Urb. Cond. Ann. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

XXXIII. Hęc nunciata quum essent Romanis, ex Leontinis mota sunt extemplo castra ad Syracusas. Et ab Appio legati per portum missi fortè in quinqueremi erant. pręmissa quadriremis, quum intrasset fauces portus, capitur: legati ęgre effugerunt. Et jam non modo pacis, sed [a] ne belli quidem jura relicta erant: quum Romanus exercitus [1] ad Olympium (Jovis id templum est) mille & quingentis passibus ab urbe castra posuit. Inde quoque legatos pręmitti placuit: quibus ne intrarent urbem, extra portam Hippocrates atque Epicydes obviam cum suis processerunt. Romanus orator *non bellum se Syracusanis, sed opem auxiliumque afferre*, ait: *&* [2] *iis qui ex media cæde elapsi perfugerint ad se, & eis, qui metu oppressi, fœdiorem non exilio solùm, sed etiam morte, servitutem patiantur. Nec cædem nefandam sociorum inultam Romanos passuros. Itaque si eis qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus pateret, ac* [3] *cædis auctores dedantur, & libertas legesque Syracusanis restituantur; nihil armis opus esse. si ea non fiant, quicunque in mora sit, bello persecuturos.* Ad ea Epicydes, [4] *si quæ ad se mandata haberent, responsum eis*, ait, *se daturos fuisse: quum in eorum, ad quos venerint, manu res Syracusana esset, tum reverterentur. Si bello lacessant, ipsa re intellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac Leontinos oppugnare.* Ita legatis relictis portas clausit. Inde terra marique simul cœptæ oppu-

INTERPRETATIO.

a *Nec quidquam reliqui erat belli jurium quod servaretur.*

NOTÆ.

1. *Ad Olympium.*] Instar suburbii, vel potiùs urbis alterius erat *Olympium* ὀλυμπιεῖον apud Thucydidem, ab Jovis Olympii magnifico templo dictum, à Syracusis interfluente Anapo divisum, & portui magno sive sinui Syracusano imminens, insulæ Ortygiæ oppositum, quæ portûs ostium tenebat è regione Plemmyrii promontorii & castelli.

2. *Iis qui ex media cæde elapsi.*] Qui Prætores captâ à seditiosis Achradinâ cæsis collegis inter tumultum effugerant ad Romanos, cum quibus inita ab ipsis societas, cap. 28. sub fin.

3. *Cædis auctores.*] Hippocrates præsertim & Epicydes.

4. *Si quæ ad se mandata haberent.*] Indicat Epicydes se cum Hippocrate Syracusis dominari, non magistratus.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcell. III.

gnari Syracusæ: terra ab Hexapylo, mari ab Achradina, cujus murus fluctu alluitur. & quia sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant vastam disjectamque spatio urbem parte aliqua se invasuros; omnem apparatum oppugnandarum urbium muris admoverunt.

XXXIV. Et 1 habuisset tanto impetu cœpta res fortunam, nisi unus homo Syracusis ea tempestate fuisset. 2 Archimedes is erat; a unicus spectator 3 cœli siderumque: mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum, operumque quibus ea quæ hostes ingenti mole agerent, b ipse perlevi momento ludificaretur. Murum per inæquales ductum colles, pleraque alta & difficilia aditu, summissa quædam, & quæ planis vallibus adiri possent, ut cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Achradinæ murum, qui ut ante dictum est, mari alluitur, ex quinqueremibus Marcellus oppugnabat. Ex cæteris navibus sagittarii funditoresque, & velites etiam, 4 quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est, vix quenquam sine vulnere consistere in muro patiebantur. Hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. 5 junctæ aliæ binæ ad quinqueremes, demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur: quum exteriore ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas, machinamentaque alia quatiendis muris portabant. Adversus hunc navalem apparatum Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit. in eas quæ procul erant naves saxa ingenti pondere emittebat; propiores levioribus, eoque magis

INTERPRETATIO.

a *Eximius astrologus.*

b *Facili nec magno instrumento & levi motu everteret, aut inutilia redderet, &c.*

NOTÆ.

1. *Et habuisset ..... res fortunam.*] Gall. *Et la chose eust reussi heureusement.*

2. *Archimedes.*] Cùm diu Geometriæ theoreticæ studuisset, ab Hierone rege, cujus familiæ vinculo cognationis innexus erat, rogatus, ad Mechanicam & instrumentorum usum appulit animum, magis, ut censet Plutarchus, quò sensibus quasi subjiceret proposita quædam Geometrica intellectu difficilia, quam instrumentorum ipsorum studio. Hinc jussus plurimas machinas ei comparavit, non modò ad hostes, telorum lapidumque magnitudine incredibili submovendos; sed præsertim ad ponderum immensas moles exigua operâ commovendas: quibus tamen usus nunquam est Hiero, quòd fœdere cum Romanis icto, pacem habuerat perpetuam. Archimedes porrò jactare ausus est, si alia sibi terra aut punctum extra orbem nostrum daretur, se hanc terrestrem machinam loco moturum.

3. *Cœli siderumque.*] Extant adhuc sex Astronomicorum Libri, qui ab Archimede scripti creduntur.

4. *Quorum telum inhabile.*] An quia Romanorum jacula acutissimo ferro ita præfixa erant, ut primo ictu hebetatâ cuspide, aut corpori scutove hærente, inutilia ad alios ictus fierent?

5. *Juncta alia bina ad quinqueremes.*] Repete ex superioribus *naves*. Plutarchus & Polybius naves quinqueremes octo inter se vinctas narrant, atque hic σαμβύκας vocat, quas turres contabulatas Livius vertit. Sigon. suspicatur hic mendum subesse, & legendum *juncta alia bina ab octo quinqueremes.*

crebris petebat telis: postremò, ut sui vulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum [6] crebris cubitalibus fere cavis aperuit, per quæ cava pars sagittis, [7] pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. [c] quæ propius quædam subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent; in eas [8] tollenone super murum eminente ferrea manus firmæ catenæ illigata quum injecta proræ esset; [9] graveque libramentum plumbi recelleret ad solum, suspensâ prorâ, navim in puppim statuebat: dein remissa subito, velut ex

Urb. cond. ann. 538. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

INTERPRETATIO.

[c] *Ubi aliqua naves* mœnibus *admovebantur, ut propiores essent quàm quò pertingebant ictus tormentorum* molares aut plumbeos globos longè jaculantium: *ea* Archimedis arte *corripiebantur* in hunc modum. *Tollenoni supra murum emisso firmiter catenâ alligatus Corvus* seu manus ferrea, *in* earum *proram injiciebatur: tum* alteri tollenonis capiti appensa *ingens plumbi massa* vi machinæ *ita librabatur, ut* depressa ac *desidens ad maris* subjecti *superficiem, proram*, manu illa ferrea apprehensam *traheret suspensam in sublime, navimque* totam *supra puppim erigeret: quæ posteà* prorâ *repente demissâ, tanquàm è muro decidens navis, multùm perturbatis metu nautis in fluctus tanto impetu dejiciebatur, ut quamvis* non inæquali casu, sed aliquando etiam *rectà in undas concideret, nihilominus aquâ repleretur.*

NOTÆ.

6. *Crebris cubitalibus ferè cavis.*] *Cava* sunt foramina, notante Sigonio: ut apud Plautum in Menæchmis, *etiam nunc concede audacter ab Leonino cavo*. Apud Columellam legitur in genere masculino, *deinde cavum quem feceris sarculo obturato*. Godelevæus *cubitale* substantivè accipit pro brachiali, sive tegumento brachii. Lambinus in Horat. *Cubitale* pulvinum interpretatur cui veteres Romani inter cœnandum inniti soliti. An simili quid ex cavatis hic illic muris ad protegenda propugnatorum brachia excogitari ab Archimede potuerit, peritorum esto judicium.

7. *Pars Scorpionibus.*] *Scorpiones* machinæ fuere, quæ tela cum sono expellebant, à catapultis ballistisque diversæ, ac minores. *Manuballistas* posteri appellarunt, Vegetio teste; qui sic dictos vult, quòd parvis subtilibusque spiculis mortem inferrent. Sed Scorpionum alii majores, minores alii: unde non abs re Lipsius Livium arguit, quòd cubitales ferè cavos fecerit, per quos partim sagittis, partim scorpionibus modicis hostis peteretur: ut enim occultè vibrentur spicula ex modicis Scorpionibus, quales hic à Polybio & Plutarcho, ipsoque adeo Livio memorantur, æquo ampliora essent cubitalia illa foramina: & sanè Polyb. ait Archimedem ea in muris palmaria tantùm disposuisse. Scorpiones Isid. pro sagittis venenatis accipit. Aliud opinor Scorpionum genus, quibus violenter contorquebantur saxa, describit lib. 23. Ammianus Marcellinus, quos suo tempore *Onagros* appellatos scribit.

8. *Tollenone super murum eminente.*] Egregiè Sigonius, sequutus vestigia veteris Libri, ubi scriptum erat: *in eas tollendo, esuper murum, &c.* huic loco medicinam attulit. Est autem *Tolleno*, ut explicat Vitruv. lib. 4. cap. 21. *quoties una trabs in terram prealta defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior dimensa medietate connectitur, ex libramento, ut si unum caput depresseris, aliud erigatur*. Gallicè dicimus, *une bascule*.

9. *Graveque libramentum plumbi recelleret ad solum.*] Placet magis hæc Gronovii lectio, quod à scriptis minus recedat. Est autem *Recellere* apud Festum reclinare, sive *deprimere*, ut *excellere*, (activè sumptum) in altum extollere.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita [10] unde affligebat, ut etiamsi recta reciderat, aliquantum aquæ acciperet. ita maritima oppugnatio est elusa, [11] omnisque vis est eo versa, ut totis viribus terra aggrederentur. Sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis impensis curaque per multos annos, Archimedis unicâ arte. natura etiam adjuvabat loci: quod saxum, cui imposita muri fundamenta sunt, magna ex parte ita proclive est, ut non solum missa tormento, sed etiam quæ pondere suo provoluta essent, graviter in hostem inciderent. eadem caussa ad subeundum arduum aditum instabilemque ingressum præbebat. Ita consilio habito, quum omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione, atque obsidendo tantum arcere terra marique commeatibus hostem placuit.

XXXV. Interim Marcellus cum tertia fere parte exercitus ad recipiendas urbes profectus, quæ in motu rerum ad Carthaginienses defecerant; [1] Helorum atque Herbessum dedentibus ipsis recipit. Megaram vi captam diruit ac diripuit, ad reliquorum, ac maxime Syracusanorum, terrorem. Per idem fere tempus & Himilco, qui ad [2] Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad [3] Heracleam, quam vocant Minoam, quinque & viginti millia peditum, tria equitum, duodecim elephantos exposuit. [4] Nequaquam cum quantis copiis ante

N O T Æ.

10. *Unde affligebat*.] Terræ vel solo *affligere*, id est, ad terram dejicere cum impetu, qua de re Gron. 4. observ. 8.

11. *Omnisque vis est eò versa*.] Optimè meâ sententiâ sic correxit Gronov. cum vulgò perperam legatur: *omnisque vis est aversa*,

1. *Helorum*.] Sic emendavit Gron. cùm antea esset *Pelorum*, quod promontorii nomen est, non urbis, *Helorum* autem oppidum & castellum fuit ad ostium fluminis Helori sub Necto paulò supra Pachynum promontorium ad latus Orientale Siciliæ: agrum habuit amœnissimum: unde Ovidius 4. Fast. *Heloria Tempe* appellat. In ruinis hodie jacet in valle Noti, & ora quæ *Laubbis* dicitur, auctore Fazello, eò loci ubi nunc *Muri Ucci Rocars*; & *Colisao* ad S. Philippum, ut contra Fazellum Cluver. colligit ex ipsius descriptione. Fluvius *Abiso* nunc vocatur.

2. *Ad Pachyni promontorium.*] E tribus Siciliæ promontoriis, quod in ortum maximè procurrit, atque Orientale insulæ latus cum meridionali conjungit, *Pachynum* olim, nunc vulgò *Capo Passaro*.

3. *Ad Heracleam*.] Heraclea cognomine *Minoa* in latere australi Siciliæ, medio ferè itinere inter Agrigentum & Selinuntem, *Macara* initio dicta; postea à Minoë, Cretæ insulæ rege nomen accepit, qui Dædalum quærens eam potitus est; ibique occisus, Cretenses colonos reliquit: tandem Heracleæ nomen ab Hercule sortita est, qui Erycem regionis ejus regem luctæ certamine victum possessione regni exuit ex pugnæ lege, in eam deinde Dorieus Cleomenis Lacedæmonum regis frater, tanquàm ex Hercule ortus, coloniam deduxit, ut est apud Herodotum. Ad Lycum seu potiùs Halicum fluvium sita fuit, nunc vulgò *Platani*; qui Syracusanorum & Carthaginiensium ditionis terminus fuit tempore Timoleontis, Heracleâ tantùm ultra fluvium penes hos remanente. Hodie in ruderibus jacet in valle *Mazara*.

4. *Nequaquam cum quantis copiis*.] Ita corrigit Gronov. ex optimis libris. Editi habent, *nequaquam cum tantis copiis*, sed ex iis quæ sequuntur patet majoribus nunc copiis instructum: ita ut

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marc. III.

tenuerat ad Pachynum classem: sed, postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ erant, profectus Carthaginem, adjutusque ibi & ab legatis Hippocratis, & litteris Annibalis, qui *venisse tempus* ajebat *Siciliæ per summum decus repetendæ;* & ipse haud vanus præsens monitor facile perpulerat, ut quantæ maximæ possent, peditum equitumque copiæ in Siciliam trajicerentur. Adveniens Heracleam, intra paucos dies inde [5] Agrigentum recipit: aliarumque civitatum, quæ partis Carthaginiensium erant, adeo accensæ sunt spes ad pellendos Sicilia Romanos: ut postremo etiam qui obsidebantur Syracusis, animos sustulerint; & parte copiarum satis defendi urbem posse rati, ita inter se munera belli partiti sint, ut Epycides præesset custodiæ urbis, Hippocrates Himilconi conjunctus bellum adversus Consulem Romanum gereret. Cum decem millibus peditum, quingentis equitibus nocte per intermissa custodiis loca profectus, castra circa [6] Acrillas urbem ponebat. Munientibus supervenit Marcellus, ab Agrigento jam occupato; quum frustra eo prævenire hostem festinans tetendisset: rediens, nihil minus ratus, quam illo tempore ac loco Syracusanum sibi exercitum obviam fore; sed tamen metu Himilconis Pœnorumque (ut quibus nequaquam eis copiis quas habebat, par esset) quam poterat maxime intentus, atque agmine ad omnes casus composito ibat.

XXXVI. Forte ea cura, quæ erat adversus Pœnos præparata, adversus Siculos usui fuit. Castris ponendis incompositos ac dispersos nactus eos & plerosque inermes; quod peditum fuit, circumvenit: eques levi certamine inito, cum Hippocrate [1] Acras perfugit. Ea pugna deficientes ab Romanis quum cohibuisset Siculos, Marcellus Syracusas rediit: & post paucos dies Himilco adjuncto Hippocrate [2] ad flumen Anapum, octo ferme inde millia castra posuit. Sub idem fere tempus &

N O T Æ.

nequaquam cum quantis copiis idem sit ac non cum eo numero copiarum, sed cum majori. Etenim antea ad Pachyni promontorium exscendere in insulam ausus non erat.

5. *Agrigentum recipit.*] *Agrigentum* urbs fuit opulenta & celebris, Gr. ἡ Ἀκράγας, hodie *Gergenti:* à Gelois condita ad Acragantem amnem, qui & ipse *fiume di Gergenti*, & *fiume Drago*. Ibi regiam arcem munitissimam Cocalo Siciliæ regi extruxit Dædalus, cui nomen Omphace, ut ex Pausania conjicit Claver. tandem ab Hamilcare Pœno funditus eversa fuerat anno 4. Olympiadis 93. verùm instaurata postea fuit: hodieque inter celeberrima insulæ oppida habetur, ob civium frequentiam & agrorum ubertatem.

6. *Acrillas urbem.*] *Acrilla* sive *Acrillæ* oppidum fuit ad austrum Syracusanum, Acris haud procul, fortè ad Helorum fl.

1. *Acras perfugit.*] *Acræ* perperam apud Plutarchum in Dione *Macræ*, quas a Syracusanis conditas Thucydides testatur: ostendit Cluverius ex hoc ipso Hippocratis itinere & locorum intervallis, quæ habent itinera Romana, non fuisse ubi nunc *Palazzuolo*, quanquàm vicinus locus, cui *Acra mons* adhuc dicitur ita suadere videatur; sed fuisse apud cœnobium vulgò incolis dictum *Santa Maria d'Arcia* inter oppida *Noto & Avola* in Valle de Noto.

2. *Ad flumen Anapum.*] Editi habent *Anatim* cujus nominis fluvius in Africa. At hic Siciliæ fluvius *Anapus* est, juxta

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

naves longæ quinque & quinquaginta Carthaginiensium cum Bomilcare classis præfecto in magnum portum Syracusas ex alto decurrêre; & Romana item classis triginta quinqueremes, legionem primam 3 Panormi exposuere; versumque ab Italia bellum: adeo uterque populus in Siciliam intentus fuisse videri poterat. Legionem Romanam, quæ exposita Panormi erat, venientem Syracusas prædæ haud dubie sibi futuram Himilco ratus, via decipitur. Mediterraneo namque Pœnus itinere duxit: legio maritimis locis classe prosequente, ad Appium Claudium Pachynum cum parte copiarum obviam progressum, pervenit. Nec diutius Pœni ad Syracusas morati sunt, & Bomilcar simul parum fidens navibus suis, duplici facile numerô classem habentibus Romanis, simul inutili mora cernens nihil aliud ab suis quam inopia aggravari socios, velis in altum datis in Africam transmisit. Et Himilco secutus nequicquam Marcellum Syracusas, si qua, priusquam majoribus copiis jungeretur, occasio pugnandi esset: postquam ea nulla contigerat, tutumque ad Syracusas & munimento & viribus hostem cernebat; ne frustra assidendo spectandoque obsidionem sociorum, tempus tereret: castra inde movit; ut quocumque vocasset defectionis ab Romanis spes, admoveret exercitum, ac præsens suas res foventibus adderet animos. Murgantiam primum, prodito 4 ab ipsis præsidio Romano, recepit: 5 ubi frumenti magna vis, commeatusque omnis generis convecti erant à Romanis.

XXXVII. Ad hanc defectionem erecti sunt & aliarum civitatum animi: præsidiaque Romana aut pellebantur arcibus, aut prodita per fraudem opprimebantur. 1 Enna in excelso loco ac prærupto undique sita, quum loco inexpugnabilis erat, tum præsidium in arce va-

NOTÆ.

Syracusas fluens, *Alfeo* accolis appellatur, de nomine fluvii illius qui Elidem alluit, & quem è Peloponneso Arethusam sequutum huc subter mare occultis cuniculis fluere Poetæ fabulati sunt.

3. *Panormi.*] Hoc nomine aliæ quoque urbes fuere, ex eo dictæ, quòd portus haberent navium admodùm capaces; est enim Græcè πᾶν omne, vel πάνυ valde sive penitus: ὅρμος verò statio navium arte facta. Vrbs hæc Siciliæ antiqua, vulgo hodie *Palermo*, urbium Siciliæ princeps & proregis sedes, in Valle Mazaræ, mare Tyrrhenum & Septentrionem spectans, in parte insulæ Occidentali, Archiepiscopali quoque dignitate decorata: eam ab ortu Solis præfluit Orethus amnis, qui vulgò *l'Amiraglio fiume*.

4. *Ab ipsis.*] Nempe Murgantinis civibus.

5. *Ubi frumenti,*] Non concoquit Tanaq. Faber, *ubi frumenti magna vis convecta erat*, legitque *quò*: sed *ibi* erat hæc frumenti copia, jam eò aliunde convecta.

1. *Enna in excelso loco.*] Cave ne *Ennam* urbem cum *Ætna* monte confundas. In meditullio Siciliæ fuit *Enna*: unde apud Cic. *Nemus Ennense* umbilicus Siciliæ nominatur: habebatque celebre Cereris templum, ejus in pratis rapta dicebatur Proserpina, sive Libera, per hiatum vastæ cujusdam specus Plutoniæ dictæ. Cluverius nunc *Castro Janni* dici vult, quæ hodieque una est ex primariis Siciliæ civitatibus in Valle Noti. Sed Nicolaus Sanso superesse adhuc Ennæ nomen affirmat ad Orientem oppidi illius *Castro Janni*.

sidum; præfectumque præsidii haud sane opportunum insidiantibus habebat. L. Pinarius erat vir acer, & qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide Siculorum reponeret. & tum intenderant eum ad cavendum omni curâ tot auditæ proditiones defectionesque urbium, & clades præsidiorum. Itaque nocte dieque juxta parata instructaque omnia custodiis ac vigiliis erant: nec ab armis, aut loco suo miles abscedebat. Quod ubi Ennensium principes, jam pacti cum Himilcone de proditione præsidii, animadverterunt nulli occasioni fraudis Romanum patere; 2 palam erat agendum. *Urbem arcemque suæ potestatis*, ajunt, *debere esse, si liberi in societatem, non servi in custodiam traditi essent Romanis. itaque claves portarum reddi sibi æquum censent. Bonis sociis fidem suam maximum vinculum esse: & ita sibi populum Romanum senatumque gratias habiturum, si volentes ac non coacti mansissent in amicitia.* Ad ea Romanus, *Se in præsidio impositum esse*, dicere, *ab imperatore suo: clavesque portarum & custodiam arcis ab eo accepisse, quæ nec suo nec Ennensium arbitrio haberet, sed ejus qui commisisset, præsidio decedere apud Romanos 3 capitale esse: & 4 nece liberorum etiam suorum eam legem parentes sanxisse. Consulem Marcellum haud procul esse: ad eum mitterent legatos, a cujus juris atque arbitrii esset.* Se verò negare illi missuros: testarique, si verbis nihil agerent, vindictam aliquam libertatis suæ quæsituros. 5 Tum Pinarius: *at illi, si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium: ut sciretur, utrum 6 paucorum ea denunciata, an universæ civitatis essent.* Consensu in posterum diem concio edicitur.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

XXXVIII. Postquam ab eo colloquio in arcem sese recepit, convocatis militibus: *Credo ego vos audisse, milites*, inquit, *quemadmodum præsidia Romana ab Siculis circumventa & oppressa sint per hos dies. Eam vos fran-*

INTERPRETATIO.

a *Ad cujus potestatem & arbitrium ea res pertineret.*

NOTÆ.

2. *Palàm erat agendum.*] Ex conjectura Lipsii est. Optimè, ni fallor, in margine Codicis Vossiani adscriptum antiquâ manu, teste Gronov. *palàm rentur agendum*: alii enim scripti habent *placuerat agendum*, recisis tribus vocibus, quæ in vulgatis, ubi legitur *apertè ac propalàm erat agendum*.

3. *Capitale esse.*] Quidam Codices *Capital esse*. Sed quid hoc ad variandum sensum? Res ipsa adeò nota est ex Polybio, Suetonio, legibus ipsis, ut confirmatione non egeat.

4. *Nece liberorum suorum.*] Ad Manlium filium respicere videtur, qui dimicandi causâ præsidio, seu statione quodammodò decesserat, vel certè contra patris jussum dimicaverat.

5. *Tum Pinarius: at illi, si.*] Elegantior sanè mihi videtur hæc Gronovii emendatio ex Puteano eruta, quam recepta lectio *tum Pinarius ait illis*; satis enim intelligitur illud *ait*; neque adeò exemplis opus quæ Gron. concervat. Ait itaque Pinarius, *si illi ad consulem gravarentur mittere, at sibi saltem darent populi Concilium.*

6. *Paucorum ea denunciata.*] Meliùs fortè quod auguratur idem Gronov. *denunciatio esset.*

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

dem, Deûm primo benignitate, dein vestra ipsi virtute dies noctesque perstando ac pervigilando in armis, vitastis. utinam reliquum tempus nec patiendo infanda, nec faciendo, traduci possit [a] *Hæc occultâ in fraude cautio est, qua usi adhuc sumus: cui quoniam parum succedit, aperte ac propalam claves portarum reposcunt; quas simul tradiderimus, Carthaginiensium extemplo Enna erit, fœdiusque hic trucidabimur, quam Murgantiæ præsidium interfectum est. Noctem unam ægre ad consultandum sumpsi, qua vos certiores periculi instantis facerem. Orta luce concionem habituri sunt ad criminandum me, concitandumque in vos populum. itaque crastino die, aut vestro, aut Ennensium sanguine Enna inundabitur.* [b] *nec præoccupati, peculii; nec occupantes, periculi quicquam habebitis. qui prior strinxerit ferrum, ejus victoria erit. Intenti ergo omnes, armatique signum exspectabitis. ego in concione ero: & tempus quoad omnia instructa sint, loquendo altercandoque traham. Quum togâ signum dedero, tum mihi undique clamore sublato turbam invadite, ac sternite omnia ferro: & cavete, quisquam supersit, à quibus aut vis aut fraus timeri possit. Vos, Ceres mater ac Proserpina, precor, cæteri superi inferique Dii, qui hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque colitis, ut ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandæ,* [1] *non inferendæ fraudis causâ hoc consilii capimus. Pluribus vos, milites, hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset. inermes, incautos ad satietatem trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt, ne quid ab Himilcone & Carthaginiensibus timeri possit.*

XXXIX. Ab hac adhortatione dimissi, corpora curant. Postero die alii aliis locis ad obsidenda itinera claudendosque oppidanis exitus, pars maxima super theatrum circaque, assueti & ante spectaculis concionum, consistunt. Productus ad populum à magistratibus præfectus Romanus, quum consulis ea de re jus ac potestatem esse non suam, & pleraque eadem, quæ pridie dixisset; primò sensim ac plures, reddere claves; dein jam una voce id omnes juberent, cunctantique ac differenti ferociter minitarentur, nec viderentur ultra vim ultimam dilaturi: tum præfectus toga signum, ut convenerat, dedit: milites que intenti dudum ac parati, alii superne [1] in aversam concionem clamore sublato decurrunt, alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Cæduntur Ennenses [c] cavea inclusi: coacervanturque, non cæde solum, sed etiam fuga, quum alii super aliorum capita ruerent, atque integri sauciis, vivi mortuis incidentes, cumularentur. Inde passim discurri-

INTERPRETATIO.

a *Sic cavendum est nobis ab occulto Ennensium dolo, ut hactenus fecimus, cui dolo quoniam successus non respondet, &c.*

b *Si vos ab illis præverti sinatis peculii ac rerum vestrarum nihil servabitis: quòd si vos primi illos antè occupaveritis, nihil vobis erit periculi.*

c *Cives clausi intra foros theatri.*

NOTÆ.

1 *Non inferendæ fraudis.*] Aliàs *ferendæ*, ut apud Virg. *Jam nosces ventosa ferat cui gloria fraudem.*

1. *In aversam concionem.*] Vulgò *adversam*. Illud melius, ni fallor, hoc loco.

tur,

Urb-cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

tur, & urbis captæ modo fugaque & cædes omnia tenet; nihilo remissiore militum ira, 2 quod turbam inermem cædebant, quam si periculum par & ardor certaminis eos irritaret. ita Enna, 3 aut malo, aut necessario facinore retenta. Marcellus nec factum improbavit, & prædam Ennensium militibus concessit: ratus, timore deterritos, temperaturos proditionibus præsidiorum Siculos. Atque ea clades, ut urbis in media Sicilia sitæ, claræque vel ob insignem munimento naturali locum, vel ob sacrata omnia vestigiis raptæ quondam Proserpinæ, prope uno die omnem Siciliam pervasit. Et quia cæde infanda rebantur, non hominum tantum, sed etiam Deorum sedem violatam esse, tum vero qui etiam antè dubii fuerant, defecere ad Pœnos. Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese recepit: quum acciti à proditoribus nequicquam ad Ennam exercitum admovissent. Marcellus retro in Leontinos redit: frumentoque & commeatibus aliis in castra convectis, præsidio modico ibi relicto, ad Syracusas obsidendas venit, inde Ap. Claudio Romam ad consulatum petendum misso, T. Quintium Crispinum in ejus locum classi castrisque præfecit veteribus. ipse hibernacula quinque millia passuum ab Hexapylo (4 Leonta vocant locum) communiit, ædificavitque. Hæc in Sicilia usque ad principium hiemis gesta.

XL. Eadem æstate & cum Philippo rege, quod jam ante suspectum fuerat, motum bellum est. Legati 1 ab Orico ad M. Valerium prætorem venerunt, præsidentem classi Brundisio Calabriæque circa litoribus, nunciantes Philippum primum 2 Apolloniam tentasse, lembis biremibus centum viginti 3 flumine adverso subvectum, deinde, ut ea res tardior spe fue-

NOTÆ.

2. *Quod turbam inermem.*] Vulgò, *quod jure turbam inermem*: quam lectionem damnare nolim; nec Fabrum audiendum puto, qui necessariò legendum arbitratur, *quod tutò turbam inermem*; neque enim ex eo militum ira quòd tutò cæderent Ennæos, sed quòd jure eos cædere putarent.

3. *Aut malo aut necessario facinore.*] Ut apud Tacit. 1. Annal. *Jusserat id supplicium Mennius castrorum præfectus, bono magis exemplo, quàm concesso jure.*

4. *Leonta vocant.*] *Leon* vicus fuit non procul Syracusis, ad Tycham, versus Septentrionem: non quinque millibus passuum; sed sex vel septem stadia ab Epipolis dissitus, ut ex Thucydide Cluverius probat.

1. *Ab Orico.*] Urbs & Portus est Epiri in ea parte, quæ Chaonia vocabatur, sub Acroceraunniis montibus ad mare Jonium: hodie sub Turcarum ditione. Creditur is locus esse, quem Itali *Val de Orso*, appellant, aliis *Orso*.

2. *Apolloniam tentasse.*] Macedoniæ Occidentalis urbs fuit *Apollonia* in Taulantiorum regione, inter Aulonem & Dyrrachium, ad Aoum fl. qui Ptolemæo *Lous*, in Adriaticum defluit mare. Condita fuit hæc urbs à Corinthiis & Corcyræis, decem stadiis à dextra fluminis ripa; à mari Adriatico sexaginta, id est, octo ferè milliaribus: floruitque optimis legibus. Niger putat *Piergo* dici, Pinetus *Sisopoli*. Meliùs, ni fallor, Sophianus antiquum nomen retinere putat; extant enim prisci nominis vestigia in opp. *Polina* ad cognominem fluvium in Albania Turcici imperii regione, eo tractu, qui vocatur *la Placa*.

3. *Flumine adverso.*] Hinc conjicere est Apolloniam veterum non fuisse, ut vult N. Sanso, ubi nunc *Spinarza*, quæ ad ostium fluminis.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

rit, ad Oricum clam nocte exercitum admovisse: eamque urbem sitam in plano neque mœnibus, neque viris, atque armis validam, primo impetu oppressam esse. Hæc nunciantes orabant, *ut opem ferret, hostemque haud dubium Romanis*, 4 *terra aut maritimis viribus arceret, qui ob nullam aliam caussam, nisi quod imminerent Italiæ, peterentur*. 5 M. Valerius præsidio loci ejus relicto T. Valerio legato, cum classe instructa parataque, & quot longæ naves militum capere non poterant, in onerarias impositis, altera die Oricum pervenit: urbemque eam levi tenente præsidio, quod recedens inde reliquerat Philippus, haud magno certamine recepit. Legati eo ab Apollonia venerunt, nunciantes, *in obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse: neque sust nere ultra vim Macedonum posse, nisi præsidium mittatur Romanum*. Facturum se, quæ vellent, pollicitus, duo millia delectorum militum navibus longis mittit ad ostium fluminis, cum præfecto sociûm, Q. Nævio Crista, viro impigro & perito militiæ. Iis expositis in terram militibus navibusque Oricum retro unde venerat ad cæteram classem remissis, milites procul à flumine per viam minime ab regiis obsessam duxit: & nocte ita, ut nemo hostium sentiret, urbem ingressus. Die insequenti quievêre, dum præfectus juventutem Apolloniatium, armaque & urbis vires inspiceret. ubi ea visa inspectaque satis animorum fecere, simulque ab exploratoribus comperit, quanta socordia ac negligentia apud hostes esset; silentio noctis ab urbe sine ullo tumultu egressus, castra hostium adeo neglecta atque aperta intravit, ut satis constaret, prius mille hominum vallum intrasse, quam quisquam sentiret: ac si cæde abstinuissent, pervenire ad tabernaculum regium potuisse. Cædes proximorum portæ excitavit hostes. inde tantus terror pavorque omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet, aut castris pellere hostem conaretur: sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, prope seminudus fugiens, militi quoque, nedum regi vix decoro habitu, ad flumen navesque perfugerit. eodem & alia turba effusa est. Paulò minus tria millia militum in castris aut capta, aut occisa. plus tamen hominum aliquanto captum, quam cæsum est. Castris direptis, Apolloniatæ catapultas, balistas, tormentaque alia, quæ oppugnandæ urbi comparata erant, ad tuenda mœnia, si quando similis fortuna venisset, Apolloniam devexere. cætera omnis præda castrorum Romanis concessa est. Hæc quum Oricum essent nunciata, M. Valerius classem

NOTÆ.

4. *Terrâ aut maritimis viribus.*] Valde corruptus in manuscriptis locus. Optimè, ni fallor, Ruben. correxit, *mari ac terrâ à maritimis u bibus arceret*. Gronov. suspicatur *Macedonem Epiri maritimis urbibus* arceret.

5. *M. Valerius præsidio loci ejus relicto.*] Conjicit Gronov. ex Pet. alioque vetustissimo Cod. *M. Valerius duobus millibus præsidioque eis T. Valerio relictis*, laudatque Cæsarem lib. 5. de bello Gallico, *præsidio navibus Q. Arrium præfecit*.

extemplo ad Ostium fluminis duxit, ne navibus capessere fugam rex posset. Itaque Philippus, neque terrestri neque navali certamine satis fore parem se fidens, subductis aut incensis navibus terra Macedoniam petiit; magna ex parte inermi exercitu, spoliatoque. Romana classis cum M. Valerio Orici hibernavit.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

XLI. Eodem anno in Hispania variè res gestæ. nam prius quàm Romani amnem Iberum transirent, ingentes copias Hispanorum Mago & Asdrubal fuderunt. defecissetque ab Romanis ulterior Hispania, ni P. Cornelius raptim traducto exercitu Iberum, dubiis sociorum animis in tempore advenisset. Primo [1] ad castrum Altum (locus est insignis cæde magni Amilcaris) castra Romani habuere. Arx erat munita, & convexerant ante frumentum. tamen quia omnia circa hostium plena erant, agmenque Romanum impune incursatum ab equitibus hostium fuerat, & ad duo millia, aut moratorum aut palantium per agros, interfecta; cessere inde Romani propius pacata loca, & [2] ad montem victoriæ castra communivere. Eo Cn. Scipio cum omnibus copiis & Asdrubal Gisgonis filius tertius Carthaginiensium dux, cum exercitu justo advenit contraque castra Romana [3] trans fluvium omnes consedere. P. Scipio cum expeditis clam profectus ad loca circa visenda, haud fefellit hostes: oppressissentque eum in patentibus campis, ni tumulum in propinquo cepisset. ibi quoque circumsessus adventu fratris obsidione eximitur. [4] Castulo urbs Hispaniæ valida ac nobilis, & adeo conjuncta societate Pœnis, ut uxor inde Annibali esset, ad Romanos defecit. Carthaginienses Illiturgim oppugnare adorti, quia præsidium ibi Romanum erat: videbanturque inopia eum locum maximè expugnaturi. Cn. Scipio, ut sociis præsidioque ferret opem, cum legione expedita profectus, intra bina castra cum magna cæde hostium urbem est ingressus; & postero die eruptione æquè felici pugnavit. Supra duodecim millia hominum cæsa duobus præliis: plus decem millibus captum, cum sex & triginta militaribus signis. ita ab Illiturgi recessum est.

NOTÆ.

1. *Ad castrum Altum.*] Oppidum fuit Lusonum, qui pars Celtiberorum. Ei postea nomen *Valeria*, ad Sucronem fl. qui nunc *Xucar*. Putatur esse hodie *Concha*, Episcopatus in nova Castella, ejusque tractu quem *Serram* vocant: vulgò *Cuenca*.

2. *Ad Montem Victoriæ.*] Fuit pars Orospedæ Montis ad dextram Sucronis, non procul Anæ fontibus, in Bastitanorum finibus, quà *Sierra de Alcaraz* ad Septentrionem maximè vergit, ad oppidum *Albacete*.

3. *Trans fluvium.*] Debuerat fluvium nominare. Nunc incertos relinquit: Anam, puto, intelligit.

4. *Castulo urbs.*] *Castulo*, unde imperitè quidam Castellæ nomen deducunt, quod procul ab eo tractu cepit: fuit urbs Oretanorum, qui sub Romanis provinciæ Tarraconensi, ac deinde Carthaginiensi ab illa detractæ, contributi, in finibus Bæticæ. Creditur fuisse ubi nunc *Castona la Vieja*, quod Nic. Sansoni placet; quanquam Brietio est *Cazorla*: in Castellæ novæ finibus quà proximè Granatæ regnum attingit.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. IV. & M. Marcel. III.

3 Bigerra inde urbs (socia & hæc Romanorum erat) à Carthaginiensibus oppugnari cœpta est. Eam obsidionem sine certamine adveniens Cn. Scipio solvit.

XLII. 1 Ad Mundam exinde castra Punica mota: & Romani eo confestim secuti sunt. Ibi signis collatis pugnatum per quatuor ferme horas. egregieque vincentibus Romanis signum receptui est datum, quod Cn. Scipionis femur tragula confixum erat: pavorque circa eum ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. Cæterum haud dubium fuit, quin, nisi ea mora intervenisset, castra eo die Punica capi potuerint. jam non milites solum, sed elephanti etiam usque ad vallum acti erant, 2 superque ipso novem & triginta elephanti pilis confixi. Hoc quoque prælio ad duodecim millia hominum dicuntur cæsa, prope tria capta, cum signis militaribus septem & quinquaginta. 3 Ad Auringen inde urbem Pœni recessere: & ut territis instaret, secutus Romanus. Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit, nec dubia victoria fuit: minus tamen dimidio hostium, quam antea, quia pauciores superfuerant, qui pugnarent, occisum. Sed gens nata instaurandis reparandisque bellis, 4 Magone ad conquisitionem militum à fratre misso, brevi replevit exercitum, animosque ad tentandum de integro certamen fecit. 5 Alii plerique milites, sicut pro parte toties intra paucos dies victa, eisdem animis quibus prius, eodemque eventu pugnavere. plus octo millia hominum cæsa: haud

NOTÆ.

5. *Bigerra.*] Bastitanis tribuitur à Ptolemæo *Bigerra*, qui fuêre in Orientali parte Novæ Castellæ, quâ se in Valentiæ regnum insinuat, *Mancham* hodie vocant. Locum huic oppido assignat Sanso, ubi nunc *Pesquera* non procul Cabriel amne. Ego nominis vestigia secutus puto *Bojaram* ad dextram Succronis, inter Concham ad Septentrionem & Alarcon ad meridiem, sed huic multò propiorem.

1. *Ad Mundam.*] In ulterioris Hispaniæ parte quam Bæticam à Bæti fluvio dixere, ad Mundam fluvium in Bastulis Pœnis fuit *Munda*, victoriâ Cæsaris de Pompeji filiis clarum posteà oppidum: Brietius nomen servare ait: vulgò tamen creditur fuisse, ubi nunc *Ronda viejo*, in regni Granatensis parte Occidentali ad Andalusiæ confinia.

2. *Superque ipso.*] Super Vallo scilicet, seu ad Vallum.

3. *Ad Auringen:*] *Aurinx*, sive *Aurigi*, ut in antiquis inscriptionibus vocatur, Bæticæ urbs fuit sine dubio: qua in parte fuerit, incertum. Clusio & Floriano est *Ariona*, juxta Jaën: Marianæ ipsum *Jaën*, in Andalusia Orientali. Verùm his obstare videtur quòd Pœni à Munda Auringem recessisse dicuntur, id est, in ulteriora Hispaniæ abiisse: hæc autem loca propiora citeriori Hispaniæ quam *Munda*. Beutero igitur libentiùs accesserim, cui *Aurinx* est *Moron*, inter Mundam & Hispalim. v. li. 28. c. 3.

4. *Magone ad conquisitionem militum.*] Si cum præpositione, scribatur *Magone ad conquisitionem militum à fratre misso*: intelligetur fratris nomine Asdrubal Amilcaris filius: & quod sequitur *brevi replevit exercitum*, non incommodè referetur ad superiora *gens nata instaurandis reparandisque bellis*.

5. *Alii plerique milites.*] Legit Valla *Galli plerique*, Gronov. suspicatur *capti plerique*: sed uterque contra Mss. fidem, atque auctoris, ni fallor, sententiam: vult enim *plerosque milites*, qui conquisiti à Magone, novos fuisse; & *alios*, id est, diversos ab iis, qui priùs pugnaverant, victique bis fuerant.

multo minus quam mille capta, & spolia plurima Gallica fuere: annuli aurei, torques armillæque magnus numerus. duo etiam insignes reguli Gallorum (6 Mœnicapto & Civismaro nomina erant) eo prælio ceciderunt. octo elephanti capti, tres occisi. Quum jam res prosperæ in Hispania essent, verecundia Romanos tandem cepit, Saguntum oppidum, quod caussa belli esset, octavum jam annum sub hostium potestate esse. Itaque id oppidum vi pulso præsidio Punico receperunt: cultoribusque antiquis, quos vis reliquerat belli, restituerunt: & Turdetanos qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt, 7 urbemque eorum delevere. Hæc in Hispania, Q. Fabio, M. Claudio Consulibus gesta.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. iv. & M. Marc. iii.

XLIII. Romæ quum tribuni plebis novi magistratum iniissent, extemplo censoribus P. Furio & M. Atilio, à L. Metello tribuno plebis dies dicta ad populum est. quæstorem eum proximo anno adempto equo tribu moverant, atque ærarium fecerant, propter conjurationem deserendæ Italiæ ad Cannas factam. sed novem tribunorum auxilio vetiti caussam in magistratu dicere, dimissique fuerant. Ne lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furii. M. Atilius magistratu se abdicavit. Consularia comitia habita à Q. Fabio maximo consule. creati consules ambo absentes, Q. Fabius Maximus consulis filius, & Ti. Sempronius Gracchus iterum. Prætores fiunt M. Atilius, & qui tum ædiles curules erant, P. Sempronius Tuditanus, & Cn. Fulvius Centumalus, & M. Æmilius Lepidus. Ludos scenicos per quatriduum eo anno primum factos ab curulibus ædilibus, memoriæ proditur. Ædilis Tuditanus hic erat, qui ad Cannas, pavore aliis in tanta clade torpentibus, per medios hostes evasit. Comitiis perfectis auctore Q. Fabio consule designati consules Romam arcessiti magistratum inierunt: senatumque de bello ac provinciis suis prætorumque, & de exercitibus quibus quique præessent, consuluerunt. Itaque provinciæ atque exercitus divisi.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempr.

XLIV. Bellum cum Annibale consulibus mandatum, & exercituum unus, quem ipse Sempronius habuerat, alter quem Fabius Consul. ex binæ erant legiones. M. Æmilius Prætor cujus peregrina sors

N O T Æ.

6. *Mœnicapto.*] Puteanus *Mœnicepta*, & *Vismaro*.

7. *Urbemque eorum.*] Scire vellem quam Turdetanorum urbem intelligat; fuere enim Turdetani inter Hispaniæ totius populos latissimis finibus in Bætica Septentrionali & Beturia, atque adeo in Lusitania: eorumque urbes tres saltem, & quadraginta numerat Ptol. Verùm hoc belli Punici tempore terminos inter angustiores inclusi, exiguam tantùm Bæticæ partem tenuisse videntur, & fortè eam ubi post Turdulorum pars versus ortum ad Oretanorum Bastitanorumque confinia: ne nimiùm absuerint à Sagunto, cui bellum conflasse ante quadriennium dicuntur. Reliqua ut ex superioribus constat *Olcades* magnam partem hoc tempore tenebant: nisi velis hic pro Turdetanis, quorum nomen alibi ferè incognitum Livio, legi *Edetanos*, quorum intra fines Saguntus. Olcades tamen cum urbe Cartheja ad lævam Tagi ponunt Sanso & Brietius, qui oppidum *Ocafia* interpretatur.

Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempr.

erat. [1] jurisdictione M. Atilio collegæ prætori urbano mandatâ, Luceriam provinciam haberet, legionesque duas, quibus Q. Fabius, qui tum consul erat, prætor præfuerat. Prætori Sempronio provincia [2] Ariminum, Cn. Fulvio Suessula, cum binis item legionibus evenerunt: ut Fulvius urbanas legiones duceret, Tuditanus à M. Pomponio acciperet. Prorogata imperia provinciæque, M. Claudio Sicilia, finibus eis quibus regnum Hieronis fuisset. Lentulo Proprætori [3] provincia vetus: T. Otacilio classis: exercitus nulli additi novi: M. Valerio Græcia Macedoniaque, cum legione & classe, quam haberet: Q. Mucio cum vetere exercitu (duæ autem legiones erant) Sardinia: C. Terentio legio una cui jam præerat, & Picenum. Scribi præterea duæ legiones urbanæ jussæ, & viginti millia sociorum. His ducibus, his copiis, adversus multa simul, aut mota aut suspecta bella, munierunt Romanum imperium. Consules duabus urbanis legionibus scriptis, supplementoque in alias lecto, a priusquam ab urbe moverent, prodigia procurarunt, quæ nunciata erant. [4] Murus ac portæ tactæ, & Ariciæ etiam Jovis ædes de cœlo tacta fuerat. ET ALIA LUDIBRIA oculorum auriumque credita pro veris: navium longarum species in Jovis Vicilini templo, quod in Compsano agro est, arma concrepuisse: & [5] flumen Amiterni cruentum fluxisse. His procuratis ex decreto pontificum profecti consules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius, Pater filio legatus [6] ad Suessulam in castra venit. quum obviam filius progrederetur, lictoresque verecundia majestatis ejus taciti anteirent; præter undecim fasces equo prævectus senex, ut consul [7] animadvertere [8] proximum lictorem jussit, & is, ut desc-

INTERPRETATIO.

a *Antequàm discederent ab urbe:*

NOTÆ:

1. *Collegæ jurisdictione M. Atilio, &c.*] Jamdiu igitur Prætores duo in urbe jus dicebant, Vrbanus inter cives, Peregrinus inter peregrinos, sive inter se, sive cum civibus Romanis litigarent: poteratque alter alteri jurisdictionem suam mandare.

2. *Ariminum.*] Finis Galliæ Cisalpinæ & Italiæ Rubico fuit: citra quem *Ariminum*, vulgò *Rimini* in extrema Vmbria.

3. *Provincia vetus.*] Pars nempe Siciliæ ad Occasum versa, & quæ jam tum Romanis parebat maxima ex parte, Carthaginientibus pulsis.

4. *Murus ac portæ tactæ.*] Romæ scilicet.

5. *Et flumen Amiterni.*] Fuit *Amiternum* opp. Sabinorum ad fontes *Aterni* fl. qui nunc *Pescara*, in Vestinorum confinio. Vrbis ruinæ apud oppidulum, quod vulgò *S. Vittorino* in Aprutio ulter.

6. *Ad Suessulam.*] Prope Apuliam fuit *Suessula* in Campaniæ Samniique finibus, sed eà in Apuliam ibatur.

7. *Animadvertere .... jussit.*] Procedente magistratu, tria erant Lictorum præcipua munera, *praire, submovere* turbam, quod cum strepitu & imperio quodam fiebat; & *animadvertere*, id est, monere ut suus magistratui cuique honos exhiberetur, decedendo de via, assurgendo, descendendo ex equo aut curru, &c.

8. *Proximum lictorem.*] Lictores ante magistratum ibant, non turmatim, sed singuli, & in lineam; ut ultimus, qui præcipuæ dignationis, proximus esset magistratui.

cenderet ex equo, inclamavit; tum demum desiliens, *Experiri*, inquit, *volui, fili, satin scires consulem te esse*. Urb. cond. an. 539. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempr.

XLV. In ea castra [1] Dasius Altinius Arpinus clam nocte cum tribus servis venit, promittens, [a] *si sibi præmio foret, se Arpos proditurum esse*. Quum eam tunc rem ad consilium retulisset Fabius, aliis *pro transfuga verberandus necandusque videri*, [b] *ancipitis animi communis hostis. qui post Cannensem cladem, tanquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem discessisset, traxissetque ad defectionem Arpos: tum post aquam res Romana contra spem votaque ejus velut resurgeret, turpius videatur* [c] *novam referre proditionem proditis olim: qui aliunde stet semper, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis*, [2] *ad Faleriorum*, [3] *Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum esset*. Contra ea consulis pater Fabius, *temporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquam in pace* [d] *libera de quoque arbitria agere*, ajebat: *Quum illud potius agendum atque eis cogitandum sit; si quo modo fieri possit, ne qui socii à populo Romano desciscant*, [4] *& non vocitent. documentum autem ducant statui oportere, siquis resipiscat, & antiquam societatem respiciat. Quod si abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat; cui dubium esse, quin brevi deserta ab sociis Romana res fœderibus Punicis omnia in Italia juncta visura sit? Se tamen non eum esse, qui Altinio fidei quicquam censeat habendum, sed mediam* [5] *consecuturum consilii viam. neque eum pro hoste, neque pro socio in præsentia habitum, libera custodia haud procul à castris placere in aliqua fida civitate servari per belli tempus: perpetrato bello, tum consultandum, utrum defectio prior plus merita sit pœnæ, an hic reditus veniæ*. Fabio assensum est. [6] catenisque ligatus, traditur & ipse & comites: & auri satis magnum pondus, quod secum tum attulerat, ei servari jussum. Calibus eum interdiu solutum custodes se-

INTERPRETATIO.

a *Si ea res remuneratione non careret.*

b *Perinde hostis Romanorum ac Pœnorum, cujus animus semper in ancipiti.*

c *Qui* Romanis, *quos anteà prodiderat, materi turpitudine efferat se nunc proditurum Pœnos; quique perpetuò partes aliorum palàm amplectatur, aliorum* contrarias partes *animo foveat.*

d Ait *Fabius pater quosdam* Romanorum (ipsum nempe Q. Fabium filium consulem) *non animadvertentes pro temporum varia conditione variè agendum esse nunc*, licèt *ardente bello* tamen *tanquàm in plenâ pace, velle uti libera de unoquoque pro libito decernendi potestate.*

NOTÆ.

1. *Dasius Altinius Arpinus.*] Ita scribendum Gronov. censet; non ut vulg. *Cassius Alpinus Arpinas*. Non enim Cassius dicebatur, nec Arpini civis erat, sed Arporum Apuliæ civitatis.

2. *Ad Faleriorum.*] De Faliscorum puerorum magistro proditore ad patres eorum remisso per Camillum supra lib.5. c. 27.

3. *Pyrrhive.*] Fabricius Pyrrho Epirotarum regi proditionem medici indicaverat, Livii epit. 13. Plut. in Pyrrho. Eutrop. lib.2. cap. 18. Id Florus Curio tribuit.

4. *Et non vocitent.*] An modò hos, modò illos non advocent, & partes mutent? an potiùs scribendum, *non vacillent*?

5. *Consecuturum.*] Compositum pro simplici *secuturum*.

6. *Catenisque ligatus.*] Altinius,

Urb. Cond. ann. 539. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempr.

quebantur: nocte clausum asservabant. Arpis domi primum desiderari quærique est cœptus: dein fama per totam urbem vulgata, tumultum ut principe amisso fecit: metuque rerum novarum extemplo nuncii ad Annibalem missi. Quibus *a* nequaquam offensus Pœnus, quia & ipsum, ut ambiguæ fidei virum suspectum jam pridem habebat, & caussam nactus erat tam ditis hominis bona possidendi vendendique; cæterum ut iræ magis quam avaritiæ datum crederent homines, crudelitati quoque gravitatem addidit: conjugemque ejus ac liberos in castra accitos, quæstione prius habita, primum de fuga Altini, dein quantum auri argentique domi relictum esset, satis cognitis omnibus, vivos combussit.

Vrb. cond. an. 540. Coss. Q. Fab. Max. Ti. Sempr. Graccho II.

XLVI. Fabius ab Suessula profectus, Arpos primum instituit oppugnare. ubi quum mille ferè passibus castra posuisset, contemplatus ex propinquo situm urbis mœniaque; quæ pars tutissima mœnibus erat, qua maximè neglectam custodiâ vidit, ea potissimum aggredi statuit. Comparatis omnibus, quæ ad urbes oppugnandas usui sunt, centurionum robora ex toto exercitu delegit, tribunosque viros fortes eis præfecit; & milites sexcentos, quantum satis visum est, attribuit. eosque, ubi quartæ vigiliæ signum cecinisset, ad eum locum scalas jussit ferre. Porta ibi humilis & angusta erat; via infrequenti per desertam partem urbis: eam portam scalis prius transgressos, ad murum pergere, & ex interiore parte vi claustra refringere jubet, & tenentes partem urbis, cornu signum dare, ut cæteræ copiæ admoverentur. parata omnia atque instructa sese habiturum. Ea impigre facta: & quod impedimentum agentibus fore videbatur, id maximè ad fallendum adjuvit. imber ab nocte media coortus, custodes vigilesque, dilapsos è stationibus, suffugere in tecta coegit, sonituque primo largioris procellæ strepitum molientium portam exaudiri prohibuit: *a* lentior deinde æqualiorque accidens auribus, magnam partem hominum sopivit. Postquam portam tenuerunt, cornicines in via paribus intervallis dispositos canere jubent, ut consulem excirent. Id ubi factum ex composito est; signa efferri consul jubet, ac paulò ante lucem per effractam portam urbem ingreditur.

XLVII. Tum demum hostes excitati sunt; jam & imbre conquiescente, & propinqua luce. Præsidium in urbe erat Annibalis, quinque millia ferme armatorum: & ipsi Arpini tria millia hominum armabant. eos primos Pœni, ne quid ab tergo fraudis esset, hosti opposuerunt. Pugnatum primò in tenebris augustisque viis est: quum Romani non vias tantum, sed tecta etiam proxima portæ occupassent, ne peti su-

INTERPRETATIO.

a *Minùs crebro & æquabiliori sonitu ad aures perveniens.*

NOTÆ.

7. *Nequaquam offensus.*] Vult haud gravate id accepisse Annibalem, non sane quod eam defectionem probaret, sed quod Altinium amotum, ejusque bona invadendi occasionem sibi datam lætaretur.

perne

Urb. cond. an. 540. Coss. Q. Fab. Max. Ti. Sempr. Gracc. II.

perne ac vulnerari possent. Cogniti inter se quidam Arpinique & Romani, atque inde colloquia cœpta fieri: percunctantibus Romanis, *quid sibi vellent Arpini, quam ob noxam Romanorum, quod aut meritum Pœnorum, pro alienigenis ac barbaris, Italici adversus veteres socios Romanos bellum gererent, & vectigalem ac stipendiariam Italiam Africæ facerent*; Arpinis purgantibus, *ignaros omnium se venum à principibus datos Pœno, captos oppressosque à paucis esse*; [a] initio orto, plures cum pluribus colloqui. postremo prætor Arpinus ab suis ad consulem deductus; fideque data inter signa aciesque Arpini repente pro Romanis adversus Carthaginienses arma verterunt. Hispani quoque paulò minus mille homines, nihil præterea cum consule pacti, quam ut sine fraude Punicum emitteretur præsidium; ad consulem transtulerunt signa. Carthaginiensibus portæ patefactæ, emissique cum fide incolumes ad Annibalem, Salapiam venerunt. Arpi sine clade ullius, (præterquam unius veteris proditoris, novi perfugæ,) restituti ad Romanos, Hispanis duplicia cibaria dari jussa: operaque eorum forti ac fideli persæpe respublica usa est. Quum consulum alter in Apulia, alter in Lucanis esset; equites centum ac duodecim nobiles Campani, per speciem prædandi ex hostium agro; permissu magistratuum ab Capua profecti, ad castra Romana, quæ super Suessulam erant, venerunt. stationi militum qui essent, dixerunt, *colloqui se cum prætore velle*. Cn. Fulvius castris præerat: cui ubi nunciatum est, decem ex eo numero jussis inermibus deduci ad se; ubi quæ postularent, audivit, (nihil autem aliud petebant, quam ut Capuâ receptâ bona sibi restituerentur) in fidem omnes accepti. Et ab altero prætore Sempronio Tuditano oppidum [1] Aternum expugnatum. amplius septem millia hominum capta, & æris argentique signati aliquantum. Romæ fœdum incendium per duas noctes ac diem unum tenuit: solo æquata omnia [2] inter Salinas ac portam Carmentalem, cum Æquimelio [3] Jugarioque vico. in templis Fortunæ ac matris Matutæ & Spei [4] extra portam, latè vagatus ignis sacra profanaque multa absumpsit.

XLVIII. Eodem anno P. & Cn. Cornelii, quum in Hispania res prosperæ essent, multosque & veteres reciperent socios, & novos adjicerent, in

INTERPRETATIO.

a *Facto* colloquendi *initio*.

NOTÆ.

1. *Aternum.*] In Marrucinis fuit Aternum oppidum, à flumine, cujus ostiis imminet, sic dictum. Commune fuit eorum Vestinorumque Emporium; hodie *Pescara*, in Aprutio Citeriori.

2. *Inter Salinas.*] Id est, à Capitolini ferè montis radicibus, ad Tiberim fluvium. Salinæ dicebantur Romæ locus ubi sal venale, *inter Aventinum ac Tiberim*.

3. *Jugarioque.*] *Jugarius* vicus, quo ab Æquimelio ad Tiberim ibatur, nomen accepit à templo Junonis, Jugæ cognomine, id est, Jugalis.

4. *Extra portam.*] *Carmentalem*, de qua suprà.

Urb. cond. ann. 540. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempr. Gracc. II.

Africam quoque spem extenderunt. Syphax erat [1] rex Numidarum, subito Carthaginiensibus hostis factus:[a] ad eum centuriones tres legatos miserunt, qui cum eo amicitiam societatemque facerent: & pollicerentur, si perseveraret urgere bello Carthaginienses; gratam eam rem fore senatui populoque Romano, & adnixuros, ut in tempore, & bene cumulatam gratiam referant. Grata ea legatio barbaro fuit: collocutusque cum legatis de ratione belli gerundi; ut veterum militum verba audivit, quam multarum rerum ipse ignarus esset, ex comparatione tam ordinatæ disciplinæ animum advertit. Tum primum, ut pro bonis ac fidelibus sociis facerent, oravit, *ut duo legationem referrent ad imperatores suos: unus apud sese magister rei militaris remaneret. rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem. Ita jam inde à principiis gentis majores suos bella gessisse: ita se à pueris insuetos: sed habere hostem pedestri fidentem Marte. cui si æquari robore virium velit, & sibi pedites comparandos esse, & ad id multitudine hominum regnum abundare: sed armandi ornandique & instruendi eos artem ignorare omnia, velut, fortè [2] congregatâ turbâ, vasta ac temeraria esse.* Facturos se in præsentia quod vellet, legati responderunt fide accepta, ut remitteret extemplo eum, si imperatores sui non comprobassent factum. Q. Statorio nomen fuit, qui ad regem remansit. Cum duobus Romanis, [b] [3] relata; Numidasque legatos in Hispaniam misit ad accipiendam fidem ab imperatoribus Romanis.

INTERPRETATIO.

a *Missi sunt* à Scipionibus *ad Syphacem tres legati ex Centurionum numero.*
b *Si ab iisdem relata sive narrata.*

NOTÆ.

1. *Rex Numidarum.*] Plures fuere Numidarum populi: celeberrimi *Massyli* & *Massæsyli* ex Strabone. Horum rex Syphax, illorum Masanissa, ut probat Sigonius ex veteribus libris Livianis, & Epitomarum. Tota regio inter Africam propriè dictam & Mauritaniam sita fuit; & *Massæsylorum* regionem à Mauritania interfluente Molochath flumine dividi auctor est idem Strabo lib. 17. ex quo eruitur Syphaci Occidentalem Numidiam paruisse: in illa fuit in primis *Siga*; in hac *Zama* Jubæ regia. Transiit post Numidia sub imperatoribus in Mauritaniæ nomen; tum Cæsariensis, quæ ad occasum; tum Sitifensis quæ ad ortum: illa Algerii; hæc Bugiæ, regnum hodie vocatur.

2. *Congregatâ turbâ vasta ac temeraria esse.*] Legit Salmas. *turba vasca,* ex glossario manuscripto, ex quo profert *vascum*, inane, leve. At Gelen. corruptum esse non dubitat, & *vastum inane*, scribendum censet. Et sanè *vastum* sumitur pro *agresti*, incomposito, inconditо; sic enim Cic. 1. de Oratore, *sunt quidam ..... vultu motuque corporis vasti atque agrestes.* Et ibid. *Vastum hominem atque fœdum* Et 3. de Orat. *Non vastè, non rusticè:* unde hoc loco scripsisse Livium existimat *omnia velut congregatâ fortè turba, vasta ac temeraria esse*; Gronov. mavult, *Vesca*. Est enim *vescus* idem quod infirmus, sive tenuis, exilis, imbecillus, ut apud Virg. 3. Georgi. *Vescas Salicum frondes.* Et 4. Georg. *Vescumque papaver.*

3. *Relata.*] Tentari posset, num scribendum *rata ea*, id est, rem sibi convenisse, cùm his duobus, scripsit ad Sciopiones Syphax.

Vrb. Cond. ann. 540. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempron. Gracc. 11.

iisdem mandavit, ut protinus Numidas, qui intra præsidia Carthaginiensium auxiliares essent, ad transitionem perlicerent. Et Statorius ex multa juventute regi pedites conscripsit: ordinatosque proximè morem Romanum, instruendo & decurrendo signa sequi, & servare ordines docuit; & operi [4] aliisque institutis militaribus ita assuefecit; ut brevi rex non equiti magis fideret, quam pediti: collatisque æquo campo signis, justo prælio Carthaginiensem hostem superaret. Romanis quoque in Hispania legatorum regis adventus magno emolumento fuit. namque ad famam eorum, transitiones crebræ ab Numidis cœptæ fieri. Ita cum Syphace Romanis juncta amicitia est. Quod ubi Carthaginienses acceperunt, extemplo ad Galam [5] in parte altera Numidiæ ([6] Massyla ea gens vocatur) regnantem, legatos mittunt.

XLIX. Filium Gala Masanissam habebat, septem & decem annos natum, cæterum juvenem ea indole, ut jam tum appareret latius regnum opulentiusque quam accepisset, facturum. Legati, quoniam Syphax se Romanis junxisset, ut potentior societate eorum adversus reges populosque Africæ esset, docent, *melius fore Galæ quoque Carthaginiensibus jungi quanprimum; antequam Syphax in Hispaniam, aut Romani in Africam transeant, opprimi Syphacem, nihil dum præter nomen ex fœdere Romano habentem, posse*. Facile persuasum Galæ, filio deposcente id bellum, ut exercitum mitteret: qui Carthaginiensium legionibus conjunctis, magno prælio Syphacem devicit. Triginta millia eo prælio hominum cæsa dicuntur. Syphax cum paucis equitibus [1] in Maurusios ex acie Numidas (extremi prope Oceanum adversus Gadeis colunt) refugit: affluentibusque ad famam ejus undique barbaris ingentes brevi copias armavit. cum quibus antequam in Hispaniam angusto [2] diremptam freto trajiceret; Masanissa cum victore exercitu advenit. isque ibi cum Syphace ingenti gloria per se, sine ullis Carthaginiensium opibus, gessit bellum. In Hispania nihil memorabile gestum, præterquam quod Celtiberûm juventutem eadem mercede, qua pacta cum Carthaginiensibus erat, Imperatores Romani ad se perduxerunt: & nobilissimos Hispanos, supra trecentos

N O T Æ.

4. *Aliisque institutis militaribus*.] In scriptis & in editione Romana Andreæ est, *justis militaribus*, ut *Justa* dicantur pro iis quæ ex recepto more, ac rectè, atque ad rem convenienter fiunt. Qua de re Gronov. 4. observat. 6.

5. *In parte altera Numidiæ*.] Hæc pars Carthaginiensibus propior ab fluvio *Amsaga* ad *Tuscam*.

6. *Massyla*.] Hi Massyli Numidiam strictiùs sumptam incolebant in finibus Africæ propriè dictæ.

1. *In Maurusios*.] Iidem sunt *Maurusii* cum Mauris, Mauritaniæ antiquæ incolis, quæ post Romanis *Tingitana*: hodie regna *Fessa* & *Marochi*, Barbariæ pars maximè Occidentalis. Numidiæ nomen huc quoque porrigere videtur Livius, contra quàm cæteri scriptores.

2. *Diremptam freto*.] *Fretum* per antonomasiam dicitur *Herculeum*, sive *Gaditanum*: nobis hodie *Destroit de Gibraltar*; quod exiguo intervallo Africam ab Europa disjungit.

Vrb. cond. an. 540. Coss. Q. Fab. Max. & Ti. Sempron. Gracc. II.

in Italiam ad sollicitandos populares, qui inter auxilia Annibalis erant, miserunt. Id modo ejus anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem antè, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt.

FINIS LIBRI XXIV.



TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXV.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

P. Cornelius Scipio, postea Africanus, *ante annos ædilis factus est. Annibal urbem Tarentum, præter arcem, per Tarentinos juvenes, qui se noctu venatum ire simulaverant, cepit. Ludi Apollinares ex Marcii carminibus, quibus Cannensis clades prædicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fulvio & Ap. Claudio consulibus, adversus Hannonem Pœnorum ducem prospere pugnatum est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul ab hospite suo Lucano in insidias deductus, à Magone interemptus est. Centenius Penula, qui centurio militaverat, quum petisset à senatu ut sibi exercitus daretur, pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Annibale victoriam; octo millibus acceptis, militum dux factus, conflixit acie cum Annibale; & cum exercitu casus est. Cn. Fulvius prætor male adversus Annibalem pugnavit. in quo prælio hominum sexdecim millia ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est à Q. Fulvio, & Ap. Claudio Consulibus. Claudius Marcellus Syracusas expugnavit anno tertio, & ingentem se virum gessit. in eo tumultu urbis captæ, Archimedes intentus formis, quas in pulvere descripserat, interfectus est. P. & Cn. Scipiones in Hispania tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt: prope cum totis exercitibus cæsi, anno octavo, quam in Hispaniam iverant. amissaque provincia possessio foret, nisi L. Marcii equitis Romani virtute, & industria, contractis exercituum reliquiis, ejusdem hortatu, bina castra hostium expugnata essent. Ad triginta septem millia cæsi, ad mille octingentos triginta capti. præda ingens parta. Dux Marcius appellatus est.*

Urb. cond. an. 540. Coss. Q. Fab. Max. & Tib. Sempr.

I. DUM hæc in Africâ atque in Hispania geruntur, Annibal in agro Tarentino æstatem consumpsit; spe per proditionem urbis Tarentinorum potiundæ. [1] ipsorum interim Sallentinorum ignobiles urbes ad eum defecerunt. Eodem tempore in Bruttiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos desciverant, Consentini & [2] Thurini in fidem populi Romani redierunt, & plures rediissent, ni L. Pomponius Vejentanus præfectus sociûm, prosperis aliquot populationibus in agro Brutio justi ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto, cum Hannone conflixisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditæ turbæ agrestium servorumque, cæsa aut capta est: minimumque jacturæ fuit, quod præfectus inter cæteros est captus, & tum temerariæ pugnæ auctor, & ante publicanus, omnibus malis artibus & reipubl. [3] & societatibus infidus, damnosusque. Sempronius Consul in Lucanis multa prælia parva, haud ullum dignum memoratu fecit: & ignobilia oppida Lucanorum aliquot expugnavit. Quo diutius trahebatur bellum, & variabant secundæ adversæque res, non fortunam magis quam animos hominum; TANTA RELIGIO, & ea magna ex parte externa, civitatem incessit, ut aut homines, aut Dii repente alii viderentur facti. nec jam in secreto modo atque [4] intra parietes contemnebantur Romani ritus; sed in publico etiam ac foro Capitolioque, mulierum turba erat, nec sacrificantium nec precantium Deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes: quorum numerum auxit rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris, egestate & metu in urbem compulsa: [5] & quæstus ex alieno errore facilis, quem velut ex concessæ artis usu exercebant. Primò secretæ bonorum indignationes exaudiebantur, deinde ad Patres etiam & ad publicam querimoniam, excessit res. Incusati gra-

NOTÆ.

1. *Ipsorum interim Sallentinorum.*] *Ipsorum* nomine intelligi debent Tarentini, de quibus in fine prioris periodi: ideo Ruben. conjunctionem addit, *ipsorum interim & Sallentinorum.*

2. *Thurini.*] At nondum Thurini ad Pœnos desciverant, sed anno demum sequente, ut probat Sigonius ex cap. 15. hujus libri: unde ratiocinatur legendum *Terinai*; Terinam enim Brutiorum urbem, (à qua sinus Terinæus), in potestatem Annibalis unà cum Consentia venisse, atque ab eo deinde eversam, quòd eam se tueri posse desperaret, testis est Strabo lib. 6. Hodie *Mocera* inter Marturanum & Turrem, ad mare Tyrrhenum, in extremis Calabriæ citerioris ad meridiem finibus.

3. *Et societatibus infidus.*] Societatibus nempe Publicanorum, quibus innexus fuerat, & quorum negotia non ex fide gesserat.

4. *Intra parietes contemnebantur.*] Ita scripti. Vulgò *inter parietes ac postes*: ubi *parietes* intelligere possis privatos; at *postes* videntur dici de templis. Sed cùm parùm sint emendatæ scripturæ veterum Codicum (in quibus Colb. habet *intrà parietes ab hoste tenebantur*) legendum Gronov. putat, *atque intra parietes abolebantur Romani ritus.*

5. *Quæstus ex alieno errore facilis.*] Gall. *La facilité que trouvoient ces Estrangers à profiter de la superstition du peuple.*

Urb. cond. an. 540. Coss. Q. Fabio Max. & Tib. Sempr.

viter ab senatu ædiles triumvirique capitales, quod *non prohiberent*; quum emovere eam multitudinem è foro, ac disjicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul absuit quin violarentur. Ubi potentius jam esse id malum apparuit, [6] quam ut minores per magistratus sedaretur; M. Atilio Prætori urbis negotium ab senatu datum est, ut *his religionibus populum liberaret*. Is & in concione senatusconsultum recitavit, & edixit, *Ut quicumque* [a] *libros vaticinos precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasque ad se ante Calendas Apriles deferret: neu quis in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret.*

II. Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt: L. Cornelius Lentulus pontifex maximus, & C. Papirius C. F. Masso pontifex, & P. Furius Philus augur, & C. Papirius, Lucii filius Masso, decemvir sacrorum. In Lentuli locum Marcus Cornelius Cethegus, in Papirii Cn. Servilius Cæpio, pontifices suffecti sunt. augur creatus L. Quintius Flaminius. [1] decemvir sacrorum L. Cornelius Lentulus. Comitiorum consularium jam appetebat tempus; sed quia consules à bello intentos avocare non placebat, Ti. Sempronius comitiorum caussa dictatorem dixit C. Claudium Centonem. ab eo magister equitum est dictus Q. Fulvius Flaccus. Dictator primo comitiali die creavit consules, Q. Fulvium Flaccum magistrum equitum, & Ap. Claudium Pulcrum, cui Sicilia provincia in prætura fuerat. Tum prætores creati Cn. Fulvius Flaccus, C. Claudius Nero, M. Junius Silanus, P. Cornelius Sulla. Comitiis perfectis, dictator magistratu abiit. Ædilis curulis fuit eo anno cum M. Cornelio Cethego, [2] P. Cornelius Scipio, cui post *Africano* fuit cognomen. huic petenti ædilitatem quum obsisterent tribuni plebis, *negantes rationem ejus habendam esse, quod* [3] *nondum ad petendum legitima ætas esset*: *Si me*, inquit, *omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum habeo*. Tanto inde favore ad suffragium ferendum in tribus discursum

INTERPRETATIO.

a *Divinatorios Codices*.

NOTÆ.

6. *Quàm ut Minores per magistratus.*] Non tantum Triumviri capitales qui in foro de servorum aliorumque vilium hominum criminibus cognoscebant: sed Ædiles Curules, quamvis de rebus vænalibus cognoscerent, minoribus magistratibus connumerabantur comparatione Consulum, Prætorum, &c.

1. *Decemvir sacrorum*.] Qui priùs Duumviri libris Sibyllinis, seu fatidicis inspiciendis, & sacris ex eorum monitu curandis præpositi erant; posteà aucto numero Decemviri facti sunt an. u. c. 380. ita ut quinque ex patriciis, totidem ex plebejis crearentur:

2. *P. Cornelius Scipio.*] Auctor est lib. 10. Polyb. Pub. Scipionem cum Luc. Scipione fratre ædilem fuisse, idque observat etiam Vellejus lib. 2. quod omnino rarum, ut collegæ fratres essent.

3. *Nondum ad petendum legitima esset.*] Ex lege Annali ædilitatem petere non poterant nisi qui annos septem ac triginta nati essent, quemadmodum majoribus magistratibus ad quos per ædilitatem aditus, anni præfiniti erant, Prætoribus quadragesimus, Consulibus tertius supra quadragesimum.

Urb. cond. an. 540. Coss. Q. Fab. Max. & Tib. Sempron.

est, ut tribuni repente incoepto destiterint. 4 Ædilitia largitio hæc fuit; Ludi Romani pro temporis illius copiis magnifice facti, & diem unum instaurati, & 5 congii olei in vicos singulos dati. L. Villius Tapulus & M. Fundanius Fundulus, ædiles plebeji, aliquot matronas ad populum probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas in exilium egerunt. Ludi plebeji per biduum instaurati, & Jovis epulum fuit ludorum causâ.

III. Q. Fulvius Flaccus tertium, Ap. Claudius consulatum ineunt. Et prætores provincias sortiti sunt; P. Cornelius Sulla urbanam & peregrinam, quæ duorum ante sors fuerat: Cn. Fulvius Flaccus Apuliam, C. Claudius Nero Suessulam, M. Junius Silanus Tuscos. Consulibus bellum cum Annibale & binæ legiones decretæ: alter à Q. Fabio superioris anni consule, alter à Fulvio Centumalo acciperet. Prætorum, Fulvi Flacci, quæ Luceriæ sub Æmilio prætore, Neronis Claudii, quæ in Piceno sub C. Terentio fuissent, legiones essent. supplementum in eas quisque scriberet sibi. M. Junio in Tuscos legiones urbanæ prioris anni datæ. T. Sempronio Graccho & P. Sempronio Tuditano imperium provinciæque Lucani & Galliæ cum suis exercitibus prorogatæ: item Publio Lentulo, qua vetus provincia in Sicilia esset; M. Marcello Syracusæ, & qua Hieronis regnum fuisset: T. Otacilio classis: Græcia M. Valerio: Sardinia Q. Mucio Scævolæ: Hispaniæ P. & Cn. Corneliis. Ad veteres exercitus duæ urbanæ legiones a consulibus scriptæ, summaque trium & viginti legionum eo anno effecta est. a Delectum consulum, M. 1 Postumii Pyrgensis cum magno prope motu rerum factum impediit. Publicanus erat Postumius, qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem in civitate habuerat, præter L. Pomponium Vejentanum, quem populantem temere agros in Lucanis, ductu Hannonis priore anno ceperant Carthaginienses. Hi, b quia publicum periculum erat à vi tempestatis in iis quæ portarentur ad exercitus; 2 & ementiti erant falsa naufragia, & ea ipsa quæ vera renunciave-

INTERPRETATIO.

a *Factum M. Postumii Pyrgensis impedimento fuit cum tumultu ingenti, ne consules delectum militum agerent.*

b *Quoniam Respublica periculum in se susceperat tempestatis, quantùm ad ea quæ mari vehebantur ad exercitus.*

NOTÆ.

4. *Ædilitia largitio.*] Solebant Ædiles, quo sibi ad majores dignitates viam aperirent, populum sibi demereri editis quantâ quisque poterat magnificentiâ, ludis, & aliqua prætereà munificentia, ut hic *olei*.

5. *Congii olei.*] Erat *Congius* octava pars amphoræ, ac libras Romanas decem, sive uncias centum & viginti continebat.

1. *Postumii Pyrgensis.*] Sic dictus opinor à Patria, nempe *Pyrgis* Etruriæ oppido maritimo, quod fuit inter Castrum novum & Cæretani amnis ostium, ubi nunc *S. Severa*, in Patrimonio S. Petri.

2. *Ementiti erant falsa naufragia.*] Sic Meliores Codices habent, Gronòv. probante, quem non offendit Pleonasmus ille *ementiti falsa*. Vulgati *facta naufragia*. Id est, facta fuisse naufragia.

rant,

rint, fraude ipsorum facta erant, non casu; in veteres quassasque naves paucis & parvi pretii rebus impositis, quum mersissent eas in alto, exceptis in præparatas scaphas nautis, multiplices fuisse merces, ementiebantur. Ea fraus indicata M. Atilio Prætori priore anno fuerat, ac per eum ad senatum delata; nec tamen ullo senatusconsulto notata: quia Patres ordinem publicanorum in tali tempore offensum nolebant. 3 Populus severior vindex fraudis erat; excitatique tandem duo tribuni plebis Sp. & L. Carvilii quum rem invisam infamemque cernerent, 4 ducentûm millium æris mulctam M. Postumio dixerunt. 5 cui certandæ quum dies advenisset, consiliumque tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet; perorata caussâ, spes una videbatur esse, si C. Servilius Casca tribunus plebis, qui propinquus cognatusque Postumio erat, prius quam ad suffragium tribus vocarentur, intercessisset. 6 Testibus datis, tribuni populum summoverunt; 7 sitellaque allata est, ut sortirentur, 8 ubi Latini suffragium ferrent. Interim publicani Cascæ instare, ut c consilio diem eximeret. populus reclamare: &

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claudio.

INTERPRETATIO.

c *Ut* dicendo, vel alia ratione *impediret ne quid eo die* tributis illis comitiis *conficeretur*. At plebs contra *nitebatur*. *Casca primus extremam partem sedilis*, in quo Tribuni erant, *casu occupabat*.

NOTÆ.

3. *Populus severior vindex fraudis erat.*] Supple, *futurus*: & *populi* nomine intelligitur *plebs*, nam tribuni plebis eam ad comitia tributa eâ de re vocaverant.

4. *Ducentûm millium æris mulctam.*] Pronunciabant hanc mulctam tribuni, ac dicebant: quam deinde populus aut irrogabat, aut remittebat, ut ostendit Sigon. ex Cicerone 3. de legib. & Philipp. 2. *Ducenta* autem *millia æris* eo tempore respondebant libris nostratibus 5833. additis 6. assibus, ac denariis 8.

5. *Cui certandæ.*] Vulgò *cujus certandæ*; sed parùm refert: hic *certare* est disceptare de mulcta à magistratu dicta: eòque pertinet illud Cic. antè laudati. *Cùm magistratus judicassit, irrogassitve, mulcta pœna certatio esto.*

6. *Testibus datis.*] Sic scripti, inquit Gronov. Maguntiacenses, & qui secuti sunt, maluerunt *Testulis datis*: sed melior videtur prior lectio; nam Cic. 2. de finib. *cùm datis testibus, alii tamen citarentur*. Et Livius lib. 3. *Jamque editis testibus, cum tribus vocari, & populum inire suffragia oporteret*. Alia exempla Sigon. suggerit. Itaque Tribuni plebis, post testes editos, populum submovent, ut Tribus ad suffragandum vocentur.

7. *Sitellaque allata est.*] Vulgò legitur, *cistellaque allata est*, eodem sensu: Cicero quippe Sitellæ nomine utitur lib. 1. de nat. Deorum. *Tiberium Gracchum cùm videor concionantem in Capitolio videre de M. Octavio deferentem sitellam*. ὑδρίας vocat Plut. id est, *urnas*. Sitellâ Tribus sortiebatur, qui legem ferebat, ut eam in suffragium mitteret cujus nomen primum exiisset: in Cistas autem sive Cistellas populus tabellas sui suffragii mittebat per pontes transiens. Unde apud auctorem Rhetoricor. ad Herenn. *pontes disturbat, cistas dejicit*. Multi autem erant pontes, multæque cistæ, cùm multæ essent tribus, quemadmodùm Turnebus observat 13. adversf. 13.

8. *Ubi Latini suffragium ferrent.*] Hæc non placent Gronovio, qui scribendum existimat, *ut sortirentur tribus ac dein suffragium ferrent*. Ut sortiti intelligantur tribuni quæ esset tribus prærogativa: Latinos hic nullos admittit. Potuere tamen ex Latinis urbibus civitate donatis, multi in urbe esse, & invitanti-

Urb. cond. an. 54[.] Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl.

forte in cornu primus sedebat Casca, cui simul metus pudorque animum versabat. Quum in eo parum præsidii esset, turbandæ rei caussâ publicani [9] per vacuum, in summoto locum cuneo irruperunt; jurgantes simul cum populo tribunisque. Neque procul dimicatione res erat, quum Fulvius consul tribunis, *Nonne videtis*, inquit, [10] *vos in ordinem coactos esse, & rem ad seditionem spectare, ni properè dimittitis plebis concilium?*

IV. Plebe dimissa, senatus vocatur, & consules referunt de consilio plebis turbato, vi atque audacia publicanorum. *M. Furium Camillum, cujus exilium ruina urbis secuta fuerit, damnari se ab iratis civibus passum esse. Decemviros ante eum, quorum legibus ad eam diem viverent, multos postea principes civitatis judicium de se populi passos. Postumium Pyrgensem suffragium populo per vim extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coëgisse, contra populum Romanum* [1] *aciem introduxisse, locum occupasse, ut tribunos à plebe intercluderet, tribus in suffragium vocari prohiberet. Nihil aliud à cæde ac dimicatione continuisse homines, nisi patientiam magistratuum, quod cesserint in præsentia furori atque audaciæ paucorum, vincique se ac populum Romanum passi sint: & comitia, quæ reus vi atque armis prohibiturus erat, ne caussa quærentibus dimicationem daretur, voluntate ipsius sustulerint.* Hæc quum ab optimo quoque pro atrocitate rei [2] jacta essent, [3] vimque eam contra rempublicam & pernicioso exemplo factam, senatus decresset; confestim Carvilii tribuni plebis, omissa mulctæ certatione, [4] rei capita-

NOTÆ.

bus tribunis suffragia ferre; quod fieri non poterat nisi tribus forte ipsis assignaretur.

9. *Per vacuum in summoto locum.*] Editi habent, *per vacuum, vi summo occupato loco, in eos irruperunt.* Quod quidem satis apertum, nec forte damnandum. Sed correctio Alb. Rubenii, à Gron. prolata, ex Put. videtur non improbabilis. Dicebantur enim magistratus Romani *summoto* agere, cùm quid, submotâ lictorum ministerio frequentiâ, agebant. Hic itaque *vacuum in summoto locum*, intelligere oportet intervallum quod, plebe per viatores tribunicios discedere jussa, inter ipsam plebem & Tribunos intercedebat. Quamvis enim tribuni submovendi propriè jus non haberent, tamen in comitiis suis *submoto* considebant. *Cuneo* autem irrumpere est, vi subintrare graduum ordines, sive loca in quibus vulgus stabat inter sedentium subsellia.

10. *Vos in ordinem coactos esse.*] *In ordinem coacti*, sive in ordinem redacti dicuntur, qui, nullâ eorum honoris ratione habitâ, contemnuntur, ut probat ex Prisciano ipsoque Livio, Sigon.

1. *Aciem introduxisse.*] Non malè: id quippe novo more factum: sed quidam Codices habent, *intruxisse*: unde conjicias, *aciem instruxisse*.

2. *Jacta essent.*] Ita melius esse vidit Fulvius, censetque Gronov. cùm scribatur ubique, *acta essent*. Mihi tamen arridet magis recepta lectio. *Agendi* quippe verbum, ut & *actionis* nomen ad ea, quæ cum vehementia quadam oratoria dicuntur, pertinere nemo ignorat.

3. *Vimque eam contra remp. &c.*] Cùm reus, qui contra legem fecerat, damnabatur, moris non erat indicari pœnam; sed id tantùm pronunciabatur, eum contra legem fecisse videri.

4. *Rei capitalis.*] Quasi reum violatæ legis de vi publica, vel potiùs majestatis populi Romani.

lis diem Postumio dixerunt: ac, ni vades daret, prehendi à viatore, at- Urb. cond.
que in carcerem duci jusserunt. Postumius vadibus datis non affuit. Tribu- an. 541.
ni plebem rogaverunt, plebesque ita scivit, *Si M. Postumius ante Calen-* Coss. Q.
das Majas [a] *non prodisset, citatusque eo die non respondisset, neque excu-* Fulvio III.
satus esset; videri eum in exilio esse, bonaque ejus venire: ipsi [5] *aqua &* & App. Cl.
igni placere interdici. Singulis deinde eorum, qui turbæ ac tumultus concitatores fuerant, rei capitalis diem dicere ac vades poscere cœperunt. Primò non dantes, deinde etiam eos qui dare possent, in carcerem conjiciebant: cujus rei periculum vitantes plerique in exilium abierunt. Hunc fraus publicanorum, deinde fraudem audacia protegens, exitum habuit.

V. Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita. Ea comitia [1] novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit. Tres ingenti certamine petierunt: Q. Fulvius Flaccus consul, qui & ante bis consul & censor fuerat: & T. Manlius Torquatus, & ipse duobus consulatibus & censura insignis: & P. Licinius Crassus, qui & ædilitatem curulem petiturus erat. hic senes honoratosque juvenis in eo certamine devicit. Ante hunc, intra centum annos & viginti, nemo præter [2] P. Cornelium Calussam pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non sedisset. Consules quum ægre delectum conficerent, quod inopia juniorum non facile in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat; senatus absistere eos incœpto vetuit, *& triumviros binos creari jussit: alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis* [3] *forisque, & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: &, si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent: ut qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & decem annorum, aut majores, milites essent*. Ex hoc senatusconsulto creati triumviri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.

INTERPRETATIO.

a *Non adesset*, seque populo judicandum sisteret.

NOTÆ.

5. *Aquâ & igni.*] Alibi dictum *aqua & igni* solitum *interdici* iis, qui exilio damnabantur. Cum enim usu horum elementorum, quæ maximè ad vitam necessaria sunt, prohiberentur; cogebantur solum vertere, atque extra Romanam ditionem migrare. Ei pœnæ successit postea deportatio, quæ & ipsa exilii species est, adimitque jus Civitatis.

1. *Novus pontifex.*] Hic Cornelius Cethegus, in L. Lentuli Pontificis Maximi locum suffectus, in Pontificis quidem dignitatem successerat, sed non in Pontificatum maximum.

2. *P. Cornelium Calussam.*] Quid hoc cognominis est *Calussam*? Sigonius *Scapulam* legit, satis verisimili conjecturâ. Gronov. *Cæsullam* suspicatur, quasi à Cæsiis oculis sic appellatum.

3. *Forisque & conciliabulis.*] Jam notavimus *Fori & Conciliabuli* nominibus loca intelligi frequentiora, in quibus jus dicebatur, & non modo in nundinas, sed in concilium quoque conveniri solebat: sed conciliabula paulo minori fuisse dignationis.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl.

Eodem tempore ex Sicilia literæ M. Marcelli, de postulatis militum, qui [4] cum P. Lentulo militabant, in senatu recitatæ sunt. Cannensis reliquiæ cladis hic exercitus erat, relegatus in Siciliam, sicut ante dictum est, ne ante Punici belli finem in Italiam reportaretur.

VI. Hi permissu Lentuli, primores equitum centurionumque, & robora ex legionibus peditum, legatos in hiberna ad M. Marcellum miserunt è quibus unus potestate dicendi facta; *Consulem*, inquit, *te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, quum primum de nobis, etsi non iniquum, certe triste senatusconsultum factum est: nisi hoc sperassemus, in provinciam nos morte regum turbatam ad grave bellum adversus Siculos simul Pœnosque mitti, & sanguine nostro* [1] *vulneribusque nos patriæ satisfacturos esse: sicut patrum memoria, qui capti* [2] *à Pyrrho ad Heracleam erant, adversus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt. Quanquam quod ob meritum nostrum succensuistis, Patres-Conscripti, nobis aut succensetis? Ambo mihi consules, & universum senatum intueri videor, quum te, M. Marcelle, intueor: quem si ad Cannas consulem habuissemus; melior & reipubl. & nostra fortuna esset. Sine, quæso, priusquam de conditione nostrâ queror, noxam, cujus arguimur, nos purgare. Si non Deûm irâ nec fato, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, sed culpâ periimus ad Cannas, cujus tandem ea culpa fuit? militum, an imperatorum? Equidem miles nihil unquam dicam* [3] *de imperatore meo, cui præsertim gratias sciam ab senatu actas, quod non desperaverit de republica; cui* [4] *post fugam ab Cannis per omnes annos prorogatum imperium. Cæteros item ex reliquiis cladis ejus, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, provincias obtinere audivimus. An vobis vestrisque liberis ignoscitis facile, Patres Conscripti, in hæc vilia capita sævi? & consuli primoribusque aliis civitatis fugere, quum spes alia nulla esset, turpe non fuit? milites utique morituros in aciem misistis? Ad Alliam prope omnis exercitus fugit: ad Furculas Caudinas, ne expertus quidem certamen arma tradidit hosti, (ut alias pudendas clades exercituum taceam:) tamen*

NOTÆ.

4. *Cum P. Lentulo militabant.*] Hic Siciliam provinciam Prætor aut pro prætore per triennium rexerat cum militibus qui fugâ ex Cannensi pugna evaserant.

1. *Vulneribusque nos patriæ satisfacturos.*] Ex suspicione Gronovii est: legitur vulgò *& sanguine nostro vulneribusque magistratibus satisfacturos*: veteres Libri, *vulneribusque nostra tuis satisfacturos*: quidni *nos patribus satisfacturos*? Pœna certè militandi in Sicilia ipsis irrogata Senatusconsulto fuerat.

2. *A Pyrrho ad Heracleam.*] Prima hæc Romanorum pugna fuerat cum Pyrrho. P. Valerio Lævino consule duce. anno U.C. 473. Qua de re Flor. Plut. Oros. Eutrop. Zonar.

3. *De Imperatore meo.*] Vulgò, *eo*. Mutavit Gron. ex optimo Cod. quem tamen non nominat. Malim tamen *eo*.

4. *Post fugam ab Cannis.*] Hæc ex Gronov. conjectura, cui displicet omnino, *agere fugam*. Et ex consequenti communis lectio, *cui post fugam actam*. Cum Sallust. ipseque Livius dixerint, *fugam facere*.

tantum abfuit ab eo, ut ulla ignominia [5] *iis exercitibus quaereretur, ut & urbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia Vejos transfugerat, recuperaretur; & Caudinae legiones, quae sine armis redierant Romam, armatae remissae in Samnium, eundem illum hostem sub jugum miserint, qui hac sua ignominia laetatus fuerat. Cannensem vero quisquam exercitum fugae aut pavoris insimulare potest, ubi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt;* [6] *inde consul cum equitibus septuaginta fugit? unde nemo superest, nisi quem hostis caedendo fessus reliquit. Quum captivis redemptio negabatur, nos vulgo homines laudabant, quod reipublicae nos reservassemus, quod ad consulem Venusiam redissemus, & speciem justi exercitus fecissemus. Nunc deteriore conditione sumus, quam apud patres nostros fuerant captivi. quippe illis arma tantum atque ordo militandi, locusque in quo tenderent, in castris est mutatus: quae tamen, semel navatâ reipublicae operâ, & uno felici praelio, recuperarunt. Nemo eorum relegatus in exilium est, nemini spes emerendi stipendia adempta: hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel aut ignominiam finirent. Nos, quibus (nisi quod commisimus, ut quisquam ex Cannensi acie miles Romanus superesset) nihil objici potest: non solum à patria procul Italiaque, sed ab hoste etiam relegati sumus: ubi senescamus in exilio, ne qua spes, ne qua occasio abolendae ignominiae, ne qua placandae civium irae, ne qua denique bene moriendi sit. Neque ignominiae finem, nec virtutis praemium petimus; modo experiri animum, & virtutem exercere liceat, laborem & periculum petimus, ut virorum, ut militum officio fungamur. Bellum in Sicilia jam alterum annum ingenti dimicatione geritur: urbes alias Poenus, alias Romanus expugnat: peditum & equitum acies concurrunt: ad Syracusas terra marique res geritur: clamorem pugnantium crepitumque armorum exaudimus resides ipsi ac segnes; tanquam nec manus nec arma habeamus. Servorum legionibus Ti. Sempronius Consul toties jam cum hoste signis collatis pugnavit. Operae pretium habent, libertatem, civitatemque. Pro servis saltem ad hoc bellum emptis vobis simus. congredi cum hoste liceat, & pugnando quaerere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis urbibus oppugnandis experiri virtutem? asperrima quaeque ad laborem periculumque deposcimus, ut quod ad Cannas faciendum fuit, quam primum fiat. quoniam quidquid, postea viximus, id omne destinatum ignominiae est.*

Urb. cond. ann. 541. Coss. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio,

VII. Sub haec dicta ad genua Marcelli procubuerunt. Marcellus, id nec juris, nec potestatis suae esse dixit. senatui scripturum se, omnia de sententia Patrum facturum esse. Hae literae ad novos consules allatae,

NOTAE.

5. *Iis exercitibus quaereretur.*] Valla, quem plerique secuti, *inquireretur*. Sed *quaeri*, quod est in veteribus Libris, nativum est hoc sensu: & noster lib. 4. *nec tum agrum plebi, sed sibi invidiam quaeri.*

6. *Unde Consul cum equitibus septuaginta fugit.*] Verus numerus fuit *septuaginta*, quem sequuntur scripti plerique: in aliis est *quinquaginta*: & quid vetat ab eo, qui in se ubique similes ob fugam saeviri queratur, verum eorum numerum aliquatenùs imminui, qui fugientem consulem secuti?

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio.

ac per eos in senatu recitatæ sunt: consultusque de his literis ita decrevit senatus: *Militibus, qui ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent,* [1] *senatui nihil videri, cur respublica committenda sit. Si M. Claudio proconsuli aliter videretur, faceret, quod è republica fideque sua duceret:* [a] *dum ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergo donaretur, neu in Italiam reportaretur, donec hostis in terra Italia esset.* Comitia deinde à prætore urbano de senatus sententia plebisque scito sunt habita: quibus creati sunt quinque viri muris turribusque reficiendis: & triumviri bini; [2] uni sacris conquirendis, donisque persignandis: alteri reficiendis ædibus Fortunæ & matris Matutæ intra portam Carmentalem. sed & Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant. Tempestates fœdæ fuêre. In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit. tacta de cœlo multa: duæ in Capitolio ædes: vallum in castris multis locis supra Suessulam, & duo vigiles exanimati. murus turresque quædam Cumis non ictæ modo fulminibus, sed etiam decussæ. Reate saxum ingens visum volitare: sol rubere solito magis, sanguineoque similis. Horum prodigiorum caussa diem unum supplicatio fuit, & per aliquot dies consules rebus divinis operam dederunt: & per eosdem dies sacrum novendiale fuit. Quum Tarentinorum defectio jam diu & in spe Annibali & in suspicione Romanis esset; caussa forte extrinsecus maturandæ ejus intervenit. Phileas Tarentinus, diu jam per speciem legationis Romæ quum esset, vir inquieti animi & minime otium, quo tum diutino senescere videbatur, patientis; aditum sibi ad obsides Tarentinos invenit. Custodiebantur [3] in atrio Libertatis, minore curâ: quia nec ipsis, nec civitati eorum fallere Romanos expediebat. Hos crebris colloquiis solicitatos, corruptis æditiuis duobus, quum primis tenebris custodiâ eduxisset: ipse comes occulti itineris factus profugit. Lu-

INTERPRETATIO.

a *Modò eorum nullus vacationem onerum militarium haberet.*

NOTÆ.

1. *Senatui nihil videri cur respublica committenda esset.*] Ita malim conjecturâ ductâ ex Colb. Cod. ubi, *Senatui nihil videretur resp. committenda esse*: non solùm, quàm ut vulgò, *Senatui nihil videri rem publicam committendam esse.* sed etiam quàm, ut scribit Gron. levi mutatione ex Put. & Pet. *Senatum nihil videre cur res publica committenda sit*, Etenim solennis pronunciandi formula vocem passivam *videri*, potiùs amat, quàm activam, *videre*, ut cuivis notum.

2. *Uni sacris conquirendis, donisque persignandis.*] Potest intelligi conquisitio vel Librorum sacrorum, vel piaculorum primis hisce Triumviris mandata. Gutherius improbante Gronov. legit *coinquiendis*, quod verbum de sacris tantùm Lucis amputandis hîc accipi posset; nam apud Festum *coinquire* est *deputare*. Eoque verbo usi sunt hoc sensu Jurisconsulti Alphenus *l. 29. ff. locati*. Et Paulus *l. 5. arborum furtim cæsarum*. *Persignare* autem *dona* est dona templorum recognita scriptis mandare, aut potiùs obsignare.

3. *In Atrio Libertatis.*] In Aventino fuit Templum, & *Atrium Libertatis.*

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio.

ce prima vulgata per urbem fuga est: missique, qui sequerentur, ab Tarracina comprehensos omnes retraxerunt. [4] deducti in comitio, virgisque approbante populo caesi, de saxo dejiciuntur.

VIII. Hujus atrocitas poenae [1] duarum nobilissimarum in Italia Graecarum civitatum animos irritavit: tum publice, tum etiam singulos privatim; ut quisque tam foede interemptos aut propinquitate aut amicitia contingebat. Ex iis tredecim fere nobiles juvenes Tarentini conjuraverunt, quorum principes Nico & Philemenus erant. Hi prius quam aliquid moverent, colloquendum cum Annibale rati, nocte per speciem venandi urbe egressi, ad eum proficiscuntur. & quum haud procul castris abessent; caeteri sylva prope viam sese occuluerunt: Nico & Philemenus progressi ad stationes, comprehensique, ultro id petentes, ad Annibalem deducti sunt. Qui quum caussas consilii sui, & quid pararent, exposuissent; collaudati, oneratique promissis, jubentur, (ut fidem popularibus facerent, praedandi caussa se urbe egressos) pecora Carthaginiensium, quę pastum propulsa essent, ad urbem agere. tuto ac sine certamine id facturos, promissum est. Conspecta ea prȩda juvenum est: minusque iterum ac saepius id eos audere, miraculo fuit. Congressi cum Annibale rursus, fide sanxerunt, *liberos Tarentinos leges suaque omnia habituros, neque ullum vectigal Poeno pensuros praesidiumve invitos recepturos*: [2] *prodita praesidia Carthaginiensium fore*. Haec ubi convenerunt, tunc vero Philemenus consuetudinem noctu egrediundi redeundique in urbem frequentiorem facere (& erat venandi studio insignis) canesque & alius apparatus sequebatur; captumque ferme aliquid, aut ab hoste ex praeparato ablatum reportando, donabat aut praefecto, aut custodibus portarum. nocte maxime commeare, propter metum hostium credebant. Ubi jam eò consuetudinis adducta res est, ut quocumque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur; tempus agendae rei Annibali visum est. Tridui viam aberat; ubi, quo minus mirum esset uno eodemque loco stativa eum tandiu habere, aegrum simulabat. Romanis quoque, qui in praesidio Tarenti erant, suspecta esse jam segnis mora ejus desierat.

IX. Caeterum postquam Tarentum ire constituit, decem millibus peditum atque equitum, quos in expeditione, velocitate corporum, ac le-

NOTÆ.

4. ***Deducti.***] Stare non potest *deducti, in comitio*, nec *deducti, in comitio virgisque caesi*, melius *reducti*, quod vult Gron. Certè in sequentibus vel delenda particula conjunctiva *que*, ut fit, *reducti, in Comitio virgis caesi*, quemadmodum idem censet; vel mutandus ex sententia Tan. Fabri, situs nominum, & legendum, *virgisque in comitio caesi*.

1. ***Duarum nobilissimarum in Italia Graecarum.***] Tarenti & Thuriorum, ex quibus pars obsidum, infrà cap. 15.

2. ***Prodita praesidia Carthaginiensium fore.***] Sensus hujus loci expiscandus ex Polybio, lib. 8. ubi refert convenisse ut Carthaginiensibus liceret, urbe capta, aedes ac diversoria Romanorum qui praesidium Tarenti agitabant, diripere.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulv. III & Ap. Claud.

vitate armorum aptissimos esse ratus est, electis, quarta vigilia noctis signa movit. præmissisque octoginta fere Numidis equitibus præcepit ut discurrerent circa vias, perlustrarentque omnia oculis, [a] ne quis agrestium procul spectator agminis falleret; prægressos retraherent, obvios occiderent, ut prædonum magis quam exercitus accolis species esset. ipse raptim agmine acto, quindecim ferme millium spatio castra ab Tarento posuit; & ne ibi quidem nunciato quo pergerent, tantum convocatos milites monuit, *viâ omnes irent: nec diverti quenquam aut excedere ordinem agminis paterentur, & in primis intenti ad imperia accipienda essent: neu quid, nisi ducum jussu, facerent. se in tempore editurum, quæ vellet agi.* Eadem ferme hora Tarentum fama pervenerat, Numidas equites paucos populari agros, terroremque late agrestibus injecisse. Ad quem nuncium nihil ultra motus præfectus Romanus, quam ut partem equitum postero die luce prima juberet exire ad arcendum populationibus hostem. in cætera adeò nihil ob id intenta cura est, ut contra pro argumento fuerit illa procursatio Numidarum, Annibalem exercitumque castris non movisse. Annibal [1] concubia nocte movit. dux Philemenus erat cum solito captæ venationis onere. cæteri proditores ea quæ composita erant, expectabant. Convenerat autem, ut Philemenus, portulâ assueta venationem inferens, armatos induceret: parte alia [2] ad portam Temenida adiret Annibal. Ea mediterraneâ regione orientem spectabat: [3] aliquantum intra mœnia includitur. Quum portæ appropinquaret, editus ex composito ignis ab Annibale est, refulsitque. idem redditum ab Nicone signum: extinctæ deinde utrinque flammæ sunt. Annibal silentio ducebat ad portam.

INTERPRETATIO.

a *Ne rusticorum quis lateret. qui* prætereuntes *copias è longinquo esset conspicatus.*

NOTÆ.

1. *Concubia nocte movit.*] A loco ubi cœnaverant ad præruptam fluvii ripam, profectos primis se intendentibus tenebris Pœnos, ut ad muros circa noctis dimidium pervenirent, refert Polybius, qui rem totam accuratiùs longè describit.

2. *Ad portam Temenida.*] Hujus portæ nomen a Temeno deductum verisimile est, quem constat Herculis abnepotem, cum Cresphonte & Aristodemo fratribus natu minoribus, Peloponnesum, pulsis Pelopidis, occupasse, primumque ex Heraclidarum gente Argivorum regnum tenuisse. Ab Aristodemo ejus fratre orti Lacedæmoniorum reges: Tarentum autem colonia fuit Lacedæmoniorum: sic etiam & Syracusis (quæ urbs ab Archia, Heraclida & ipso condita) fuit Apollo Temenites Ciceroni laudatus, à cujus templo Neapolin Syracusarum partem Thucydides *Temeniten* appellat.

3. *Aliquantum intra mœnia includitur.*] Laborant hic merito interpretes; & quia nihil ejusmodi de Porta est apud Polybium, qui sepulcra quædam ad quæ Nico & socii ejus venerunt, & unde ignem excitarunt, intra mœnia fuisse scribit, & in veteribus libris legitur, *includuntur*, vel *includunt*; idcirco addito supplemento Sigon. legit, (*ea Mediterraneâ regione Orientem spectabat*) *Nico, cum socus ad monumenta esset, ea aliquantum intra mœnia includuntur.*

Nico

Vrb. Cond. ann. 541. Coss. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio.

Nico ex improviso [4] ad portas sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncat, portamque aperit. Annibal cum peditum agmine ingreditur; equites subsistere jubet: ut quo res postulet, occurrere libero campo possent. Et Philemenus [5] portulæ parte alia qua commeare assuerat, appropinquabat. nota vox ejus, & familiare jam signum quum excitasset vigilem, dicentis, vix sustinere grandis bestiæ onus, portula aperitur. inferentes aprum duos juvenes secutus ipse cum expedito venatore, vigilem incautius miraculo magnitudinis in eos qui ferebant versum, venabulo trajicit. ingressi deinde triginta fere armati, cæteros vigiles obtruncant, refringuntque portam proximam: & agmen sub signis confestim irrupit. inde cum silentio in forum ducti, Annibali sese conjunxerunt. Cum duobus millibus Gallorum Pœnus in tres divisis partes, per urbem [6] dimittit Tarentinos, & itinera quam maxime frequentia occupare jubet: tumultu orto, Romanos passim cædi, oppidanis parci. sed ut fieri id posset, præcipit juvenibus Tarentinis, ut ubi quem suorum procul vidissent, quiescere, & silere, ac bono animo esse juberent.

X. Jam tumultus erat clamorque, qualis esse in capta urbe solet: sed quid rei esset, nemo satis pro certo scire. Tarentini Romanos ad diripiendam urbem eredere coortos: Romanis seditio aliqua cum fraude videri ab oppidanis mota. [1] Præfectus primo excitatus tumultu, in portum effugit: inde acceptus scapha, in arcem circumvehitur. Terrorem & tuba audita ex theatro faciebat. nam & Romana erat à proditoribus ad hoc ipsum præparata: & inscienter à Græco inflata, quis aut quibus signum daret incertum efficiebat. Ubi illuxit, & Romanis Punica & Gallica arma cognita, tum dubitationem exemerunt; & Græci Romanos passim cæde stratos cernentes, ab Annibale captam urbem senserunt. Postquam lux certior erat, & Romani qui cædibus superfuerant, in arcem confugerant, conticescebatque paulatim tumultus; tum Annibal Tarentinos sine armis con-

N O T Æ.

4. ***Ad portas sopitos.***] Non video quæ hic novandi causa Gronovio. Quid enim habet corrigendum, quod dicitur Nico, vigiles, sopitos ad portas, ex improviso obtruncasse? An meliùs se res habebit, si legeris ***adortus sopitos vigiles***; imò redundabit participium ***adortus*** in eo qui obtruncasse narratur.

5. ***Portula parte alia.***] Rhinopylam Polyb. vocat hanc alteram Portam, qua egredi & regredi solitus Philemenus. ***Portula***, Gall. *le Guichet*.

6. ***Dimittit Tarentinos, & itinera quàm maximè frequentia occupare jubet.***] Sic emendavit Gronov. ex Polybio, qui vios, qui ad forum ferrent, expressit; quid per itinera maximè frequentia reddere satis habuit Livius. Quæ hic Sigonius aliique augurantur referre supervacuum ducimus.

1. ***Præfectus primo excitatus tumultu.***] Polybius scribit C. Livium præfectum Romanum, producto ad multam noctem convivio temulentum per Rhinopylam ad portum, indeque ad arcem cum suis delatum. Sigon. *præfecti* nomen à nostro datà operà prætermissum esse vult, ne familiæ suæ nomini notam inureret, fatendo C. Livii præfecti culpà Tarentum amissum; quasi ex eadem familia Livius Patavinus tempore Augusti, cum hoc C. Livio Romano esset: quod mihi valde dubium.

Urb. cond. ann. 541. Coss. Q. Fulv. III. & App. Claud.

vocari jubet. Convenêre omnes, præterquam qui cedentes in arcem Romanos, ad omnem adeundam simul fortunam, prosecuti fuerant. Ibi Annibal benigne allocutus Tarentinos, testatusque, quæ præstitisset civibus eorum; quos ad Trasimenum aut ad Cannas cepisset: simul in dominationem superbam Romanorum invectus, recipere se in domos quemque jussit, & foribus nomen suum inscribere: se domos eas quæ inscriptæ non essent, signo extemplo dato, diripi jussurum. Si quis in hospitio civis Romani ([2] vacuas autem tenebant domos) nomen inscripsisset, eum se pro hoste habiturum. Concione dimissa, quum titulis notatæ fores discrimen pacatæ ab hostili domo fecissent, signo dato ad diripienda hospitia Romana passim discursum est. & fuit prædæ aliquantum.

XI. Postero die ad oppugnandam arcem ducit: quam quum & mari, quo in peninsulæ modum pars major circumluitur, prealtis rupibus, & ab ipsa urbe muro & fossa ingenti septam videret; eoque nec operibus expugnabilem esse: ne aut seipsum cura tuendi Tarentinos à majoribus rebus moraretur; aut in relictos sine valido præsidio Tarentinos impetum ex arce quum vellent, Romani facerent; vallo urbem ab arce intercipere statuit, non sine illa etiam spe, cum prohibentibus opus Romanis manum posse conseri; & si ferocius procucurrissent, magna cæde ita attenuari præsidii vires, ut facile per se ipsi Tarentini urbem ab iis tueri possent. Ubi cœptum opus est, patefactâ repente portâ, in munientes impetum fecerunt Romani: pellique se statio passa est [a] quæ pro opere erat; ut successu cresceret audacia, [1] pluresque & longius pulsos prosequerentur. Tum signo dato coorti undique Pœni sunt, quos instructos ad hoc Annibal tenuerat: nec sustinuere impetum Romani, sed ab effusa fuga loci angustiæ eos [2] impeditaque alia opere jam cœpto, alia apparatu operis, morabantur. plurimi in fossam præcipitati, occisique sunt plures in fuga quam in pugna. Inde & opus nullo prohibente fieri cœptum. Fossa ingens ducta, & vallum intra eam erigitur: modicoque post intervallo murum etiam eadem regione [3] addere parat: ut vel sine præsidio [4] tueri se adversus Romanos possent. Reliquit tamen modicum præsidium, ut simul in faciendo muro adjuvaret. ipse profectus cum cæteris copiis [5] ad Galesum flumen (quinque millia ab urbe abest) posuit castra. Ex iis stativis regressus ad inspicien-

INTERPRETATIO.

a *Quæ excubabat ad opera.*

NOTÆ.

2. *Vacuas autem tenebant domos.*] Vulgò *cernebat*; sed omnis lectio vetus, *tenebat*. Scribendum, *tenebant* Romani scilicet. Non enim permixtim cum civibus diversabantur: unde facilè milites Romani à civibus distingui poterant ex ædium inscriptione, ut Lipsius notat.

1. *Pluresque.*] Scilicet *Romanos*.

2. *Impeditaque alia.*] Loca.

3. *Addere parat.*] Annibal.

4. *Tueri adversus Romanos possent.*] Tarentini.

5. *Ad Galesum flumen.*] Quâ regione sit hoc flumen satis hic indicat Livius: hodie *Tara* vocari volunt: de hoc Virgilius: — *& pinguia culta Galesi.*

dum opus (quod aliquantum opinione ejus celeriùs creverat) ſpem cepit, etiam arcem expugnari poſſe. Et eſt non altitudine, ut cætera, tuta; ſed loco plano poſita, & ab urbe muro tantum ac foſsâ diviſa. Quum jam machinationum omni genere & operibus oppugnaretur, miſſum à Metaponto præſidium Romanis fecit animum, ut nocte ex improviſo opera hoſtium invaderent. Alia disjecerunt, alia igni corruperunt. Iſque finis Annibali fuit ea parte arcem oppugnandi. Reliqua erat in obſidione ſpes, nec ea ſatis efficax; quia arcem tenentes, quæ in peninſula poſita imminet faucibus portus, mare liberum habebant: urbs contrà excluſa maritimis commeatibus; propiuſque inopiam erant obſidentes, quam obſeſſi. Annibal convocatis principibus Tarentinorum, omnes præſentes difficultates expoſuit: *neque arcis tam munitæ expugnandæ viam cernere, neque in obſidione quicquam habere ſpei, donec mari potiantur hoſtes. Quod ſi naves ſint, quibus commeatus invehi prohibeant, extemplo aut abſceſſuros, aut dedituros ſe hoſtes*. Aſſentiebantur Tarentini: cæterum ei, qui conſilium afferret, opem quoque in eam rem afferendam eſſe cenſebant. Punicas enim naves ex Sicilia accitas id poſſe facere: *ſuas, quæ ſinu exiguo intercluſæ eſſent*, quum clauſtra portus hoſtis haberet, ecquem ad modum inde in apertum mare evaſuras? *Evadent*, inquit Annibal. MULTA QUÆ *impedita naturâ ſunt, conſilio expediuntur. Urbem in campo ſitam habetis. planæ & ſatis latæ viæ patent in omnes partes. Viâ, quæ in portum per mediam urbem ad mare tranſmiſſa eſt, plauſtris tranſvehant naves haud magnâ mole. & mare noſtrum erit, quo nunc hoſtes potiuntur: & illinc mari, hinc terrâ circumſidebimus arcem. immo brevi, aut relictam ab hoſtibus, aut cum hoſtibus capiemus*. Hæc oratio non ſpem modò effectûs, ſed ingentem etiam ducis admirationem fecit. Contracta extemplo undique plauſtra, junctaque inter ſe: & machinæ, ad ſubducendas naves admotæ, munitumque iter, [b] quo faciliora plauſtra, minorque moles in tranſitu eſſet. Jumenta inde & homines contracti, & opus impigre cœptum: paucoſque poſt dies claſſis inſtructa ac parata circumvehitur arcem, & ante os ipſum portûs anchoras jacit. Hunc ſtatum rerum Annibal Tarenti reliquit; regreſſus ipſe in hiberna. Cæterùm defectio Tarentinorum, utrùm priore anno, an hoc facta ſit, in diverſum auctores trahunt. plures [c] propioreſque ætate memoriæ rerum, hoc anno tradunt factum.

XII. [a] Romæ conſules prætoreſque uſque ante diem quintum Calendas Majas Latinæ tenuerunt. eo die perpetrato ſacro [1] in monte, in ſuas quiſque provincias proficiſcuntur. Religio deinde nova objecta

Urb. cond. an. 541. Coſſ. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio.

INTERPRETATIO.

b *Ut currus eſſent expeditiores, & difficultas minor eſſet ad trajiciendum.*

c *Et qui ætate propiùs accedunt ad tempora, quibus homines meminiſſe poterant rerum geſtarum.*

a *Feriæ Latinæ retinuerunt Romæ tum Conſules, tum Prætores uſque ad 27. Aprilis.*

NOTÆ.

1. *In monte.*] *Albano.*

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio.

est ex carminibus Marcianis. Vates hic Marcius illustris fuerat, & quum conquisitio priore anno ex senatusconsulto talium librorum fieret, 2 in M. Atilii prætoris urbani, qui eam rem agebat, manus venerat. is protinus novo prætori Sullæ tradiderat. Ex hujus Marcii duobus carminibus, 3 alterius post rem actam editi cum rato auctoritas eventu, alteri quoque, cujus nondum tempus venerat, afferebat fidem. Priore carmine Cannensis prædicta clades in hæc ferme verba erat: *Amnem Trojugena Cannam Romane fuge: nec te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum, multaque millia occisa tua deferet amnis in pontum magnum ex terra frugifera. piscibus atque avibus ferisque, quæ incolunt terras, iis fuat esca caro tua. nam mihi ita Jupiter fatus est.* 4 Et Diomedis Argivi campos, 5 & Cannam flumen, qui militaverant in iis locis, juxta atque ipsam cladem agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere. 6 *Hostem Romani si expellere vultis, vomicamque, quæ gentium venit longe; Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant: quum populus dederit ex publico partem: privati uti conferant pro se, suisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebeique dabit summum. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. nam is Divus extinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placide.* Ad id carmen explanandum, diem unum sumpserunt. postero die SC. factum est, ut decemviri libros, de ludis Apollini reque divina facienda, inspicerent. 7 Ea quum inspecta relataque ad senatum essent, censuerunt Patres: *Apollini ludos vovendos faciendosque: & quando ludi facti essent:* 8 *duodecim millia æris prætori ad rem divinam & duas hostias majores* 9 *dandas*. Alterum senatusconsultum factum est, *Ut decemviri sacra Græco ritu facerent*,

NOTÆ.

2. *In M. Atilii Prætoris urbani.*] Sic, etiam nolentibus MSS. legendum, non ut vulgò *M. Æmilii*: probatur *ex lib. 24. cap. 44. & hujus lib. cap.* 1. idque rectè annotarunt Sigon. & Gronov.

3. *Alterius post rem actam editi cum rato auctoritas eventu.*] Restitutus ex Vallæ conjectura locus, quam meritò probat Gronov. adductis etiam auctoritatibus. Sensus est, cum duo essent illius Marcii carmina, seu vaticinia ejus libris comprehensa; auctoritas alterius carminis, quod post rem peractam editum fuerat eventu jam certo, fidem afferebat alteri de re quam prædicebat, & quæ nondum advenerat. Vulgò legebatur, *postea aucta est declarato auctoritas eventu*,

4. *Et Diomedis Argivi campos.*) Diomedes Argis post excidium Trojanum profugus, Arpos in Apulia condiderat in qua Cannæ.

5. *Et Cannam flumen.*) Quod vicum Cannas alluebat.

6. *Hostem Romani.*) Hoc Marcii Vaticinium refert Macrob. 1. Saturnal. cap. 17.

7. *Ea quum inspecta relataque.*) Mirum, quod narrat loco ante laudato Macrobius, in libris Sibyllinis eadem reperta nunciatum Senatui esse.

8. *Duodecim millia æris.*) Assium quæ hisce temporibus in usu, millia duodecim, libras nostrates 350. haud excesserint.

9. *Dandas.*) Num potiùs *danda*? millia nempe æris duodecim ad eas res?

hisque hostiis: Apollini[10] *bove aurato & capris duabus albis auratis; Latonæ bove fœmina aurata.* Ludos prætor in circo maximo quum facturus esset, edixit, ut *populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret.* Hæc est origo ludorum Apollinarium, Victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum. factosque populus coronatus spectavit: matronæ supplicavere: vulgò apertis januis in propatulis epulati sunt: celeberque dies omni cæremoniarum genere fuit.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl.

XIII. Quum Annibal circa Tarentum, consules ambo in Samnio essent, sed circumsessuri Capuam viderentur: (quod malum diuturnæ obsidionis esse solet) jam famem Campani sentiebant; quia sementem facere prohibuerant eos Romani exercitus. Itaque legatos ad Annibalem miserunt, orantes, ut prius quam consules in agros suos educerent legiones, viæque omnes hostium præsidiis insiderentur, frumentum ex propinquis locis convehi juberet Capuam. Annibal, Hannonem ex Brutiis cum exercitu in Campaniam transire, & dare operam ut frumenti copia fieret Campanis, jussit. Hanno ex Brutiis profectus cum exercitu, vitabundus castra hostium, [1] consulesque, qui in Samnio erant; quum Benevento jam appropinquaret, tria passuum millia ab ipsa urbe loco edito castra posuit. inde ex sociis circà populis, quò æstate comportatum erat, devehi frumentum in castra jussit, præsidiis datis, quæ commeatus eos prosequerentur. Capuam inde nuncium misit, qua die in castris ad accipiendum frumentum præsto essent, omni undique genere vehiculorum jumentorumque ex agris contracto. Id [a] pro cætera socordia negligentiaque à Campanis actum. [2] paulo plus quadringenta vehicula missa, & pauca præterea jumenta: ob id castigatis ab Hannone, *quod ne fames quidem, quæ mutas accenderet bestias, curam eorum stimulare posset*, alia prodita dies ad frumentum majore apparatu petendum. Ea omnia, sicut acta erant, quum enunciata Beneventanis essent; legatos decem extemplo ad consules (circa Bovianum castra Romanorum erant) miserunt: Qui quum auditis quæ ad Capuam agerentur, inter se comparassent, ut alter in Campaniam exercitum duceret; Fulvius, cui ea provincia obvenerat, profectus nocte Beneventum, mœnia est ingressus. Ex propinquo cognoscit Hannonem cum exercitus parte [3] profectum frumentatum: per quæstorem Campanis datum fru-

INTERPRETATIO.

a *Eadem incuriâ, seu juxta negligentiam quâ in reliquis rebus uti Campani soliti.*

NOTÆ.

10. *Bove aurato.*] Auratis nempe cornibus.

1. *Consulesque qui in Samnio erant.*] Refert ad *vitabundus*, id est, cum vitaret Hanno Consules.

2. *Paulo plùs quadringenta.*] Cave, *quadraginta* legas cum Sigonio, contra veterum fidem. Esset enim ridiculus hic numerus adeo exiguus, ad convehendam annonam pro necessitate urbis, quæ magnitudine ac frequentiâ cum ipsa Roma certabat.

3. *Profectum frumentatum ...... duo millia.*] Vulgò ita scriptum erat, sed ex pluribus manuscriptis interjecit appositè Gronov. *per quæstorem Campanis datum frumentum.*

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl.

mentum: duo millia plaustrorum, inconditam inermemque aliam turbam, advenisse: per tumultum ac trepidationem omnia agi; castrorumque formam, & militarem ordinem, immixtis agrestibus iis ex terris, sublatum. His satis compertis, consul militibus edicit *signa tantum armaque in proximam noctem expedirent: castra Punica oppugnanda esse*. Quarta vigilia profecti, sarcinis omnibus impedimentisque Beneventi relictis, paulo ante lucem quum ad castra pervenissent, tantum pavoris injecerunt, ut si in plano castra posita essent, haud dubie primo impetu capi potuerint. altitudo loci, & munimenta defenderunt: quæ nulla ex parte adiri, nisi arduo ac difficili ascensu, poterant. Luce prima prælium ingens accensum est: nec vallum modo tutantur Pœni, sed, ut quibus locus æquior esset, deturbant nitentes per ardua hostes.

XIV. Vicit tamen omnia pertinax virtus, & 1 aliquot simul partibus ad vallum ac fossas perventum est; sed cum multis vulneribus, ac militum pernicie. Itaque convocatis tribunis militum, consul absistendum temerario incœpto, ait: *tutius sibi videri, reduci eo die exercitum Beneventum: dein postero, castris se hostium jungi, ne exire inde Campani, neve Hanno regredi posset. Id quo facilius obtineatur, collegam quoque, & exercitum ejus se acciturum, totumque* 2 *eò versuros bellum*. hæc consilia ducis, quum jam receptui caneret, clamor militum aspernantium tam segne imperium disjecit. Proxima portæ hostium erat cohors Peligna: 3 cujus præfectus Vibius Accæus arreptum vexillum trans vallum hostium trajecit. Execratus inde seque & cohortem, si ejus vexilli hostes potiti essent; princeps ipse per fossam vallumque in castra irrumpit. Jamque intra vallum Peligni pugnabant, quum altera parte Valerio Flacco tribuno militum tertiæ legionis exprobrante Romanis ignaviam, qui sociis captorum castrorum concederent decus, T. Pedanius, princeps primus centurio, quum signifero signum ademisset; *Jam hoc signum, & hic centurio*, inquit, *intra vallum hostium erit. Sequantur, qui capti signum ab hoste prohibituri sunt*. Manipulares sui primum transcendentem fossam, dein legio tota secuta est. Jam & consul ad conspectum transgredientium vallum mutato consilio, 4 ab revocandis ad incitandos hortandosque versus milites, osten-

NOTÆ.

1. *Aliquot simul partibus*.] Gall. *Par divers endroits; de plusieurs costez.*

2. *Eò versuros bellum*.] Nempe *se* & *collegam*. Sigon. *versurum*.

3. *Cujus præfectus Vibius ereptum vexillum*.] Ita vulgata editio, & Colb. quæ nullam exigere mutationem videtur. Cæterùm *Vibium* hunc *Accæum* cognominant; & plures hic Livii Codices & Valerius lib. 3. cap. 2. num. 20. quod corrigit Gron. legitque *Accuaus*, quasi ab *Accua* oppido, cujus mentio *lib. 24. cap. 20.* Sed ibidem *Æcarum* noster meminit, unde *Æcaus*, quod minùs ab *Accao* distaret. At horum oppidorum neutrum in Pelignis: unde & cognomen Vibio aliunde esse potuit. Et in quibusdam Livii libris *Accejus*.

4. *Ab revocandis*.] Veteres quidam habent *ab revocando* non magno discrimine, sive sententiam, sive constructionem spectes.

dere in quanto discrimine ac periculo fortissima cohors sociorum & civium legio esset. Itaque pro se quisque omnes per æqua atque iniqua loca, quum undique tela conjicerentur, armaque & corpora hostes objicerent, pervadunt, irrumpuntque. multi vulnerati, etiam quos vires sanguisque deserent, ut intra vallum hostium caderent, nitebantur. Capta itaque momento temporis, velut in plano sita, nec permunita castra. Cædes inde, non jam pugna erat, omnibus intra vallum permixtis. supra sex millia hostium occisa, 5 supra septem millia capitum, cum frumentatoribus Campanis, omnique plaustrorum & jumentorum apparatu capta. & alia ingens præda fuit, quam Hanno, populabundus passim quum isset, ex sociorum populi Romani agris traxerat. Inde dejectis hostium castris, Beneventum reditum est, prædamque ibi ambo consules (nam & Ap. Claudius eo post paucos dies venit) vendiderunt, diviseruntque. & donati, quorum opera castra hostium capta erant, ante alios Accæus Pelignus, & T. Pedanius princeps tertiæ legionis. Hanno 6 ab Cominio Cerito, quo nunciata castrorum clades est, cum paucis frumentatoribus, quos forte secum habuerat, fugæ magis quàm itineris modo, in Brutios rediit.

Urb. Cond. Ann. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl.

XV. Et Campani audita sua pariter sociorumque clade, legatos ad Annibalem miserunt, qui nunciarent; *duos consules ad Beneventum esse; diei iter à Capua: tantum non ad portas & muros bellum esse. ni propere subveniat, celerius Capuam quam Arpos, in potestatem hostium venturam. Ne Tarentum quidem,* 1 *non modo arcem, tanti debere esse, ut Capuam, quam Carthagini æquare sit solitus, desertam indefensamque populo Romano tradat.* Annibal, *curæ sibi fore rem Campanam* pollicitus, in præsentia duo millia equitum cum legatis mittit; quo præsidio agros populationibus possent prohibere. Romanis interim, sicut aliarum rerum, arcis Tarentinæ, præsidiique quod ibi obsideretur, cura esse. C. Servilius legatus ex auctoritate Patrum, à P. Cornelio prætore in Etruriam ad frumentum coëmendum missus, cum aliquot navibus onustis in portum Tarentinum inter hostium custodias pervenit. Cujus adventu, qui ante in exigua

N O T Æ.

5. *Supra septem millia capitum.*] Ita meliùs meo judicio, quàm ut vulgò, *septem millia capiuntur:* cùm in fine periodi *capta* dicantur: quæ repetitio parùm Livio digna.

6. *Ab Cominio Cerito.*] *Cominium* hoc fuisse in Samnitum & Hirpinorum limitibus dixi lib. 10. cap. 39. Et sanè in extremis Hirpinorum finibus circa Taurasinos Campos fuisse suadet viginti millium spatium inter Aquiloniam & Cominium, à Livio notatum, & fuga hostium versus Bovianum. *Ceriti* verò cognomen ad discrimen alterius Cominii quod in Samnitum, Volscorum, & Marsorum collimitio, adhuc *Comino* dicitur; vel *Cominorum*, quos in Æquicolis interiisse testatur Plin. lib. 3. cap. 12. Additum fortè fuit à Cerito Samnitum oppido, inde non admodum dissito, cujus nominis vestigia supersunt in eo loco quem vocant *Cerito*, in confinio Terræ Laboris, ac Principatus Vlterioris & Comitatus Molisii, ad dextram Tamari, inter Telesiam, Sæpinum, & Beneventum.

1. *Non modò arcem.*] Tarentinam, quæ ab Annibale obsidebatur, urbe potito.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl.

ſpe, vocati ſæpe ad tranſitionem ab hoſtibus per colloquia erant; ultro ad tranſeundum hoſtes vocabant, ſolicitabantque: & erat ſatis validum præſidium, traductis ad arcem Tarenti tuendam, qui Metaponti erant, militibus. Itaque Metapontini extemplo metu, quo tenebantur, liberati ad Annibalem defecere. Hoc idem eadem orâ maris & 1 Thurini fecerunt. movit eos non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorumque, quibus indidem 3 ex Achaja oriundi, etiam cognatione juncti erant, quam ira in Romanos 4 propter obſides nuper interfectos. Eorum amici cognatique literas ac nuncios ad Hannonem Magonemque, qui in propinquo in Brutiis erant, miſerunt, *ſi exercitum ad mœnia admoviſsent, ſe in poteſtatem eorum urbem tradituros eſse*. M. Atinius Thuriis cum modico præſidio præerat. quem facile elici ad certamen temere ineundum rebantur poſſe; non militum, quos perpaucos habebat, fiduciâ; quam juventutis Thurinæ. eam ex induſtria centuriaverat, armaveratque ad tales caſus. Diviſis copiis inter ſe, duces Pœni quum agrum Thurinum ingreſſi eſſent, Hanno cum peditum agmine infeſtis ſignis ire ad urbem pergit. Mago cum equitatu, tectus collibus, 5 ad tegendas inſidias oppoſitis, ſubſiſtit. Atinius peditum tantum agmine per exploratores comperto, in aciem copias educit, a & fraudis inteſtinæ, & hoſtium inſidiarum ignarus. Pedeſtre prælium fuit perſegne; paucis in prima acie pugnantibus Romanis; Thurinis exſpectantibus magis quam adjuvantibus eventum: & Carthaginienſium acies de induſtria pedem referebat, ut ad terga collis ab equite ſuo inſeſſi hoſtem incautum pertraheret. Quo ubi ventum eſt, coorti cum clamore equites, propere inconditam Thurinorum turbam, b nec ſatis fido animo unde pugnabat ſtantem, extemplo in fugam averterunt. Romani, quanquam circumventos hinc pedes, hinc eques urgebat, tamen aliquandiu pugnam traxere. po-

INTERPRETATIO.

a *Et proditionis Thurinorum.*

b *Et quæ parùm fidis animis à partibus Romanorum ſtabat, quas tueri dimicando ſimulabat.*

NOTÆ.

1. *Thurini.*] *Thurium*, vel *Thuria*; *Sybaris*, *Copia*, ejuſdem urbis diverſa fuere nomina. Ea olim opibus omnique deliciarum genere affluens ad Sybaris & Crathidis amnium in ſinum Tarentinum ſeſe exonerantium oſtia, in magna Græcia, Lucanorumque & Brutiorum confinio fuit. Nunc in Calabria inferiori nomen ſervant ruinæ, vulgo, *Sibari rovinata*, haud procul Turri *Brodogneto*.

3. *Ex Achaja oriundi.*] Tarentum Lacedæmoniorum, Metapontus Pyliorum ex Elide, Sybaris Achæorum opus, cujus à Crotoniatis everſæ loco Athenienſes Thurium condidere, ut ex Strabone, Dionyſ. & aliis conſtat. Fuere hi omnes Græci, non tamen ex Achaja, niſi latè ſumpto Achajæ nomine.

4. *Propter obſides nuper interfectos.*] Vide cap. 7. & 8.

5. *Ad tegendas inſidias oppoſitis.*] Tò *tegendas* nemo non videt ſupervacaneum eſſe: nolim tamen vocem *oppoſitis*, mutare in *appoſitis*, cum Fabro; id eſt, ut inquit, *idoneis*: tum quòd nullum profert Codicem, in quo ita ſcriptum ſit: tum quòd optimè dicuntur colles *oppoſiti* tegere inſidias, ut qui hoſtium conſpectui opponantur.

ſtremo

ſtremo & ipſi tergà vertunt, atque ad urbem fugiunt. Ibi proditores conglobati, quum popularium agmen patentibus portis accepiſſent: ubi Romanos fuſos ad urbem ferri viderunt, conclamant, *inſtare Pœnum: permixtoſque & hoſtes urbem invaſuros, ni propere portas claudant*. ita excluſos Romanos præbuere hoſti ad cædem. Atinius tamen cum paucis receptus. Seditio inde pauliſper tenuit; quum alii urbem tuendam, inde [6] alii cedendum fortunæ, & tradendam urbem victoribus cenſerent. cæterum, ut plerumque, fortuna & conſilia mala vicerunt: Atinio cum ſuis ad mare ac naves deducto, magis quia ipſi ob imperium in ſe mite ac juſtum conſultum volebant, quam reſpectu Romanorum, Carthaginienſes in urbem accipiunt. Conſules à Benevento in Campanum agrum legiones ducunt: non frumenta modo, quæ jam in hibernis erant, corrumpenda, ſed ad Capuam oppugnandam: nobilem ſe conſulatum tam opulentæ urbis excidio rati facturos: ſimul & ingens flagitium imperio dempturos, quod urbi tam propinquæ [7] tertium annum impunita defectio eſſet. Cæterum, ne Beneventum ſine præſidio eſſet, & ut ad ſubita belli, ſi Annibal, (quod facturum haud dubitabant) ad opem ferendam ſociis Capuam veniſſet, equites vim ſuſtinere poſſent, Ti. Gracchum ex Lucanis cum equitatu ac levi armatura Beneventum venire jubent: legionibus ſtativiſque ad obtinendas res in Lucanis aliquem præficeret. Urb. Cond. an. 541. Coſſ. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

XVI. Graccho, priuſquam ex Lucanis moveret, ſacrificanti, triſte prodigium factum eſt. ad exta, ſacrificio perpetrato, angues duo ex occulto allapſi, [1] edêre jecur, conſpectique repente ex oculis abierunt: id quum aruſpicum monitu ſacrificium inſtauraretur atque intentius [2] extares ollæ ſervarentur; iterum ac tertium veniſſe tradunt, libatoque jecinore intactos angues abiiſſe. Quum aruſpices, *ad imperatorem id pertinere prodigium*, præmonuiſſent, *& ab occultis cavendum hominibus conſultiſque*; nulla tamen providentia fatum imminens moveri potuit. Flavius Lucanus fuit, caput partis ejus Lucanorum, quum pars ad Annibalem defeciſſet, quæ cum Romanis ſtabat. & jam annuo in magiſtratu erat; ab eiſdem illis creatus prætor. Is mutata repente voluntate locum gratiæ apud Pœnum quærens, neque tranſire ipſe, neque tra-

N O T Æ.

6. *Alii cedendum fortuna.*] Deſunt hæc in Mſſ. & ſuppleri poteſt ſenſus ex eo quod dicitur *aliquandiu ſeditio tenuiſſe*, inter diverſa nempe volentes: *inde*, id eſt, nunc tandem; poſt ejuſmodi ſcilicet caſum, alios cenſuiſſe fortunæ cedendum.

7. *Tertium annum.*] Cùm defeciſſet *Capua* anno 536. & nunc annus ageretur 541. jam quintus à defectione Capuæ numerandus videbatur. Verùm extremi duo non computantur ab auctore.

1. *Edêre jecur.*] Variant lectiones, & ſcribendum videtur, cum Valerio Maximo lib. 1. cap. 6. *adedere*, vel *ambedêre*.

2. *Extares olla ſervarentur.*] Conjectura eſt Salmaſii, quòd *exta* in ſacrificiis, non in veru coquerentur, ſed in *olla* ex Varrone; quæ *olla*, ſive *aula*, inde *extaris* ex Plauto. Vulgò *exta reſerata ſervarentur*.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud.

here ad defectionem Lucanos satis habuit, nisi imperatoris & ejusdem hospitis proditi capite ac sanguine fœdus cum hostibus sanxisset; ad Magonem, qui in Bruttiis præerat, clam in colloquium venit; fideque ab eo accepta, *si Romanum imperatorem sibi tradidisset, liberos cum suis legibus venturos in amicitiam Lucanos:* 3 deducit Pœnum in locum pacis Gracchum adducturus. Magonem ibi pedites equitesque armare, & capere eas latebras, ubi ingentem numerum occuleret, jubet. Loco satis inspecto atque undique explorato, dies composita gerendæ rei est. Flavius ad Romanum imperatorem venit: *Rem se*, ait, *magnam inchoasse, ad quam perficiendam ipsius Gracchi opera opus esse. omnium populorum prætoribus, qui ad Pœnum in illo communi Italiæ motu descissent, persuasisse, ut redirent in amicitiam Romanorum. quando res quoque Romana quæ prope exitium clade Cannensi venisset, in dies melior atque auctior fieret; Annibalis vis senesceret, ac prope ad nihilum venisset. Veteri delicto haud implacabiles fore Romanos: nullam unquam gentem magis exorabilem promptioremque veniæ dandæ fuisse. quoties rebellioni etiam majorum suorum ignotum?* a *Hæc ab se*, ait, *dicta: cæterum ab ipso Graccho eadem hæc audire malle eos, præsentisque contingere dextram: id pignus fidei secum ferre.* 4 *Locum se conciliis edixisse à conspectu amotum, haud procul à castris Romanis. Ibi paucis verbis transigi rem posse, ut omne nomen Lucanum in fide ac societate Romana sit.* Gracchus fraudem & sermoni & rei abesse ratus, ac similitudine veri captus, cum lictoribus ac turma equitum è castris profectus, duce hospite in insidias præcipitatur. Hostes subito exorti: & ne dubia proditio esset, Flavius his se adjungit: tela undique in Gracchum atque equites conjiciuntur. Gracchus ex equo desilit. idem cæteros facere

INTERPRETATIO.

a Flavius Graccho *dixit, se hujusmodi sermones habuisse* apud Prætores Lucanorum.

NOTÆ.

3. *Deducit Pœnum, in locum pacis Gracchum adducturus.*] Locus difficilis, cui nec satis lucis ex MSS. Regius major, & Colbertinus sic habent. *Fideque ab eo acceptâ, si Romanum is imperatorem tradidisset, liberos cum suis legibus venturos in amicitiam Lucanos, dedit Pœnus in locum pacis Gracchum adducturus.* Et hæc sic accipi possent, ut *Pœnus* Mago, *acceptâ fide* à Flavio, *ut is Romanum Imperatorem traderet; dederit* ipse quoque (fidem) fore ut, si id fieret à Flavio, *Lucani liberi* ac *salvis legibus suis reciperentur in amicitiam Carthaginiensium:* atque in id Pœnus fidem dederit, *quò in insidias Gracchum adduceres.* Sed quid est *in locum pacis?* Cogitabam num scribendum esset *in locum necis*. Quâ ratione tolerabilis fieret sententia. Verùm margini Colbertini Libri pro *dedit Pœnus*, adscriptum legitur: *aliàs deducit Pœnum*. Ex qua lectione sequentia scitè Gronov. conjicit, *quò cum paucis Gracchum ait ducturum:* Flavius nempe Magonem deducit in locum, ad quem dixit fore ut ipse Gracchum adduceret.

4. *Locum se conciliis edixisse.*] Scribit Gronov. *consciis*; sed stare fortassis potest quod habent plerique scripti *locum se conciliis edixisse*; id est, variorum Lucaniæ populorum cœtibus locum indicasse ad colloqueudum: vel, ut quidam editi, *consiliis*, hoc est, ad perficienda consilia.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud.

jubet: hortaturque. *Ut quod unum reliquum fortuna fecerit, id cohonestent virtute. Reliquum autem quid esse, paucis à multitudine in valle sylva ac montibus septa circumventis, præter mortem? id referre,* [5] *utrum præbentes corpora pecorum modo inulti trucidentur,* [6] *an toto animo à patiendo expectandoque eventu in impetum atque iram verso, agentes audentesque, perfusi hostium cruore inter exspirantium inimicorum cumulata armaque & corpora cadant. Lucanum proditorem ac transfugam omnes peterent. qui eam victimam præ se ad inferos misisset; eum decus eximium egregiumque solatium suæ morti inventurum.* inter hæc dicta paludamento circum lævum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit. Major quam pro numero hominum editur pugna. jaculis maxime aperta corpora Romanorum, & [b] quum undique ex altioribus locis in cavam vallem conjectus esset, transfiguntur. Gracchum jam nudatum præsidio vivum capere Pœni nituntur. cæterum ille conspicatus Lucanum hospitem inter hostes, adeò infestus confertos invasit, ut parci ei sine multorum pernicie non posset. Exanimem eum Mago extemplo ad Annibalem misit, ponique eum captis simul fascibus ante tribunal imperatoris jussit. Hæc vera fama est. Gracchus in Lucanis ad campos, qui Veteres vocantur, periit.

XVII. Sunt qui in agro Beneventano, [1] prope Calorem fluvium, [2] ostendant a castris cum lictoribus ac tribus servis lavandi caussa progressum, quum forte inter salicta innata ripis laterent hostes, nudum atque inermem, saxisque, quæ volvit amnis, propugnantem interfectum. Sunt qui aruspicum monitu quingentos passus à castris progressum, uti [3] loco puro, ea quæ antè dicta prodigia sunt, procuraret, ab insidentibus forte locum duabus turmis Numidarum circumventum scribant. adeo nec locus,

INTERPRETATIO.

b *Et cùm facilis undique esset è locis editioribus in vallem depressam jactus* telorum?

NOTÆ.

5. *Utrùm præbentes corpora, pecorum modo, inulti trucidentur.*] Ita in uno Pal. apud Gronov. meliùs quàm ut vulgò *utrùm præsenti torpore:* aut, ut in Reg. Colb. aliisque, *præsentes corpora, &c.*

6. *An toto animo.*] Aliàs *toti, à patiendo expectandoque eventu in impetum atque iram versi.*

1. *Prope Calorem fl.*] Hic amnis eodem adhuc nomine dictus, in Sabatum influit, qui labitur in Vulturnum.

2. *Ostendant.*] Ruben. suspicatur ab auctore fuisse scriptum *contendant.* Sed neque his magna *contendendi* materia. Et *ostendere* aliquando sumitur pro *declarare, & narrando significare,* ut apud Plaut. in Asin. *Tuâ oratione animum ostendisti tuum.*

3. *Loco puro.*] Hic *purum locum* suspicari quis posset de eo dici, qui opponitur religioso, in quem cadavera illata sunt, (sine quibus vix castra fuerint); vel aliàs, sanguine polluto: sed verior significatio est, ut purus dicatur locus, in quo nihil obstat, & qui nullâ re occupatur, quæ visum impediat, ut apud Horat.

verùm
Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

nec ratio mortis in viro tam claro & insigni constat. Funeris quoque Gracchi varia est fama. Alii in castris Romanis sepultum ab suis, alii ab Annibale (& ea vulgatior fama est) tradunt in vestibulo Punicorum castrorum rogum extructum esse. armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum & corporum suæ cuique genti assuetis: ipso Annibale omni rerum verborumque honore exsequias celebrante. Hæc tradunt qui in Lucanis rei gestæ auctores sunt. Si illis, qui ad Calorem fluvium interfectum memorant, credere velis, capitis tantum Gracchi hostes potiti sunt. eo delato ad Annibalem missus ab eo confestim Carthalo, qui in castra Romana 4 ad Cnæum Cornelium quæstorem deferret. is funus imperatoris in castris, celebrantibus cum exercitu Beneventanis, fecit.

XVIII. Consules agrum Campanum ingressi, quum passim popularentur; eruptione oppidanorum & Magonis cum equitatu territi, ac trepidi ad signa milites palatos passim revocarunt: & vix dum instructa acie fusi, supra mille & quingentos milites amiserunt. Inde ingens ferocia superbæ suopte ingenio genti crevit: 1 multisque prælüs lacessebant Romanos: sed intentiores ad cavendum consules una pugna fecerat, incaute atque inconsulte inita. Restituit tamen his animos, & illis minuit audaciam, parva una res. SED IN BELLO nihil tam leve est, quod non magnæ interdum rei momentum faciat. T. Quintio Crispino Badius Campanus hospes erat, perfamiliari hospitio junctus. creverat consuetudo, quod æger Romæ apud Crispinum Badius ante defectionem Campanam liberaliter comiterque curatus fuerat. Tum Badius progressus ante stationes, quæ pro porta stabant, vocari Crispinum jussit. quod ubi est Crispino nunciatum; ratus colloquium amicum ac familiare quæri, a manente memoria etiam 2 in discidio publicorum fœderum, privati juris; paullum à cæteris processit. Postquam in conspectum venere, *Provoco te*, inquit, *ad pugnam, Crispine*, Badius: *conscendamus equos, summotisque aliis, uter*

INTERPRETATIO.

a *Quasi rupto fœdere publico, superesset tamen aliquis sensus amicitiæ & hospitalitatis.*

NOTÆ.

4. *Ad quæstorem.*] Ejus scilicet exercitus, cui Gracchus imperabat.

1. *Multisque prælüs.*] Quia dici videntur non posse *præliis lacessi*, qui præliari recusant; corrigit Gronov. *multique præliis lacessebant*, id est, sæpe, identidem lacessebant, *multi erant in lacessendis prælio Romanis*. Verùm idem superest absurdum: inutiliter quippe lacessantur præliis, qui refugiunt, præliumque nullum committunt; nisi velis *præliis* interpretari *ad prælia*. Facilius Rubenii correctionem admiserim, *minutisque præliis lacessebant*: nam ab velitationibus abstineri vix potest inter vicinos exercitus.

2. *In discidio publicorum fœderum.*] Multis hic probat Gronov. *discidium* pro distractione corporis, aut quasi corporis dici. *Dissidium* autem pro animorum dissensione, contentione, rixa.

bello melior sit, decernamus. Ad ea Crispinus, *nec sibi, nec illi*, ait, *hostes deesse, in quibus virtutem ostendant: Se ab eo, etiam si in acie occurrat, declinaturum, ne hospitali cæde dextram violet*. conversusque abibat. Enimvero ferocius tum Campanus, increpare mollitiem, ignaviamque, [b] & se digna probra in insontem jacere, *hospitalem hostem* appellans, *simulantemque parcere, cui sciat parem se non esse. si parum publicis fœderibus ruptis dirempta simul & privata jura esse putet, Badium Campanum T. Quintio Crispino Romano* [3] *palam omnibus (duobus exercitibus audientibus)* [4] *renunciare hospitium, Nihil sibi cum eo consociatum,* [5] *nihil fœderatum hosti cum hoste, cujus patriam ac penates publicos privatosque oppugnatum venisset. Si vir esset, congrederetur*. Diu cunctantem Crispinum perpulere [c] turmales, ne impune insultare Campanum pateretur, itaque tantum moratus, dum imperatores consuleret, permitterentne sibi extra ordinem in provocantem hostem pugnare; permissu eorum arma cepit, equumque conscendit, & Badium nomine compellans, ad pugnam evocavit. Nulla mora à Campano facta est. infestis equis concurrêre. Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit: superque delapsum cum vulnere ex equo desiluit, ut pedes jacentem conficeret. Badius, priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto ad suos [6] aufugit. Crispinus, equum, armaque capta, & cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans, cum magna laude & gratulatione militum ad consules est deductus, laudatusque ibi magnifice, & donis donatus.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III & App. Claud. Pul.

XIX. Annibal ex agro Beneventano castra ad Capuam quum movisset; tertio post die quam venit, copias in aciem eduxit: haudquaquam dubius, quod Campanis absente se paucos ante dies secunda fuisset pugna, quin multo minus se suumque toties victorem exercitum sustinere Romani possent. Cæterum, postea quam pugnari cœptum est, equitum maxime incursu quum jaculis obrueretur, laborabat Romana acies: donec signum equitibus datum est, ut in hostem admitterent equos. ita eque-

INTERPRETATIO.

b *Convitia in Badium ipsum* magis *convenientia*; (utpotè verè ignavum) vel *digna homine* humanitatis experte *qualis ipse Badius*.

c *Qui in eadem equitum turma militabant*.

NOTÆ.

3. *Palàm omnibus, duobus exercitibus audientibus*.] Veretur Gronov. ne ab auctore scriptum fuerit *palam duobus exercitibus* expunctis reliquis, quæ sanè redundant. Et certè Livius idem lib. 6. *Creditori rem palàm populo solvi contendit*. Potest tamen pleonasmus ille ferri in Badio vano homine, ac se ultra modum jactante.

4. *Renunciare hospitium*.] Hic mos fuit, quemadmodum inter amicos, ita & inter hospites, ut interveniente dissidio, alter alteri amicitiam aut hospitium renunciaret: neque anteà censebantur honestè inimicitias exercere hospites aut amici.

5. *Nihil fœderatum hosti cum hoste*.] Vulgò *hospiti cum hoste*, quasi velit Badius bello aboleri & tolli privatas amicitias.

6. *Aufugit*.] Cæsum scribit Val. Max. 4. 1.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

ſtre prælium erat, quum procul viſus Sempronianus exercitus, cui Cn. Cornelius quæſtor præerat, utrique parti parem metum præbuit, ne hoſtes novi adventarent. Velut ex compoſito utrinque ſignum receptui datum; reductique in caſtra prope æquo Marte diſceſſerunt. plures tamen ab Romanis primo incurſu equitum ceciderunt. Inde conſules, ut averterent Capua Annibalem, nocte quæ ſecuta eſt, diverſi, Fulvius in agrum Cumanum, Claudius in Lucanos, abierunt. Poſtero die, quum *vacua caſtra eſse Romanorum* nunciatum Annibali eſſet: *& duobus agminibus diverſos abiiſse*; incertus primò utrum ſequeretur, Appium inſtitit ſequi. Ille circumducto hoſte quà voluit, alio itinere ad Capuam rediit. Annibali alia in his locis bene gerendæ rei fortuna oblata eſt. M. Centenius fuit cognomine Pœnula, inſignis inter primipili centuriones, & magnitudine corporis & animo. is perfunctus militia, per P. Cornelium Sullam prætorem in ſenatum introductus, petit à Patribus, uti *ſibi quinque millia militum darentur. Se peritum & hoſtis & regionum, brevi operæ pretium facturum. & quibus artibus ad id locorum noſtri & duces, & exercitus capti forent, iis adverſus inventorem uſurum*. Id non promiſſum magis ſtolide, quam ſtolide creditum: tanquam eædem militares & imperatoriæ artes eſſent. data pro quinque, octo millia militum; pars dimidia cives, pars ſocii; & ipſe aliquantum voluntariorum itinere in agris concivit; ac prope duplicato exercitu in Lucanos pervenit; ubi Annibal, nequicquam ſecutus Claudium, ſubſtiterat. [1] Haud dubia res eſt: quippe inter Annibalem ducem & centurionem, exercituſque, alterum vincendo veteranum, alterum novum totum, & magna ex parte etiam tumultuarium ac ſemiermem. Ut conſpecta inter ſe agmina ſunt, & neutra pars detrectavit pugnam, extemplo inſtructæ acies. [a] pugnatum tamen, ut in ulla pari re, duas amplius horas; concitata, donec dux ſtetiſset, Romana acie. Poſteaquam is non pro vetere fama ſolum, ſed etiam metu futuri dedecoris, ſi ſua temeritate contractæ cladi ſupereſſet, objectans ſe hoſtium telis cecidit; fuſa extemplo eſt Romana acies. ſed adeo ne fugæ quidem iter patuit, omnibus viis ab equite inſeſſis, ut ex tanta multitudine vix mille evaſerint; cæteri paſſim, [b] alii alia peſte abſumpti ſint.

XX. Capua à conſulibus iterum ſumma vi obſideri cœpta eſt: quæque in eam rem opus erant, comportabantur parabanturque. Caſilinum, fru-

INTERPRETATIO.

a *Quamvis nulla in re pares eſſent Romani, nihilominùs ultra duas horas pugnatum eſt, ardore pugnæ incitatis illorum copiis, quamdiu dux ſuperſtes fuit.*

b *Diverſis exitii generibus.*

NOTÆ.

1. *Haud dubia res eſt.*] Certa erat hinc Annibalis victoria, hinc Romanorum ſtrages: Gallicè, *la choſe eſtoit ſans difficulté.*

mentum convectum, ad Vulturni ostium, [1] ubi nunc urbs est, castellum communitum. ([2] ante Fabius Maximus munierat) præsidium impositum, ut & mare proximum, & flumen in potestate essent. In ea duo maritima castella frumentum, quod ex Sardinia nuper missum erat, quodque M. Junius prætor ex Etruria coëmerat, ab Ostia convectum est, ut exercitui per hiemem copia esset. Cæterum [a] super eam cladem, quæ in Lucanis accepta erat, volonum quoque exercitus, qui vivo Graccho summa fide stipendia fecerat (velut exauctoratus morte ducis), ab signis discessit. Annibal non Capuam neglectam, neque in tanto discrimine desertos volebat socios: sed prospero ex temeritate unius Romani ducis successu, in alterius ducis exercitusque opprimendi occasionem imminebat: *Cn. Fulvium prætorem* Appuli legati nunciabant, *primo dum urbes quasdam Apulorum, quæ ad Annibalem descivissent, oppugnaret, intentius rem egisse: postea nimio successu & ipsum & milites præda impletos in tantam licentiam socordiamque effusos, ut nulla disciplina militiæ esset.* Quum sæpe alias, tum paucis diebus ante expertus, qualis sub inscio duce exercitus esset, in Apuliam castra movit.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pulc.

XXI. Circa Herdoniam Romanæ legiones & prætor Fulvius erant. quo ubi allatum est, hostes adventare, prope est factum, ut injussu prætoris signis convulsis in aciem exirent. nec res ulla magis tenuit, quam spes haud dubia, suo arbitrio, ubi vellent, acturos. Nocte insequenti Annibal, quum tumultuatum in castris, & plerosque ferociter signum ut daret institisse duci ad arma vocantes sciret; haud dubius prosperæ pugnæ occasionem dari; tria millia expeditorum militum in villis circà, vepribusque & sylvis disponit; qui signo dato simul omnes [1] è latebris existerent: & Magonem, ac duo ferme millia equitum, quà fugam inclinaturam credebat, omnia itinera insidere jubet. his nocte præparatis, prima luce in aciem copias educit. Nec Fulvius est cunctatus; non tam sua ulla spe, quam militum impetu fortuito tractus. itaque eadem temeritate, qua processum in aciem est, instruitur ipsa acies ad libidinem militum forte procurrentium, consistentiumque quo loco ipsorum tulisset

INTERPRETATIO.

a *Præter stragem Centenii in Lucania editam ab Annibale.*

NOTÆ.

1. *Ubi nunc urbs est.*] Tunc Castellum, posteà oppidum fuit *Vulturni* appellatione ad fluvii cognominis ostium, hodie *Castello di Volturno*.

2. *Antè Fabius Maximus.*] Non ægrè in Gronovii sententiam ierim, qui addendam censet vocem, *alterum* ut legatur, *alterum ante Maximus*. Et intelligatur de Puteolis, quos communitos esse à Fabio jam scripserat lib. 24. unde factum ut tria fuerint per hoc bellum munita hoc tractu à Romànis Castella, Casilinum in Mediterraneis, paulò suprà Capuam: Vulturnum in ore fluminis, à quo nomen traxit: & Puteoli: quorum trium mentio infra cap. 22.

1. *E latebris existerent.*] Vulgò, *è latebris exilirent*. Sed *existere* pro *erumpere, exire* Ciceroni aliisque usurpatum, atque ab ipso Livio lib. 39. *Si existat hodie ab Inferis Lycurgus.*

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

animus: deinde per libidinem aut metum deserentium locum. prima legio, & sinistra ala [2] in primo instructæ, & in longitudinem porrecta acies. clamantibus tribunis, nihil introrsus roboris ac virium esse, & quacumque impetum fecissent, hostes perrupturos; nihil, quod salutare esset, non modo ad animum, sed ne ad aures quidem admittebant. Et Annibal [3] haudquaquam similis dux, neque simili exercitu, neque ita instructo aderat. ergo ne clamorem quidem atque impetum primum eorum Romani sustinuere. Dux stultitia & temeritate Centenio par, animo nequaquam comparandus, ubi rem inclinatam ac trepidantes suos vidit, equo arrepto cum ducentis ferme equitibus effugit: cætera à fronte pulsa, à tergo atque alis circumventa acies, eo usque est cæsa, ut ex duodeviginti millibus hominum, duo millia haud amplius evaserint. castris hostes potiti sunt.

XXII. Hæ clades super aliam alia Romam quum essent nunciatæ, ingens quidem & luctus & pavor civitatem cepit. sed tamen quia consules, ubi summa rerum esset, [a] ad id locorum [1] prosperè gererent, minus his cladibus commovebantur. Legatos ad consules mittunt C. Lætorium, M. Metilium, qui nunciarent, ut *reliquias duorum exercituum cum curâ colligerent: darentque operam, ne per metum ac desperationem hosti se dederent*, (id quod post Cannensem accidisset cladem) *& ut desertores de exercitu volonum conquirerent*. Idem negotii P. Cornelio datum. cui & delectus mandatus erat: isque per fora conciliabulaque edixit, ut *conquisitio volonum fieret, iique ad signa reducerentur*. Hæc omnia intentissimâ curâ acta. Ap. Claudius consul, D. Junio ad ostium Vulturni, M. Aurelio Cotta Puteolis præposito, qui ut quæque naves ex Etruria ac Sardinia accessissent, extemplo in castra mitterent frumentum: ipse ad Capuam regressus, Q. Fulvium collegam invenit, Casilino omnia importantem, molientemque ad oppugnandam Capuam. Tum ambo consules circumsederunt urbem, & Claudium Neronem prætorem, ab Suessula [2] ex Claudianis castris exciverunt. Is quoque modico ibi præsidio ad tenendum locum relicto, cum cæteris omnibus copiis ad Capuam descendit. ita tria prætoria

INTERPRETATIO.

a *Ad illud usque tempus.*

NOTÆ.

2. *In primo instructæ.*] Vulgò, *primò instructæ*. Illud ex optimis libris, & melius: est enim *in primo* idem ac *primo loco*, *in fronte*, uti anteà est observatum.

3. *Haudquaquam similis dux.*] Variantibus libris, Gronov. ex Put. (ubi erat, *haudquaquam similis dua*) feliciter eruit *similis dux*. Et *haudquaquam similis* significat hoc loco, non inferiorem, ut plerumque; sed superiorem longè ac meliorem.

1. *Prosperè gererent.*] Gronov. suspicatur scribendum, *prosperè rem gererent*, quod Petavianus corruptè habeat *prosperem gererent*.

2. *Ex Claudianis castris.*] Quæ scilicet ante aliquot annos munita fuerant à M. Claudio Marcello; nomenque adhuc retinebant, Prætore Claudio Nerone.

circa

circa Capuam erecta, tres & exercitus diversis partibus opus aggressi, fossâ, valloque circumdare urbem parant: 3 & castella excitant modicis intervallis. multisque simul locis cum prohibentibus opera Campanis eo eventu pugnant, ut postremo portis muroque se contineret Campanus. Prius tamen quam hæc continuarentur opera legati ad Annibalem missi: qui quererentur, *desertam ab eo Capuam, ac prope redditam Romanis:* obtestarenturque ut *tunc saltem opem non circumsessis modò, sed etiam circumvallatis, ferret*. Consulibus literæ à Pub. Cornelio prætore missæ, *Ut, priusquam clauderent Capuam operibus, potestatem Campanis facerent, ut qui eorum vellent, exirent ab Capua, suasque res secum auferrent. Liberos fore suaque omnia habituros, qui ante Idus Martias exissent. post eam diem quique exissent, quique ibi mansissent, hostium futuros numero*. ea pronunciata Campanis, atque ita spreta, ut ultro dicerent contumelias, minarenturque. Annibal ab Herdonia Tarentum duxerat legiones; spe, aut vi, aut dolo, arcis Tarentinæ potiundæ. Quod ubi parum processit, ad Brundusium flectit iter; b prodi id oppidum ratus. ibi quoque quum frustra tereret tempus, legati Campani ad eum venerunt; querentes simul, orantesque. quibus Annibal magnifice respondit, *& antea solvisse obsidionem, & nunc adventum suum consules non laturos*. Cum hac spe dimissi legati, vix regredi Capuam, jam duplici fossa valloque cinctam potuerunt.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

XXIII. Quum maxime Capuâ circumvallaretur, Syracusarum oppugnatio ad finem venit: præterquam vi ac virtute ducis exercitusque, intestinâ etiam proditione adjuta. Namque Marcellus initio veris incertus, utrum Agrigentum ad Himilconem & Hippocratem verteret bellum, an obsidione Syracusas premeret: quanquam nec vi capi videbat posse inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem, nec fame 1 quam prope liberi ab Carthagine commeatus alerent; tamen ne quid inexpertum relinqueret, transfugas Syracusanos (erant autem apud Romanos aliqui nobilissimi viri, 2 inter defectionem ab Romanis, quia ab novis consiliis abhorrebant, pulsi) colloquiis suæ partis tentare hominum animos jussit: & fidem dare, *si traditæ forent Syracusæ, liberos eos ac suis legibus victuros esse*. Non erat colloquii copia: quia multorum animi suspecti, omnium curam oculosque conver-

INTERPRETATIO.

b *Sperans fore ut ea urbs* sibi *traderetur*.

2 *Per tempus quo à Romanis desciverant* Syracusani.

NOTÆ.

3. *Et Castella excitant modicis intervallis*.] Munimenta hæc in minorum Castellorum formam nostris dicuntur, *des Forts*; & si angustiora sint, *des Redoutes*; inter hæc continuato vallo perficitur circumvallatio.

1. *Quam propè liberi*.] *Quam*, nempe urbem. Ex duobus manuscriptis, in quibus est, *nec fame unquam prope, &c.* scribendum censet Gronov. *nec fame, ut quam prope liberi, &c.* Ubi *ut* valet, *ut-pote*.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

terant, [b] ne quid falleret tale admissum. Servus unus exulum pro transfuga intromissus in urbem, conventis paucis, initium colloquendi de tali re fecit. deindein piscatoria quidam navi, retibus operti, circumvecti-que ita ad castra Romana, collocutique cum transfugis: & idem sæpius eodem modo alii atque alii. postremo ad octoginta facti. & quum jam composita omnia ad proditionem essent, indicio delato ad Epicydem per Attalum quendam, indignantem sibi rem creditam non esse, necari omnes cum cruciatu sunt. Alia subinde spes, postquam hæc vana evaserat, excepit. [2] Damippus quidam Lacedæmonius missus ab Syracusis ad Philippum regem, captus ab Romanis navibus erat. hujus utique redimendi & Epicydæ cura erat ingens, nec abnuit Marcellus jam tum Ætolorum, cujus gentis socii Lacedæmonii erant, amicitiam affectantibus Romanis. Ad colloquium de redemptione ejus missus, medius maxime atque utrisque opportunus locus [3] ad portum Trogiliorum, propter [4] turrim, quam vocant Galeagram, est visus. quo quum sæpius commearent, unus ex Romanis ex propinquo murum contemplatus, [5] numerando lapides æstimandoque ipse secum qui in fronte paterent; simul altitudinem muri, quantum proxime conjectura poterat, permensus, humilioremque aliquanto pristina opinione sua & cæterorum omnium ratus esse, & vel mediocribus scalis superabilem; ad Marcellum rem defert. Haud spernenda res visa. sed quum adiri locus, qui ob idipsum intentius custodiebatur, non posset; occasio quærebatur: quam obtulit transfuga nuncians, diem [6] festum Dianæ per triduum agi, & quia alia in obsidio-

INTERPRETATIO.

b *Ita ut, si quid simile committeretur, latere vix posset.*

NOTÆ.

2. *Damippus.*] Ita Plutarchus appellat, frustraque est Sigon. qui *Damasippum* nominandum conjicit.

3. *Ad portum Trogiliorum.*] *Trogilus portus* Achradinæ proximus & Tychæ, à quo incolæ Trogilii: unde navium statio quæ eo loco, *portus Trogiliorum* dicitur.

4. *Turrim quam vocant Galeagram.*] Erat hæc turris ad extremam partem Tychæ, qua hæc cum Achradina versus litus conjungebatur: ut ex sequentib. probat Cluver. & ex Plut. qui per *Galeagram* turrim conscendisse Romanos scribit. Ea nunc *Scala Græca*.

5. *Numerando lapides, æstimandoque ipse secum qui in fronte paterent.*] Conjicit Gronov. *quid in fronte paterent*. idque in Addendis confirmat ex Codicibus Puteani duobus, Petavii, Menardi, Vossii, Gudii, Mureti, qui pro *simul* habent *singuli*: quibus & Regius unus congruit, & Colb. sed in his legitur qui, non *quid*. Est enim *qui in fronte paterent singuli*. Quod non magis mihi arridet quam communis lectio quæ aliam quidem, sed idoneam habet sententiam, ut Romanus ille muri Syracusani lapides numerando, eorumque mensuram æstimando, quatenus oculis patebant, & perspici poterant, conjecerit humiliorem esse murum, quàm creditum fuerat.

6. *Festum Dianæ per triduum.*] Celebrabant Dianæ festum *Artemisia*, ut alii populi, sic & Syracusani, vino multo & lusu, Plutarcho teste in Marcello, ex quo Meursius Græc. feriat. lib. 1.

ne desine, vino largius epulas celebrari; & ab Epicyde præbito universæ plebei, & per tribus à principibus diviso. Id ubi accepit Marcellus, cum paucis tribunorum militum collocutus, electisque per eos, ad rem tantam agendam audendamque, idoneis centurionibus militibusque, & scalis in occulto comparatis, cæteris signum dari jubet, ut mature corpora curarent, quietique darent. nocte in expeditione eundum esse. Inde ubi id temporis visum, 7 quo de die epulatis jam vini satius principiumque somni esset; c signi unius milites ferre scalas jussit; & ad mille fere armati tenui agmine per silentium eo deducti. Ubi sine strepitu ac tumultu primi evaserunt in murum, secuti ordine alii; quum priorum audacia dubiis etiam animum faceret.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

XXIV. Jam mille armatorum 1 ceperant partem, 2 quum cæteræ admotæ pluribusque scalis in murum evadebant, signo ab Hexapylo dato: quo per ingentem solitudinem erat perventum, quia magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant: 3 paucos tamen eorum oppressos in cubilibus interfecerunt. Prope Hexapylon est portula, ea magna vi refringi cœpta: & è muro ex composito tuba datum signum erat; & jam undique non furtim, sed vi aperta, gerebatur res; 4 quippe ad Epipolas, frequentem custodiis locum,

INTERPRETATIO.

c *Milites unius manipuli*, (*duas continentis centurias, sive ordines*, id est, milites centum viginti) & *armati milites usque ad mille, aut circiter, tacitè ad locum eumdem ducti sunt*.

NOTÆ.

7. *Quo de die epulatis.*] Vulgò *quo, die epulatis jam, vinoque satiatis principium somni esset*. In Colb. *Quo, die epulatis, jam vino satiatis, &c.* Lipſ. non improbabili conjecturâ legit, *de die epulatis*; id est, cum adhuc dies esset: quod etiam sine præpositione intelligi posset. Apud veteres certe Romanos hora cœnæ viris frugi vix ante noctem: sed *de die* epulabantur, qui genio indulgebant, ut nunc per diem festum Syracusani. Eo pertinet illud Satyrici, [*Dis*

Exul ab octava Marius bibit & fruitur
Iratis.

ab octava, id est, nostro more, ab hora fermè secunda post meridiem. Hora nona, tempus erat, non cœnæ communis, sed convivii: eoque spectat Martial.

Imperat exstructos frangere Nona thoros.

Aliam Lipſ. haud necessariam correctionem addit, *vino sauciatis*, pro *satiatis*: nec magis necessaria Gronovii mutatio, aut Salmasii, scribentium, *jam vini satius principiumque somni erat*.

1. *Ceperant partem.*] Muri.

2. *Quum cætera admota.*] Vel supplendum, *copia*, aut *scala*, vel quid simile: vel cum Gronovio legendum, *cùm cæteri admoti*.

3. *Paucos tamen eorum comprehensos in cubilibus.*] Ferri potest hæc vulgaris lectio: meliùs tamen, *oppressos*, quod Gronov. subjicit ex suspicione magis, quàm ex Mſſ.

4. *Quippe ad Epipolas.*] *Epipolæ* nomen est loci, qui à mari, & corpore, ut ita dicam, urbis Syracusanæ remotior, & cæteris partibus infrequentior supra Tycham & Neapolim. Nam auctore Thucyd. lib. 6. locus ille præruptus, urbi imminebat, non ejus propriè pars erat. Si *Epipolæ* inter urbis partes numerentur (nam & hæc muro cincta à Dionysio) jam quintuplices erunt Syracusæ. Eaque de causa Strabo quinque urbibus constitisse olim eam urbem scribit, 180. stadiorum muro cinctam: hoc est, plus quam 22. milliarium.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

perventum erat: terrendique magis hostes erant, quam fallendi; sicut territi sunt. nam simul ac tubarum est auditus cantus, clamorque tenentium muros, partemque urbis: omnia teneri custodes rati, alii per murum fugere, alii salire de muro, præcipitarique turba paventium. Magna pars tamen ignara tanti mali erat; & gravatis omnibus vino somnoque, & in vastæ magnitudinis urbe, [5] partium sensu non satis pertinente in omnia. Sub luce [6] Hexapylo effracto, Marcellus omnibus copiis urbem ingressus, excitavit convertitque omnes ad arma capienda, opemque, si quam possent, jam captæ prope urbi ferendam. Epicydes ab Insula, [7] quam ipsi Nason vocant, citato profectus agmine; haud dubius quin paucos per negligentiam custodum transgressos murum expulsurus foret, occurrentibus pavidis, tumultum augere eos, dictitans, & majora ac terribiliora vero afferre; postquam conspexit omnia circa Epipolas armis completa, lacessito tantum hoste paucis missilibus, retro in Achradinam agmen convertit: non tam vim, multitudinemque hostium metuens, quam ne qua intestina fraus per occasionem oriretur, clausasque inter tumultum Achradinæ atque Insulæ inveniret portas. Marcellus, ut mœnia ingressus, ex superioribus locis, urbem, omnium ferme illa tempestate pulcherrimam subjectam oculis vidit, illachrymasse dicitur, partim gaudio tantæ perpetratæ rei, partim vetusta gloria urbis. [8] Atheniensium classes demersæ, & duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus deleti occurrebant: & [9] tot bella cum Carthaginiensibus tanto cum discrimine gesta, tot tam opulenti tyranni regesque: præter cæteros Hiero, quum recentissimæ memoriæ rex, tum ante omnia, quæ virtus ei fortunaque sua dederat, beneficiis in populum Romanum insignis. ea quum universa occurrerent animo, subiretque cogitatio, jam illa momento horæ arsura omnia, & ad cineres reditura, priusquam signa Achradinæ admoveret, præmittit Syracusanos,

NOTÆ.

5. *Partium sensu non satis pertinente in omnia.*] Cùm enim plures essent urbis partes, muris inter se disjunctæ; non facilè omnia quæ extremâ aliquâ parte fiebant, ab reliquis partibus sensu percipi poterant, atque ad longinqua pervenire.

6. *Hexapylo effracto.*] Porta, quâ in Tycham ingressus patebat.

7. *Quam ipsi Nason vocant.*] Communi dialecto Insula Græcè Νῆσος, Doricâ verò (quâ Siculi utebantur) Νᾶσος appellatur.

8. *Atheniensium classes demersæ.*] Belli Peloponnesiaci anno 19. missæ in Syracusanos classes ab Atheniensibus, post longam obsidionem, mersæ fuerant, ducesque illorum Nicias & Demosthenes cæsi a Gylippo Lacedæmonio duce, Olymp. 91. urbis Romæ anno fermè 339.

9. *Cum Carthaginiensibus.*] A Gelone in primis Syracusanorum rege victi nobili prælio ad Himeram Carthaginienses Olympiade 74. sub annum urbis 274. Iidem ab obsidione Syracusarum repulsi à Dionysio tyranno, Olympiadis 96. anno 1. post Romam conditam 359. ac deinde Olymp. 109. à Timoleonte Corinthio Syracusanorum duce. Denique ab Agathocle sub 118. Olympiadem, à Syracusis ad ipsum Carthaginem translata obsidio.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. App. Claud. Pul.

qui intra præsidia Romana, ut ante dictum est, fuerant, ut alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam urbem.

XXV. Tenebant Achradinæ portas murosque maxime transfugæ, a quibus nulla erat per conditiones veniæ spes: ii nec adire muros, nec alloqui quemquam passi. itaque Marcellus postquam id inceptum irritum fuit, 1 ad Euryalum signa referri jussit. tumulus est in extrema parte urbis b versus à mari, viæque imminens ferenti in agros, mediterraneaque insulæ, percommode situs ad commeatus excipiendos. Præerat huic arci Philodemus Argivus ab Epicyde impositus, ad quem missus à Marcello Sosis, unus ex interfectoribus tyranni, quum longo sermone habito dilatus per frustrationem esset, retulit Marcello tempus eum ad deliberandum sumpsisse. Quum is diem de die differret, dum Hippocrates atque Himilco admoverent castra legionesque, haud dubius, si in arcem accepisset eos, deleri Romanum exercitum inclusum muris posse; Marcellus ut Euryalum neque tradi, neque capi vidit posse, inter Neapolim & Tycham (nomina partium urbis, & instar urbium sunt) posuit castra: timens ne, si frequentia intrasset loca, contineri ab discursu miles avidus prædæ non posset. Legati eo ab Tycha & Neapoli, 2 cum infulis & velamentis venerunt; precantes ut à cædibus & ab incendiis 3 parceretur. De quorum precibus quam postulatis magis consilio habito, Marcellus ex omnium sententia edixit militibus, *ne quis liberum corpus violaret. cætera prædæ futura.* c castraque tectis parietum pro muro septa, portis regione platearum patentibus stationes præsidiaque disposuit, ne quis in discursu militum impetus in castra fieri posset. Inde signo dato milites discurrerunt: refractisque

INTERPRETATIO.

a *Qui sperare nullatenus poterant fore ut veniam per pacta & conditiones pacis obtinerent.*

b *Procul à mari positus.*

c *Castra* hæc Marcelli (inter Neapolin & Tychen posita) *parietes ædium ad eas tegendas structos loco muri*, sive pro vallo *habebant: castrorum eorumdem portis* quæ apertæ erant ea parte quæ in latiores urbis vias ducebat, Marcellus *globos militum apposuit; ne invadi possent castra, cùm milites ad diripiendum discurrerent.*

NOTÆ.

1. *Ad Euryalum.*] Tumulus erat, sive collis per quem ascendebatur ad Epipolas, quarum ea arx: alias *Eurýēlus*; hodie *Belvedere*.

2. *Cum infulis & velamentis:*] Tradit Varro *Infulas* esse *velamenta ex lana*: Festus, *filamenta lanea* quibus sacerdotes, & hostiæ templaque *velabantur*: Isidoro Infula propriè dicitur esse *fasciola Sacerdotalis capitis alba in modum diadematis, à qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ Infulam vinciunt*: ea plerunque lata erat, plerunque tortilis *de alba & cocco*. Et *velamenta*, etsi pro quovis genere operimentorum sumantur, hic strictè pro iis accipiuntur quæ à supplicibus veniæ impetrandæ causa præferri solebant, cujusmodi rami olearum vittis obvoluti, ipsæque vittæ, utpote quibus uterentur Diis supplicantes. Hinc Ovid. in Metam. *Velamenta manu prætendens supplice.*

3. *Parceretur.*] Pro, *abstineretur* à cædibus, incendiis.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

foribus quum omnia terrore ac tumultu ftreperent, à cædibus tamen temperatum eft. rapinis nullus antè modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egeffere. Inter hæc & Philodemus, quum fpes auxilii nulla effet, fide accepta, ut inviolatus ad Epicyden rediret, deducto præfidio 4 tradidit tumulum Romanis. Averfis omnibus ad tumultum ex parte captæ urbis, Bomilcar noctem eam nactus, qua propter vim tempeftatis ftare ad anchoram in falo Romana claffis non poffet, cum triginta quinque navibus ex portu Syracufano profectus libero mari vela in altum dedit; quinque & quinquaginta navibus Epicydæ & Syracufanis relictis, edoctifque Carthaginienfibus, in quanto res Syracufana difcrimine effet, cum centum navibus poft paucos dies redit, multis (ut fama eft) donis ex Hieronis gaza ab Epicyde donatus.

XXVI. Marcellus, Euryalo recepto, præfidioque addito, una cura erat liber, ne qua ab tergo vis hoftium in arcem accepta, inclufos impeditofque mœnibus fuos turbaret. Achradinam inde, trinis caftris per idonea difpofitis loca, fpe ad inopiam omnium rerum inclufos redacturum, circumfedit. Quum per aliquot dies quietæ ftationes utrinque fuiffent, repente adventus Hippocratis & Himilconis, ut ultro undique oppugnarentur Romani, fecit. nam & Hippocrates caftris ad magnum portum communitis, fignoque iis dato qui Achradinam tenebant, caftra vetera Romanorum adortus eft, quibus Crifpinus præerat, & Epicydes eruptionem in ftationes Marcelli fecit: & claffis Punica litori, quod inter urbem & caftra Romana erat, appulfa eft; ne quid præfidii Crifpino fubmitti à Marcello poffet. Tumultum tamen majorem hoftes præbuerunt, quam certamen. nam & Crifpinus Hippocratem non repulit tantum munimentis; fed infecutus etiam eft trepide fugientem: & Epicyden Marcellus in urbem compulit. fatifque jam etiam in pofterum videbatur provifum, ne quid ab repentinis eorum excurfionibus periculi foret. Acceffit & peftilentia, commune malum, quod facile utrorumque animos averteret à belli confiliis. nam tempore autumni, a & locis natura gravibus, multo tamen magis extra urbem, quam in urbe, intoleranda vis æftus per utraque caftra omnium ferme corpora movit. & primo temporis ac loci vitio & ægri erant, 1 & moriebantur: poftea curatio ipfa, & contactus ægrorum, vulgabat morbos: ut aut neglecti defertique, qui incidiffent, morerentur; aut affidentes curantefque, eadem vi morbi repletos fecum traherent: quotidianaque funera & mors ob oculos effet, & undique dies no-

INTERPRETATIO.

a *Et in locis qui naturali gravitate aëris laborabant.*

NOTÆ.

4. *Tradidit tumulum.*] Euryalum.

1. *Et moriebantur.*] Morbo contacto ex aëris vitio, fine alieno contactu; quo accedente crefcebat malum.

Urb. Cond. an. 541. Coll. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

ctesque, ploratus audirentur. postremo ita assuetudine mali efferaverant animos; ut 2 non modo non lachrymis justoque comploratu prosequerentur mortuos; sed ne efferrent quidem, aut sepelirent, jacerentque strata exanima corpora in conspectu similem mortem exspectantium: mortuique ægros, ægri validos, cum metu, tum tabe ac pestifero odore corporum conficerent. & ut ferro potius morerentur, quidam invadebant soli hostium stationes. Multo tamen major vis pestis Pœnorum castra quam Romana, (diu circumsedendo Syracusas, 3 cœlo aquisque adsuerant magis) affecerat. Ex hostium exercitu Siculi, ut primum videre ex gravitate loci vulgari morbos: in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt. at Carthaginienses; quibus nusquam receptus erat, cum ipsis ducibus Hippocrate atque Himilcone, ad internecionem omnes perierunt. Marcellus, ut tanta vis ingruebat mali, traduxerat in urbem suos: infirmaque corpora tecta & umbræ recreaverant. multi tamen ex Romano exercitu eadem peste absumpti sunt.

XXVII. Deleto terrestri Punico exercitu, Siculi, qui Hippocratis milites fuerant; in haud magna oppida, cæterum & situ & munimentis tuta, (tria millia alterum ab Syracusis, 1 alterum quindecim abest) 2 eò & commeatus è civitatibus suis comportabant, & auxilia accersebant. Interea Bomilcar iterum cum classe profectus Carthaginem, ita exposita fortunâ sociorum, ut spem faceret, non ipsis modo salutarem opem ferri posse, sed Romanos quoque in capta quodammodo urbe capi, perpulit, ut onerarias naves quamplurimas omni copia rerum onustas secum mitterent, classemque suam augerent. igitur centum triginta navibus longis

NOTÆ.

2. *Non modò non lachrymis.*] Posteriorem negationem tollunt veteres Codices & prisca editio, integro tamen sensu, ut Gronov. contendit, adducto loco Livii, lib. 6. *Ut non modò ad tribunatum militum inter patricios petendum, sed ne ad plebeios quidem magistratus capessendos ulli animus esset.*

3. *Cœlo aquisque adsuerant magis.*] Vulgo, *Cade aquisque affecerat magis.* Correxit Gronov. 4. observat. 8. Indicat enim auctor idcirco minorem fuisse Romanorum cladem, quàm Pœnorum, quod illi jam aëri Syracusano, utcunque corrupto, magis essent assuefacti diuturnâ morâ.

1. *Alterum quindecim adest.*] Vulgò legitur, *alterum quindecim ab ostio*, cum non appareat quod illud sit ostium. Posset quidem intelligi ostium Anapi fluminis, vel *ostium magni portûs*, cujus posteà meminit, cap. 30. Sed illud juxta Syracusas, hoc ad ipsa mœnia. In Colbertino scriptum est, *ab hoste*; sed à secunda manu cùm antea esset ab *ostio*; & hostis horum Siculorum non alius videtur quam Romanus, cujus exercitus & ipse Syracusis: unde commodius fuisset scribi tantùm, *alterum quindecim abest:* nisi quis velit *hostis* nomine Bomilcarem intelligi Romanorum hostem Punicæ classis prætorem, cujus statio ad Pachynum.

2. *Eò & commeatus.*] Ita Gronov. ex Put. ostenditque illud *eò* superfluum non esse, præsertim propter interjectam parenthesim, quæ sententiam suspendit: exempla congerit tum aliunde, tum ex nostro, præsertim lib. 26. *Levinus Zacynthum (parva insula est propinqua Ætoliæ: urbem unam eodem quo ipsa est nomine habet) eam, præter arcem, vi cepit.*

Urb. Cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Claud. Pul.

[3] & septingentis onerariis profectus à Carthagine, prosperos satis ventos ad trajiciendum in Siciliam habuit. sed iidem venti superare eum Pachynum prohibebant. Bomilcaris adventus, fama primo, dein præter spem mora, quum gaudium & metum invicem Romanis Syracusanisque præbuisset; Epicydes metuens, ne, si pergerent iidem [a] qui tum tenebant ab ortu solis flare per dies plures venti, classis Punica Africam repeteret; tradita Achradina mercenariorum militum ducibus, ad Bomilcarem navigat; classem in statione versa in Africam habentem, atque timentem navale prælium: non tam quod impar viribus aut numero navium esset, (quippe etiam plures habebat) quam quod venti aptiores Romanæ quam suæ classi flarent; perpulit tandem, ut fortunam navalis certaminis experiri vellet. Et Marcellus quum & Siculum exercitum ex tota insula conciri videret, & cum ingenti commeatu classem Punicam adventare; ne simul terra marique inclusus urbe hostium urgeretur, quanquam impar numero navium erat, prohibere aditu Syracusarum Bomilcarem constituit. Duæ classes infestæ circa promontorium Pachynum stabant; ubi primum tranquillitas maris in altum evexisset, concursuræ. Itaque [4] cadente jam Euro, qui per dies aliquot sævierat, prior Bomilcar movit: [5] cujus prima classis petere altum visa est, quo facilius superaret promontorium. cæterum, postquam tendere ad se Romanas naves vidit; incertum qua subita territus re, Bomilcar vela in altum dedit, missisque nunciis [6] Heracleam, qui onerarias retro in Africam repetere juberent, ipse Siciliam prætervectus, Tarentum petit. Epicydes à tanta repente destitutus spe, ne in obsidione magna ex parte captæ urbis rediret, Agrigentum navigat: exspectaturus magis eventum: quàm inde quicquam moturus.

XXVIII. Quæ ubi [1] in castra Siculorum sunt nunciata, Epicyden Syracusis excessisse, à Carthaginiensibus relictam insulam, & prope iterum Romanis traditam, legatos de conditionibus dedendæ urbis, explorata prius per colloquia voluntate eorum, qui obsidebantur, ad Marcellum mittunt.

INTERPRETATIO.

a *Qui eo tempore retinebant classem*, vel *qui mare obtinebant*.

NOTÆ.

3. *Et septingentis onerariis.*] Vulgò *septuaginta*. Emendavit Gronov. ex multis Codicibus, quibuscum conveniunt duo Colbertini *centum triginta navibus longis, septingentis onerariis*. Et verò major ferè esse solet in hujusmodi classibus numerus onerariarum navium, quibus commeatus vehuntur, quàm longarum, quæ ad belli usum comparatæ armatos ferunt.

4. *Cadente jam Euro.*] Ubi desiit ventus ille, qui jamdiu ab Oriente vehementer flaverat.

5. *Cujus prima classis.*] Priusquàm Romana moveret.

6. *Heracleam.*] Apparet hanc *Heracleam* urbem Siciliæ fuisse, & stationem in litore Meridionali. De hac Heraclea Minoa, inter Agrigentum & Selinuntem sita, jam diximus.

1. *In castra Siculorum.*] Eorum scilicet, qui Hippocratis milites fuerant.

Quum

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

Quum haud ferme discreparet, quin quæ 2 ubique regum fuissent, Romanorum essent; Siculis cætera cum libertate ac legibus suis servarentur: evocatis ad colloquium his quibus ab Epicyde creditæ res erant, 3 *missos se simul ad Marcellum, simul ab eo ad exercitum Siculorum*, ajunt, *ut una omnium qui obsiderentur, quique extra obsidionem essent, fortuna esset: neve alteri propriè sibi paciscerentur quicquam*. Recepti deinde ab iis, ut necessarios hospitesque alloquerentur, expositis quæ pacta jam cum Marcello haberent: oblata spe salutis perpulêre eos, ut secum præfectos Epicydis, Polyclitum, & Philistionem & Epicydem, cui Sidon cognomen erat, aggrederentur. interfectis iis, multitudine ad concionem vocata, & inopiam, qua ipsi inter se fremere occulte soliti erant, conquesti, & quanquam tot mala urgerent, negarunt, *fortunam accusandam esse, quòd in ipsorum esset potestate, quamdiu ea paterentur. Romanis caussam oppugnandi Syracusas fuisse charitatem Syracusanorum, non odium: nam ut occupatas res ab satellitibus Annibalis, deinde Hieronymi, Hippocrate, atque Epicyde audierint, tum bellum movisse, & obsidere urbem cœpisse: ut crudeles tyrannos ejus, non ut ipsam urbem expugnarent. Hippocrate vero interempto, Epicyde intercluso ab Syracusis, & præfectis ejus occisis, Carthaginiensibus omni possessione Siciliæ terra marique pulsis, quam superesse caussam Romanis, cur non perinde ac si Hiero ipse viveret, unicus Romanæ amicitiæ cultor, incolumes Syracusas esse velint? Itaque nec urbi nec hominibus aliud periculi, quam ab semetipsis esse, si occasionem reconciliandi se Romano prætermisissent. eam autem, qualis illo momento horæ sit, nullam deinde fore, 4 simul liberatos ab impotentibus tyrannis apparuisset*.

XXIX. Omnium ingenti assensu audita ea oratio est. Prætores tamen prius creari, quam legatos nominari, placuit. ex ipsorum deinde prætorum numero missi oratores ad Marcellum, quorum princeps, *Neque primo*,

NOTÆ.

2. *Ubique regum fuissent*.] Atqui antea dividebatur Sicilia à Romanis in provinciam propriam, quâ scilicet pulsi fuerant ab ipsis Carthaginienses; & in ditionem Hieronis Regumque: nunc videntur contrà, ea quæ ditionis regiæ fuerant, atque adeo Syracusas quibus libertatem ostentaverant, sibi vindicare velle; ea verò quæ priùs ipsi possederant, libertati & legibus suis relinquere. Verùm eò tendebant, ni fallor, hæc pacta, ut quæ propria regum, id est, in eorum patrimonio fuerant, Romanis relinquerentur: populo suarum legum usus servaretur.

3. *Missos se simul ad Marcellum*.] A quo missos? Ab Epicyde opinor. In altero ex Colb. Libris desunt illa, *simul ad Marcellum*, ut appareat ab Epicyde, cujus in proximo facta mentio fuerat, *missos* ad exercitum Siculorum: quod sanè aptius ad persuadendum iis, quibus creditæ res ab eodem Epicyde fuerant, quàm si dicant missos a Marcello hoste. Et fortè *ab eo*, est ab Epicyde.

4. *Simul liberatos*.] Id est, si cum jam liberi essent Syracusani pacem cum Romanis non fecissent, nam *simul apparuisset*, idem est ac *statim atque apparuisset*. Hæc Gronovii lectio maximè probabilis videtur. Vulgares editiones, *si simul libertas ab impotentibus tyrannis apparuisset*; quorum eadem est sententia, modo particulam *si* deleas. Plures Codices habent *libertatas*, quod ad Syracusas referri posset.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

inquit, *Syracusani à vobis defecimus, sed Hieronymus, nequaquam tam in vos impius, quam in nos: nec postea pacem tyranni cæde compositam Syracusanus quisquam, sed satellites regii Hippocrates atque Epicydes, oppressis nobis hinc metu, hinc fraude turbaverunt. nec quisquam dicere potest, aliquando nobis libertatis tempus fuisse, quod pacis vobiscum non fuerit. Nunc certe cæde eorum qui oppressas tenebant Syracusas, quum primum arbitrii nostri esse cœpimus, extemplo venimus ad tradenda arma; dedendos nos, urbem, mœnia, nullam recusandam fortunam, quæ imposita à vobis fuerit. Gloriam captæ nobilissimæ pulcherrimæque urbis Græcarum Dii tibi dederunt, Marcelle. quicquid unquam terra marique memorandum gessimus, id tui triumphi titulo accedit.* [1] *Famæ ne credi velis, quanta urbs à te capta sit, quàm posteris quoque eam spectaculo esse. quo quisquis terra, quisquis mari venerit, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusq; trophæa, nunc tua de nobis ostendat, incolumesque Syracusas familiæ vestræ sub clientela nominis Marcellorum, tutelaque habendas tradas. Ne plus apud vos Hieronymi quam Hieronis memoria momenti faciat. diutius ille multo amicus fuit, quam hic hostis: & illius etiam benefacta persensistis: hujus amentia ad perniciem tantum ipsius valuit.* Omnia & impetrabilia & tuta erant apud Romanos. [2] inter ipsos plus belli ac periculi erat. Namque transfugæ tradi se Romanis rati, mercenariorum quoque militum auxilia in eundem compulere metum; arreptisque armis prætores primum obtruncant, inde ad cædem Syracusanorum discurrunt: quosque fors obtulit, irati interfecerunt; atque omnia quæ in promptu erant, diripuere. tum ne sine ducibus essent; sex præfectos creavere, ut terni Achradinæ ac Naso præessent. Sedato tandem tumultu [a] ex sequentibus sciscitando mercenariis, quæ acta cum Romanis essent; dilucere id quod erat, cœpit; aliam suam ac perfugarum caussam esse.

XXX. In tempore legati à Marcello redierunt, falsa eos suspicione incitatos memorantes: nec caussam expetendæ pœnæ eorum ullam Romanis esse. Erat ex tribus Achradinæ præfectis Hispanus, Mericus nomine. ad eum inter comites legatorum de industria unus ex Hispanorum auxiliaribus est missus: qui sine arbitris Mericum nactus, primum quo in statu reliquisset Hispaniam, (nuper inde venerat) exponit. *Omnia Romanis ibi obtineri armis. posse eum si operæ pretium faciat, principem popularium esse: seu militare cum Romanis, seu in pa-*

INTERPRETATIO.

a *Ubi mercenarii milites percunctando sunt assecuti quæ cum Romanis tractata fuerant.*

NOTÆ.

1. *Famæ ne credi velis.*] Vulgò quidem *ne credi malis*; sed scripti omnes habent, *credi velis*; igitur illud *quàm* quod sequitur positum pro *magis quàm*, id est, *noli id velle*, ut potius famæ olim credatur quanta fuerit urbs Syracusana à te capta, quam eandem superesse à posteris spectandam. Id est, noli delere Syracusas, sed eas serva.

2. *Inter ipsos.*] Obsessos.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

triam reverti libeat. Contra, si malle obsideri pergat, quam spem esse terra marique clauso? Motus his Mericus, quum legatos ad Marcellum mitti placuisset, fratrem inter eos mittit: qui per eundem illum Hispanum 1 secretus ab aliis ad Marcellum deductus quum fidem accepisset, composuissetque agendæ rei ordinem, Achradinam redit. Tum Mericus, ut ab suspicione proditionis averteret omnium animos, negat, *sibi placere legatos commeare, ultro citroque, neque recipiendum quemquam, neque mittendum: & quo intentius custodiæ serventur, 2 opportuna loca dividenda præfectis, 3 ut suæ quisque partis tutandæ reus sit.* Omnes assensi sunt partibus dividundis: ipsi regio evenit ab Arethusa fonte usque 4 ad ostium magni portus id ut scirent Romani, fecit. Itaque Marcellus nocte navim onerariam cum armatis 5 remulco quadriremis trahi ad Achradinam jussit: exponitque milites regione portæ, quæ prope fontem Arethusam est. Hoc quum quarta vigilia factum esset, expositosque milites porta ut convenerat, recepisset Mericus; luce prima Marcellus omnibus copiis mœnia Achradinæ aggreditur: ita ut non eos solum, qui Achradinam tenebant, in se converteret, sed ab Naso etiam agmina armatorum occurrerent, relictis stationibus suis, ad vim & impetum Romanorum arcendum. In hoc tumultu 6 actuariæ naves, instructæ jam ante, circumvectæque, ad Nasum armatos exponunt, qui improviso adorti semiplenas stationes, & adapertas fores portæ, qua paulò ante excurrerant armati, haud magno certamine Nasum cepere, desertam trepidatione & fuga custodum. neque ullis minus præsidii aut pertinaciæ ad manendum quam transfugis fuit: quia ne suis quidem satis credentes se, medio certamine effugerunt. Marcellus ut captam esse Nasum didicit, & Achradinæ regionem unam 7 teneri, Mericumque cum præsidio suis

NOTÆ.

1. *Secretus ab aliis.*] Scripti, *qui per eundem illum Hispanum secretum ab aliis ad Marcellum deductus*. Vtrum malis parùm interest, sive *seorsim ab aliis, & secretus* Merici frater ad Marcellum deductus sit ab Hispano illo mediatore; sive hic ipse mediator, cùm in comitatu legatorum esset, sese ab aliis secreverit, præmonitoque Marcello Merici fratrem ad eum deduxerit: unde nihil apparet cur mutandum quidquam videatur.

2. *Opportuna loca.*] In manuscriptis desideratur *τὸ loca*; subaudiri tamen debet, ut cùm dicimus, plana urbis; *opportuna* autem dici videntur respectu hostium, quæ ipsorum conatibus magis exposita.

3. *Ut sua quisque partis tutandæ reus sit.*] *Reum* dicit pro eo qui teneatur locum sibi creditum tueri. Gall. *afin que chacun responde de l'endroit qu'on luy aura donné en garde.*

4. *Ad ostium magni portus.*] Inter duos portus posita fuit ea pars Syracusarum quam Insulam vocabant: Magnus portus à Naso ad Plemmyrium promontorium ac vicum protendebatur: minor inter Nason & Achradinam interjacebat.

5. *Remulco quadriremis.*] Onerariæ naves minùs remis quàm vento aguntur: unde hanc onerariam opus fuit remulco trahi, id est, remigio triremis, cui ea alligata: Gallicè dicimus, *remorquer*.

6. *Actuaria naves.*] Dicuntur *actuaria naves*, quia leviores atque agiliores facilè circumaguntur.

7. *Teneri.*] Adhuc retineri à Syracusanis.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

adjunctum, receptui cecinit: ne regiæ opes, quarum fama major quam res erat, diriperentur.

XXXI. Suppresso impetu militum, & iis qui in Achradina erant transfugis, spatium locusque fugæ datus est: & Syracusani tandem liberi metu, portis Achradinæ apertis, oratores ad Marcellum mittunt: nihil petentes aliud, quam incolumitatem, sibi, liberisque suis. Marcellus consilio advocato, & adhibitis etiam Syracusanis, qui per seditiones pulsi ab domo inter præsidia Romana fuerant, respondit: *non plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis quam paucis his annis maleficia eorum, qui Syracusas tenuerint, erga populum Romanum esse;* [a] *sed pleraque eorum, quo debuerint, recidisse: fœderumque ruptorum ipsos ab se graviores multo quam populus Romanus voluerit, pœnas exegisse. Se quidem tertium annum circumsedere Syracusas: non ut populus Romanus servam civitatem haberet, sed ne transfugarum duces captam & oppressam tenerent. Quid potuerint Syracusani facere, exemplo vel eos Syracusanorum esse qui intra præsidia Romana fuerint: vel Hispanum ducem Mericum, qui præsidium tradiderit, vel ipsorum Syracusanorum postremo, serum quidem, sed forte consilium. Omnium sibi laborum periculorumque, circa mœnia Syracusana terra marique tam diu exhaustorum,* [1] *nequaquam tantum fructum esse, quam capere Syracusas potuisse.* Inde quæstor cum præsidio ad Nasum, ad accipiendam pecuniam regiam, custodiamque missus: urbs diripienda militi data est; custodibus divisis per domos eorum, qui intra præsidia Romana fuerant. Quum multa iræ, multa avaritiæ, fœda exempla ederentur; Archimeden, memoriæ proditum est, in tanto tumultu, quantum capta urbs in discursu diripientium militum ciere poterat, [2] intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite quis esset, interfectum. ægre id Marcellum tulisse, sepulturæque curam habitam. [3] & propinquis etiam inquisitis, honori præsi-

INTERPRETATIO.

a *Sed maleficia illa magna ex parte redundasse ac recidisse in quos æquum erat*, id est, in capita auctorum.

NOTÆ.

1. *Nequaquam tantum fructum esse.*] Subjicit Codex Colbert. *quod capere Syracusas potuisset*. Manuscripti alii habent, *quàm capere Syracusas potuisset*, cùm vulgò legatur, *quàm capere Syracusas potuisse*. Hoc postremum sic accipit Ruben. ut Marcellus profiteatur nequaquam ex omnibus laboribus & periculis sibi tantum fructum contingere, quantum fructum Syracusæ ipsæ, aut Syracusani capere potuissent; siquidem in tempore sibi ipsi consuluissent. Quid si conjunctis particulis, *quàm*, & *quod*, quas scripti separatim habent, legamus, *quàm quòd Syracusas capere potuisset*, ut ostendat Marcellus utilitatem & opes, quas post tot labores ex Syracusarum direptione sperare posset, sibi aut Reipublicæ Romanæ non perinde cordi esse, ac gloriam quam consecutus sit, quòd fuerit tantam urbem capere.

2. *Intentum formis.*] Schemata, & figuras mathematicas *formarum* nomine intellige.

3. *Et propinquis etiam.*] Notat Grut. sacras & quasi inviolabiles esse inter bella literas & literarum amantes. Facit exemplum Alexandri Pindari domo, & propinquis in Thebarum direptione servatis.

dioque nomen ac memoriam ejus fuisse. Hoc maxime modo Syracusæ captæ. in quibus prædæ tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus æquis certabatur. Paucis ante diebus quam Syracusæ caperentur, T. Otacilius cum quinqueremibus octoginta Uticam ab Lilybæo transmisit. & quum ante lucem portum intrasset, onerarias frumento onustas cepit: egressusque in terram depopulatus est aliquantum agri circa Uticam, prædamque omnis generis retro ad naves egit. Lilybæum tertio die quam inde profectus erat, cum centum triginta onerariis navibus frumento prædaque onustis rediit: idque frumentum extemplo Syracusas misit. quod ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciosa fames instabat.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & Ap. Claudio. Pul.

XXXII. Eadem æstate in Hispania, cum biennio ferme nihil admodum memorabile factum esset, consiliisque magis quam armis bellum gereretur, Romani imperatores egressi hibernis copias conjunxerunt. ibi consilium advocatum, omniumque in unum congruerunt sententiæ: *quando ad id locorum id modo actum esset, ut Asdrubalem tendentem in Italiam retinerent; tempus esse id jam agi, ut bellum in Hispania finiretur*; & satis ad id virium credebant accessisse, [1] triginta millia Celtiberorum ea hieme ad arma excitata. [2] Tres exercitus erant. Asdrubal Gisgonis filius, & Mago conjunctis castris quinque ferme dierum iter ab Romanis aberant. Propior erat Amilcaris filius Asdrubal vetus in Hispania imperator. ad [3] urbem nomine Anitorgin exercitum habebat. Eum volebant prius opprimi duces Romani: & spes erat satis superque ad id virium esse. illa restabat cura, ne fuso eo perculsi, alter Asdrubal & Mago in avios saltus montesque recipientes sese, bellum extraherent. Optimum igitur rati divisis bifariam copiis totius simul Hispaniæ amplecti bellum; ita inter se diviserunt, ut P. Cornelius duas partes exercitus Romanorum sociorumque adversus Magonem duceret atque Asdrubalem: Cn. Cornelius cum tertia parte veteris exercitus, Celtiberis adjunctis cum Asdrubale Barcino, bellum gereret. Una profecti ambo duces exercitusque, Celtiberis prægredientibus, ad urbem Anitorgin in conspectu hostium, dirimente amne, ponunt castra. Ibi Cn. Scipio, cum quibus ante dictum est, copiis substitit, & P. Scipio profectus ad destinatam belli partem.

XXXIII. Asdrubalem postquam animadvertit exiguum Romanum exercitum in castris, & spem omnem in Celtiberorum auxiliis esse;

NOTÆ.

1. *Triginta millia Celtiberorum.*] Plures habent *viginti millia ..... & excitati.* Quidam etiam *excitatum*: unde patat Gronovius scribendum esse *excitorum*.

2. *Tres exercitus erant.*] Pœnorum nimirum, quemadmodùm tres duces, Asdrubal, Mago, Amilcar, quorum trina castra distinguuntur, lib. 23. extremo.

3. *Urbem nomine Anitorgin.*] Hoc nomine oppidum Hispaniæ nullum occurrit apud Geographos. Suspicor oppidum fuisse ad Anam fluvium, & ab eo situ sic dictum. Certè amnem exercitus dirimentem memorat statim Livius. Fuit forte, *Villa harta*, vel supra Consaburum, ubi nunc *Villa Roblido*, aut non procul.

Vrb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulv. III. & App. Claud. Pul.

peritus omnis barbaricæ, & præcipue omnium earum gentium, in quibus per tot annos militabat, perfidiæ; facili linguæ commercio, quum utraque castra plena Hispanorum essent, per occulta colloquia paciscitur magna mercede cum Celtiberorum principibus, ut copias inde abducant. Nec atrox visum facinus. non enim ut in Romanos verterent arma, agebatur. & merces, quanta vel pro bello satis esset, dabatur, ne bellum gererent: & quum quies ipsa, tum reditus domum, fructusque videndi suos suaque, grata vulgo erant. Itaque non ducibus facilius quam multitudini persuasum est: simul ne metus quidem ab Romanis erat, quippe tam paucis, [1] si vi retinerent. Id quidem cavendum semper Romanis ducibus erit, exemplaque hæc vere pro documentis habenda, NE ITA EXTERNIS credant auxiliis, ut non plus sui roboris, suarumque proprie virium in castris habeant. Signis repente sublatis Celtiberi abeunt, nihil aliud, quærentibus caussam obtestantibusque ut manerent, Romanis respondentes, quam domestico se avocari bello. Scipio postquam socii nec precibus nec vi retineri poterant, nec se aut parem sine illis hosti esse, aut fratri rursus conjungi vidit posse, nec ullum aliud salutare consilium in promptu esse; retro quantum posset, cedere statuit; in id omni cura intentus, necubi hosti æquo se committeret loco: qui transgressus flumen prope vestigiis abeuntium insistebat.

XXXIV. Per eosdem dies P. Scipionem par terror, periculum majus ab novo hoste urgebat. Masinissa erat juvenis, eo tempore socius Carthaginiensium, quem deinde clarum potentemque Romana fecit amicitia. is tum cum equitatu Numidarum & advenienti P. Scipioni occurrit, & deinde assidue dies noctesque infestus aderat, ut non vagos tantum, procul à castris lignatum pabulatumque progressos exciperet; sed ipsis obequitaret castris, invectusque in medias sæpe stationes, omnia ingenti tumultu turbaret. noctibus quoque sæpe incursu repentino in portis valloque trepidatum est: nec aut locus, aut tempus ullum vacuum à metu ac solicitudine erat Romanis: compulsisque intra vallum, adempto rerum omnium usu, quum prope justa obsidio esset, futuramque arctiorem eam appareret, si se Indibilis, quem [2] cum septem millibus & quingentis Suessetanorum adventare fama erat, Pœnis conjunxisset; dux

N O T Æ.

1. *Si vi retinerent*.] A Gronovio est conjectura ex MSS. ubi, *sibi retinerent*. Sensus est, si conarentur Romani eos per vim in castris suis retinere: vulgo *se ne retinerent*, id est, non metuebant Celtiberi, ne Romani, qui tam pauci erant, eos retinerent: quod non omninò spernendum.

2. *Cum septem millibus, & quingentis Suessetanorum*.] Nulli quod sciam in Hispania *Suessetani*. Nec Floriano aut Marianæ assentior, ex *Suestasio* Caristorum apud Ptolemæum oppido, Suessetanos vel Suessitanos derivantibus. Nam ex *Suestasio* Suestasienses, aut Suestasitani dicendi essent. Nec plures populi in exigua Caristorum gente ponendi: & hic tractus longiùs à belli sede versus Aquilonem. *Sedetanos* hic pro *Suessetanis* legerem, quod Indibilis Laccetanorum

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulv. III. & App. Claud. Pul.

cautus & providens Scipio, victus necessitatibus temerarium capit consilium, ut nocte Indibili obviam iret: & quocumque occurrisset loco, prælium consereret. Relicto igitur modico præsidio in castris, præpositoque T. Fontejo legato, media nocte profectus, 2 cum obviis hostibus manus conseruit. a Agmina magis, quam acies pugnabant: superior tamen, ut in tumultuaria pugna, Romanus erat. cæterum & equites Numidæ repente, quos fefellisse se dux ratus erat, ab lateribus circumfusi, magnum terrorem intulere. Contracto adversus Numidas certamine novo, tertius insuper advenit hostis. duces Pœni assecuti ab tergo jam pugnantes: ancepsque prælium Romanos circumsteterat; incertos in quem potissimum hostem, quamve in partem conferti eruptionem facerent. Pugnanti hortantique imperatori &, offerenti se ubi plurimus labor erat; latus dexterum lancea trajicitur: cuneusque is hostium, qui in confertos circa ducem impetum fecerat, ut exanimem labentemque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt, *imperatorem Romanum cecidisse*. Hæc pervagata passim vox, ut & hostes haud dubie pro victoribus, & Romani pro victis essent, fecit. Fuga confestim ex acie duce amisso fieri cœpta est. cæterum ut ad erumpendum inter Numidas, 3 aliaque levium armatorum auxilia 4 haud difficilis res erat: ita effugere tantum equitum, 5 æquantiumque equos velocitate peditum, vix poterant: cæsique prope plures in fuga, quam in pugna sunt. nec superfuisset quisquam, ni præcipiti jam ad vesperum die nox intervenisset.

INTERPRETATIO.

a *Pugnabatur non instructa acie, sed quasi velitationibus sparsim ac manipulatim initis.*

NOTÆ.

rex, qui intercurrente fermè Ibero Sedetanis proximi, ut hi Celtiberis, quorum hic mentio. Verum lib. 28. cap. 24. Suessitanorum, & Sedetanorum, tanquam diversorum populorum agri memorantur. Esset fortè qui ibi, non *agrum Suessitanum, Sedetanumque*, sed *Sedetanum, Edetanumque* scribi debere, non absurde conjiceret. Nam & *Sexi & Hexi* ejusdem Hispanici oppidi nomina sunt, à quo Exitani. Facilius tamen hoc loco res conciliabitur, si pro *Suessetanorum* legamus *Vescitanorum*, id est Oscensium. Osca enim Ilergetum, (quæ ingens natio) caput Vescitaniæ Plinio est, triplo ferè propior Lacetanorum finibus, quàm *Suestasium*: quod in Alabansi Cantabrorum seu Basculorum tractu, circa vicum *la Venta Cibay*.

2. *Cum obviis hostibus.*] Cum copiis ab Indibili adductis in auxilium Pœnorum.

3. *Aliaque levium armatorum auxilia.*] Vulgò ita legitur, nec deest autoritas calamo exaratorum. Dicuntur quidem plerunque aut *leviter armati*, aut *leves* pro velitibus: sed quidni & *leves armati*, ut ostendatur hos velites armis ultra morē instructos fuisse? Colb. unus habet *inter Numidas, leviumque armorum alia auxilia*.

4. *Haud difficilis res erat.*] Sed nomen, *res*, in MSS. nullibi extat: nec est quod desideretur, cùm adjectivum *difficilis* referri facilè possit ad nomen *fuga*, quod in superiori periodo est. Duo quos nunc habeo, ignorant τὸ, *ut*; & pro *difficilis res*, habent *difficile*.

5. *Æquantiumque equos velocitate peditum.*] Numidarum: qui pedibus etiam equites sequi assueti.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulv. III. & App. Claud. Pul.

XXXV. Haud segniter inde duces Pœni fortuna usi, confestim è prælio, vix necessaria quiete data militibus, ad Asdrubalem Amilcaris citatum agmen rapiunt: non dubia spe, [1] quum juncti essent, debellari posse. Quo ubi est ventum, inter exercitus ducesque victoria recenti lætos gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto, & alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes. Ad Romanos nondum quidem fama tantæ cladis pervenerat, sed mœstum quoddam silentium erat, & tacita divinatio; qualis jam præsagientibus animis, [2] imminentis mali, esse solet. Imperator ipse, præterquam quod ab sociis se desertum, hostium tantum auctas copias sentiebat, conjectura etiam & ratione ad suspicionem acceptæ cladis, quam ad ullam bonam spem pronior erat. *Quonam modo enim Asdrubalem ac Magonem [3] nisi defunctos suo bello, sine certamine adducere exercitum potuisse? Quomodo autem non obstitisse, aut ab tergo secutum fratrem? ut si prohibere, quominus in unum coirent & duces, & exercitus hostium, non posset; ipse certe cum fratre conjungeret copias.* His anxius curis id modo esse salutare in præsens credebat, cedere inde quantum posset; & inde una nocte, ignaris hostibus, & ob id quietis, aliquantum emensus est iter. Luce, [4] ut senserunt, profectos hostes, præmissis Numidis, quam poterant maxime citato agmine sequi cœperunt: ante noctem assecuti Numidæ, nunc ab tergo, nunc in latera incursantes. Consistere cœperunt, ac tutari agmen quantum possent: tamen *tuto ut simul pugnarent procederentque*, Scipio hortabatur, *priusquam pedestres copiæ assequerentur*.

XXXVI. Cæterum [1] nunc agendo nunc sustinendo agmen, quum aliquandiu haud multum procederetur, & nox jam instaret, revocat è prælio suos Scipio: & collectos, in tumulum quendam, non quidem satis tutum, (præsertim agmini perculso) editiorem tamen, quam cætera circa erant, subducit. Ibi primo impedimentis, & equitatu in medium receptis, [a] circumdati pedites haud difficulter impetus incur-

INTERPRETATIO.

a *Collocati circum* impedimenta & equites.

NOTÆ.

1. *Quum juncti essent.*] Vulgo *cum junxisset*. Sed vox *copias* abest à scriptis melioribus. Sunt qui & particulam, *cùm* ignorent. Itaque legendum, vel *cum conjunxissent*; vel *quum junxissent* Asdrubal se, aut Asdrubalem sibi. Gronov. legit, *cum juncti essent*; recte ad sensum: sed ex quo codice hauserit, non indicat.

2. *Imminentis mali.*] Refert ad tacitam divinationem, non ad verbum, *præsagientibus*.

3. *Nisi defunctos suo bello.*] *Suum* dicit, id est, Asdrubalis & Magonis proprium, & ipsis seorsim incumbens. Antea legebatur, *nisi defuncto fratre suo bello*: quod significare potest, nisi mortuo fratre in bello, quod sibi gerendum sumpserat. Verùm id minùs eleganter diceretur. Reformavit Gronov. ex Put. & Pet. meliori.

4. *Ut senserunt.*] Asdrubal & Mago.

1. *Nunc agendo, nunc sustinendo.*] Gallicè, *tantost faisant avancer ses troupes, & tantost leur faisant faire halte, & se battant en retraitte.*

santium

Urb. cond. ann. 541. Coss. Q. Fulv. III. & App. Claud. Pul.

ſantium Numidarum arcebant: dein poſtquam toto agmine tres imperatores cum tribus juſtis exercitibus aderant, apparebatque parum armis ad tuendum locum ſine munimento 2 valituros eſſe; circumſpectare atque agitare dux cœpit, ſi quomodo poſſet vallum circum injicere. ſed erat adeo nudus tumulus & aſperi ſoli, ut nec virgulta vallo cædendo, nec terra ceſpiti faciendo, aut ducendæ foſſæ aliive ulli operi, apta inveniri poſſet: 3 nec naturâ quicquam ſatis arduum aut abſciſſum erat, quod hoſti aditum aſcenſumve difficilem præberet; omnia faſtigio leni ſubvexa. Ut tamen aliquam imaginem valli objicerent, clitellas illigatas oneribus, 4 velut ſtruentes ad altitudinem ſolitam, circumdabant; cumulo ſarcinarum omnis generis objecto, ubi ad moliendum clitellæ defuerant. Punici exercitus poſtquam advenere, in tumulum quidem perfacile agmen erexere; munitionis vero facies nova primo eos velut miraculo quodam tenuit: quum duces undique vociferarentur, *Quid ſtarent? & non ludibrium illud vix fœminis puerisve morandis ſatis validum diſtraherent, diriperentque? Captum hoſtem teneri, latentem poſt ſarcinas.* Hæc contemptim duces increpabant. cæterum, neque tranſilire, neque moliri onera objecta, nec cædere ſtipatas clitellas, ipſiſque obrutas ſarcinis, facile erat. Tardatis diu 5 quum amolita objecta onera, armatis dediſſent viam, pluribuſque idem partibus fieret, capta jam undique caſtra erant: pauci ab multis, perculſique à victoribus paſſim cædebantur. Magna pars tamen militum, quum in propinquas refugiſſet ſylvas, in caſtra P. Scipionis, quibus T. Fontejus legatus præerat, perfugerunt. Cn. Scipionem alii in tumulo primo impetu hoſtium cæſum tradunt: alii cum paucis in propinquam caſtris turrim perfugiſſe. hanc igni circumdatam, atque ita exuſtis foribus, quas nulla moliri potuerunt vi, captam: omneſque intus cum ipſo imperatore occiſos. Anno ſeptimo poſtquam in Hiſpaniam venerat, Cn. Scipio, undetrigeſimo die poſt fratris mortem eſt interfectus. Luctus ex morte eorum, non Romæ major quam per totam Hiſpaniam fuit. Quin apud cives partem doloris & exercitus amiſſi, & alienata provincia, & publica trahebat clades. Hiſpaniæ ipſos lugebant deſiderabantque duces: Cnæum tamen magis, quo diutius præfuerat iis, priorque & favorem occupaverat, & ſpecimen juſtitiæ temperantiæque Romanæ primus dederat.

XXXVII. Quum deletus exercitus, amiſſæque Hiſpaniæ viderentur,

N O T Æ.

2. *Valituros eſſe.*] Romanos.

3. *Nec naturâ quicquam ſatis arduum.*] Sic optimè Gronov. ex uno Pet. Cæteri ſcripti, *nec futura quicquam ſatis arduum,*

4. *Velut ſtruentes.*] Supple *Vallum.* cujus paulò antè meminit: quodque clitellis jumentorum & ſarcinis imitari conabantur Romani.

5. *Quum amolita objecta onera.*] In ſcriptis ferè, *amoliti objecta onera,* duces, an milites parum intereſt. Sed & paſſivâ ſignificatione aliquando accipitur verbum *amoliri,* aut certè participia ex eo derivata, ut apud Quintil. lib. 3. cap. 13. *Videndum etiam, an ſimul plura aggredienda, an amolienda ſingula.*

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulv. III. & Ap. Claud. Pul.

vir unus res perditas restituit. Erat in exercitu L. Marcius Septimi filius, eques Romanus, impiger juvenis, animique & ingenii aliquanto quam pro fortuna, in qua erat natus, majoris. ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis disciplina: sub qua per tot annos omneis militiæ arteis edoctus fuerat. Hic & ex fuga collectis militibus, & quibusdam de præsidiis deductis, haud contemnendum exercitum fecerat, junxeratque cum T. Fontejo P. Scipionis legato. Sed tantum præstitit eques Romanus auctoritate inter milites atque honore, ut castris citra Iberum communitis, quum ducem exercituum comitiis militaribus creari placuisset, subeuntes alii aliis in custodiam valli stationesque, donec per omnes suffragium iret, ad L. Marcium cuncti summam imperii detulerint. Omne inde tempus (exiguum id fuit) muniendis castris convehendisque commeatibus consumptum: & omnia imperia milites, quum impigre, tum haudquaquam abjecto animo exsequebantur. Cæterum postquam Asdrubalem Gisgonis venientem ad reliquias belli delendas transisse Iberum, & appropinquare allatum est, signumque propositum ab novo duce milites viderunt; recordati quos paulo ante imperatores habuissent, quibusque & ducibus & copiis freti [1] prodire ad pugnam soliti essent; flere omnes repente, & offensare capita: & alii manus ad cœlum tendere, Deos incusantes: alii strati humi suum quisque nominatim ducem implorare. neque sedari lamentatio poterat; excitantibus centurionibus manipulares, [2] & ipso mulcente & increpante Marcio; *quid in muliebres & inutiles se projecissent fletus potius, quam ad tutandos semetipsos & rempubl. secum acuerent animos, & ne inultos imperatores suos jacere sinerent*. Quum subito clamor tubarumque sonus (jam enim prope vallum hostes erant) exauditur. inde verso repente in iram luctu, discurrere ad arma: ac velut accensi rabie [3] discurrunt ad portas, & in hostem negligenter atque incomposite venientem incurrunt. Extemplo improvisa res pavorem incutit Pœnis: mirabundique unde tot hostes tam subito exorti prope deleto exercitu forent: unde tanta audacia, tanta fiducia sui victis ac fugatis extitisset: quis imperator duobus Sci-

NOTÆ.

1. *Prodire ad pugnam.*] Put. *prodire in pœnam*: unde non insubtiliter Gronov. *prodire in Pœnum*.

2. *Ipso mulcente & increpante Marcio.*] Vulgò & *ipso minitante*. Sed non id minarum tempus, optime Gronov. observat. Alii manuscripti, *Mulctante*; alii, *mulcente*, aut etiam *mulcante*; ex quo Gronovio placet fieri, *inculcante*, id est, frequenter admonente; illud tamen melius, quod & Sigonius probant & Rubenius. Sic Virg. 1. Æn.

— *& dictis mœrentia pectora mulcet.*

atque in eandem sententiam Justinus lib. 12. *ille nunc castigare milites, nunc lenibus verbis monere*. Sic itaque partim milites mulcebat, partim increpabat Marcius.

3. *Discurrunt ad portas.*] Displicet Gronovio *discurrendi* verbum è proximo repetitum: suspicatur legendum *concurrunt ad portas*, nempe castrorum. Sed noster vocabuli ejusdem iterationes non ita anxiè vitat, ut vel mox *receptui dedisset signum obsistensque ad prima signa*. & statim *in castra abeunt, par negligentia in castris custodiendis*.

pionibus cæsis extitiſſet: quis caſtris præeſſet; quis ſignum dediſſet pugnę. Ad hæc tot tam nec opinata primo omnium incerti, ſtupenteſque referunt pedem: dein valida impreſſione pulſi, terga vertunt. Et aut fugientium cædes fœda fuiſſet, aut temerarius periculoſuſque ſequentium impetus, ni Marcius propere receptui dediſſet ſignum, obſiſtenſque ad prima ſigna, quoſdam & ipſe retinens, concitatam repreſſiſſet aciem. inde in caſtra avidos adhuc cædiſque & ſanguinis reduxit. Carthaginienſes trepide primo ab hoſtium vallo acti, poſtquam neminem inſequi viderunt, metu ſubſtitiſſe rati contemptim rurſus & ſedato gradu in caſtra abeunt. Par negligentia in caſtris cuſtodiendis fuit. nam etſi propinquus hoſtis erat, tamen reliquias eum eſſe duorum exercituum ante paucos dies deletorum, a ſuccurrebat. Ob hoc quum omnia neglecta apud hoſtes eſſent, exploratis iis, Marcius ad conſilium, prima ſpecie temerarium magis quam audax, animum adjecit, ut ultro caſtra hoſtium oppugnaret: ſimul facilius eſſe ratus, unius Aſdrubalis expugnari caſtra, quam ſi ſe rurſus tres exercitus ac tres duces junxiſſent, ſua defendi: ſimul aut ſi ſucceſſiſſet cœptis recepturum ſe afflictas res: aut ſi pulſus eſſet, tamen ultro inferendo arma, contemptum ſui dempturum.

Vrb. Cond ann. 541. Coſſ. Q. Fulv. III. & App. Claud. Pul.

XXXVIII. Ne tamen ſubita res,[1] & nocturnus terror, etiam non ſuæ fortunæ conſilium perturbaret, alloquendos adhortandoſque ſibi milites ratus, concione advocata ita diſſeruit: *Vel mea erga imperatores noſtros vivos mortuoſque pietas, vel præſens omnium noſtrum, milites, fortuna fidem cuivis facere poteſt, mihi hoc imperium, ut amplum judicio veſtro, ita re ipſa grave ac ſolicitum eſſe. Quo enim tempore, niſi metus mœrorem obſtupefaceret, vix ita compos mei eſſem, ut aliqua ſolatia invenire ægro animo poſſem; cogor* b *veſtram omnium vicem (quod difficillimum in luctu eſt) unus conſulere. & ne tum quidem, ubi quonam modo has reliquias duorum exercituum patriæ conſervare poſſim, cogitandum eſt; avertere animum ab aſſiduo mœrore* [2] *libet. Præſto eſt enim acerba memoria, & Scipiones me ambo dies noctéſque curis inſomniiſque agitant: & excitant ſæpe ſomno, neu ſe, neu invictos per octo annos in his terris milites ſuos, commilitones veſtros, neu rempublicam patiar inultam, & ſuam diſciplinam ſuaque inſtituta ſequi jubent. Et ut imperiis vivorum nemo obedientior me uno fuerit, ita poſt mortem ſuam, quod quaque in re facturos illos fuiſſe*

INTERPRETATIO.

a Animo *occurrebat, veniebat in mentem.*

b *Neceſſe eſt ut ſolus loco omnium veſtrûm proſpiciam rebus noſtris.*

NOTÆ.

1. *Et nocturnus terror, etiam non ſuæ fortunæ conſilium perturbaret.*] Ita veteres, & in his, Reg. & Colb. ut ſit *ne, num ſuæ fortunæ.* *& ſubita res, & terror etiam nocturnus perturbaret conſilium præſenti fortunæ parum conveniens; vel turbaret conſilium, quod etiam ipſum per ſe non erat fortunæ præſentis.* Vul. *& terror, etiam.*

2. *Libet.*] Suadent ſequentia ſcribendum, *licet* ut Gronov. vult, quamvis repugnantibus libris,

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulv. III & App. Claud. Pul.

*maxime censeam, id optimum ducere vos quoque velim, milites. non lamentis lachrymisque tanquam extinctos prosequi, (*VIVUNT VIGENTQUE *famâ rerum gestarum) sed quotiescumque occurret memoria illorum, velut si adhortanteis signumque dantes videatis eos, ita prælia, inire. Nec alia profecto species hesterno die oculis animisque vestris oblata, memorabile illum edidit prælium: quo documentum dedistis hostibus non cum Scipionibus extinctum esse nomen Romanum: & cujus populi vis atque virtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni profecto sævitia fortunæ emersuram esse. Nunc, qui tantum ausi estis sponte vestra, experiri libet, quantum audeatis duce vestro auctore. non enim hesterno die quum signum receptui dedi, sequentibus effuse vobis turbatum hostem, frangere audaciam vestram, sed differre in majorem gloriam atque opportunitatem volui: ut postmodo præparati incautos, armati inermes, atque etiam sopitos, per occasionem aggredi possetis. Nec hujus occasionis spem, milites, forte temere, sed ex re ipsa conceptam habeo. A vobis quoque profecto si quis quærat, quonam modo pauci à multis, victi à victoribus castra tutati sitis; nihil aliud respondeatis, quam idipsum timentes vos, omnia & operibus firmata habuisse,* [3] *& ipsos paratos instructosque fuisse. Et ita se res habet.* [b] *ad id, quod, ne timeatur, fortuna facit; minime tuti sunt homines: quia quod neglexeris, incautum atque apertum habeas. Nihil omnium nunc minus metuunt hostes, quam ne obsessi modo ipsi atque oppugnati castra sua ultro oppugnemus. Audeamus, quod credi non potest ausuros nos. eo ipso, quod difficillimum videtur,* [4] *facillimum erit. Tertia vigilia noctis silenti agmine ducam vos. exploratum, habeo, non vigiliarum ordinum, non stationes justas esse. Clamor in portis auditus, & primus impetus castra ceperit. tum inter torpidos somno, paventeisque ad nec opinatum tumultum, & inermes in cubilibus suis oppressos, illa cædes edatur, à qua vos hesterno die revocatos ægre ferebatis. Scio audax videri consilium: sed in rebus asperis & tenui spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt. quia* SI IN OCCASIONIS *momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox* [5] *amissam quæras. Unus exercitus in propinquo est: duo haud procul absunt. nunc* [6] *aggredientibus spes aliqua est: & jam tentastis vestras atq; illorũ vires. Si diem proferimus, &* [7] *hesternæ eruptionis fama contemni desieri-*

INTERPRETATIO.

[b] *Mortales parùm* providi & sic *parum securi sunt adversus ea quorum metum fortuna* ipsorum præsens *avertit: quoniam cavere ac tegere nemo solet, quod contemnit.*

NOTÆ.

3. *Et ipsos paratos.*] Vos nempè ipsos.

4. *Facillimum erit.*] Alii, *facilius.*

5. *Amissam quæras.*] Ita fortè melius ex Sigoniano, & Puteano, quàm ut vulgò *amissam quæraris.*

6. *Aggredientibus spes aliqua.*] Ita Gronov. ex Palat. calamo exarato: alii *per*, vel *par aliqua est.* Editi habent *par aliqua opportunitas est*: sed nomen *opportunitas* nec habent scripti, & ex superioribus supplere licet.

7. *Hesterna eruptionis famâ contemni desierimus.*) Hæc melior lectio ex melioribus codicibus, quàm quod vulgo in

mus; periculum est, ne omnes duces, omnesque copiæ conveniant. Tres inde duces, tres exercitus sustinebimus hostium: quos Cn. Scipio incolumi exercitu non sustinuit? Ut dividendo copias periere duces nostri, ita separati ac divisi opprimi possunt hostes. alia belli gerendi via nulla est. proinde nihil præter noctis proximæ opportunitatem exspectemus. Ite, Diis bene juvantibus: corpora curate, ut integri vigentesque eodem animo in castra hostium irrumpatis, quo vestra tutati estis. Læti & audiere ab novo duce novum consilium, & quo audacius erat, magis placebat. reliquum diei expediendis armis, & curatione corporum consumptum: & major pars noctis quieti data est. quarta vigilia movere.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

XXXIX. Erant ultra proxima castra sex millium intervallo distantes aliæ copiæ Pœnorum. Vallis cava intererat, condensa arboribus, in hujus sylvæ [1] medio ferme spatio cohors Romana arte Punicâ abditur, & equites. Ita medio itinere intercepto, cæteræ copiæ silenti agmine ad proximos hostes ductæ, & quum statio nulla pro portis, neque in vallo custodiæ essent velut in sua castra, nullo usquam obsistente, penetravere. Inde signa canunt, & tollitur clamor. Pars semisomnos hostes cædunt: [2] pars ignes casis stramento arido tectis injiciunt; pars portas occupant, ut fugam intercludant. Hosteis simul ignis, clamor, cædes, velut alienatos sensibus, nec audire, nec providere quicquam sinunt. incidunt inermes inter catervas armatorum; alii ruunt ad portas, alii obseptis itineribus super vallum saliunt: & ut quisque evaserat, protinus ad castra altera fugiunt; ubi ab cohorte & equitibus ex occulto procurrentibus circumventi, cæsique ad unum omnes sunt. quanquam etiam, si quis ex ea cæde effugisset, adeo raptim captis proprioribus castris in altera transcursum castra ab Romanis est, ut prævenire nuncius cladis non posset. Ibi verò quo longius ab hoste aberant, & quia sub lucem pabulatum, lignatum & prædatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta invenere: arma tantum in stationibus posita: milites inermes, aut humi sedentes accubantesque, aut ambulantes ante vallum portasque. Cum his tam securis solutisque Ro-

N O T Æ.

editis, *eruptionis famâ contenti desierimus*. Quamvis enim *desinere* accipiatur aliquando pro *cessare*: attamen aptior videtur sententia erui ex illis verbis *contemni desierimus*. Vult enim ex contemptu ipsorum oriri hostium negligentiam: & si emanaverit fama egregiè & feliciter navatæ operæ in eruptione, futurum ut contemptu cessante, hostes rebus suis magis invigilent, omnesque copias conjungant.

1. *Medio fermè spatio.*] Plures libri, in his, Regiorum unus, cum editis, *stadio*. Alii aliter. Sed quanquam vulgata illa lectio tolerari fortè posset, indubia mihi ferè videtur correctio Gronovii jubentis scribi, *medio ferme spatio*.

2. *Pars ignes casis stramento arido tectis.*] Verisimilis hæc Lipsii emendatio ex Put. nihil tamen absurdi habet vulgaris lectio, *pars ignis escas stramenta arida tectis injiciunt*: vel, ut Reg. & Colb. *stramento arido*. Tecta enim per se casas sive tuguria militum satis designant, quæ nostris *huttes* vocantur: nec Latinis tritum admodùm hac in re casarum nomen.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

mani, calentes adhuc ab recenti pugna, feroceſque victoria, prælium ineunt. Itaque nequaquam reſiſti in portis potuit. intra portas concurſu ex totis caſtris ad primum clamorem & tumultum facto, atrox prælium oritur: diuque tenuiſſent, ni ſcuta cruenta Romanorum viſa, indicium alterius cladis Pœnis, atque inde pavorem injeciſſent. Hic terror in fugam avertit omnes: effuſique, qua iter eſt, niſi quos cædes oppreſſit, exuuntur caſtris. Ita nocte ac die bina caſtra hoſtium expugnata ductu L. Marcii. Ad triginta ſeptem millia hoſtium cæſa, auctor eſt Claudius, qui [3] annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertit: captos ad mille octingentos triginta: prædam ingentem partam. in ea fuiſſe clypeum argenteum [4] pondo centum triginta octo, cum imagine Barcini Aſdrubalis. Valerius Antias una caſtra Magonis capta tradit, ſeptem millia cæſa hoſtium: altero prælio, eruptione pugnatum cum Aſdrubale: decem millia occiſa, quatuor millia trecentos triginta captos. Piſo quinque millia hominum, quum Mago cedentes noſtros effuſe ſequeretur, cæſa ex inſidiis ſcribit. Apud omnes magnum nomen Marcii ducis eſt. & veræ gloriæ ejus etiam miracula addunt: [5] flammam ei concionanti fuſam è capite ſine ipſius ſenſu, cum magno pavore circumſtantium militum. monumentumque victoriæ ejus de Pœnis, uſque ad incenſum Capitolium, fuiſſe in templo clypeum, *Marcium* appellatum, cum imagine Aſdrubalis. Quietæ deinde aliquandiu in Hiſpania res fuere; utriuſque, poſt tantas acceptas invicem illataſque clades cunctantibus periculum ſummæ rerum facere.

XL. Dum hæc in Hiſpania geruntur, Marcellus, captis Syracuſis, quum cætera in Sicilia tanta fide atque integritate compoſuiſſet, ut non modo ſuam gloriam, ſed etiam majeſtatem populi Romani augeret; ornamenta urbis ſigna tabulaſque, quibus abundabant Syracuſæ, Romam devexit. Hoſtium quidem illa ſpolia, & parta belli jure: cæterum inde primum initium [1] mirandi Græcarum artium opera, licentiæque huic

N O T Æ.

3. *Annales Acilianos*.] Q. Claudius Quadrigarius, cujus nunc *Annales*, nunc *hiſtoria*, nunc *Romanorum libri* citantur à Gellios, aliiſque veterum; an idem ſit qui Annales Caji Acilii, Plutarcho etiam memoratos in Romulo, Latinè tranſtulit, an verò ab eo diverſus, ambigitur.

4. *Pondo centum triginta octo.*] Qui ſcilicet libras 138. Romanas pendebat. argenti ejus pretium nunc eſſet librar. Francicarum fermè 4968.

5. *Flammam ei concionanti fuſam è capite.*] Marcii effigies flammas è capite velut cornua quædam fundentis, in nummis conſpicitur. Vide in hanc rem quæ de Servio Tullio lib. 1. cap. 39. Simile quid de Salvidieno tempore Auguſti narrat Dio Caſſius lib. 48. cap. 14.



1. *Mirandi Græcarum artium opera.*]

sacra profanaque omnia vulgo spoliandi, factum est. quæ postremo in Romanos Deos, templum idipsum primum, quod à Marcello eximie ornatum est, vertit. Visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata à Marcello templa, propter excellentia ejus generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet. Legationes omnium ferme civitatum Siciliæ ad eum conveniebant. Dispar ut caussa earum, ita conditio erat. qui ante captas Syracusas aut non desciverant, aut redierant in amicitiam, ut socii fideles acceptique, cultique: quos metus post captas Syracusas dediderat, ut victi à victore leges acceperunt. Erant tamen haud parvæ reliquiæ belli circa Agrigentum Romanis: Epicydes & Hanno, duces reliqui prioris belli, & tertius novus ab Annibale in locum Hippocratis missus, [2] Libyphœnicum generis, [3] Hipponiates (Mutinem populares vocabant) vir impiger, & sub Annibale magistro omneis belli artes edoctus. Huic ab Epicyde & Hannone Numidæ dati auxiliares: cum quibus ita pervagatus est hostium agros, ita socios ad retinendos in fide animos eorum, [4] ferendumque in tempore cuique auxilium, adiit; ut brevi tempore totam Siciliam impleret nominis sui: nec spes alia major apud faventes rebus Carthaginiensium esset. Itaque inclusi ad tempus mœnibus Agrigenti [5] dux Pœnus Syracusanusque, [6] non consilio Mutinis magis, quàm fiducia, ausi egredi extra muros, [7] ad Himeram amnem posuerunt castra. Quod ubi perlatum ad Marcellum est, extemplo copias movit: & ab hoste

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

NOTÆ.

Eleganter eam in rem Vellejus Paterculus lib. I. ubi de L. Mummio Corinthi expugnatore ejusmodi artium rudi, non dubitandum ait, *quin magis pro republica fuerit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi:* & *quin hac prudenti i illa imprudentia decori publico fuerit convenientior*, quod ait *hac prudentia* respondet ei quod hic Livius ait *licentiaque huic*, quod scriptum in uno è Colbertinis: id est, licentiæ hujus temporis, quo scilicet scriptor vivebat: cæterùm editi & scriptorum plerique habent, *licentiaque hinc sacra prophanaque vulgò spoliandi*: in quibus nihil vitii.

2. *Libyphœnicum generis*.] Africani erant populi, inde dicti, quòd mixti essent ex indigenis Africæ, seu Libyæ populis, & Pœnis advenis ex Phœnicia. Hi inter Bagradam fluvium & Syrtim minorem positi ex Ptolemæo, Byzacium incolebant, regionem fertilitatis eximiæ, ubi Leptis, Adrumetum, &c.

3. *Hipponiates*.] Oriundus nempe ex Africæ urbe Hippone. Sed duæ fuere ejus nominis urbes in Africa, *Hippo regius*, qui propriè in Numidia, hodiè *Bona* in regno Constantinæ, ditionis Algerianæ: & *Hippo Diarrhytos*, Græcè cognominatus, Latinis Dilutus propter aquarum irrigua, in Zeugitana sive Africa propriè dicta: unde sinus Hipponensis, nunc *Rasamilara* in regno Tunetano: quæ, ni fallor, Mutinis illius Libyphœnicis patria.

4. *Ferendumque in tempore cuique auxilium*.] In optimis est *ferendoque*; rectè, modò particulam conjunctivam *que* deleveris, ut sit, *ferendo in tempore cuique auxilium*, aut *ferendo... auxilio*.

5. *Dux Pœnus Syracusanusque*.] Pœnus Hanno, Syracusanus Epicydes.

6. *Non consilio Mutinis*.] Aliàs *non tam Mutinis consilio, quam fiduciâ*, nimirùm fiducia quam in Mutine habebant: quâ lectione non variatur sententia.

7. *Ad Himeram amnem*.] Cùm duo sint in Sicilia fluvii ejus nominis, dubium non est quin de illo accipiendus auctor hoc loco sit, qui in meridiem fluens decidit in mare Africum ad ortum Agrigenti. Vide notas lib. 24. cap. 6.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

quatuor ferme millium intervallo consedit, quid agerent pararentve expectaturus. Sed nullum neque locum, neque tempus cunctationi consiliove dedit Mutines, transgressus amnem, ac stationibus hostium cum ingenti terrore ac tumultu invectus. Postero die prope justo prælio compulit hostem intra munimenta: inde revocatus, seditione Numidarum in castris facta, quum trecenti ferme eorum Heracleam Minoam concessissent; ad mitigandos revocandosque eos profectus, magnopere monuisse duces dicitur, *ne absente se cum hoste manus consererent*. Id ambo ægre passi duces, magis Hanno, jam ante anxius gloriâ ejus: [a] Mutinem sibi modum facere, [8] degenerem Afrum imperatori Carthaginiensi misso ab senatu populoque. Is perpulit cunctantem Epicyden, ut transgressi flumen in aciem exirent. nam si Mutinem opperirentur, & secunda pugnæ fortuna evenisset, haud dubie Mutinis gloriam fore.

XLI. Enimvero indignum ratus Marcellus se, qui Annibalem subnixum victoria Cannensi ab Nola repulisset, his terra marique victis ab se hostibus cedere; arma propere capere milites, & efferri signa jubet. Instruenti exercitum decem effusis equis advolant ex hostium acie Numidæ, nunciantes, populares suos primum ea seditione motos: qua trecenti ex numero suo concesserint Heracleam. dein quod præfectum suum ab obtrectantibus ducibus gloriæ ejus sub ipsam certaminis diem ablegatum videant, quieturos in pugna. [1] Gens fallax promissi fidem præstitit. itaque & Romanis crevit animus, nuncio celeri [2] per ordinem misso, *destitutum ab equite hostem esse*, [3] *quem maxime timuerant:* & territi hostes, præterquam quod maxima parte virium suarum non juvabantur, timore etiam incusso, ne à suo & ipsi equite oppugnarentur. Itaque [4] haud magna vis certaminis fuit. primus clamor atque impetus rem decrevit. Numidæ quum in concursu quieti stetissent in cornibus, terga dantes suos viderunt, fugæ tantum parumper comites facti, postquam omnes Agrigentum trepido agmine petentes viderunt, ipsi metu obsidionis passim in civitates proximas dilapsi. Multa millia hominum cæsa capta-

INTERPRETATIO.

a *Mutinem ipsis moderari, & quasi leges dare:* qua ratione & quatenus bellum gererent.

NOTÆ.

8. *Degenerem Afrum.*] Nec merè Afer, nec merè Pœnus Mutines, sed utroque genere mixtus, Hibris, Gall. *un Mestis*.

1. *Gens fallax, &c.*] Promissorum minimè tenacem, sive fraudulentam in promissis gentem Numidarum significat.

2. *Per ordinem misso.*] Legunt Tan. Faber & Gronov. *per ordines misso*; sed tam exarati manu quam typis expressi habeat, *per ordinem misso*, potestque intelligi nuncius ad omnes copias missus ordinatim.

3. *Quem maxime timuerant.*] *Equitem* nempe, sive equitatum Numidicum.

4. *Haud magna vis certaminis fuit.*] Placet magis Gronovio, *haud magni certaminis fuit*: quod & in Colbert. altero extat: placeret & mihi, si aditum alicui reperiretur nomen, *res*, quod ille ex proximè sequenti periodo revocat.

que

que, & octo elephanti. Hæc ultima in Sicilia Marcelli pugna fuit. victor inde Syracusas rediit. Jam ferme in exitu annus erat. itaque senatus Romæ decrevit, ut P. Cornelius Prætor literas Capuam ad consules mitteret; *dum Annibal procul abesset, nec ulla magni discriminis res ad Capuam gereretur: alter eorum, si ita videretur, ad magistratus subrogandos Romam veniret.* Literis acceptis, inter se consules compararunt, ut Claudius comitia perficeret, Fulvius ad Capuam maneret. Consules Claudius creavit, Cn. Fulvium Centumalum, & P. Sulpicium Servii filium Galbam, qui nullum antea curulem magistratum gessisset. Prætores deinde creati, L. Cornelius Lentulus, M. Cornelius Cethegus, C. Sulpicius, C. Calpurnius Piso. 5 Pisoni jurisdictio urbana, Sulpicio Sicilia, Cethego Apulia, Lentulo Sardinia evenit. Consulibus prorogatum in annum imperium est.

Urb. cond. an. 541. Coss. Q. Fulvio III. & App. Cl. Pul.

INTERPRETATIO.

a *Marcellus existimans dignitati ac decori suo nullatenus convenire se, cum Annibalem post Cannensem victoriam repulisset à Nola mœnibus, cedere Hannoni & Epicydæ, quos sæpius terrâ & mari superaverat.*

NOTÆ.

5. *Pisoni jurisdictio urbana, Sulpicio Sicilia.*] Livii verba mutila aut corrupta ubique. Sigonius legit, *Sulpicio Apulia, Cethego Sicilia*, quod M. Cornelii Siciliæ prætoris mentio fiat lib. proximè sequenti cap. 21. & 28. ita ut appareat ei Siciliam non Apuliam obtigisse. Neque audiendum ait Glareanum qui putat ibi P. Cornelium intelligendum, qui in Sicilia proprætore erat, non Cornelium Lentulum. Verùm à Livio ibi non P. sed M. Cornelius memoratur: notatque Sigonius, quod alibi à nobis quoque observatum, duas illis temporibus in Sicilia provincias fuisse: veterem, jamdiu Carthaginiensibus ereptam, quam P. Cornelius in Prætura sortitus, deinde hoc anno proprætore obtinebat: alteram, quâ regnum Hieronis continebatur, & quam post M. Marcellum obtinuit hic M. Cornelius Cethegus Prætor. Quia verò lib. sequenti cap. 1. dicitur C. Sulpicio Siciliam evenisse, hunc etiam locum idem Sigon. emendat, vultque legi *cui Apulia evenerat*: sed tamen in Sicilia prorogatum M. Marcello imperium dicitur ibidem. Pighius ita corrigendum censet hunc locum, *Pisoni jurisdictio urbana, peregrina Sulpicio, Sicilia Cethego. Lentulo Sardinia evenit.* Itaque M. quidem Cethego non Apuliam, sed Siciliam evenisse vult: Apuliam verò, teste ibid. Livio, non Sulpicio evenisse, aut alteri Prætori, sed consulum hujus anni sortem fuisse. Verùm non video cur de Sulpicio mutandum quidquam sit, cùm disertè Livius lib. prox. cap. 1. non tantùm ei Siciliam evenisse dicat; sed & decretas ei duas legiones, quas Pub. Cornelius habuerat, Cornelius nimirum Lentulus.

FINIS LIBRI XXV.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXVI.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.



NNIBAL ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit ipse vero cum duobus millibus equitum usque ad ipsam Capenam portam, ut urbis situm exploraret, obequitavit; & quum per triduum in aciem utrinque exercitus omnis descendisset, certamen tempestas diremit: nam quum in castra rediissent, statim serenitas erat. Capua capta est Q. Fulvio, & Ap. Claudio Coss. Principes Campanorum veneno sibi consciverunt mortem, Quum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur; literas à senatu missas Q. Fulvius consul, quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, & lege agi jussit, & supplicium peregit. quum in comitiis ad populum quæreretur, cui mandaretur Hispaniarum imperium; nullo id volente suscipere, P. Scipio, P. filius, qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum, & suffragio populi consensuque omnium missus, Novam Carthaginem uno die expugnavit, quum ageret vigesimum quartum annum; videreturque divina stirpe creatus. quoniam & ipse posteaquam togam acceperat, quotidie in Capitolio erat: & in cubiculo matris ejus anguis sæpenumero videbatur. Res præterea in Sicilia gestas continet. & amicitiam cum Ætolis junctam, bellumque gestum adversum Acarnanas & Philippum Macedoniæ regem.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

I. CN. Fulvius Centumalus, P. Sulpicius Galba consules, quum idibus Martiis magistratum iniissent, senatu in Capitolium vocato, de republica, de administratione belli, de provinciis exercitibusque Patres consuluerunt. Q. Fulvio, Appio Claudio prioris anni consulibus, prorogatum imperium est: atque exercitus, quos habebant, decreti. adjectumque, *ne à Capua, quam obsidebant, abscederent, priusquam expugnassent*. Ea tum cura maxime intentos habebat Romanos: non ab ira tantum quæ in nullam unquam civitatem justior fuit; quam quod

urbs tam nobilis ac potens, sicut defectione sua traxerat aliquot populos, ita recepta, inclinatura rursus animos videbatur [a] ad veteris imperii respectum. Et prætoribus prioris anni, M. Junio in Etruria, P. Sempronio in Gallia, cum binis legionibus, quas habuerant, prorogatum est imperium. prorogatum & M. Marcello, ut proconsule in Sicilia [1] reliquias belli perficeret eo exercitu quem haberet. si supplemento opus esset, suppleret de legionibus, quibus P. Cornelius proprætor in Sicilia præesset. dum ne quem militem legeret [2] ex eo numero, quibus senatus missionem reditumque in patriam negasset ante belli finem. C. Sulpicio, cui Sicilia evenerat, duæ legiones, quas P. Cornelius habuisset, decretæ: & supplementum de exercitu Cn. Fulvii, qui priore anno [3] in Apulia fœde cæsus fugatusque erat. Huic generi militum senatus eundem, quem Cannensibus, finem statuerat militiæ: additum etiam utrorumque ignominiæ est, *ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent*. L. Cornelio in Sardinia duæ legiones datæ, quibus Q. Mucius præfuerat. supplementum, si opus esset consules scribere jussi. T. Otacilio, & M. Valerio, Siciliæ Græciæque ora, cum legionibus classibusque quibus præerant, decretæ. Quinquaginta Græci cum legione una, centum Siculi cum duabus legionibus habebant naves. Tribus & viginti legionibus Romanis eo anno bellum terra marique est gestum.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

II. Principio ejus anni quum de literis L. Marcii referretur, res gestæ magnificæ senatui visæ: titulus honoris (quod imperio non populi jussu, non ex auctoritate Patrum dato, *Proprætor senatui*, scripserat) magnam partem hominum offendebat. Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus: [b] & solenne auspicatorum comitiorum in castra & provincias, procul ab legibus magistratibusque ad militarem temeritatem transferri. & quum quidam referendum ad senatum censerent; melius visum differri eam consultationem, donec proficiscerentur equites, qui ab Marcio literas attulerant. Rescribi de frumento & vestimentis exercitus placuit: *eam utramque rem curæ fore senatui*. adscribi autem, *Proprætori L. Marcio*, non placuit [c] ne idipsum, quod consultationi reliquerant,

INTERPRETATIO.

a Effectura esset *ut respicerent*, atque *iterum* optarent *imperium* Romanorum, *jamdiu acceptum*.

b *Institutum Solemne quo auspicatò habebantur legitima comitia in urbe à magistratibus: id ægrè ferebant traduci longè in provincias* remotas, *& in castra, ubi nec leges vigent, nec magistratus sunt, ut ibi à militibus temerè ac per nimiam audaciam imperium deferretur*.

c *Ne* Q. Marcius *obtineret velut præjudicio Senatus illud ipsum quod Senatus deliberationi suæ reservaverat*.

NOTÆ.

1. *Reliquias belli*.] Aliàs *reliqua belli*.

2. *Ex eo numero &c.*] Eorum nempe qui prælio Cannensi fugerant.

3. *In Apulia fœdè cæsus fugatusque erat*.] Cæsus fuerat ejus exercitus, ipse fusus fugatusque: nisi dicamus *cæsum* generaliter pro malè habito, seu victo sumi: nam ipsi dies eam ob rem dicta cap. sequenti.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

pro præjudicato ferret. Dimissis equitibus, de nulla re prius consules retulerunt, omniumque in unum sententiæ congruebant; agendum cum tribunis plebis esse: primo quoque tempore ad plebem ferrent, quem cum imperio mitti placeret in Hispaniam ad eum exercitum, cui Cn. Scipio imperator præfuisset. Ea res cum tribunis acta, [1] promulgataque est. Sed aliud certamen occupaverat animos. C. Sempronius Blæsus die dicta Cn. Fulvium ob exercitum in Apulia amissum in concionibus vexabat: [2] *multos imperatores temeritate atque inscientia exercitum in locum præcipitem perduxisse dictitans: neminem, præter Cn. Fulvium, ante corrupisse omnibus vitiis legiones suas, quam proderet. itaque vere dici posse, prius eos perisse, quam viderent hostem: nec ab Annibale, sed ab imperatore suo victos esse. Neminem, quum suffragium ineat, satis cernere, cui imperium, cui exercitum permittat.* [3] *Quid interfuisse inter Tit. Sempronium? Quum ei servorum exercitus datus esset, brevi effecisse disciplina atque imperio, ut nemo eorum generis ac sanguinis sui memor in acie esset, præsidio sociis, hostibus terrori essent:* [4] *Cumas, Beneventum, aliasque urbes eos velut è faucibus Annibalis ereptas populo Romano restituisse. Cn. Fulvium Quiritium Romanorum exercitum, honeste genitos, liberaliter educatos, servilibus vitiis imbuisse. ergo effecisse, ut feroces & inquieti inter socios, ignavi, & imbelles inter hostes essent; nec impetum modo Pœnorum, sed ne clamorem quidem sustinere possent. Nec hercule mirum esse,* [5] *milites in acie non stetisse, quum primus omnium imperator fugeret. magis mirari se, aliquos stantes cecidisse, & non omnes comites Cn. Fulvii fuisse pavoris ac fugæ.* [6] *C. Flaminium, L. Paullum, L. Postumium, Cn. ac P. Scipiones cadere in acie maluisse, quam deserere circumventos exercitus. Cn. Fulvium prope unum nuncium deleti exercitus Romam redisse. Facinus indignum esse, Cannensem exercitum, quod ex acie fugerit, in Siciliam deportatum, ne prius*

NOTÆ.

1. *Promulgataque est.*] Id quidem publicè propositum fuerat, sed nondum lata lex ea de re.

2. *Multos Imperatores.*] Hanc lectionem exigere videntur sequentia, ut comparatio instituatur inter Cn. Fulvii & aliorum ducum culpam. Eam Gron. eruit ex Puteano meliore, ubi *multo imperatores*, cum vulgo legeretur *multâ imperatorem temeritate atque inscitiâ*, & in scriptis plerisque esset *multâ imperatoris temeritate atque insicientia*.

3. *Quid interfuisse inter Tib. Sempronium.*] Hic ellipsin notandam monet Sigon. subintelligendum enim est inter Cn. Fulvium & Cn. Sempronium. Sed nihil deerit, si scripturam unius è Palatinis codicibus sequamur, qui teste Gronovio habet, *quid interfuisse inter hunc & Tib. Sempronium*: quod malim, quàm quod Gronov. idem subjicit: *quid interfuisse hunc & Tib. Sempronium*: quanquàm hujus quoque loquendi formæ exemplum affert, *hos pater ac Dominus interest*.

4. *Cumas, Beneventum.*] Sic restituit ex Puteano Gronov. Editum fuerat, *quum ad Beneventum*.

5. *Milites in acie non stetisse.*] Desunt in optimis M S S. verba duo ultima: sensus tamen ea desiderat.

6. *C. Flaminium.*] Jam vidimus cecidisse Flaminium ad Trasimenum lacum, Paulum ad Cannas, Postumium in Gallia Citeriore, Scipiones fratres in Hispània.

Urb. cond. ann. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

inde dimittatur, quam hostis ex Italia decesserit; & hoc idem in Cn. Fulvii legionibus nuper decretum: Cn. Fulvio fugam ex prælio, ipsius temeritate commisso, impunitam esse: & eum in ganea lustrisque ubi juventam egerit, senectutem acturum: milites, qui nihil aliud peccaverint, quam quod imperatoris similes fuerint, relegatos prope in exilium, ignominiosam pati militiam. adeo imparem libertatem Romæ diti ac pauperi, honorato atque inhonorato esse.

III. Reus ab se culpam in milites transferebat: *Eos ferociter pugnam poscenteis productos in aciem: non eo quo voluerint, (quia serum diei fuerit) sed postero die, & tempore, & loco æquo instructos, seu famam, seu vim hostium non sustinuisse. Quum effuse omnes fugerent, se quoque turba ablatum ut Varronem Cannensi pugna, ut multos alios imperatores. Qui autem solum se restantem prodesse reipublicæ, nisi si mors sua remedio publicis cladibus futura esset, potuisse? Non se inopia commeatus, non in loca iniqua incaute deductum, non agmine in explorato euntem insidiis circumventum. vi aperta, armis, acie victum: nec suorum animos, nec hostium, in potestate habuisse. suum cuique ingenium audaciam aut pavorem facere.* Bis est accusatus; [a] pecuniaq; anquisitum. tertio, testibus datis, quum præterquam quod omnibus probris onerabatur, jurati permulti dicerent, *fugæ pavorisque initium à prætore ortum: ab eo desertos milites, quum* [b] *haud vacuum timorem ducis crederent, terga dedisse:* tanta ira accensa est, ut [c] *capite anquirendum* concio succlamaret. De eo quoque novum certamen ortum. nam quum tribunus bis pecunia anquisisset: *tertiò capitis se anquirere* diceret; [1] tribuni plebis appellati: [2] collegæ negarunt, *se in mora esse, quo minus, quod ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret; quoad vel capitis vel pecuniæ* [d] *judicasset privato.* Tum Sempronius [e] *perduellionis se judicare Cn. Fulvio* dixit, [3] diemque comitiis ab C. Calpurnio prætore urbis petit. Inde alia spes ab reo tentata est: si adesse in judicio Q. Fulvius frater posset; florens tum & fama rerum gestarum, & propinqua spe Capuæ potiundæ. [4] Id quum per literas miserabiliter pro fratris capite scriptas petisset Fulvius, negassentque Pa-

INTERPRETATIO.

a *Latum ad populum de mulcta ei dicẽda.*
b *Fulvium non frustra timere.*
c *Capitale judicium agi debere.*
d *Damnari privatum curasset.*
e *Reum perduellionis se dicere Cn. Fulvium, sive majestatis crimen ei inferre.*

NOTÆ.

1. *Tribuni plebis appellati.*] Ab Cn. nempe Fulvio, qui ad Collegium Tribunorum provocavit.

2. *Collegæ negarunt.*] Tribuni scilicet plebis quorum Collega C. Sempron. accusator.

3. *Diemque Comitiis ab C. Calpurnio.*] Ita Sempronius tribunus plebis personam accusatoris induit, ut non jam apud plebem, sed apud populum, majestatis crimen inferat Fulvio, quasi populi Romani majestatem minuerit, exercitu hostibus velut prodito.

4. *Id quum per litteras.*] Petebat Q. Fulvius Proconsul, ut sibi liceret fratris in judicio defendendi causa Romam ab obsidione Capuæ venire. Quod negatum,

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

tres, è republica esse, abscedi à Capua, priusquam dies comitiorum aderat: Cn. Fulvius exulatum Tarquinios abiit. id ei justum exilium esse, scivit plebs.

IV. Inter hæc vis omnis belli versa in Capuam erat. obsidebatur tamen acrius quam oppugnabatur: nec aut famem tolerare servitia ac plebs poterant, aut mittere nuncios ad Annibalem per custodias tam arctas. Inventus est Numida, qui, acceptis literis evasurum se professus, ut promissum præstaret, per media Romana castra nocte egressus, spem accendit Campanis, dum aliquid virium superesset, ab omni parte eruptionem tentandi. Cæterum in multis certaminibus equestria prælia ferme prospera faciebant: a pedites superabantur. sed nequaquam tam lætum vincere, quam triste vinci ulla parte erat, ab obsesso & prope expugnato hoste. 1 Inita tandem ratio est, ut quod viribus deerat, arte æquaretur. ex omnibus legionibus electi sunt juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces: eis parmæ breviores quam equestres, & septena jacula quaternos longa pedes data; præfixa ferro, quale 2 hastis velitaribus inest. eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt, & vehi post sese, & desilire perniciter, ubi signum datum esset. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepide visum est fieri, in campum, qui medius inter castra murumque erat adversus instructos Campanorum equites processerunt. ubi ad conjectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt. pedestris inde acies ex equitatu repente in hostium equites incurrit: jaculaque cum impetu alia super alia emittunt. Quibus plurimis in equos virosque passim conjectis permultos vulneraverunt. pavoris tamen plus ex re nova atque inopinata injectum est: & in perculsum hostem equites invecti fugam stragemque eorum usque ad portas fecerunt. Inde equitatu quoque superior Romana acies fuit. Institutum, ut velites in legionibus essent. Auctorem peditum equiti immiscendorum, centurionem Q. Navium ferunt: honorique id ei apud imperatorem fuisse.

V. Quum in hoc statu ad Capuam res essent, 1 Annibalem diversum, Tarentinæ arcis potiundæ, Capuæque retinendæ trahebant curæ. 2 vicit ta-

INTERPRETATIO.

a *Pedestri certamine* Campani *vincebantur* à Romanis.

NOTÆ.

1. *Inita tandem ratio est.*] A Romanis inventa via qua equestri prælio superiores fierent.

2. *Hastis velitaribus.*] Tria fermè genera hastarum: aliæ velitares seu jaculatoriæ, quæ manu eminus jaciebantur: aliæ graviores longioresque, quæ manu haud mittebantur, sed cominus vibrabantur ad ictum sæpiùs inferendum, qualis nunc apud nos in usu: Tertium genus erat majorum, quæ machinis emittebantur.

1. *Annibalem diversum.*] *Diversum* trahere Latinè dicitur, nec ineleganter. Laudatur in id à Gronovio Plautus in Mercatore. *Prout quo pacto ego diversus distrahor.* Quidam tamen codices *in diversum.*

2. *Vicit tamen respectus Capuæ.*] Gall. *La consideration de Capouë l'emporta.*

men respectus Capuæ, in quam omnium sociorum hostiumque conversos videbat animos: documento futuræ, [3] qualemcunque eventum defectio ab Romanis habuisset. Igitur magna parte impedimentorum relicta in Brutiis, & omni graviore armatura, cum delectis peditum equitumque quam poterat aptissimis, ad maturandum iter, in Campaniam contendit. secuti tamen tam raptim euntem tres & triginta elephanti. In valle occulta post Tifata montem imminentem Capuæ consedit. Adveniens quum castellum Calatiam, præsidio inde vi pulso, cepisset; in circumsedentes Capuam se vertit: præmissis ante nunciis Capuam, quo tempore castra Romana aggressurus esset, ut eodem & illi ad eruptionem parati, portis omnibus sese effunderent. Res nec explorata Romanis, ingentem præbuit terrorem. nam alia parte ipse adortus est; alia Campani omnes, pedites equitesque; & cum iis Punicum præsidium, cui Bostar & Hanno præerant, erupit. Romani ut in re trepida, ne ad unam concurrendo partem aliquid indefensi relinquerent, ita inter se copias partiti sunt. Appius Claudius Campanis, Fulvius Annibali est oppositus. Claudius Nero proprætor cum equitibus sextæ legionis, via, quæ Suessulam fert; Cajus Fulvius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit è regione Vulturni amnis. Prælium non solito modò clamore ac tumultu est cœptum, sed [4] ad alium virorum, equorum, armorumque sonum, disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, [5] qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos. Campanos facile à vallo Appius arcebat. Major vis ab altera parte; Fulvium, Annibal & Pœni urgebant. legio ibi sexta loco cessit, qua pulsa, cohors Hispanorum

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba,

NOTÆ.

3. *Qualemcunque eventum defectio ab Romanis.*] Suspicatur Gron. non esse Livii hæc verba, *defectio ab Romanis*: putatque si illa retinerentur, dicendum fuisse, *qualem eventum*, non *qualemcunque eventum defectio ab Romanis haberet*. Mihi nihil occurrit cur hæc à Livio non esse existimem. Est enim hæc sententia, Capuam documento cæteris Italis futuram in utramvis partem, & qualemcunque eventum habitura esset ejus obsidio: ut scilicet, siquidem à Romanis caperetur, ejus defectionem nemo esset imitaturus, sed ad Romanorum amicitiam cuncti respecturi; sin eadem Capua obsidione liberaretur, tunc Pœnorum partes crescerent, & qui adhuc Romanis adhærebant, ab ipsis deficerent.

4. *Ad alium virorum.*] Præter solitum in cæteris præliis tumultum, ac sonitum. Accessit novus huic pugnæ crepitus & clamor ingens multitudinis inermis &c.

5. *Qualis in defectu lunæ.*] In Lunæ deliquiis. Æris sonum adhiberi solitum nemo nescit: æris quippe dissono crepitu Lunæ deficienti se opem ferre veteres putabant. Ovidius 4. Metam. *cùm frustrà resonant æra auxiliaria Lunæ. Et 7.* Metam. *Te quoque Luna traho quamvis Temesæa labores Æra tuos minuant.* Testatur certè Plut. in Æmil. Romanos Lunæ obscuratæ lumen, ex consuetudine tinnitu æris revocasse, & ignes multis facibus ea de causa in cœlum sustulisse. Vellejus quoque Paterc. lib. 1. auctor est cursum classis quâ vecti Chalcidenses qui Cumas in Italia condidere, directum fuisse nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris fieri solet. Et in universum magnus fuit Æneorum instrumentorum usus in sacris atque excantationibus, quod sic abigi dæmones noxios crederent.

Vrb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

cum tribus elephantis usque ad vallum pervasit: ruperatque mediam aciem Romanorum, &[a] in ancipiti spe & periculo erat, utrum in castra perrumperet, an intercluderetur à suis. Quem pavorem legionis, periculumque castrorum Fulvius ubi vidit, Q. Navium primoresque alios centurionum hortatur, *ut cohortem hostium sub vallo pugnantem invadant. in summo discrimine rem verti: aut viam dandam iis esse, & minore conatu, quam condensam aciem irrupissent, in castra irrupturos: aut conficiendos sub vallo esse. Nec magni certaminis rem fore: paucos esse, & ab suis interclusos:*[6] *& quæ dum paveat, Romanis interrupta acies videatur, eam si se utrinque in hostem vertat, ancipiti pugna medios circumventuram.* Navius ubi hæc imperatoris dicta accepit,[7] secundi hastati signum ademptum signifero in hostes infert: jacturum in medios eos minitans, ni se propere sequantur milites & partem capessant pugnæ. [b] Ingens corpus erat, & arma honestabant; & sublatum alte signum converterat ad spectaculum cives hostesque. cæterum postquam jam ad signa pervenerat Hispanorum, tum undique in eum tragulæ conjectæ, & prope tota in unum acies versa: sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum ejus viri potuerunt.

VI. Et M. Atilius legatus primi principis ex eadem legione signum inferri in cohortem Hispanorum coëgit. Et qui castris præerant, L. Porcius Licinus, & T. Popilius legati,[1] pro vallo acriter pugnant: elephantosque transgredientes in ipso vallo conficiunt. quorum corporibus quum oppleta esset fossa, velut aggere aut ponte injecto, transitum hostibus dedit. Ibi per stragem jacentium elephantorum atrox

INTERPRETATIO.

a *Et Hispanorum illa cohors in dubio versabatur, hinc conceptâ spe irrumpendi in castra Romanorum: inde periculo ac metu injecto, ne Romani eam à reliquis Pœnorum copiis interclúderent.*

b *Statura erat magna, eumque arma decorabant.*

NOTÆ.

6. *Et quæ, dum pavent, Romanis interrupta acies videatur etiam.*] Obscurus Glar. locus. Tollendæ obscuritati Lips. legit, *& quæ dum pavent, Romanis interrupta acies videatur, eam.* Et vero *eam* pro vulgato *etiam,* habent optimi codicum: sed in omnibus constanter legitur *paveat.* Nec plurimum interest an *pavent* dicas, an *paveat:* Prius referetur ad Romanos, posterius ad aciem. Colbertinorum alter scribit *& quæ, dum paveat Romani &c.* quod perspicuam magis sententiam præbet, ut sit sensus, & eam aciem quæ interrupta videatur, quamdiu Romani paveant; eandem si ex utraque parte invaserit Hispanos cohortis illius quæ media pervaserat, fore ut eos ancipiti pugnâ circumventos omnino deleat.

7. *Secundi Hastati.*] Intelligit Secundum pilum Hastatorum, sive signum manipuli secundi eorum hastatorum, id est eorum, qui primi pugnare soliti. Eodem sensu accipiendum *Primi Principis signum,* pro signo manipuli primi Principum, qui secundo loco in prælium ibant.

1. *Pro Vallo acriter pugnant.*] Hæc recepta lectio nihil habet quod improbemus: est enim idem ac acriter pugnabant *ad vallum.* Sed in melioribus scriptum Gron. ait *propugnant:* qua ratione subintelligendum videtur, *Castra.*

edita

Vrb. Cond. ann. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

edita cædes. Altera in parte castrorum [2] jam impulsi erant Campani, Punicumque præsidium, & sub ipsa porta Capuæ, [3] quæ Vulturnum fert, pugnabatur: neque tam armati irrumpentibus Romanis resistebant, [4] quàm quòd porta balistis scorpionibusque instructa, missilibus procul hostes arcebat. & suppressit impetum Romanorum vulnus imperatoris Appii Claudii: cui suos ante prima signa adhortanti, sub lævo humero summum pectus gæso ictum est. Magna tamen vis hostium ante portam est cæsa: cæteri trepidi in urbem compulsi. Et Annibal postea quam cohortis Hispanorum stragem vidit, summaque vi castra hostium defendi, omissa oppugnatione recipere signa, & convertere agmen peditum, objecto à tergo equitatu, ne hostis instaret, cœpit. Legionum ardor ingens ad hostem insequendum fuit: sed Flaccus receptui cani jussit; satis ad utrumque profectum ratus, ut & Campani, quam haud multum in Annibale præsidii esset, [5] & ipse Annibal sentiret. Cæsa eo die, qui hujus pugnæ auctores sunt, octo millia hominum de Annibalis exercitu, tria ex Campanis tradunt: signaque Carthaginiensibus quindecim adempta, duodeviginti Campanis. Apud alios nequaquam tantam molem pugnæ invenio: plusque pavoris quam certaminis fuisse. quum inopinato in castra Romana Numidæ Hispanique cum elephantis irrupissent: elephanti per media castra vadentes stragem tabernaculorum ingenti sonitu, ac fugam abrumpentium vincula jumentorum facerent. fraudem quoque super tumultum adjectam, immissis ab Annibale, qui (habuit aliquot) gnari Latinæ linguæ juberent consulum verbis, quoniam amissa castra essent, pro se quemque militum in proximos montes fugere. sed eam celeriter cognitam fraudem, oppressamque magna cæde hostium: elephantos igni è castris exactos. Hoc ultimum (utcumque initum finitumque est) ante deditionem Capuæ prælium fuit. Medixtuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat: loco obscuro, tenuique fortuna ortus. Matrem ejus quondam, pro pupillo eo [a] procurantem familiare ostentum, quum ref-

INTERPRETATIO.

a *Cum portentum domesticum, quod illi* adhuc *pupillo contigerat,* sacrificio *expiaret*.

NOTÆ.

2. *Jam impulsi erant*.] Vulgò, *pulsi*, tenui inter utrunque discrimine.

3. *Quæ Vulturnum fert.*] Ita in multis Codicibus. Potest intelligi, fert Vulturnum, castrum scilicet, sive oppidum ejus nominis. Aliàs *ad Vulturnum*, flumen nimirum.

4. *Quàm quòd porta*.] Expungit Gronov. τὸ *quod*, tanquam minimè necessarium: & bene se habet sensus: *neque tam armati resistebant, quàm porta arcebat*. Quia tamen nullus hic liber calamo exaratus laudatur, de hujus emendationis necessitate ambigere licet. Potest quippe non absurda videri sententia, si dicamus, armatos per se minus restituros Romanis Campanos, nisi quantum eorum conatus adjuvabatur telis ex porta per Ballistas & Scorpiones missis. Reg. & Colb. scribunt, *quàm quò porta*, &c. *arcebat*. Quod potest accipi pro *quo usque*, sive quatenus *arcebat porta ballistis & scorpionibus instructa*.

5. *Et ipse Annibal sentiret*.] Repete è proximo *quàm haud multum in ipso præsidii esset*.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

pondiſſet aruſpex, ſummum quod eſſet imperium Capuæ, perventurum ad eum puerum; b nihil ad eam ſpem agnoſcentem, dixiſſe ferunt, *Næ tu perditas res Campanorum narras, ubi ſummus honos ad filium meum perveniet!* c Ea ludificatio veri, & ipſa in verum vertit. nam quum fame ferroque urgerentur, nec ſpes ulla ſupereſſet; iis, qui nati in ſpem honorum erant, honores detrectantibus, Leſius querendo, *deſertam ac proditam à primoribus Capuam*, ſummum magiſtratum ultimus omnium Campanorum cepit.

VIII. Cæterum Annibal, ut nec hoſtes elici amplius ad pugnam vidit, nec per caſtra eorum perrumpi ad Capuam poſſe: ne ſuos quoque commeatus intercluderent novi conſules; abſcedere irrito incœpto, & movere à Capua ſtatuit caſtra. Multa ſecum quo jam inde ire pergeret volventi, ſubiit animum impetus, caput ipſum belli Romam petendi: cujus rei ſemper cupitæ prætermiſſam occaſionem poſt Cannenſem pugnam, & alii vulgo fremebant, & ipſe non diſſimulabat, *nec opinato pavore ac tumultu, non eſse deſperandum aliquam partem urbis occupari poſse. Et ſi Roma in diſcrimine eſset, Capuam extemplo omiſsuros, aut ambo imperatores Romanos, aut alterum ex iis. & ſi diviſiſsent copias, utrunque infirmiorem factum, aut ſibi, aut Campanis bene gerendæ rei fortunam daturos eſse.* Una ea cura angebat, ne ubi abſceſſiſſet, extemplo dederentur Campani. Numidam promptum ad omnia audenda donis perlicit: ut literis acceptis, ſpecie transfugæ caſtra Romana ingreſſus, altera parte Capuam clam pervadat. Literæ autem erant adhortatione plenæ. *Profectionem ſuam, quæ ſalutaris illis foret, abſtracturam ad defendendam Romam ab oppugnanda Capua duces atque exercitus Romanos. Ne deſponderent animos: tolerando paucos dies, totam ſoluturos obſidionem.* Inde naves in flumine Vulturno comprehenſas 1 ſubigi ad id, quod

INTERPRETATIO.

b *Cùm nihil videret quod ad ejuſmodi ſpem momentum afferre ullum poſſet.*

c *Hæc* augurii *quod verum fuit* quantum ad Leſii dignitatem, *deriſio; vera quoque ipſa evaſit* quantùm ad miſerum Capuæ ſtatum.

NOTÆ.

1. *Subigi ad id, quod jam antè præſidii causâ fecerat Caſtellum.*] In ſcriptis ferè omnibus eſt, *naves in flumine Vulturno comprehenſas duci gladio quod jam antè præſidii causâ fecerat caſtellum, juſſit.* Illud *Gladio* quid ſibi velit, nemo adhuc interpretum aſſequi potuit. Codex Moguntinus *Caſilinum* legit, quod hoc oppidum ad Vulturnum flumen ſit: id Glareano, haud placet, quandoquidem in Romanorum poteſtate Caſilinum erat, à Q. Fabio nuper receptum. Itaq; *Galatiam* quin ſcribendum ſit Glar. non dubitat. Et verò ex noſtro paulò ante, Annibal Capuam adveniens Calatiam caſtellum ceperat. Improbat nō immerito Glareani correctionem Sigon. quod Calatia ad Vulturnum non fuerit. Laur. Valla non malè ex *gladio* fecit *ad id,* plano ſenſu & levi mutatione. Ut eſſet *naves duci ad id caſtellum, &c.* neque enim quærendum nomen Caſtelli in tempus extructi ad uſum belli. At Gron. cum in Put. ſcriptum inveniſſet: *ubi gladio quod;* inde divinavit *ſubigi ad id quod antè, &c.* Et ſanè *ſubigendi* verbum Virg. aliiſq; uſitatum, *in navigiis adverſo flumine promovendis,* ut

jam ante præsidii caussa fecerat, castellum, jussit. Quarum ubi tantam copiam esse, ut una nocte trajici posset exercitus, allatum est; cibariis decem dierum præparatis, deductas nocte ad fluvium legiones ante lucem trajecit.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

IX. Id priusquam fieret, ita futurum compertum ex transfugis, Fulvius Flaccus senatui Romam quum scripsisset, varie hominum animi pro cujusque ingenio affecti sunt. Ut in re tam trepida senatu extemplo vocato, P. Cornelius, [1] cui Asinæ cognomen erat, [a] omnes duces exercitusque ex tota Italia, neque Capuæ, neque ullius alterius rei memor, ad urbis præsidium revocabat. Fabius Maximus abscedi à Capua, terrerique & circumagi ad nutus comminationesque Annibalis, flagitiosum ducebat: *Qui ad Cannas victor, ire tamen ad urbem ausus non esset, cum à Capua repulsum, [2] spem potiundæ urbis Romæ cepisse? Non ad Romam obsidendam, sed [3] ad Capuam liberandam obsidione, [4] ire. Romam cum eo exercitu, qui ad urbem esset, Jovem fœderum ruptorum ab Annibale testem, Deosque alios, defensuros esse.* Has diversas sententias media sententia P. Valerii Flacci vicit, qui utriusque rei memor, imperatoribus, qui ad Capuam essent, scribendum censuit, *Quid ad urbem præsidii esset. quantas autem Annibal copias duceret, aut quanto exercitu ad Capuam obsidendam opus esset, ipsos scire. Si & Romam è ducibus alter & exercitus pars mitti posset, ut ab reliquo & duce & exercitu Capua recte obsideretur; inter se compararent Claudius Fulviusque, utri obsidenda Capua, utri ad prohibendam obsidione patriam, Romam veniundum esset.* Hoc senatusconsulto Capuam perlato, Q. Fulvius proconsul, cui, collega ex vulnere ægro, eundum Romam erat; è [5] tribus exercitibus milite electo, ad quindecim millia peditum, mille equites, Vulturnum traducit, inde quum Annibalem [6] Latina via iturum satis comperisset, ipse per Appiæ

INTERPRETATIO.

a *Censebat omnes Imperatores & copias ex universa Italia revocari debere*, ut *ad tuendam urbem* confluerent: *neque rationem habebat, vel* obsidendæ *Capuæ, vel cujusquam alterius rei*.

NOTÆ.

& Tacito *subvehendi* verbum, ubi Germanicum ea in re peccasse arguit in adducendis in Cauchos per Amisiam copiis, *quod non subvexit*, id est, quod non ulteriùs eas in flumen induxisset.

1. *Cui Asinæ cognomen erat.*] Is fuerat consul ante annos fermè 13.

2. *Potiundæ urbis Romæ cepisse.*] Negat per interrogationem ab Annibale concipi spem tunc potuisse, fore ut urbe potiretur, seu ut urbem caperet.

3. *Ad Capuam liberandam obsidione.*] In melioribus Codicibus, *ad Capuæ liberandam obsidionem*; quo loquendi genere nostrum alibi usum Gronovius ostendit.

4. *Ire. Romam cum eo exercitu.*] Fabrum hìc fefellit prava interpunctio: itaque legit, *ire obviam cum eo exercitu*, &c. Sed quò referet illud, *ire*? nam reliqua pendent ab eo quod subjicitur *Jovem Deosque alios defensuros Romam*.

5. *Tribus exercitibus.*] Suo, Appii, & Neronis suprà cap. 5.

6. *Latina via.*] A Porta Latina urbis Romæ per Mediterranea Latii, Cassinum usque ferebat via Latina: ut Appia à Porta Capena, fermè per Latii loca mari propiora in Campaniam, atque inde Brundusium.

Urb. cond. an. 542. Coll. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

municipia, quæque propter eam viam sunt, [6] Setiam, Coram, Lanuvium præmisit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent: [b] præsidiaque in urbes contraherent, ut sua cuique respublica in manu esset.

IX. Annibal quo die Vulturnum est transgressus, haud procul à flumine castra posuit. Postero die præter Cales in agrum Sidicinum pervenit. ibi diem unum populando moratus, [1] per Suessulam Allifanumque & Casinatem agrum via Latina ducit. sub Casinum biduo stativa habita, & passim populationes factæ. Inde, præter [2] Interamnam [3] Aquinumque, [4] in Fregellanum agrum [5] ad Lirim fluvium ventum. ubi intercisum pontem à Fregellanis morandi itineris caussa invenit. Et Fulvium Vulturnus tenuerat amnis, navibus ab Annibale incensis, rates ad trajiciendum exercitum in magna inopia materiæ ægre comparantem. trajecto ratibus exercitu, reliquum Fulvio expeditum iter, non per urbes modo, sed circa viam expositis benigne commeatibus, erat: alacresque milites alius alium, ut adderet gradum memor ad defendendam ire patriam, hortabantur. Romam [6] Fregellanus nuncius, diem noctemque itinere continuato, ingentem attulit terrorem, [a] [7] tumultuosius, quam allatum erat, cursu hominum affingentium

INTERPRETATIO.

b *Ut magistratus adductis in civitatem quique suam militaribus præsidiis, populum haberent in potestate.*

a *Discursus hominum, qui falsa veris auditis admiscebant majori tumultu, quàm qui relatus esset à nuncio Fregellano, universam concitaverat civitatem.*

NOTÆ.

6. *Setiam, Coram, Lanuvium.*] Nunc municipia, aliàs coloniæ nominantur: de his, deque sequentibus oppidis ad Dec. 1. dictum. Setia nunc *Sezze*; Çora n. *Cori*; Lanuvium *Città della Vigna*, omnes in Campania Romana.

1. *Per Suessulam.*] Non abs re dubium movet Sigonio iter *per Suessulam* quæ Campaniæ urbs ultra Capuam est: legendumque putat per *Suessulanum*. Sed & hoc idem est ac per Suessulæ agrum, qui trans Vulturnum flumen. Situs locorum post Cales, & Sidicinum agrum, pro Suessula *Suessam* poscit. Verum hinc in Casinatem agrum per Allifanum non itur, nisi devio admodum itinere. Sed potuit Annibal consilium eundi Romam dissimulaturus, non usquequaque rectum iter sequi. Hodie Cales dicitur *Calvi*, Teanum Sidicinum, *Tiano*; Suessula, *Sessola*; Allifæ *Alifi*; Suessa verò *Sessa*; Casinum *monte Cassino*, quæ cuncta loca sunt in Terra Laboris Neapolitani regni Provincia.

2. *Interamnam.*] Ejus rudera tantùm extant juxta *Pontecorvo* ad Lirim fl. in Terra Laboris, quà parte olim Volsci populi in Latio novo.

3. *Aquinumque.*] Nomen adhuc servat hæc urbs in eadem Provincia ad Melsem amnem. Patria S. Thomæ Theologorum principis.

4. *In Fregellanum agrum.*] Fuere olim in Volscis quoque *Fregellæ*, hod. *Ceperano* in Campania Romana.

5. *Ad Lirim.*] Fluvius hic olim Campaniam Felicem dirimebat à Latio: nunc ferè totus per Neapolitanum regnum fluit in mare Tyrrhenum. Vulgo *il Garigliano*, nobis *le Garillan*. Ad ejus ostium fuere quondam Minturnæ.

6. *Fregellanus nuncius.*] Melior C. *Nustius*. In Puteano quoque est *Fregellanus Nustius*. Fortè *Nostius*, aliudve simile nomen viri qui Fregellis missus.

7. *Tumultuosius, quàm allatum erat.*]

Urb. Cond. Ann. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

vana auditis, totam urbem conciverat. ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur: sed undique matronæ in publicum effusæ circa Deûm delubra discurrunt, [8] crinibus passis aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad cœlum ac Deos tendentes, orantesque, *ut urbem Romam è manibus hostium eriperent*: *matresque Romanas & liberos parvos inviolatos servarent*. Senatus magistratibus in foro præsto est, si quid consulere velint. Alii accipiunt imperia, discedunque ad suas quisque officiorum partes: alii offerunt se [b] si quo usus operæ sit. præsidia in arce, in Capitolio, in muris, circa urbem [9] in monte etiam Albano atque [10] arce Æsulana ponuntur. Inter hunc tumultum Q. Fulvium proconsulem profectum cum exercitu à Capua affertur, cui [11] ne minueretur imperium, si in urbem venisset, decernit senatus, *ut Q. Fulvio par cum consulibus imperium esset*. Annibal infestius perpopulato agro Fregellano propter intercisos pontes, [12] per Frusinatem [13] Ferentinatemque [14] & Anagninum agrum [15] in Labicanum venit. [16] inde Algido [17] Tusculum petiit: nec receptus mœnibus, infra Tusculum dextrorsus [18] Gabrios descendit. Inde [19] in Pupiniam exercitu demisso octo millia passuum ab Roma

INTERPRETATIO.

[b] *Si ad rem aliquam utilis sit ipsorum opera.*

NOTÆ.

An *tumultuosius* adverbialiter dicatur, an pro re magis tumultuosa accipiendum sit, inter tot varias lectiones non satis constat. Prius videtur mihi probabilius.

8. *Crinibus passis*.] Alii *Sparsis*, non magno discrimine.

9. *In Monte etiam Albano*.] Alba longâ à Tullo Hostilio diruta, mansit nomen tum Villæ Pompeii quæ in oppidum crevit, sub nomine *Albani*; tum in Monte proximo, nunc *Monte Cavo*.

10. *Arce Æsulana*.] Ita in optimis, & *Æsula* oppidum fuit inter Tibur & Præneste, jugis assurgens, cujus & Horatius meminit Ode 28. lib. 3. Kircherus eo loco fuisse putat, ubi hodie prædium *Corcollo* nomine, prope Varesin amnem in Campania Romana.

11. *Ne minueretur imperium*.] Magistratus provinciales, quales Proconsules, intra urbem privati habebantur: ideoque triumphaturis dabatur extra urbem Senatus, ut ad eum jure magistratus res à se gestas referrent. Ne itaque Q. Fulvius urbem ingressus imperio excideret, opus fuit hoc speciali decreto.

12. *Per Frusinatem*.] A Frusinone Volscorum olim opp. nunc *Fresolone* dictus hic ager, in extrema versus ortum Campania Romana.

13. *Ferentinatemque*.] Hernicorum erat hoc *Ferentinum*, cui manet pristinum nomen Italico more inflexum, in eadem Campania Romana.

14. *Et Anagninum*.] Eorumdem Hernicorum caput *Anagnia*, vul. *Anagni*.

15. *In Labicanum*.] *Labici*, in veteri Latio, hodie *Zagaruolo*. 10. ab urbe milliari.

16. *Inde Algido*.] In Tabernam seu Cauponam degeneravit *Algidum* opp. vul. *l'Osteria dell' Aglio*.

17. *Tusculum petiit*.] Vestigia Tusculi veteris sunt prope *Frascati* amœnum tractus Romani opp.

18. *Gabios*.] Via Prænestina, quæ ex parte Gabina dicta, fuere *Gabii*, nunc *Osteria del Finocchio*: quanquam N. Sansoni est *Colonna*.

19. *In Pupiniam*.] Ager est haud procul Roma, à quo Pupinia tribus. Ad 5. circiter ab urbe milliare; ubi *Torre nuova*.

Urb. cond. an. 541. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

posuit castra. Quo propius hostis accedebat: eo major cædes fiebat fugientium; præcedentibus Numidis: pluresque omnium generum atque ætatum capiebantur.

X. In hoc tumultu Fulvius Flaccus [1] porta Capena cum exercitu Romam ingressus, media urbe [2] per Carinas [3] Æsquilias contendit. inde egressus, inter Æsquilinam [4] Collinamque portam posuit castra. Ædiles plebis commeatum eo comportarunt. Consules senatusque in castra venerunt. [5] ibi de summa republica consultatum. Placuit consulibus circa portas Collinam Æsquilinamque ponere castra. C. Calpurnium prætorem urbanum [6] Capitolio atque arci præesse: & senatum frequentem [a] in foro contineri, si quid in tam subitis rebus consulto opus esset. Inter hæc Annibal [7] ad Anienem fluvium, tria millia passuum ab urbe castra amovit. ibi, stativis positis; ipse cum duobus millibus equitum à porta Collina usque ad Herculis templum est progressus: atque unde proxime poterat, mœnia situmque urbis obequitans contemplabatur. Id eum tam licenter atque otiose facere, Flacco indignum visum est. itaque immisit equites, submoverique atque in castra redigi hostium equitatum jussit. Quum commissum prælium esset, consules transfugas Numidarum, qui tum [8] in Aventino ad mille & ducentos erant, media urbe transire Æsquilias jusserunt: nullos aptiores, inter convalles tectaque hortorum & sepulchra aut cavas undique vias, ad pugnandum futuros rati. quos quum ex arce Capitolioque [9] clivo publico in equis decurrentes quidam vidissent; *captum Aventinum* conclamaverunt. Ea res tantum tumultum ac fugam præbuit, ut nisi castra Punica extra urbem fuissent, effusura se omnis pavida multitudo fuerit. tunc in domos atque in tecta refugiebant; vagosque in

INTERPRETATIO.

a *Continuò haberi in foro* Romano.

NOTÆ.

1. *Porta Capena.*] Hod. *Porta S. Sebastiani.*

2. *Per Carinas.*] Collis fuit Romæ ac platea, seu vicus anteà *Ceroliensis*, quem à junctu Carinarum, Varro *Carinas* appellatum scribit, (quòd scilicet ejus ædificia carinarum formam imitarentur.) quà in Cælium montem, itur, à Palatino. Hinc oritur caput Sacræ viæ. Fuere in ea regione ubi nunc *S. Pietro in vincola*, & *le sette Sale*. Sub muro terreo Carinarum erat Suburra, circa locum ubi hod. *S. Martino*.

3. *Æsquilias.*] Mons Æsquilinus idem cum Æsquiliis: nunc *Monte di S. Maria Maggiore*. Ab eo Monte Porta *Esquilina*, quæ vul. *Porta Maggiore*.

4. *Collinamque Portam.*] Hodie *Porta Salara*.

5. *Ibi de summa republica consultatum.*] Ita meliores, idque rectè dici æquè ac *de summa reip.* pluribus confirmat Gronov. minus utili operâ.

6. *Capitolio.*] Nunc *Campidoglio*.

7. *Ad Anienem.*] Amnis *Anio*, hodie *Teverone*.

8. *In Aventino.*] E Septem Romæ montibus unus, nunc *Monte di Santa Sabina*.

9. *Clivo publico.*] In Colle Quirinali fuit hic *Clivus*, haud procul templo, & Circo Floræ, regione urbis quæ tempore Augusti sexta, & cui ab Alta semita inditum nomen.

viis suos pro hostibus lapidibus telisque incessebant. Nec comprimi tumultus aperirique error poterat, refertis itineribus agrestium turba pecorumque, quæ repentinus pavor in urbem compulerat. Equestre prælium secundum fuit, summotique hostes sunt: & quia multis locis comprimendi tumultus erant, qui temere oriebantur; placuit, omnes qui dictatores, consules, censoresve fuissent, cum imperio esse, donec recessisset à muris hostis. Et diei quod reliquum fuit, & nocte insequenti, multi temere excitati tumultus sunt, compressique. Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

XI. Postero die transgressus Anienem Annibal, in aciem omnes copias eduxit: nec Flaccus consulesque certamen detrectavêre. Instructis utrinque exercitibus in ejus pugnæ casum, in qua urbs Roma victori præmium esset; [1] imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix armis retentis in castra sese reciperint: nullius rei minore quam hostium metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit. ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. [a] In religionem ea res apud Pœnos versa est: auditaque vox Annibalis fertur, *Potiundæ sibi urbis Romæ, modo mentem non dari, modo fortunam*. [2] Minuêre etiam spem ejus & aliæ parva magnaque res. magna illa, quod quum ipse ad mœnia urbis Romæ armatus sederet, [3] milites sub vexillis in supplementum Hispaniæ profectos audivit: parva autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, vænisse, nihil ob id deminuto pretio, cognitum ex quodam captivo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, ejus soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inventum Romæ emptorem; ut extemplo vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, [4] jussserit vænire. [5] His motus [6] ad Tutiam fluvium castra re-

INTERPRETATIO.

a *Carthaginienses id religioni duxerunt.* existimantes Diis non placere ut eo loco confligeretur, aut ut Roma armis oppugnaretur.

NOTÆ.

1. *Imber ingens.*] Scribit in hanc rem Flor. 2. 6. *moventi castra à tertio lapide Annibali, iterum ipsos Deos, Deos inquam, (nec fateri pudebit) restitisse. Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa, tantaque ventorum violentia coorta est; ut divinitus hostem summoveri, neque cœlo, sed ab urbis ipsius mœnibus, & Capitolio ferri videretur* quod imitatus Claudia. 2. de bello Get. *Nec numina sedem destituunt. Jactata procul dicuntur in hostem fulmina, divinique volant pro mœnibus ignes: seu Cœlum, seu Roma tenet.* Vid. Valer. Max.

2. *Minuêre etiam spem ejus & aliæ parva magnaque res.*] Sic in regio Codice, ut duæ res Annibalis spem imminuerint alia parva, alia magna: potest tamen ferri vulgaris lectio, & *alia parva magnaque res*, nec multùm dissonus erit sensus.

3. *Milites.*] Româ missos.

4. *Jusserit vænire.*] Sed frustra, emptore nullo invento. *Argentariæ* autem *Tabernæ* dictæ à Nummulariis ibi agentibus, qui Argentarii quoque dicti.

5. *His motus.*] Aliam ab urbe discedendi causam Festus indicat, quòd accedens ad urbem Annibal, quibusdam perterritus visis fuerit: unde *Rediculi fanum*, extra portam Capenam dictum, quod scilicet Annibal ex eo loco rediisset.

6. *Ad Tutiam fl.*] Ignobilis & soli

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

stra retulit, sex millia passuum ab urbe. inde [7] ad lucum Feroniæ pergit ire; templum ea tempestate inclitum divitiis [8]. Capenates aliqui accolæ ejus erant; primitias frugum eo, donaque alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant. His omnibus donis tum spoliatum templum. æris acervi, [9] quum rudera milites religione inducti jacerent, post profectionem Annibalis magni inventi. Hujus populatio templi haud dubia inter scriptores est. [10] Cœlius, Romam euntem [11] ab Ereto divertisse eo Annibalem tradit: iterque ejus [12] ab Reate, [13] Cutiliisque & [14] ab Amiterno orditur: [15] ex Campania in Samnium: inde in Pelignos pervenisse. præterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse: inde [17] Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum, [18] Foruloſque vicum venisse. Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis ævi memoriam potuerint confundi. isse enim ea constat. Tantum id interest, veneritne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit.

XII. Cæterum non quantum pertinaciæ ad premendam obsidione Ca-

N O T Æ.

Livio memoratus hic *Tutia*, sive *Turia*, rivus magis quàm amnis: ab utra Tiberis ripa fluat, ambigit Cluver. In eam tamen partem propendet, ut censeat ex Etruria potius aquas trahere: vulgari hodie vocabulo *la Fossa* dici ad locum qui *la Prima Porta* via Flaminia decidit in Tiberim.

7. *Ad Lucum Feroniæ.*] Miratur Cluverius *lucum* dici, ac postea *templum*; quasi novum esset templa ad lucos, aut in lucis constitui. Fanum Feroniæ ut plurimum dicitur: unde nomen hodiernum *Fiano* ducatus in Patrimonio S. Petri.

8. *Capenates aliqui Accolæ ejus erant.*] Lege omnino, *alique, qui*; ut in Colb. meliori. *Capena* autem ut anteà ostendi, urbs Tusciæ nunc vulgò *Civitella*, non procul Fiano.

9. *Cùm rudera milites religione inducti jacerent.*] Raudus pro ære veteres appellabant, unde Porta Raudusula priscis temporibus Romæ.

10. *Cœlius Romam euntem.*] *Cœlius* Historicus, Annibalis Romam proficiscentis iter ita describit, ut ex Campania in Samnium, inde in Pelignos, juxta Sulmonem oppidum: tum in Marrucinos transierit: postea in Marsos, ubi ager Albensis: hinc in Sabinos & per Reate atque Cutilias venerit Amiternum & Forulos, atque Eretum: unde ad templum Feroniæ diverterit: ita ut Fanum hoc spoliaverit antequam Romam videret.

11. *Ab Ereto.*] In Sabinis situm oppi. *Eretum*, ubi nunc *Monte-ritondo*: Barberinorum patrimonium dictum est.

12. *Ab Reate.*] Sabinorum caput *Reate*, hod. *Rieti*, in Ecclesiæ ditione, ut & superiora.

13. *Cutiliisque.*] Sabinorum quoque vetus oppidum *Cutiliæ*. hod. *Città Ducale* in Aprutio ulteriori provincia regni Neapolitani.

14. *Ab Amiterno.*] Retinet pristinum nomen Italica inflexione: est enim vul. *Amiterno* in Aprutio eodem.

15. *Ex Campania in Samnium.*] Convenit hac in parte Polybius cum Cœlio. Scribit enim per Samnitium agrum Romam profectum Annibalem. Nec longè ab illorum finibus Allifanus ager: & latè sumpto nomine Samnitum continebantur *Peligni*, quorum urbs Sulmo; *Marrucini* quorum Theate, aliæque tractus illius gentes, seu populi.

16. *Oppidum Sulmonem.*] *Sulmo*, nunc quoque *Sulmona* dicitur, Principatus Borghesiæ gentis, in Aprutio Citeriori.

17. *Albensi agro.*] *Alba Fucensis* in Marsis: adhuc *Albi*.

18. *Foruloſque vicum.*] Apparet hunc pagum fuisse in Sabinis inter Amiternum & Cutilias.

puam

puàm Romanis fuit, tantum ad defendendam Annibali. namque ex Lucanis in Brutium agrum; ad fretum vero 1 ac Rhegium eo cursu contendit, ut prope repentino adventu incautos oppresserit. Capua, etsi nihilo segnius obsessa per eos dies fuerat, tamen adventum Flacci sensit. & admiratio orta est, non simul regressum Annibalem. Inde per colloquia intellexerunt, relictos se desertosque, & spem Capuæ retinendæ deploratam apud Pœnos esse. Accessit edictum proconsulis ex senatusconsulto propositum, vulgatumque apud hostes: *ut qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset*. nec ulla facta est transitio; a metu magis eos, quam fide continente. quia majora in defectione deliquerant, quam quibus ignosci posset. Cæterum quemadmodum nemo privato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium 2 consulebatur. Nobilitas rempublicam deseruerat, neque in senatum cogi poterat. in magistratu autem erat, qui non sibi honorem adjecisset: sed indignitate sua vim ac jus magistratui, quem gerebat, dempsisset. Jàm ne in foro quidem, aut publico loco, principum quisquam apparebat: domibus inclusi, patriæ occasum cum suo exitio in dies expectabant. summa curæ omnis in Bostarem Hannonemque præfectos præsidii Punici versa erat; suo, non sociorum periculo solicitos. Hi conscriptis ad Annibalem literis, non libere modo, sed etiam aspere, quibus, *non Capuam solum traditam in manum hostibus, sed se quoque & præsidium in omnes cruciatus proditos*, incusabant: *abiisse eum in Brutios, velut avertentem sese, ne Capua in oculis ejus caperetur. at hercule Romanos ne oppugnatione quidem urbis Romæ abstrahi ab Capua obsidenda potuisse. tanto constantiorem inimicum Romanum, quam amicum Pœnum esse. Si redeat Capuam, bellumque omne eo vertat; & se, & Campanos paratos eruptioni fore. Non cum Rheginis, neque Tarentinis bellum gesturos transisse Alpes. ubi Romanæ legiones sint, ibi & Carthaginiensium exercitus debere esse. Sic ad Cannas, sic ad Trasimenum rem bene gestam; coëundo, conferendo cum hoste castra, fortunam tentando.* In hanc sententiam literæ conscriptæ Numidis, proposita mercede jam professis operam, dantur. Hi specie transfugarum quum ad Flaccum in castra venissent, 3 ut inde tempore capto abirent, famesque, quæ tam diu

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

INTERPRETATIO.

a *Cum non tam fides* in Pœnos, *quàm timor* ex Romanis, *retineret. Quoniam adeo graviter in Romanos peccaverant tempore rebellionis, ut venia ipsis dari non posset.*

NOTÆ.

1. *Ac Rhegium.*] Brutiorum hæc urbs imminens freto Siculo, nomen servat inflexum in auferendi casum. Vul. *Reggio di Calabria*.

2. *Consulebatur.*] In Regio, *constituebatur*: sed nihil melius vulgato; est enim *in medium consulere* idem ac in commune consulere, quo usus Tacitus.

3. *Ut inde tempore capto abirent.*] Non pejus in vulgata, *tempore captato*.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

Capuæ erat, nulli non probabilem caussam transitionis faceret; mulier repente Campana in castra venit, scortum transfugarum unius: indicatque imperatori Romano, *Numidas fraude compositâ transisse, literasque ad Annibalem ferre. id unum ex iis, qui sibi rem aperuisset, arguere sese paratam esse.* Productus primo satis constanter ignorare se mulierem simulabat: paulatim deinde convictus veris, quum tormenta posci & parari videret; fassus id ita esse. literæque prolatæ: [b] & additum etiam indicio, quod celabatur; & alios specie transfugarum Numidas vagari in castris Romanis. hi supra septuaginta comprehensi, & cum transfugis novis mulctati virgis, manibusque præcisis, [c] Capuam rediguntur. Conspectum tam triste supplicium fregit animos Campanorum.

XIII. Concursus ad curiam populi factus, coëgit Lesium senatum vocare: & primoribus, qui jam diu publicis consiliis aberant, propalam minabantur, *nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se, & in publicum omnes vi extracturos esse.* Is timor frequentem senatum magistratui præbuit. Ibi quum cæteri de legatis mittendis ad imperatores Romanos agerent; Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, interrogatus sententiam, negat *eos qui de legatis, & de pace ac deditione loquantur, meminisse, nec quid facturi fuerint, si Romanos in potestate habuissent: nec quid ipsis patiendum sit. Quid vos,* inquit, [a] *eam deditionem fore censetis, qua quondam ut adversus Samnites auxilium impetraremus, nos nostraque omnia Romanis dedidimus? Jam è memoria excessit, quo tempore, & in qua fortuna à populo Romano defecerimus? jam quemadmodum in defectione præsidium, quod poterat emitti, per cruciatum & ad contumeliam, necarimus? quoties in obsidenteis, quam inimice eruperimus, castra oppugnarimus? Annibalem vocaverimus ad opprimendos eos: hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? Age contra, quæ illi infeste in nos fecerint, repetite: ut ex eo quid speretis habeatis. Quum hostis alienigena in Italia esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambo consules & duo consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. Alterum annum circumvallatos inclusosque nos fame macerant; & ipsi nobiscum ultima pericula ac gravissimos labores perpessi: circa vallum ac fossas sæpe trucidati, & prope ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. vetus atque usitata res est, in oppugnanda hostium urbe labores ac pericula pati. illud iræ atque odii exsecrabilis indicium est. Annibal ingentibus copiis peditum equitumque, castra oppugnavit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. Profectus trans Vulturnum, perussit Calenum agrum: nihil tanta sociorum clade avocati sunt. Ad ipsam urbem*

INTERPRETATIO.

b *Supra illud quod indicatum fuerat à scorto, adjectum* a Numida capto convictoque, *aliud quod latebat.*

c *Iterum coguntur Capuam regredi.*

a *Parem ei deditioni.*

Romam infesta signa ferri jussit. eam quoque tempestatem imminentem spreverunt. Transgressus Anienem, tria millia passuum ab urbe castra posuit: postremo ad mœnia ipsa & ad portas accessit. Romam se ademturum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit. non omiserunt. Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam avertas. Romanos Roma circumsessa, conjuges, liberi, quorum ploratus hinc quoque prope exaudiebantur, aræ, foci, Deûm delubra, sepulcra majorum temerata ac violata, à Capua non averterunt. tanta aviditas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. Nec injuria forsitan. nos quoque idem fecissemus, si data fortuna esset. Itaque quando aliter Diis immortalibus visum est, quum mortem ne recusare quidem debeam; cruciatus contumeliasque quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquam honesta, etiam leni possum. Non videbo Ap. Claudium & Q. Fulvium, victoria insolenti subnixos; neque vinctus per urbem Romam triumphi spectaculum trahar, 1 ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, cervicem securi Romanæ subjiciam: nec dirui incendique patriam videbo: nec rapi ad stuprum matres Campanas, virginesque, & ingenuos pueros. Albam, unde ipsi oriundi erant, à fundamentis proruerunt, ne stirpis, ne memoria originum suarum extaret: nedum eos Capuæ parsuros credam, cui infestiores quam Carthagini sunt. Itaque quibus vestrûm ante fato cedere, quam hæc tot tam acerba videant, in animo est; iis apud me hodie epulæ instructæ paratæque sunt. Satiatis vino ciboque poculum idem, quod mihi datum fuerit, circumferetur: ea potio corpus ab cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures, à videndis, audiendisque omnibus acerbis indignisque, quæ manent victos, vindicabit. parati erunt, qui magno rogo in propatulo ædium accenso corpora exanima injiciant. Hæc una via & honesta & libera ad mortem: & ipsi virtutem mirabuntur hostes, & Annibal fortes socios sciet ab se desertos ac proditos esse.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

XIV. Hanc orationem Virii plures audierunt cum assensu, quàm forti animo id quod probabant, exsequi potuerunt. Major pars senatus, multis sæpe bellis expertam populi Romani clementiam haud diffidentes sibi quoque placabilem fore, legatos ad dedendam Romanis Capuam decreverunt, miseruntque. Vibium Virium septem & viginti ferme senatores domum secuti sunt, epulatique cum eo. &, quantum facere potuerant, alienatis mentibus vino ab imminentis sensu mali, venenum omnes sum-

INTERPRETATIO.

a *Ausi sunt exequi.*

NOTÆ.

1. *Ut deinde in carcere.*] Hæc fuit Romanorum triumphantium crudelitas, ut bello captos, postquam in triumphum ad spectaculum religatis tergo manibus duxerant, eodem tempore quo sacris in Capitolio celebratis gratias ob victoriam Diis agebant, in carcere ferè jugularent; Duces etiam hostium ac Reges, nisi se datâ fide dedidissent.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

pserunt: inde misso convivio, dextris inter se datis, ultimoque complexu, collacrymantes suum patriæque casum, alii ut eodem rogo cremarentur, manserunt: alii domos digressi sunt. Impletæ cibis vinoque venæ, minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt. itaque noctem plerique eorum, & diei insequentis partem [1] quum animam egissent; omnes tamen, priusquam aperirentur hostibus portæ, exspirarunt. Postero die porta Jovis, quæ adversus castra Romana erat, jussu proconsulis aperta est. eà intromissa legio una & duæ alæ, cum C. Fulvio legato. Is quum omnium primum arma telaque quæ Capuæ erant, ad se conferenda curasset; custodiis ad omnes portas dispositis, ne quis exire aut emitti posset, præsidium Punicum comprehendit, Senatum Campanum ire in castra ad imperatores Romanos jussit. quo quum venissent, extemplo his omnibus catenæ injectæ, jussique ad quæstores deferre quod auri argentique haberent. [2] auri pondo septuaginta fuit; [3] argenti tria millia pondo, & ducenta. senatores quinque & viginti Cales in custodiam, duodetriginta Theanum missi, quorum de sententia maxime defecitum ab Romanis constabat.

XV. De supplicio Campani senatus haudquaquam inter Fulvium Claudiumque conveniebat. Facilis impetrandæ veniæ Claudius, Fulvii durior sententia erat. itaque Appius Romam ad senatum arbitrium ejus rei totum rejiciebat: percunctandi etiam æquum esse potestatem fieri Patribus, num communicassent consilia cum aliquibus sociorum [1] Latini nominis municipiorum: & num ope eorum in bello forent, & municipiorum adjuti. *Id vero minime committendum esse*, Fulvius dicere, *ut solicitarentur criminibus dubiis sociorum fidelium animi: & subjicerentur indicibus*,

N O T Æ.

1. *Quum animam egissent.*] *Animam agere* hic dici videtur pro vitam producere. Toto nempe eo tempore cum morte colluctati sunt hi Campani Senatores, *Ils furent à l'agonie*: donec extremum redderent spiritum. Sed num potiùs id vult, alios celeriùs & nocte ipsa, alios tardiùs & sequenti die, veneno extinctos? Certè *animam agere* dicuntur propriè qui exspirant, seu qui ultimum spiritum reddunt.

2. *Auri pondo septuaginta.*] Exiguus in tanta urbe auri numerus. Augent mirum in modum Put. & Regius Codices. *Auri pondo duo millia septuaginta*: quam summam 1124200 libris Francicis haud absurdè æstimemus.

3. *Argenti tria millia.*] Iidem Codices habent, *triginta millia pondo & mille ducenta*: quæ sunt libræ nostrates 1080000.

1. *Latini nominis municipiorum.*] In Regio aliisque libris, & Colbertinorum altero est, *non communicassent consilia cum aliquis* (pro *aliquibus*) *sociorum Latini nominis municipiorum, & non ope eorum in bello forent, & ad municipiorum adjuti*. Gronov. conjunctionem *&* ad prius membrum revocat, ut sit *Sociorum Latini nominis & municipiorum*. Et sic distinguentur socii à municipibus. Quædam tamen municipia, quibus nempe data sine suffragio civitas, suis legibus vivebant teste A. Gellio lib. 16. cap. 13. Atque ita in Sociorum magis quàm civium numero haberi videntur potuisse. Quâ ratione pro *ad*, quod postea scriptum est in quibusdam, legendum erit, *ac municipiorum*: & τὸ *eorum* ad socios tantùm referendum: sed mihi frustra repetitum videtur nomen illud *municipiorum*.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

queis neque quid facerent, neque quid dicerent, quicquam unquam pensi fuisset. itaque se eam [a] *quæstionem oppressurum extincturumque*. Ab hoc sermone quum digressi essent, & Appius quamvis ferociter loquentem collegam, non dubitaret tamen literas super tanta re ab Roma exspectaturum; Fulvius ne idipsum impedimentum incœpto foret, dimittens prætorium, tribunis militum ac præfectis sociûm imperavit, uti duobus millibus equitum delectis denunciarent, ut ad tertiam buccinam præsto essent. Cum hoc equitatu nocte Theanum profectus, prima luce portam intravit, atque in forum perrexit: concursuque ad primum equitum ingressum facto, magistratum Sidicinum citari jussit; imperavitque, ut produceret Campanos, quos in custodia haberet. Producti omnes, virgisque cæsi, ac securi percussi. Inde citato equo Cales percurrit: ubi quum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma venit, literasque à C. Calpurnio prætore Fulvio, & senatusconsultum tradidit. murmur à tribunali totam concionem pervasit, differri rem integram ad Patres de Campanis. & Fulvius id ita esse ratus, acceptas literas neque resolutas quum in gremio reposuisset, præconi imperavit, ut [1] *lictorem lege agere juberet*. Ita de iis quoque qui Calibus erant, sumptum supplicium. Tum literæ lectæ senatusque consultum, serum ad impediendam rem actam: quæ summa ope approperata erat, ne impediri posset. Consurgentem Fulvium Taurea Jubellius Campanus per mediam vadens urbem turbamque, nomine inclamavit: & quum mirabundus, quidnam sese vellet, resedisset Flaccus, *Me quoque*, inquit, *jube occidi, ut gloriari possis, multo fortiorem quam ipse es, virum abs te occisum esse*. Quum Flaccus negaret, *profecto satis compotem mentis esse, modo prohiberi etiam se si id vellet, Senatusconsulto*, diceret; tum Jubellius, *Quandoquidem*, inquit, *capta patria propinquis amicisque amissis, quum ipse manu mea conjugem liberosque interfecerim ne quid indigni paterentur; mihi ne mortis quidem copia eadem est, quæ his civibus meis; petatur à virtute invisæ hujus vitæ vindicta*. atque ita gladio, quem veste texerat, per adversum pectus transfixus, ante pedes imperatoris moribundus procubuit.

XVI. Quia & quod ad supplicium attinet Campanorum, & pleraque alia, de Flacci unius sententia acta erant; mortuum Appium Claudium sub deditionem Capuæ quidam tradunt. hunc quoque ipsum Tauream neque sua sponte venisse Cales, neque sua manu interfectum: sed dum inter cæteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitus exaudiri possent quæ vociferabatur, silentium fieri Flaccum jussisse:

INTERPRETATIO.

a *Fore ut ipse supprimeret ejusmodi inquisitionem; &, si instituta esset, eam aboleret.*]

NOTÆ.

1. *Lege agere juberet*.] In genere *lege agere*, est secundum legem aliquid persequi, aut exequi: speciatim tamen hac formulâ utebantur magistratus, cùm supplicium sumi de damnatis jubebant; nam & ita ferè damnabant ut tantùm contra legem fecisse videri pronunciarent.

Urb. Cond. an. 541. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

tum Tauream illa quæ antè memorata sunt, dixisse, virum se fortissimum à nequaquam pari ad virtutem occidi. Sub hæc dicta, jussu proconsulis præconem ita pronunciasse: *Lictor, viro forti adde virgas, & in eum primum lege age.* Lectum quoque senatusconsultum, priusquam securi feriret, quidam auctores sunt. sed quia adscriptum in senatusconsulto fuerit, *si ei videretur, integram rem ad senatum rejiceret*, interpretatum esse, quid magis è republ. duceret, æstimationem sibi permissam. Capuam [1] à Calibus reditum est, [2] Atellaque & [3] Calatia in deditionem acceptæ. ibi quoque in eos qui capita rerum erant, animadversum. Ita ad octoginta principes senatus interfecti: trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi: alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati, variis casibus interierunt: multitudo alia civium Campanorum venundata. De urbe agroque reliqua consultatio fuit; quibusdam delendam censentibus, prævalidam, propinquam, inimicam. Cæterum præsens utilitas vicit. nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes. urbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumque & institorum opificumque retenta: ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Cæterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. sine consilio publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore. [4] præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros. Ita ad Capuam res compositæ consilio ab omni parte laudabili. severe & celeriter in maxime noxios animadversum: multitudo civium dissipata in nullam spem reditus: non sævitum incendiis ruinisque in tecta innoxia, murosque: & cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species incolumitate urbis nobilissimæ opulentissimæque, cujus ruinis omnis Campania, omnes qui Campaniam circa accolunt populi ingemuissent: confessio expressa hosti, quanta vis in Romanis ad expetendas pœnas ab infidelibus sociis, & quam nihil in Annibale auxilii ad receptos in fidem tuendos esset.

XVII. [1] Romani Patres [a] perfuncti, quod ad Capuam attinebat, curâ, Claudio Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia peditum, & trecentos equites, quos ipse legisset, & sociûm Latini nominis peditum numerum parem, & octingentos equites decernunt. eum exercitum Puteolis in naves impositum Nero in Hispaniam transpor-

INTERPRETATIO.

a *Curâ soluti, quantùm ad Capuam.*

NOTÆ.

1. *Calibus.*] Cales hod. *Calvi* in terra Laboris.

2. *Atellaque.*] Nunc *Aversa* medio itinere inter Capuam & Neapolim.

3. *Calatia.*] Vulgò *Gajazzo* in Terra quoque Laboris.

4. *Præfectum ad jura reddenda.*] Sic in Præfecturam redacta Capua. Quid distent à coloniis & municipiis præfecturæ, alibi observatum est.

1. *Romani patres.*] Ita Put. cæterique Gallici MSS. meliùs quam qui habent

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

tavit. Quum [2] Tarraconem navibus venisset, expositisque ibi copiis, & navibus subductis, socios quoque navales multitudinis augendæ caussa armasset; profectus ad Iberum flumen, exercitum ab T. Fontejo & L. Marcio accepit. inde pergit ad hostes ire. Asdrubal Amilcaris [3] ad Lapides atros castra habebat in Ausetanis. is locus est inter oppida [4] Illiturgim & [5] Mentissam. Hujus saltus fauces [6] Nero occupavit. Asdrubal ne in arcto res esset, caduceatorem misit, qui promitteret, *si inde missus foret, se omnem exercitum ex Hispania deportaturum*. Quam rem quum læto animo Romanus accepisset, diem posterum Asdrubal colloquio petivit, ut Romani leges conscriberent de tradendis arcibus urbium, dieque statuenda, ad quam præsidia deducerentur, suaque omnia sine fraude Pœni deportarent. Quod ubi impetravit, extemplo primis tenebris, atque inde tota nocte, quod gravissimum exercitus erat, Asdrubal quacumque posset, evadere è saltu jussit. data sedulo opera est ne multi ea nocte exirent, ut ipsa paucitas, cum ad hostem silentio fallendum aptior, tum ad evadendum per arctas semitas ac difficiles esset. Ventum insequenti die ad colloquium est: sed loquendo plura scribendoque, deditâ opera, quæ in rem non essent, die consumpto, in posterum dilatum est. Addita insequens nox spatium dedit & alios emittendi: nec postero die res finem invenit. ita aliquot dies disceptando palam de legibus, noctesque emittendis clam è castris Carthaginiensibus, absumptæ. & posteaquam major pars emissa exercitus erat, jam ne iis quidem quæ ultro dicta erant, stabatur: minusque ac minus (cum timore simul fide decrescente) conveniebat. Jam ferme pedestres omnes copiæ evaserant è saltu: quum prima luce densa nebula saltum omnem camposque circa intexit. quod ubi sensit Asdrubal, mittit ad Neronem, qui in posterum diem colloquium differret. illum diem religiosum Carthaginiensibus [7] ad agendum quicquam rei seriæ esse.

N O T Æ.

Romani proconsules, aut *Romani Prætores*: nam quæ sequuntur non tantùm ad magistratuum, sed ad totius Senatûs curam pertinebant.

2. *Tarraconem*.] Urbs maritima Hispaniæ: diu princeps fuit Tarraco, Scipionum opus; vulgò *Tarragona* in Catalonia.

3. *Ad lapides atros in Ausetanis*.] Lege *in Oretanis*. Certè Ant. Moralis, circa Biatiam quæ ad Oretanorum fines, testatur adhuc Rupes esse, quæ vulgo *Pesias negras*, sed procul ab Ausetanis, qui ab *Ausa* dicti, nunc *Vic d'Osona* in Catalonia.

4. *Illiturgim*.] Aliàs *Ilurgi*. N. gen. Jam diximus ad lib. 23. cap. 4. hoc oppidum Bæticæ fuisse, in Turdulorum regione: supra Cordubam: ibi ut volunt ubi *Andujar el Viejo*, in Andalusia.

5. *Mentissam*.] Plinius *Mentesam* vocat: fuit in Oretanis, crediturque à Sansone & Brietio nunc *Montiel* appellari, quod est Castellæ novæ oppidum eâ regione quæ *Mancha* vocatur: hinc nomen vicinis montibus, sive Saltui, qui pars Orospedæ, vulgò *Sierra de Montiel*. Clusio est *Mentexa*, Marianæ *Montejon*, seu *Montizon*.

6. *Nero occupavit. Asdrubal, ne in arcto res esset*.] Ita hic variant & laborant scripti, ut standum videatur lectioni vulgatæ.

7. *Ad agendum quidquam rei seria*.] Vulgò *ad agendum quidquam rei feriatum*, sed ultima vox supervacanea, cum eandem rem satis explicet vox, *religiosum*, quæ præcedit: ideoque Desiderius Heraldus τὸ *feriatum* expungit. Colbert. melior videtur habuisse *rei seria esse*; quod planè congruit cum Gronovii emendatione.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba,

Ne tum quidem suspecta fraus. b quum data esset venia ejus diei, extemplo Asdrubal cum equitatu elephantisque castris egressus, sine ullo tumultu in tutum evasit. Hora ferme quarta dispulsa sole nebula aperuit diem, vacuaque hostium castra conspexerunt Romani. Tum demum Claudius Punicam fraudem agnoscens, ut se dolo captum sensit, proficiscentem institit sequi, paratus confligere acie: sed hostis detrectabat pugnam, 8 levia tamen prælia inter extremum Punicum agmen præcursoresque Romanorum fiebant.

XVIII. Inter hæc Hispaniæ populi, nec qui post cladem acceptam defecerant, redibant ad Romanos, nec ulli novi deficiebant. Et Romæ senatui populoque, post receptam Capuam, non Italiæ jam major quam Hispaniæ cura erat: & exercitum augeri & imperatorem mitti placebat. 1 nec tamen quem mitterent, satis constabat: quam illud, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendum esse. Quum alii alium nominarent; postremum eo decursum est, ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet: diemque comitiis consules edixerunt. Primo expectaverant, ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. quæ ut destituta expectatio est; redintegratus luctus acceptæ cladis, desideriumque imperatorum amissorum. Mœsta itaque civitas prope inops consilii, comitiorum die tamen in campum descendit: atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium; fremuntque, adeò perditas res, desperatumque de republica esse, ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere. Quum subito P. Cornelius, Publii qui in Hispania ceciderat filius, quatuor & viginti ferme annos natus, a professus se petere, in superiore unde conspici posset loco constitit. In quem postquam omnium ora conversa sunt clamore ac favore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium. 2 jussi deinde inire confusum suffragium, ad unum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt. Cæterum post rem actam, ut jam resederat impetus animorum ardorque, silentium subito ortum & ta-

INTERPRETATIO.

b *Cùm consensisset Nero ut eo die colloquia cessarent.*

a *Cùm publicè declarasset paratum se ad provinciam illam, si sibi mandaretur, suscipiendam.*

NOTÆ.

8. *Levia tamen prælia.*] Muret. *Levia tantùm prælia.*

1. *Nec tamen quem mitterent.*] Libenter pro *tamen* scripserim, *tam*, quod Gronovio non displicet, ut apertè referatur ad proximi membri particulam *quam:* etsi non inficior in his particulam *tam*, & à nostro, & à Tacito aliisque aliquando subticeri.

2. *Jussi deinde inire suffragium.*] Plerique scripti habent *inire confisum*, vel *confusum suffragium*; unus *confestim*. Illud intelligi potest de comitiis tributis, in quibus populus non descriptus censu, ordinibus, ætatibus ut in centuriatis, sed fusè in tribus convocatus suffragium fe-

cita

cita cogitatio, 3 quidnam egissent novi, quod favor plus valuisset, quam ratio. ætatis maxime pœnitebat: quidam fortunam etiam domus horrebant, nomenque, ex funestis duabus familiis in eas provincias, ubi inter sepulchra patris patruique res gerendæ essent, proficiscentis.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

XIX. Quam ubi ab re tanto impetu acta solicitudinem curamque hominum animadvertit; advocata concione, ita de ætate sua imperioque mandato & bello quod gerundum esset, magno, elatoque animo disseruit; ut ardorem eum qui resederat, excitaret rursus, novaretque: & impleret homines certioris spei, quam quantam fides promissi humani, aut ratio ex fiducia rerum subjicere solet. Fuit enim Scipio, non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab juventa * in ostentationem earum compositus: pleraque apud multitudinem aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus mente monita, agens: sive & ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque velut forte oraculi missa, 1 sine cunctatione assequeretur. 2 Ad hoc jam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret 3 ingressusque ædem consideret: & plerunque tempus solus in secreto ibi tereret. Hic mos, qui per omnem vitam servabatur, seu consulto, seu temere, vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum

INTERPRETATIO.

* *Sed etiam artificio quodam assuefactus à Juvenilibus annis ad ostentandas virtutes suas. Apud vulgus simulabat se omnia agere aut quasi indicata inter somnum per spectra quædam, aut quasi animus divinitùs esset admonitus: seu quòd ipse quoque ita sentiret mente superstitioni addictâ: seu ut faciliùs consequeretur* ab aliis *quidquid imperaret aut consuleret, cum ea oraculi responso edita* crederent.

NOTÆ.

rebat, quemadmodum loquitur Cic. lib. 3. de legib. Et agebatur hic non de Consule aut Prætore creando, sed de Proconsule. At Proconsules tributis comitiis creari soliti, non centuriatis; nec opinor Curiatis: quamvis lex Curiata ferretur de imperio Magistratuum, sive de plena belli administrandi potestate ipsis mandanda, postquam Centuriatis renunciati fuerant Consules, Prætores, &c. Verùm huic sententiæ obstat quod mox sequitur, *ad unum omnes non modò centuria, sed etiam homines Pub. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt*: quod etiam cap. 41. ipse Scipio repetit; unde colligitur hæc comitia sive creandi Proconsulis, sive mandandi imperii, centuriata fuisse: Gron. *Centurias* hic pro Tribubus dici putat, ut d. cap. 22. & alibi.

3. *Quidnam egissent novi, quod favor, &c.*] Scripti excludunt τὸ *quod*. Gronov. 4. observat. 11. ex voce *novi* format *num*. Sic. *Quidnam egissent? Num favor plus valuisset quàm ratio?* Sed recepta lectio planiorem habet sententiam, præsertim correctâ unâ literâ. *Quidnam egissent novi? Quid favor plus valuisset quàm ratio?*

1. *Sine cunctatione assequeretur.*] Plerique scriptorum *assequerentur*. Put. *essequerentur*, teste Gron. qui inde conjicit non improbabiliter, *exequerentur*: ii scilicet in quos ipsi Scipioni imperium.

2. *Ad hoc.*] Vulgò *ad hæc*, id est, præterea.

3. *Ingressusque ædem consideret.*] An more Græcorum qui numina sedentes adorabant? Huc pertinet quod ex anti-

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

divinæ virum esse; 4 retulitque 5 famam, in Alexandro Magno prius vulgatam, & vanitate & fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris ejus persæpe visam prodigii ejus speciem, interventuque hominum evolutam repente, atque ex oculis elapsam. b 6 His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palam affirmandi. Multa alia ejusdem generis, alia vera, alia assimulata, 7 admirationis humanæ in eo juvene excesserant modum: quibus freta tunc civitas, ætati haudquaquam maturæ tantam molem rerum tantumque imperium permisit. Ad eas copias, quas ex vetere exercitu Hispania habebat, quæque à Puteolis

INTERPRETATIO.

b Ipse Scipio *nunquam horum prodigiorum fidem elevavit, aut imminuit.*

NOTÆ.

quioribus refert A. Gell. lib. 7. cap. 1. *Scipionem hunc Africanum solitavisse noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare, ac jubere aperiri cellam Jovis, atque ibi solum diu demorari, quasi consultantem de rep. cum Jove; æditu osque templi sæpe esse demiratos, quod solum id temporis in Capitolium ingredientem canes, semper in alios sævientes, neque latrarent eum, neque incurrerent.*

4. *Retulitque famam.*] Sive hic mos Jovem ante diluculum adeundi, sive potiùs Scipio, hoc more aliisque rebus gestis, renovavit famam, quæ anteà de Alexandro Magno vulgata fuerat.

5. *Famam in Alexandro Magno priùs vulgatam.*] Id quod testatur Gellius initio ejusdem capitis: *Quod de Olympiade Philippi regis uxore, Alexandri matre, in historia Græca scriptum est: idem de Pub. Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriæ datum est. Nam & C. Oppius, & Julius Higinus aliique, qui de vita & rebus Africani scripserunt, matrem ejus diu sterilem existimatam tradunt: Pub. quoque Scipionem cum quo nupta erat, liberos desperavisse: postea in cubiculo atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola obdormisset, visum repente juxta eam cubare ingentem anguem, eumque iis, qui viderant territis & clamantibus, elapsum inveniri non quisse: id ipsum Pub. Scipionem ad aruspices retulisse; eos sacrificio facto respondisse fore ut liberi gignerentur: neque multis diebus posteaquam ille anguis in lecto visus est, mulierem concepisse: exinde mense decimo peperisse.* Hinc tam illic quàm Alexander Jove geniti apud vulgus credi cœpere; nam antiquitas Jovis alteriusve Dei genios ejusmodi serpentes existimabat.

6. *His miraculis.*] Vult Gronov. *hujus miraculi*, sed nullo laudato Mſ. Et dici potest *elusa fides* cum dandi casu, perinde ac detracta aut denegata fides.

7. *Admirationis humanæ excesserant modum.*] Admiratione digna phrasis: est enim admiratio nonnisi rerum quæ modum excedunt per se: sed hac hyperbole exprimitur Scipionem adeo admirabilem fuisse, ut res ejus ea excederent, quæ vulgò admirari homines solent.



Ejus effigies hæc est ex nummis.

cum Claudio Nerone trajectæ erant, [8] decem millia militum, & mille equites adduntur. & M. Junius Silanus proprætor, adjutor ad res gerendas datus est. Ita cum triginta navium classe (omnes autem quinqueremes erant) ostiis Tiberinis profectus, præter oram Tusci maris, Alpes atque [9] Gallicum sinum, & deinde [10] Pyrenes circumvectus promontorium, [11] Emporiis urbe Græca (oriundi & ipsi à [12] Phocæa sunt) copias exposuit: inde sequi navibus jussis, c Tarraconem pedibus profectus, [13] conventum omnium sociorum (etenim legationes ad famam adventus ejus ex omni se provincia effuderant) habuit. naves ibi d subduci jussit: remissis quatuor triremibus Massiliensium, quæ officii caussa ab domo prosecutæ fuerant. Responsa inde legationibus, suspensis varietate tot casuum, dare cœpit. ita elato ab ingenti virtutum suarum fiducia animo, ut nullum ferox verbum excideret: ingensque omnibus quæ diceret, quum majestas inesset, tum fides.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

XX. Profectus ab Tarracone, & civitates sociorum & hiberna exercitus adiit: collaudavitque milites, quod duabus tantis cladibus deinceps icti, provinciam obtinuissent: nec fructum secundarum rerum a sentire hostes passi, omni cis Iberum agro eos arcuissent, sociosque cum fide tutati essent. Marcium secum habebat cum tanto honore, ut facile appareret b nihil minus, quam vereri, ne quis obstaret gloriæ suæ. Successit

INTERPRETATIO.

c *Itinere terrestri pergens ab Emporiis Tarraconem usque.*

d *Imperavit ut naves in Tarraconensem portum deducerentur è mari.*

a *Nec passi essent ut hostes utilitatem ex victoria caperent.*

b *Eum nihil minùs formidare, quàm ne quis ejus gloriam obscuraret.*

NOTÆ.

8. *Decem millia militum.*] Milites pro peditibus accipi apud bonos Auctores satis constat, vel ex lib. 10. epistolarum famil. apud Cicer. ubi Lepidus ad eum scribit; *itaque ad me complures milites & equites ab eo transierunt.*

9. *Gallicum sinum.*] *Mare Gallicum*, quod Mediterranei pars est, vocant hodie nautæ, magna ex parte ab ostiis Rhodani ad Pyrenæos, *le Golfe de Lyon.*

10. *Pyrenes circumvectus promontorium.*] Vocarunt & promontorium Veneris, Græcis Aphrodisium, à templo Veneris Pyreneæ, ad quod usque excurrunt Pyrenæi montes. Hodie nominis vestigia servare videtur, *Cap de Vendres* in aditu Cataloniæ; sed longius in mare excurrit promontorium paulo ulterius, quod vulgo vocant, *Cap de Cadaques*, vel *Cap de Creuz.*

11. *Emporiis urbe Græcâ.*] De hac Massiliensium colonia jam diximus: hodie *Castel d'Amprurias* appellatur, Comitatûs sui caput, sive tractus qui vulgò *Lampourda*, citra Gerundam.

12. *Phocæa.*] De hac quoque Græcorum colonia in Asia minori, quam Vellejus Paterculus Jonibus adscribit; alii Æolibus: quæque hodie Nautis, *Focchie*, actum antea.

13. *Conventum omnium sociorum.*] Hic mos Prætorum, aliorumque Magistratuum Provincialium, ut advenientes conventum haberent sociorum, subjectorumque populorum; qui ad eos tum officii causâ, id est, salutandi per legatos, tum mandata accipiendi, concurrebant: singulis præterea annis, ad certa loca juris disceptandi gratiâ populi conveniebant, quæ idcirco loca Conventus quoque appellabantur.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

inde Neroni Silanus, & in hiberna novi milites deducti. Scipio omnibus quæ adeunda agendaque erant mature aditis peractisque, Tarraconem concessit. Nihilo minor fama, apud hostes, Scipionis erat, quam apud cives sociosque: c & divinatio quædam futuri, 1 quo minus ratio timoris reddi poterat oborti temere, majorem inferens metum. In hiberna diversi concesserant: Asdrubal Gisgonis usque ad Oceanum & Gades: Mago in Mediterranea maxime supra 2 Castulonensem saltum: Asdrubal Amilcaris filius proximus Ibero, circa Saguntum hibernavit. Æstatis ejus extremo, quo capta est Capua, & Scipio in Hispaniam venit, Punica classis ex Sicilia Tarentum accita, ad arcendos commeatus præsidii Romani, quod in arce Tarentina erat; clauserat quidem omnes ad arcem à mari aditus; sed assidendo diutius arctiorem annonam sociis quam hosti faciebat. non enim tantum subvehi oppidanis per pacata litora apertosque portus præsidio navium Punicarum poterat, quantum frumenti classis ipsa turbâ navali mixtâ ex omni genere hominum absumebat: ut arcis præsidium etiam sine invecto (quia pauci erant) ex ante præparato sustineri posset: Tarentinis classique ne invectum quidem sufficeret. Tandem d majore gratià quam venerat, classis dimissa est. annona haud multum laxaverat: quia remoto maritimo præsidio, subvehi frumentum non poterat.

XXI. Ejusdem æstatis exitu M. Marcellus ex Sicilia provincia quum ad urbem venisset, à C. Calpurnio Prætore senatus ei ad ædem Bellonæ datus est. ibi quum de rebus à se gestis disseruisset, questus leniter, non suam magis quam militum vicem, quod provinciâ confectâ exercitum deportare non licuisset, postulavit, ut triumphanti urbem inire liceret. id non impetravit. Quum multis verbis actum esset, *Utrum minus conveniret, cujus nomine absentis ob res prospere ductu ejus gestas, supplicatio decreta foret, & Diis immortalibus habitus honos, ei præsenti negare triumphum: an quem tradere exercitum successori jussissent, (quod nisi manente in pro-*

INTERPRETATIO.

c *Et futuri velut augurium hostibus timorem tanto majorem incutiens, quantò minùs ejus ratio reddi poterat, ut pote qui sine ulla probabili causa exortus esset.*

d *Classis Punica jucundior fuit Tarentinis digressus, quàm fuerat ejusdem adventus.*

NOTÆ.

1. *Quo minus ratio timoris reddi poterat oborti temerè.*] Editi ferè habent: *oportet temerè*. Reg. *Oportet timere*. Colb. *quò minùs ratio timoris reddi poterat eò opportunè majorem inferens metum*: quod explicari potest. Elegantiùs Gronov. ex pluribus mirè variantibus lectionibus, textum restituit, qui egregiè loci hujus exprimit sensum.

2. *Castulonensem saltum.*] A Castulone oppido in Oretanorum citerioris, & Turdulorum ulterioris Hispaniæ populis, sito, quod nunc *Caslona Vieja*, dictus est, *saltus Castulonensis*: creditur esse montium Marianorum pars circa vallem, quæ *puerto de Muradal*, & Campestria quibus ab oppido exiguo Tolosa nomen est, vulgò *Navas de Tolosa*, inter *Montiel* Castellæ Novæ, & *Ubedam* Andaluziæ Orientalis oppida.

vincia bello non decerneretur) cum [a] *quasi debellato, triumphare: quum exercitus testis meriti atque immeriti triumphi abesset:* medium visum, ut Ovans urbem iniret. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset. Pridie quam urbem iniret, [1] in monte Albano triumphavit. inde ovans multam præ se prædam in urbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum, catapultæ ballistæque, & alia omnia instrumenta belli lata, & pacis diuturnæ, regiæque opulentiæ ornamenta, argenti ærisque [2] fabrefacti vis, alia supellex, pretiosaque vestis, [b] & multa nobilia signa, quibus inter primas Græciæ urbes Syracusæ ornatæ fuerant. [c] Punicæ quoque victoriæ signum, octo ducti Elephanti. Et non minimum fuit spectaculum cum coronis aureis præcedentes Sosis Syracusanus, & Mericus Hispanus: quorum altero duce nocturno Syracusas introitum erat; alter Nasum, quodque ibi præsidii erat, prodiderat. His ambobus civitas data, & quingena jugera agri. Sosidi in agro Syracusano, qui aut regius, aut hostium populi Romani fuisset, & ædes Syracusis cujus vellet, eorum, in quos belli jure animadversum esset: Merico, Hispanisque, qui cum eo transierant, urbs agerque in Sicilia, ex iis, qui à populo Romano defecissent, jussa dari. Id M. Cornelio mandatum, ut ubi ei videretur, [3] urbem agrumque eis assignaret. In eodem agro Belligeni, per quem illectus ad transitionem Mericus erat, quadringenta jugera agri decreta. Post profectionem ex Sicilia Marcelli, Punica classis, octo millia peditum, tria Numidarum equitum exposuit. Ad eos [4] Murgantinæ desciverunt terræ. secutæ defectionem earum

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

INTERPRETATIO.

a *Quasi bello confecto.*
b *Eximia statua picturaque quàm plurima.*
c *Nota victoria de Pœnis relata.*

NOTÆ.

1. *In Monte Albano.*] Nec primus, nec ultimus hoc commento usus est Marcellus, ut negato Romæ triumpho, in Albano Monte, retentis extra urbem insignibus imperii proconsularis, triumpharet; quod intra urbem sine Senatusconsulto, aut lege speciali retinere non liceret. Exemplum dederat C. Papirius Maso; secutus est postea L. Æmilius Paulus.

2. *Fabrefacti vis.*] In editis scriptisque pluribus *argenti ærisque fabrefacta vasa.*

3. *Urbem agrumque eis assignaret. In eodem agro Belligeni.*] Reg. cum Put. aliisque, post *assignaret* subjicit continenter *in eodem agro Syracusano*, repetitque *qui aut regius, aut hostium, &c.* ac deinde: *in eodem agro Belligeni.* Et potuit hæc fuisse forma Senatusconsulti. Errorem tamen librariorum in his iterum scribendis intervenisse suadent non pauca: præsertim verò quod M. Cornelio mandatum dicitur ut urbem agrumque Merico, eumque sequutis Hispanis assignet, nempe extra Syracusas deinde ut Syracusis ædes dentur, nimirum unæ, unius scilicet ex damnatis cujus vellet M. Cornelius, quæ unius domus, hominis unius non tot hominum merces conveniens esset.

4. *Murgantinæ desciverunt terræ.*] In editis; scriptisque compluribus est *ad eos Murgentia terra Secuta; &c.* Fortè pro *Murgentia*: à *Murgentio*, seu *Mur-*

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

[5] Hybla & [6] Macella sunt, & ignobiliores quædam aliæ. Et Numidæ præfecto Mutine, vagi per totam Siciliam, sociorum populi Romani agros urebant. Super hæc exercitus Romanus iratus, partim quod cum imperatore non devectus ex provincia esset, partim quod in oppidis hibernare vetiti erant, segni fungebantur militia: magisque eis auctor ad seditionem, quam animus deerat. Inter has difficultates M. Cornelius prætor, & militum animos, nunc consolando, nunc castigando, sedavit, & civitates omnes quæ defecerant in deditionem redegit: atque ex his Murgantiam Hispanis, quibus urbs agerque debebatur, ex Senatusconsulto attribuit.

XXII. Consules quum ambo Apuliam provinciam haberent, minusque jam terroris à Pœnis & Annibale esset, sortiri jussi Apuliam Macedoniamque provincias. Sulpicio Macedonia evenit, isque Lævino successit. Fulvius Romam comitiorum causa arcessitus, quum comitia consulibus rogandis haberet, [1] prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium

NOTÆ.

gantia oppido Catanensis agri ad ostia Symæthi amnis, qui nunc *Jaretta*: à Morgetibus populis veteribus, ut videtur, appellato. Hod. locus *Murgo* Fazello teste. Sic igitur *Murgentia terra* Livio, ut *Murgentinus ager* Ciceroni. Nec malè *terras*, id est, oppida ejus agri ait noster, ut Glar. observat, non *Murgantiam*, quia urbs anteà ad Pœnos defecerat, ut priore libro habetur. Sed deest verbum ad quod referantur hæ *terræ* quod nomen unus è Palat. codd. ignorat apud Gron. Irrepserit fortè loco postremarum syllabarum verbi *descivere*, aut *defecere*, scripseritque Livius, *ad eos Murgen. descivere*, id est, *Murgentini*. Non enim facilè adducor, ut illud *Murgenia*, intelligendum putem de alia urbe Siciliæ *Morgyna*, quæ & *Mergana*, ad Himeram Septentrionalem (vul. *Termini fl.*) sita, inter Cratam & Nebrodes Montes, quæ nunc quoque *Murguna* in Mazarensi tractu. Hæc enim urbs Mediterranea, longiùs ab ora distat, quàm ut Punicæ Classis adventu multùm commoveri potuerit, aut cum Hyblarum ulla conspirare, adversus Romanos: etsi propior Macellæ, quàm Murgantia Magellæ. Gronov. legit *ad eos Murgantini descivere. Secuta defectionem Hybla & Macella sunt.*

4. *Hybla.*] Major, ni fallor, quæ Murgantiæ propior, hodie *Paterno*, in Valle di Demona.

6. *Macella.*] Legendum puto *Magella*, quæ in Orientali Siciliæ parte inter Hyblam Ennamque urbes, vul. *Rosmano*, eo tractu qui hodie *Val di Noto*; nam *Macella*, quæ ad Occidentale latus vergit inter Himeram & Segestam, nunc *Calatabusamar*, in valle Mazaræ longiùs ab Hybla & Murgantia distabat.

1. *Prærogativa Veturia Juniorum.*] Ita MSS. habent cum Sigon. Vulgò scribitur, *prærogativa Centuria juniorum*. Sed parum interest Centuria nominetur, an Tribus. Nam ex iis quæ Livius habet lib. 1. c. 43. & ex eo quod a Cicerone pro Planc. dicitur, *Centuria pars tribus esse*, Octav. Pantagathus (apud Ant. Augustinum, qui citatur à Fulvio Ursino in notis ad laudatum Livii locum) conjicit nomina Centuriarum nominibus Tribuum explicari posse: unde hoc loco *Veturia Juniorum*, Centuria est Tribus Veturiæ, in qua etiam fuit Veturia Seniorum. Et lib. 27. cap. 6. ubi *Galeria* quoque *Juniorum* Centuriæ quoque nomen est; quæ prærogativa fuisse dicitur Comitiorum Centuriatorum. Itaque ex ejus sententia prima Classis constabat triginta quinque Centuriis equitum (nisi fortè hi quoque in Seniores ac Juniores divisi) & præterea triginta quinque peditum Juniorum Centuriis, totidem Seniorum peditum. Secunda Classis parem habuit numerum Centuriarum tum Seniorum peditum,

Torquatum, & T. Otacilium. Manlius qui præsens erat, gratulandi caussâ quum turba coiret, nec dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad tribunal consulis venit: petitque ut pauca sua verba audiret, Centuriamque, quæ tulisset suffragium, revocari juberet. Erectis omnibus exspectatione quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusavit. *Impudentem & gubernatorem & imperatorem esse, qui quum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita ac fortunas committi. proinde si videretur, & redire in suffragium Veturiam juniorum juberet, & meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit, temporumque reipublicæ. Vix dum requiesse aures à strepitu & tumultu hostili, quo paucos ante menses assederint prope mœnia Romana.* Post hæc quum centuria frequens succlamasset, nihil se mutare sententiæ; eosdemque consules dicturos esse; tum Torquatus. *Neque ego vestros*, inquit, *mores consul ferre potero, neque vos imperium meum. Redite in suffragium, & cogitate bellum Punicum in Italia, & hostium ducem Annibalem esse.* Tum centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit à consule, ut Veturiam seniorum citaret. Velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturiæ senioribus, datum secreto [2] in Ovili cum his colloquendi tempus. Seniores de tribus consulendum, dixerunt esse, *duobus jam plenis honorum, Q. Fabio, & M. Marcello, & si utique novum aliquem adversus Pœnos consulem creari vellent, M. Valerium Lævinum egregie adversus Philippum regem terrâ marique res gessisse.* Ita de tribus consultatione data, senioribus dimissis, juniores suffragium ineunt. M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium absenteis consules dixerunt. auctoritatem prærogativæ omnes centuriæ secutæ sunt.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

NOTÆ.

tum juniorum; equites nullos. Sic Tertia, Quarta, & Quinta Classis. Fiunt Centuriæ 385. Singulæ Centuriæ distinguuntur nominibus Tribuum. Primæ ergo Classis Palatina equitum Centuria (quæ si duplex fuit, alia fuit Palatina equitum Seniorum, alia equitum juniorum): prætereà peditum Palatina Juniorum, & peditum Palatina Seniorum. Sic Suburrana equitum, Suburrana peditum Seniorum & Juniorum, &c. Sic cæteræ Centuriæ Primæ Classis ex Tribuum nominibus: rursus Secundæ Classis peditum Palatina Juniorum, Palatina Seniorum; Suburrana Seniorum, Suburrana Juniorum: eâdemque ratione Centuriæ ac Tribus sequentium Classium. Quâ ratione patet Tribus ad comitia Centuriata posterioris temporis pertinuisse, licèt initio non pertinerent, ut Livius ait d. lib. 1. Hac etiam de causa Centuriæ sæpe Tribus appellantur, ut potè Tribuum partes, ut jam diximus: plura ibi vide hac de re, ubi & de Prærogativa. Ex his corrigi poterunt quæ suprà ad lib. 1. cap. 43. num. 23. & seqq. dicta sunt.

2. *In Ovili.*] Nomine *Ovilis* intelligitur septum cancellis clausum, intra quod per pontem ingrediebantur cives cujusque Centuriæ, vel Tribus suffragium dicturi, ut Gruchius lib. 1. de Comitiis Rom. explicat, aliique. *Ovilis* autem nomen ex similitudine deductum, quam habuit locus Comitiorum cum septo, quo includuntur extra hiemem pernoctantes oves, ad stercorandos agros.

Urb. Cond. an. 542. Coss. Cn. Fulvio Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

a ELUDANT NUNC, antiqua mirantes, non equidem si qua sit sapientium civitas (quam docti fingunt magis quam norunt) aut principes graviores temperantioresque à cupidine imperii, aut multitudinem melius moratam censeam fieri posse. Centuriam vero juniorum seniores consulere voluisse, quibus imperium suffragio mandaret; vix ut verisimile sit, parentum quoque hoc sæculo vilis levisque apud liberos auctoritas fecit.

XXIII. Prætoria inde comitia habita. P. Manlius Volso, & L. Manlius Acidinus, & C. Lætorius, & L. Cincius Alimentus creati sunt. Forte ita incidit, ut comitiis perfectis nunciaretur, T. Otacilium, quem T. Manlio, nisi interpellatus ordo comitiorum esset, collegam absentem daturus fuisse videbatur populus, mortuum in Sicilia esse. Ludi Apollinares & priore anno fuerant, & eo anno ut fierent referente Calpurnio Prætore, senatus decrevit, 2 ut in perpetuum voverentur. Eodem anno prodigia aliquot visa nunciataque sunt. In æde Concordiæ Victoria quæ in culmine erat, fulmine icta decussaque ad Victorias, 3 quæ in antefixis erant, hæsit: neque inde procidit. Et Anagniæ & Fregellis nunciatum est, 4 murum portasque de cœlo tactas. & in 5 foro Sudertano sanguinis rivos per diem totum fluxisse, & Ereti lapidibus pluisse, & Reate mulam peperisse. Ea prodigia hostiis majoribus sunt procurata, & 6 obsecratio in unum diem populo indicta, & novendiale sacrum. Sacerdotes pu-

INTERPRETATIO.

a *Existant nunc quicunque eos derident, qui vetera præferunt præsentibus: ego sanè inducere in animum neque, si aliqua civitas reperiretur, cujus omnes cives philosophi ac sapientes essent, (cujus quidem speciem docti homines animo & cogitatione efformant potiùs quàm revera cognoscunt): futurum ut in ea invenirentur, aut optimates majori gravitate ac minori imperandi cupidine, aut etiam plebs melioribus prædita moribus: nunc autem hujus ætatis mores quibus ipsi liberi etiam parentum suorum auctoritatem sequi dedignantur, effecere ut vix credibile sit priscis temporibus centuriam totam juniorum tantum obsequii senioribus suis detulisse, ut nonnisi illis consultis uti voluerit potestate mandandi per suffragia sua consularis imperii.*

NOTÆ.

1. *Nisi interpellatus ordo Comitiorum esset.*] A T. Manlio Torquato.

2. *Ut in perpetuum voverentur.*] Intellige *ita:* ut nempe eo anno fierent, ut etiam *in perpetuum voverentur.*

3. *Quæ in antefixis erant.*] Parum refert, an cum Gronov. legas *in antefixis*, an cum Lipsio *in antefixo*. Erant autem *antefixa* auctore Festo, quæ ex opere Figlino tectis affigebantur sub stillicidio. Plura itaque fuere simulacra Victoriæ in antefixo ædis Concordiæ.

4. *Murum portasque.*] Muri & portæ civitatum inter sancta numerantur: ideoque si de cœlo tangantur, prodigii loco habetur.

5. *Foro Sudertano.*] Fallor ni legendum sit *Tudertano*, ut sit forum in oppido Umbriæ, cui nomen *Tuder*, sive *Tuderta*, ut est apud Stephani epitomatorem, vulgò nunc *Todi*, Plutarcho & Paulo Diacono, aliisque *Tudertum:* unde *Tudertenses*, *Tudertini*, & *Tudertani*.

6. *Obsecratio.*] Erat *obsecratio*, ut alibi explicui, solennis precatio quam præeunte Pontifice obibat ædis sacræ dedicator.

blici

blici aliquot eo anno demortui sunt, novique suffecti: in locum M. Æmilii Numidæ decemviri sacrorum, M. Æmilius Lepidus: in locum M. Pomponii Mathonis pontificis, C. Livius: in locum Sp. Carvilii 7 maximi auguris, M. Servilius. T. Otacilius Crassus pontifex 8 quia exacto anno mortuus erat, ideo nominatio in locum ejus non est facta. C. Claudius flamen Dialis, 9 quod exta perperam dederat, a flaminio abiit. Urb. cond. an. 541. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

XXIV. Per idem tempus M. Valerius Lævinus, tentatis prius per secreta colloquia principum animis, ad indictum ante ad idipsum 1 concilium Ætolorum classe expedita venit. 2 Ubi quum Syracusas Capuamque captas, in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum, ostentasset, adjecissetque, *jam inde à majoribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in civitatem atque æquum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse quam cives mallent; Ætolos eo in majore futuros honore, quod gentium transmarinarum*

INTERPRETATIO.

a *Abdicavit Sacerdotium*, seu Flaminis munus.

NOTÆ.

7. *Maximi auguris*.] Hinc apparet quemadmodum in Collegio Pontificum, unus qui omnium supremus erat, Maximi titulo decorabatur, ita in Collegio Augurum.

8. *Quia exacto anno.*] An igitur annui Pontifices? Id verò nullibi me legere memini: imò contrarium multa ostendunt; in primis quod Tranquillus tradit Augustum Lepido vivo, qui Pontificatum maximum mortuo Cæsare invaserat, nunquam sustinuisse eam dignitatem, quamvis sibi oblatam, recipere; nisi dicamus vacantia Pontificum loca nonnisi certo tempore repleri solita. v.27.6.

9. *Exta perperam dederat*.] In sacris omnia certo ritu peragenda erant, atque inter cætera, etiam viscera sive exta victimarum ita dividenda erant, ut certæ partes decisæ farinâ farris involverentur, offerrenturque sacrificanti in calathis, quas Sacerdos aris impositas foculo incenso comburebat, sive adolebat: reliquis partibus vescebantur, ita ut sua cuique tribueretur: quædam etiam ex certis sacrificiis collegio Pontificum debebantur, ut Festus notat.

1. *Concilium Ætolorum.*] Fuit Ætolia Græciæ regio, quam Ptolemæus Achajæ assignat, Plinius eam seorsim describit lib.4. cap.42. inter Locros Ozolas Achajæ, sive Græciæ populos ad ortum, & Acarnaniam Epiri provinciam Eveno fluvio divisam, sita regio primariis urbes habuit Naupactum (Locris ereptam) & Calydona: nunc *Dispotato*, aliis *Lepanto*, ab oppido præcipuo. Nicetæ est *Artinia*. Eo tempore, de quo hic Livius loquitur, propriam habuere remp. Ætoli: nunc, cum reliqua Græcia, Turcarum parent imperio.

2. *Ubi quum Syracusas Capuamque captas in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum.*] Colb. *Ubi quum Syracusas Capuamque captam in fidem in Italia rerum secundarum ostentasset*: in quo nihil est quod Gronov. arguat. Illud enim *in fidem* non ad participium *captas* referri debet, sed ad verbum *ostentasset*, id est, commemorasset Syracusas & Capuam captas, ut fidem faceret res secundas in Italia esse. Fateor quidem congruentius fortè futurum si scriptum fuisset, *in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum*: ut Syracusæ in Sicilia, Capua capta in Italia fortunam Romanorum asstruerent: sed non magis in scriptis occurrit nomen *Siciliæ*, quàm nomen *successum*, quod Gron. meritò eliminat: & nomine Italiæ satis intelligi poterat Sicilia quoque adjacens Insula; adeoque vicina, ut Italiæ quondam pars fuisse dicatur.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

in amicitiam primi venissent. [3] *Philippum eis & Macedonas graves accolas esse, quorum se vim ac spiritus & jam fregisse,* [4] *& eo redacturum esse, ut non his modo urbibus quas per vim ademissent Ætolis, excedant:* [a] *sed ipsam Macedoniam* [5] *infestam habeant.* [6] *Et Acarnanas, quos ægre ferrent Ætoli à corpore suo diremptos, restituturum se* [7] *in antiquam formulam jurisque ac ditionis eorum.* Hæc dicta promissaque ab Romano imperatore, Scopas, qui tum prætor gentis erat, & Dorimachus princeps Ætolorum affirmaverunt auctoritate sua; minore cum verecundia & majore cum fide vim majestatemque populi Romani extollentes. maxime tamen spes potiundæ movebat Acarnaniæ. Igitur conscriptæ conditiones quibus in amicitiam societatemque populi Romani venirent: additumque, *ut si placeret, vellentque, eodem jure amicitiæ* [8] *Elei,* [9] *Lacedæmoniique* [10] *& Attalus &* [11] *Pleuratus &* [12] *Scerdiladus*

INTERPRETATIO.

a *Sed in sua ipsi regione Macedones urgeantur, atque infestentur.*

NOTÆ.

3. *Philippum eis & Macedonas.*] Vide quæ suprà de hoc Philippo Macedonum Rege penultimo.

4. *Et eò redacturum esse.*] Mss. habent *eò redactum esse;* quod ad Philippum Macedoniæ Regem pertinere poteit, quemadmodum *redactos esse* (quod vulgo legitur) pertinere potest ad Macedonas: sensus tamen haud dubiè probabilior si ex mente Gronovii scribatur, *& eo redacturum esse:* ut scilicet Lævinus id de se promittat.

5. *Infestam habeant.*] Passivè hic Liv. dicit *infestam habere,* pro eo quod est re sua ab alio direpta, seu vexata, minùs tranquillè uti, eamque non nisi cum molestia & magno incommodo possidere: quæ cæteris auctoribus parum nota horum verborum significatio. Plerumque enim activè sumuntur pro infestum reddere, &, ut Plin. loquitur, *infestare* quod alienum est. Ut apud Cic. *Mare habere infestum,* & *provinciam reddere infestam excursionibus, & latrociniis.*

6. *Et Acarnanas.*] Populi sunt Acarnaniæ, quæ extrema erat versus Orientem Veteris Epiri provincia, quanquàm Strabo Helladi sive Achajæ tribuit, quæ hodie *Livadia* dicitur: Turcis nunc subjacet cum reliqua Græcia sive Romelia.

7. *In antiquam formulam.*] Cum Deidamia Pyrrhi ultimi Epirotarum Regis filia, populis suis libertatem reddidisset, partem Epiri Acarnaniam vicini Ætoli occuparunt. Quamobrem orta inter Epirotas & Ætolos contentione, illi ope Philippi Macedoniæ Regis, Acarnaniam receperant. Nunc itaque Romani Ætolis ad societatem pertrahendis, promittunt fore ut in eorum ditionem Acarnaniam revocent. *Formula* autem nomine intelligitur administratio ac dispositio provinciarum, quarum aliæ aliis contributæ. Sic Plinius lib. 3. cap. 4. extremo, *adjecit formula Galba Imperator ex Inalpinis Avanticos atque Ebroduntios.* Sic *formulam juris* lib. 32. cap. 33. & 39. itemque *formulam sociorum* à nostro dici annotavit amicus nobis, dum vixit, Henr. Valesius.

8. *Elei.*] Ab Elide Provincià & urbe Peloponnesi dicti Elei & Elienses, nunc in ea Moreæ parte, quæ Italis *Belvedere.*

9. *Lacedæmoniique.*] Laconiæ Regionis in Peloponneso meridionali caput, urbs Lacedæmon sive Sparta, alter Græciæ oculus. cujus hodiè loco *Misitra:* regio vul. *Tzaconia.* Viginti ferme annis ante bellum Punicum secundum Cleomenes tertius, Lacedæmoniorum rex, sublatis Ephoris, liberoque imperandi jure usurpato, in Achæos arma moverat, qui acceptis aliquot cladibus Antigoni, Macedoniam pro Philippo tunc pupillo regentis, auxilium imploraverant, arce Corinthi ei traditâ. Ad fœderis illius communionem accesserunt Epirotæ, Phocenses,

essent. (13 Asiæ Attalus, 14 hi Thracum 15 & Illyriorum reges.) *Bellum ut extemplo Ætoli cum Philippo gererent. Navibus ne minus viginti quinqueremibus adjuvaret Romanus. Urbium*, 16 *Corcyra tenus, ab Ætolia incipienti, solum tectaque, & muri cum agris, Ætolorum: alia omnis præda populi Romani esset. Darentque operam Romani, ut Acarnaniam Ætoli haberent. Si Ætoli pacem cum Philippo facerent, fœderi adscriberent ita ratam eorum pacem, si Philippus arma ab Romanis sociisque, quique eorum ditionis essent, abstinuisset. Item si populus Romanus fœdere jungeretur regi, ut caveret, ne jus ei belli inferendi Ætolis sociisque eorum esset*. Hæc convenerunt, conscriptaque biennio post., 17 Olympiæ ab

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

N O T Æ.

Bœoti, Arcades, Thessali: unde Cleomenes, capta licet eversâque Megalopoli Arcadiæ civitate primariâ, commisso tamen ad Sellasiam Laconiæ oppidum prælio victus, ad Ptolemæum Evergeten Ægypti Regem transfugit; apud quem misere periit. Hinc Antigonus Philippi Macedonis adhuc tutor, pacem totâ Græcia constituit; quâ inter alia cautum, ne Ætoli cum exercitu Achajam intrarent. At Lycurgus post obitum Cleomenis Rex Lacedæmoniorum creatus, fœdere cum Ætolis inito, Achæos cœpit armis vexare.

10. *Attalus*.] Ex Philetæri Eunuchi, qui Lysimachi Thesauros Pergami cum asservaret, urbem eam occupavit, Attalo fratre secundo genito natus Attalus, Eumeni fratri patrueli successit in eam ditionem, primusque se Regem Pergami & Asiæ tulit; Princeps eruditus ac splendidus, a quo vestes Attalicæ. Is cum Romanis factâ societate, eorum semper fidem coluit.

11. *Plevratus*.] Hic Thracum rex dicitur: sed à Polybio non uno loco inter Illyriorum regulos numeratur. Ejus meminit Liv. lib. quoque 27. cap. 30. alius hic fuit à Plevrato Scerdilædi filio, Gentii patre, de quo sequenti Decade.

12. *Scerdiladus*.] Sive *Scerdilaidas* Illyriorum dux fuit, sub Teuta Regina Epirum depopulatus. Postea Epirotæ societatem, missis ad Teutam legatis, cum ea, cumque Acarnanibus & Illyriis inierunt; quos deinceps secuti, Achæis atque Ætolis hostes fuere, à quibus adversùs Illyrios adjuti fuerant, ut Polyb. est auctor. Scerdilædus autem occupata deinde Illyrici parte Rex appellatus.

13. *Asiæ*.] Intellige Minoris Asiæ circa Pergamum, Mysiam nempe, & Æolidem cum Phrygiæ parte.

14. *Hi Thracum*.] Thracia Europæ extrema versus ortum ad Propontidem, ac mare hinc Ægeum, inde Euxinum regio, supra Macedoniam, atque in plures populos, regesque olim divisa, sub Romanis post Constantinopolin in Byzantii solo conditam, sedes fuit Orientalis imperii: idcirco *Romania* dicta, Turcis corrupto nomine *Rumeli*. Quod nomen ad Græcia & reliqua fermè Europæ suæ Barbari protulerunt.

15. *Illyriorum*.] Primis temporibus *Illyrii* totam ferè dextram maris Adriatici oram ad Epirum usque occuparunt, donec Meridionalia Reges Macedonum suæ ditionis fecerunt. Hic nomine Illyriorum, qui Plevrato, ex parte etiam Scerdilædo parebant, intelliguntur Dalmatæ in primis Meridionales, cum proximis Macedoniæ occiduæ gentibus. Ubi nunc pars Albaniæ, quæ Turcis *Arnautarum* Regio. Sub Romano Imperio Illyricum latiùs Aquilonem, atque ortum versus patuit, in Thraciam usque.

16. *Corcyra tenus*.] In Jonio mari & sinûs Adriatici ore juxta Epirum est insula *Corcyra*, nunc *Corfou*: Venetis hodie paret, diversa ab alia Corcyra, quæ Illyrico adjacet.

17. *Olympia*.] *Olympia* urbs Elidis ad Alpheum fl. unde *Olympici ludi*: juxta quam celebre Jovis Olympici templum & statua ejusdem à Phidia ad artis miraculum efformata. Eadem *Pisa* dicta: unde Pisatis regio in Peloponneso; hodie *Langanico* dici volunt.

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio. Galba.

Ætolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita. Moræ caussa fuerant retenti Romæ diutius legati Ætolorum. Nec tamen impedimento id rebus gerendis fuit. & Ætoli extemplo moverunt adversus Philippum bellum, & Lævinus [18] Zacynthum (parva insula est propinqua Ætoliæ: urbem unam eodem quo ipsa est nomine habet) eam præter arcem vi cepit, [19] & Oeniadas [20] Nasumque Acarnanum, captas, Ætolis contribuit. Philippum quoque satis implicatum bello finitimo ratus, ne Italiam Pœnosque & [b] pacta cum Annibale posset respicere; Corcyram ipse se recepit.

XXV. Philippo Ætolorum defectio [1] Pellæ hibernanti allata est. itaque quia primo vere moturus exercitum [2] in Græciam erat, [a] Illyrios finitimasque eis urbes [3] alieno metu quietas ut Macedonia haberet, expeditionem subitam [4] in Oricinorum atque Apolloniatium fines fe-

INTERPRETATIO.

b *Ne posset cogitare de fœdere cum Annibale inito, illudque exequi.*

a *Ut Illyrii & proximi populi abstinerent à bello Macedoniæ inferendo.*

NOTÆ.

18. *Zacynthum.*] Nomen est insulæ in Jonio mari ad Occidentalem oram Peloponnesi, ex adverso Chelonitis promontorii, à quo millibus quindecim dissita est, inter Cephaleniam, & Strophades: ambitu 60. milliarium. Hodie *Zante* dicitur, una ex tribus Venetorum in eo mari insulis.

19. *Oeniadas.*] Legebatur vulgò *Oleniadem*: rectè Glar. emendavit. Est enim Oeniadæ oppidum Acarnanum ad ostia Acheloi, cujus territorium Oenias, in Ætoliæ confinio: putatur hodie *Dragamesto* dici.

20. *Nasumque.*] Aliàs perperàm *Naxumque Acarnanum*. Scripti *Nassum*: & Polyb. Ἀκαρνάνων Οἰνιάδας καὶ Νᾶσον. Dores Νᾶσον, hic. ut Syracusis pronunciabant: quod nomen Insulam significat. Apparet itaque Oppidum fuisse Acarnaniæ provinciæ, quæ Epiro contributa, haud procul Oeniadis, & fortè in ostio Acheloi fluminis.

1. *Pellæ hibernanti.*]. *Pella* ubi Philippus hibernabat, Macedonum regia fuit, jam ab Philippi & Alexandri temporibus, qui inde *Pellæus juvenis*, cùm anteà Macedonum reges apud Ædessam ad Erigonum fluvium in Æmathia sedem habuissent. Fuit in Bottiæa regione Macedoniæ Orientalis, inter Axium & Ludiam fluvios, interque Thessalonicam & Pydnam, duodecim fermè milliaribus ab Thermaico sinu: hodie *Zuchria* dici creditur à Turcis, à Græcis Παλατίτζα, sive parva palatia: diversa ab *Jenizza*, cujus nomen ipsum Turcicè novum oppidum sonat.

2. *In Græciam.*] De *Græcia*, de *Macedonia*, deque *Apollonia* actum suprà.

3. *Alieno metu quietas ut Macedonia haberet,*] In duobus Palatinis, Voss. & Buss. est *alterno metu*. Et potuit Liv. ita dicere *alterno metu*, ut lib. 23. *alterno pavore*; quod Tacitus de morib. German. dixit *mutuo metu*: Illyriorum scilicet à Macedonibus, non minùs quàm Macedonum ab Illyriis. Sed plerique omnes habent *alieno metu*: quæ scriptura non absurdum sensum habere posset: ideo nempe expeditionem suscepisse Philippum in Oricinos, Apolloniatas, & finitimos Illyriorum populos; ut terrore his illato, Illyriis vicinæ civitates Epiri, & reliqui Illyriorum populi, moti periculo illorum qui ipsius arma sensissent, quieti manerent, pacemque cum Macedonibus mallent quàm bellum.

4. *In Oricinorum.*] Dicti *Oricini* ab *Orico* sive Oreo Epiri urbe in Chaonia regione, ad radices Acroceraniorum montium, oramque Jonii maris, non procul Aulone urbe Macedoniæ, è regione Hydruntis Salentinorum in Italia

cit: egressosque Apolloniatas cum magno terrore atque pavore compulit intra muros. vastatis proximis Illyrici, [5] in Pelagoniam eadem celeritate vertit iter: inde [6] Dardanorum [7] urbem sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam, cepit. His raptim actis, memor Ætolici junctique cum eo Romani belli, per Pelagoniam, [8] & Lyncum, [9] & Bottiæam, in [10] Thessaliam descendit. Ad bellum secum adversus Ætolos capessendum incitari posse homines credebat: & relicto [11] ad fauces Thessaliæ [12] Perseo cum quatuor millibus armatorum ad arcendos aditu Ætolos, ipse priusquam majoribus occuparetur rebus, in Macedoniam atque inde in Thraciam exercitum [13] ac Mædos edu-

Urb. cond. an. 542. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

N O T Æ.

civitatis, à qua nonnisi sexaginta milliaribus distat: hodie *Orco* appellatur, habetque portum satis amplum.

5. *In Pelagoniam.*] Tractus est Macedoniæ Septentrionalis sub Orbelo monte, quo à Dardania dividitur, ejus urbs è præcipuis *Stobi* ad Axium fl.

6. *Dardanorum.*] Nomine *Dardaniæ* intelligitur aliquando *Troas*, & Dardanorum nomine Trojani, à Dardano vel Dardania oppido maritimo: hic verò *Dardani* sunt populi Boreali Macedoniæ conterm[i]ni, & perpetui Macedonum hostes, in parte Mæsiæ latiùs sumptæ, ubi posteà, labente imperio Romano, Dacia Mediterranea, cujus pars fuit hæc Dardania. Nunc verò pars est Serviæ sub Turcarum ditione.

7. *Urbem sitam in Macedonia.*] Codicum Scriptorum non pauci habent *in Macedoniam*; probabilis admodum fuit Rubenii correctio *Sintiam* legentis, pro *sitam*: sic enim facilè potest intelligi *Heraclea Sintica* in tractu Macedoniæ Borealis sita versus Thraciam, ubi Sintiam urbem agnoscit Steph. haud procul fontibus Strymonis fluvii: quæ urbs vicinis Dardanis transitum in ulteriorem Macedoniam præbere facilè potuit. *Chesejar*, seu *Chesia*, hodie vocatur, ex Castaldo: etsi in nonnullis tabulis vetus nomen adhuc servat. Nec tamen rejicienda omnino vulgaris lectio: reverà enim hæc urbs in Macedonia sita fuit, licet à Dardanis occupata: & potuit de alia Macedoniæ Borealis urbe Livius loqui. Dardanos certè ad Axium usque flumen promovet Plinius.

8. *Et Lyncum.*] *Lynci* oppidi in hoc tractu auctores non meminere: nisi idem sit cum *Lyncas*. cujus mentio apud Hesychium. *Lyncestas* populum, & *Lyncestidem* regionem in Macedonia Geographi memorant, inter Pæoniam & Æmathiam. Ea fortè nomen sortita est ab amne in Erigonem defluente, cujus aqua acidula vini modo temulentos facit, auctore Plin. lib. 2. cap. 103. post Ovid. 15. Metamorph. & qui nunc *Linceo*.

9. *Bottiaam.*] Pars fuit Macedoniæ ad sinum Thermaicum, Æmathiæ ad Occasum, Mygdoniæ ad Septentrionem; Pieriæ ad Meridiem, per quam adeunda Thessalia: hi omnes tractus ad Macedoniam propriè pertinent.

10. *Thessaliam.*] Thessalia latè sumpta Candaviis, Pierio, & Olympo Montibus à Macedonia divisa, quinque in se minores regiones continet, Pelasgiotin, Magnesiam, Estiotin, Phthiotin, Thessaliotidem, quæ duæ Helladi proximæ. Adhuc *Thessalia*, seu *Thettalia* Græcis, Turcis *Comenolitari*, dicitur Castaldo teste; Brietio *Janna* vocatur magna ex parte, ab urbe ejus nominis.

11. *Ad fauces Thessaliæ.*] Circa Thermopylas, ac montem Oetam, qua parte à Locris, Phocensibus, ac Doribus Thessalia sejungitur.

12. *Perseo.*] Filio natu majori Philippi.

13. *Ac Mædos*,] Longè absunt hi Mædi ab Asiaticis Medis, qui Orienti post Assyrios atque ante Persas imperasse dicuntur. Hi fortè à Mæsis orti in Thraciæ parte Occidentali fuere, Edonis finitimi, ultra Strymonem fluvium, & cis Rhodopen montem, circa Abderam. Regio eorum Mædica Strymonio imminens sinui;

Urb. cond. an. 541. Coss. Cn. Fulv. Centumalo, & P. Sulpicio Galba.

xit. Incurrere ea gens in Macedoniam solita erat; ubi regem occupatum externo bello, ac sine præsidio, esse regnum sensisset. [14] Ad Phragandas igitur vastare agros, & [15] urbem Jamphorinam, caput arcemque Mædicæ, oppugnare cœpit. Scopas, ubi profectum in Thraciam regem, occupatumque ibi bello audivit; armata omni juventute Ætolorum, bellum inferre Acarnaniæ parat. Adversus quos Acarnanum gens & viribus impar, & jam Oeniadas Nasumque amissas cernens, Romanaque insuper arma ingruere, irâ magis instruit quam consilio bellum. Conjugibus liberisque & senioribus supra sexaginta annos in propinquam Epirum missis, ab quindecim ad sexaginta annos conjurant, *nisi victores, se nonredituros. Qui victus acie excessisset, eum nequis urbe, tecto, mensa, lare reciperet*: diram execrationem in populares; obtestationem quam sanctissimam potuerunt, [b] adversus hospites composuerunt: precatique simul Æpirotas sunt, ut qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent, adhiberentque humatis titulum: HIC SITI SUNT ACARNANES, QUI ADVERSUS VIM ATQUE INJURIAM ÆTOLORUM PRO PATRIA PUGNANTES, [16] MORTEM OCCUBUERUNT. Per hæc incitatis animis castra in extremis finibus suis obviam hosti posuerunt. nunciis ad Philippum missis, quanto res in discrimine esset, omittere Philippum, id quod in manibus erat, coëgerunt bellum: Jamphorina per deditionem recepta, & prospero alio successu rerum. Ætolorum impetum tardaverat primo conjurationis fama Acarnanicæ: deinde auditus Philippi adventus, regredi etiam in intimos coegit fines. Nec Philippus quanquam ne opprimerentur Acarnanes, itineribus magnis ierat; [17] ultra Dium est progressus. inde quum audisset reditum Ætolorum ex Acarnania, & ipse Pellam rediit.

XXVI. Lævinus veris principio à Corcyra profectus navibus; superato [1] Leucate promontorio, quum venisset Naupactum, Anticyram in-

INTERPRETATIO.

b *Erga Epirotas.*

NOTÆ.

14. *Ad Phragandas.*] Ignotum seu populi, seu potius castelli nomen.

15. *Urbem Jamphorinam.*] Vitiosè, ni fallor, scriptum urbis nomen: cujus nulla, quod sciam, alibi mentio. Scribendum fortè *urbem Topirinam*. Est enim eo Thraciæ ad Macedoniam vergentis tractu, circa Nessi fluvii ostia *Topiris* Plinii & Ptolemæi, quæ Antonino *Torpinium*, vel *Topirium*: Thucydidi *Doberus*, ut volunt: hodie *Pusio*, ut Sophianus vult, aut, ut Lydo Joanni placet, *Rusio*.

16. *Mortem occubuerunt.*] Aliàs *mortem oppetierunt*. Sed prior lectio meliorum est, Reg. & Put. atque hoc regimen verbi *occumbere*, usurpavit noster lib. 31. *qui pugnantes mortem occubuissent*. At Cicer. 1. Tusc. *ut esset qui pro patria morte non dubitaret occumbere*. Virg. *Sese certa occumbere morti*.

17. *Ultra Dium.*] Hujus nominis urbs fuit in Pieria Macedoniæ regione ad sinum Thermaicum; apud quem dicitur Alexandro Magno Pontificis Hebræi species in somnis oblata invitantis ad bellum in Persas. Rectè igitur ex manuscriptis correxit Gronov. cùm in editis esset, *ultra Clinen est progressus*.

1. *Leucate.*] *Leucates* sive *Leucas* promontorium est Acarnaniæ, seu potiùs

Urb. cond. ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

de se petiturum edixit, ut præsto ibi Scopas Ætolique essent. 2 Sita Anticyra est in Locride læva parte sinum Corinthiacum intrantibus. breve terrâ iter eo, brevis navigatio ab Naupacto est. Tertio ferme post die utrinque oppugnari cœpta est. Gravior à mari oppugnatio erat: quia & tormenta machinæque omnis generis in navibus erant, & Romani inde oppugnabant. Itaque intra paucos dies receptà urbs per deditionem, Ætolis traditur. præda ex pacto Romanis cessit. Literæ Lævino redditæ, consulem eum absentem declaratum, & successorem venire P. Sulpicium. cæterum diuturno ibi morbo implicitus, seriùs spe omnium Romam venit. M. Marcellus quum Idibus Martiis consulatum iniisset, senatum eo die, moris modo caussa, habuit: professus, *nihil se, absente collega, neque de republica, neque de provinciis acturum. Scire se, frequentes Siculos prope urbem in villis obtrectatorum suorum esse. quibus tantum abesse, ut per se non liceat palam Romæ crimina, edita fictaque ab inimicis, vulgare; ut ni simularent aliquem sibi timorem absente collega dicendi de consule esse, ipse eis extemplo dicturus senatum fuerit. Ubi quidem collega venisset, non passurum quicquam prius agi, quàm ut Siculi in senatum introducantur. Delectum prope à M. Cornelio per totam Siciliam habitum, ut quam plurimi questum de se Romam venirent. eundem literis falsis urbem implesse bellum in Sicilia esse, ut suam laudem minuat.* Moderati animi gloriam eo die adeptus consul, senatum dimisit, ac prope justitium omnium rerum futurum videbatur, donec alter consul ad urbem venisset. Otium, ut solet, excitavit plebis rumores: *belli diuturnitate, & vastatos agros circa urbem, qua infesto agmine isset Annibal, & exhaustam delectibus Italiam,* 3 *prope quotannis exercitus cæsos querebantur, & consules bellicosos ambo,*

NOTÆ.

prominens insula, alio nomine *Neritus* olim dicta, hodie Græcis *Leucada*. Exiguo freto à continenti dirimitur insula, quod quinquaginta non ampliùs passus alicubi patet: nec nisi monoxylis ob vada navigari potest. *Leucadia* urbs freto imminebat, quà angustissimum est: unde arx cui à *Santa Maura* nomen, prædonum Turcarum celebre receptaculum, tribus passuum millibus distat Sponio teste.

2. *Anticyra est in Locride.*] Quam noster Locris (Ozolis) assignat Anticyram, Geographi Phocidi tribuunt. Est enim decimo à Delphis milliari, haud procul Helicone, ad oram sinûs Corinthiaci, qui nunc *Golfe de Lepante* nostris. Sunt qui Anticyrrham dixere, quasi Cyrrhæ, sive Cirrhæ oppositam, ubi Delphorum navale, à qua sinus ipse Cyrrhæi quoque nomen habuit. Pinetus Anticyram hanc putat hodie appellari *Suola*. Nardo est *Aspropiti*. Fuit alia quoque Anticyra ad sinum Oetæum sive Maliacum in finibus Locrorum Epicnemidiorum, in qua Elleborus nascebatur curandæ amentiæ.

3. *Prope quotannis exercitus cæsos.*] Egregiè hunc locum emendat Gronov. mutatis duabus ex Codice Puteano literis, ubi scriptum erat *pro re quod annis*, tueturque conjecturam simili loco libri proximè sequentis, *decimum annum delectibus & stipendiis exhaustos esse, quotannis ferme clade magna pugnare.* Nam ferri non potest quod in aliis scriptis Codicibus legitur *pro re quod Cannensis*: longè minùs vulgata lectio, *& pro rep. Cannis exercitus cæsos querebantur.* Etenim longinquior erat hæc Cannensis clades, quàm ut novi nunc ex ea questus orirentur.

Vrb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino,

viros acres nimis & feroces creatos: qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare civitatem forent passuri.

XXVII. Interrupit hos sermones nocte, quæ [1] pridie Quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum. eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque, [2] & argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsere. Comprehensa postea privata ædificia: [3] neque enim tum basilicæ erant: comprehensæ [4] latumiæ, [5] forumque piscatorium, & atrium regium. [6] Ædes Vestæ vix defensa est tredecim maxime servorum opera, qui in publicum redempti ac manumissi sunt. nocte ac die continuatum incendium fuit. Nec ulli dubium erat, humana id fraude factum esse, quod plurimis simul locis, & iis diversis, ignes cohorti essent. Ita consul ex auctoritate senatus pro concione edixit, *qui, quorum opera id conflatum incendium, profiteretur, præmium fore, libero pecuniam, servo libertatem*. Eo præmio inductus Campanorum Calaviorum servus (Mannus ei nomen erat) indicavit *dominos, & quinque præterea juvenes nobiles Campanos, quorum parentes à Q. Fulvio securi percussi erant, id incendium fecisse*; [a] *vulgoque facturos alia, ni comprehenderentur*. Comprehensi ipsi, familiæque eorum. & primo [b] elevabatur index, indiciumque: pridie eum verberibus castigatum ab dominis discessisse, per iram ac levitatem ex re fortuita crimen commentum. cæterum ut coram coarguebantur, & quæstio ex ministris facinoris foro medio haberi cœpta est, fassi omnes, atque, in dominos servosque conscios animadversum est.

INTERPRETATIO.

a *Et alia incendia* (vel mala) *passim perpetraturos esse.*

b *Minuebatur & levior reddebatur servi qui rem indicaverat, fides, ejusque indicatio.*

NOTÆ.

1. *Pridie Quinquatrus.*] Ut *Pridie Kalendas*. Festum fuit Minervæ *Quinquatrus* (corruptè quibusdam, *Quinquatria*) haud absimile Panathenaicis Atheniensium. Nomen Auctore Varr. & Festo inditum imitatione vicinorum populorum, qui sextum & septimum Iduum dicebant *sexatrum, & septimatrum*. Celebrabatur enim hoc festum, initio, post quintum Idus Martias, uno die; postea per quinque dies: creditumque ex eo deductam vocem. Qua de re Ovid. 3. Fastor. v. 410. & seqq. Sosipater Grammaticus, à *Quinquando*, id est, *lustrando*. *Quinquatrus* antiquis dictas ait, quoniam eo die lustrari Ancilia solerent. Fuere præterea *Quinquatrus* minores, quas idibus Junii Tibicines personati celebrabant.

2. *Et argentariæ.*] Officinæ seu tabernæ Argentariorum (qui & Trapezitæ) in foro Romano erant.

3. *Neque enim tum Basilicæ erant.*] Publica & magnifica ædificia *Basilicæ* dicuntur, quasi regia opera, qualia postea in foro extructa.

4. *Latumiæ.*] Fuere Romæ sicut Syracusis *Lautumiæ*, Græcis Λατομίαι, quæ propriè lapidicinæ sunt; sed carceris loco habebantur.

5. *Forumque Piscatorium.*) Regione Fori Romani, quæ octava sub Augusto urbis regio, fuit hoc Forum quod *Piscarium* appellant Sex. Rufus, & P. Victor, haud longè a Foro Boario.

6. *Ædes vestæ.*) In Palatio erat Templum hoc Vestæ rotundum, à Numa exstructum.

indici

indici libertas data, & [7] viginti millia æris. Consuli Lævino Capuam prætereunti circumfusa multitudo Campanorum est, obsecrantium cum lachrymis, ut sibi Romam ad senatum ire liceret, oratum, si qua misericordia tandem flecti possent, ne se ad ultimum perditum irent, nomenque Campanorum à Q. Flacco deleri finerent. Flaccus, *sibi privatam simultatem cum Campanis negare ullam esse: [8] publicas inimicitias & hostiles esse, & futuras, [9] quoad eo animo erga populum Romanum esse sciret. nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano. Ideo se mœnibus inclusos tenere eos: quia si qui evasissent aliqua, velut feras bestias [10] per agros vagari, & laniare, & trucidare quodcunque obvium detur. Alios ad Annibalem transfugisse, alios ad Romam incendendam profectos. inventurum in semiusto foro consulem vestigia sceleris Campanorum. Vestæ ædem petitam, & æternos ignes, & conditum in penetrali [11] fatale pignus imperii Romani. Se minime censere tutum esse, Campanis potestatem intrandi Romana mœnia fieri.* Lævinus Campanos jurejurando à Flacco adactos, quinto die quam ab senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam jussit. Hac circumfusus multitudine, [12] simul Siculis obviam egressis, Romam pervenit; clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores [c] in urbem adducens. De republica tamen primum ac de pro-

Urb. Cond. Ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

INTERPRETATIO.

c *Secum Romam ducens Siculos & Campanos, qui à viris excidio Syracusarum & Capua illustribus victi, eos accusaturi veniebant.*

NOTÆ.

7. *Viginti millia æris.*] Essent ex nostro calculo 583. l. 6. s. 8. d. pecuniæ nostratis.

8. *Publicas inimicitias & hostiles.*] Simultates & inimicitiæ privatorum inter se infensorum propriè sunt: animus hostilis populorum bellum invicem gerentium. Hoc genus ut à priori distinguat Fulvius, *inimicitias* vocat *publicas & hostiles*.

9. *Quoad eo animo.*] Per *eum animum* significat quidem animum alienum atque infensum, quali tunc erant Campani, aut quali eos credi Flaccus volebat; sed tamen nihil necesse erat mutari à Sigonio textum quem præferunt optimi Libri, & pro *eo animo*, subjici *alieno animo*.

10. *Per agros vagari, &c.*] Videtur deesse quidpiam: veluti, destinasse, aut paratos esse sciret, atque exploratum haberet.

11. *Fatale pignus.*] In æde Vestæ conditum dicebatur Palladium Trojâ advectum in Italiam ab Ænea, quod æterni imperii pignus putabatur.

12. *Simul Siculis obviam egressis, Romam pervenit.*] Hæc lectio mihi præ cæteris placet, ut quæ maximè perspicua sit. Cum olim vulgò legeretur, *Romam prabuit*: Laur. Valla, quasi rimæ essent, necessariò explendæ, multa inferserat, hac excogitatâ scripturâ: *Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis (potestatem) Romam (adeundi fecit, & nonnullis vel amulis querimoniam) prębuit; clarissimarum, &c.* Sigon. veteri adhærens scripturæ, unius verbi levi mutatione sensum ejus explicuit, pro *prębuit*, restituendo *pervenit*. Sed quia in editionibus quibusdam scriptum erat, *Simul Siculis obviam egressis, Siculisque Romam prabuit*, insulsè repetito nomine *Siculis*: Gron. velut expeditam lectionem protulit, *Simul Siculis obviam egressis, Æeolisque, Romam praivit*. Rationem hujus emendationis reddidit 4. observat. 16. hanc opinor

Urb. cond. anni. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

vinciis ambo consules ad senatum retulere.

XXVIII. Ibi Lævinus, quo statu Macedonia & Græcia, Ætoli, Acarnanes [1] Locrique essent, quasque ibi res ipse egisset terra marique, exposuit, Philippum inferentem bellum Ætolis in Macedoniam retro ab se compulsum, ad intima penitus regni abjisse; legionemque inde deduci posse. classem satis esse ad arcendum Italia regem. Hæc de se, deque provincia cui præfuerat. Consulum de provinciis communis relatio fuit. decrevere Patres, *Ut alteri consulum Italia bellumque cum Annibale, provincia esset: alter classem, cui T. Otacilius præfuisset, Siciliamque provinciam cum L. Cincio prætore obtineret.* Exercitus eis duo decreti, qui in Etruria Galliaque essent: [2] eæ quatuor erant legiones. [3] urbanæ duæ superioris anni in Etruriam; duæ, quibus Sulpicius consul præfuisset, in Galliam mitterentur. Galliæ & legionibus præesset, [a] quem consul, cujus Italia provincia esset, præfecisset. In Etruriam C. Calpurnius post præturam, prorogato in annum imperio, missus; & Q. Fulvio Capua provincia decreta, prorogatumque in annum imperium. Exercitus civium sociorumque minui jussus, ut ex duabus legionibus una legio, quinque millia peditum, & trecenti equites essent: dimissis qui plurima stipendia haberent: & sociorum septem millia peditum, & trecenti equites relinquerentur: [4] eadem ratione stipendiorum habitâ in veteribus militibus dimittendis. Cn. Fulvio Consuli superioris anni, nec de provincia Apulia, nec de exercitu quem habuerat, quicquam mutatum. tantum in annum prorogatum imperium est. P. Sulpicius collega ejus omnem exercitum, præter socios navales, jussus dimittere est. Item ex Sicilia exercitus, cui M. Cornelius præesset, ubi consul in provinciam venisset, dimitti jussus. L. Cincio Prætori ad obtinendam Siciliam, Cannenses milites dati; duarum instar legionum. Totidem legiones in Sardiniam P. Manlio Volsoni

INTERPRETATIO.

a *Ut is Galliæ* Cisalpinæ provinciæ, *& legionibus* in eam mittendis *imperaret*, *qui iis præponeretur ab eo Consule cui forte obvenisset Italia provincia.*

NOTÆ.

(neque enim ejus observationum libri 4. exemplar nancisci mihi licuit) quod Siculi ad Marcellum accusandum, Ætoli ad fœdus faciendum Romam venerant: & quia paulo major literarum affinitas videtur verbi *præivit*, quàm verbi *pervenit*, cum verbo *præbuit*.

1. *Locrique essent.*] Indicat Anticyram quasi Locris ademptam, quæ tamen non Locridis, sed Phocidis erat: nisi si forte per ea tempora Locri Ozolæ oram Phocensem occupaverant. Vide suprà c. 24.

2. *Eæ quatuor erant legiones.*] Ita lib. 24. cap. 44. *& exercituum, unus quem ipse Sempronius habuerat, alter quem Fabius Consul: ea bina erant legiones.* Item 32. 16. *una* (classis) *cum Attalo: eæ quatuor & viginti quinqueremes erant.* Id est, exercitus tot legionibus, classis tot quinqueremibus constabat.

3. *Urbanæ duæ superioris anni.*] Quæ scilicet in urbe conscriptæ, nec in provinciam profectæ fuerant.

4. *Eadem ratione stipendiorum habita.*] In dimittendis nempe Latinis sociis, ut Sacramento militiæ solverentur, qui, ultra numerum præscriptum, plura cæteris stipendia meruissent.

Prætori decretæ: quibus L. Cornelius in eadem provincia priore anno præfuerat. Urbanas legiones ita scribere consules jussi, ne quem militem facerent, qui in exercitu M. Claudii, M. Valerii, Fulviique fuissent: neve eo anno plures quam una & viginti Romanæ legiones essent. Urb. cond. ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

XXIX. His senatusconsultis perfectis, sortiti provincias consules. Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello adversus Annibalem Lævino evenit. Quæ sors, velut iterum captis Syracusis, ita exanimavit Siculos expectatione sortis in consulum conspectu stantes, ut comploratio eorum flebilesque voces, & extemplo oculos hominum converterent, & postmodo sermones prebuerint. Circumibant enim senatum cum veste sordida, affirmantes, *se non modo* [1] *suam quisque patriam, sed totam Siciliam relicturos, si eò Marcellus iterum cum imperio redisset. Nullo suo merito eum ante implacabilem in se fuisse: quid iratum quod Romam de se questum venisse Siculos sciat, facturum? Obrui* [2] *Ætnæ ignibus, aut mergi freto, satius illi insulæ esse, quam velut dedi noxæ inimico.* Hæ Siculorum querelę, domos primum nobilium circumlatę, celebratęque sermonibus; quos partim misericordia Siculorum, partim invidia Marcelli excitabat, in senatum etiam pervenerunt. Postulatum à consulibus est, ut de permutandis provinciis senatum consulerent. Marcellus, *si jam auditi ab senatu Siculi essent, aliam forsitan futuram fuisse* [a] *sententiam suam*, dicere. *nunc, ne quis timore frænari eos dicere posset, quo minus de eo libere querantur, in cujus potestatem mox futuri sint; si collegæ nihil intersit, mutare se provinciam paratum esse. deprecari senatus præjudicium. nam quum extra sortem, collegæ optionem dari provinciæ iniquum fuerit, quanto majorem injuriam, immo contumeliam esse, sortem suam ad eum transferri?* Ita senatus, quum quid placeret, magis ostendisset, quam decrevisset, dimittitur. inter ipsos consules permutatio pro-

INTERPRETATIO.

a *Ajebat Marcellus, in alia forsitan sententia se futurum, si jam auditæ essent Siculorum querelę* in Senatu (tunc enim non ita facile remissurum fuisse jus sibi sorte quæsitum administrandæ Siciliæ): *Nunc* verò *se paratum esse* Siciliam *provinciam*, quæ sibi obtigerat, *permutare* cum Italia & bello in Annibalem, *modò* Lævinus *collega* cui hæc provincia evenerat, non repugnet, ac *profiteatur nihil suâ referre*, ut Italiam potius administraret. Idque ideò se facere dicebat Marcellus, *ne quis* ei *objicere posset*, *Siculos*, *à querelis suis* in eum *libere proferendis impediri*, *quod* viderent *in ejus se potestate mox jure magistratus atque imperii futuros*; verùm id se *orare*, ut *Senatus judicium* suum ea de re non *interponat*, neu decreto suo id constituat. Satis *iniquum esse quod* ipse ultro *optionem deferat Lævino* utram provinciam malit: at *longè* adhuc *magis injuriosum* sibi *magisque contumeliosum fore, si provincia quę sibi sorte obvenit, in collegam transferretur*, decernente Senatu.

NOTÆ.

1. *Suam quisque patriam.*] Num potiùs, *suam quamque patriam* relicturos, &c.

2. *Ætnę ignibus.*] *Ætna* Mons Siciliæ flammivomus, omnibus cognitus, hodie *Monte Gibello*.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino

vinciarum, 3 rapiente fato Marcellum ad Annibalem, facta est: ut ex quo 4 primus adversę pugnę gloriam ceperat, in ejus laudem postremus Romanorum imperatorum, prosperis tum maxime bellicis rebus, caderet.

XXX. Permutatis provinciis, Siculi in Senatum introducti, multa de Hieronis regis fide perpetua erga populum Romanum verba fecerunt, 1 in gratiam publicam avertentes, *Hieronymum ac postea Hippocratem & Epicyden tyrannos, quum ob alia, tum propter defectionem ab Romanis ad Annibalem, invisos fuisse sibi. ob eam causam & Hieronymum à principibus juventutis prope publico consilio interfectum: & in Epicydis Hippocratisque cædem septuaginta nobilissimorum juvenum conjurationem factam: quos Marcelli morâ destitutos, quia ad prædictum tempus exercitum ad Syracusas non admovisset, indicio facto, omnes ab tyrannis interfectos. Eam quoque Hippocratis atque Epicydis tyrannidem, Marcellum excitasse, Leontinis crudeliter direptis. Nunquam deinde principes Syracusanorum desisse ad Marcellum transire; pollicerique se urbem, quum vellet, ei tradituros: sed eum primo vi capere maluisse: dein quum id neque terra, neque mari, omnia expertus, potuisset, auctores traditarum Syracusarum fabrum ærarium Sosin, & Mericum Hispanum, quam principes Syracusanorum habere, toties id nequicquam ultro offerentes, præoptasse: quo scilicet justiore de caussa vetustissimos socios populi Romani trucidaret, ac diriperet. Si non Hieronymus ad Annibalem defecisset, sed populus Syracusanus & senatus, si portas Marcello Syracusani publice, & non oppressis Syracusanis, tyranni eorum Hippocrates & Epicydes, clausissent: si Carthaginiensium animis bellum cum populo Romano gessissent, quid ultra quam quod fecerit, nisi ut deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse? Certe præter mœnia & tecta exhausta urbis, & refracta ac spoliata Deûm delubra, Diis ipsis ornamentisque eorum ablatis, nihil relictum Syracusis esse. Bona quoque multis adempta: 2 ita ut ne nudo quidem solo reliquis direpta fortuna, alere sese ac suos possent. Orare se Patres Conscriptos, ut, si nequeant omnia, saltem, quæ compareant cognoscique possint, restitui dominis jubeant.* Talia conquestos 3 quum excedere templo, ut de postulatis eorum Patres consuli possent, Lævinus

NOTÆ.

3. *Rapiente fato.*] Quasi fatale fuisset Marcellum ab Annibale vinci atque interfici.

4. *Primus adversę pugnę gloriam ceperat.*] Nam victis semper antea Romanis ab Annibale, primus omnium Marcellus prosperè adversus eum pugnaverat apud Nolam lib. 23. cap. 46. Idem postremo loco pugnâ cum eo commissa occubuit ad Petelian lib. 27. cap. 27.

1. *In gratiam publicam avertentes.*] Sive, ut mavult Gron. *vertentes*, id est, trahentes ad laudem populi Syracusani, &c.

2. *Ita ut ne nudo quidem solo.*] Reponendum censet Gronovius contra librorum fidem, *ne nunc quidem salvi*, quod scilicet receptæ lectionis nullus sit sensus: mihi tamen sic explicari posse hic locus videtur, ut velint Syracusani multis ipsorum bona ita fuisse adempta, ut ne alere quidem sese ac suos possent reliquiis fortunarum suarum, quod scilicet nudum tantùm solum ipsis relictum esset.

3. *Excedere templo.*] *Templi* nomine continentur quævis sacrata loca: hujusmodi autem fuere Curiæ, cùm Senatus non, nisi sacrato loco haberi posset.

jussisset: *Maneant imo*, inquit Marcellus, *ut coram bis respondeam: quando eâ conditione pro vobis, Patres Conscripti, bella gerimus, ut victos armis, accusatores habeamus. Duæ captæ hoc anno urbes Capua Fulvium reum, Marcellum Syracusæ habeant.* Urb. cond. an. 543. Coss. M. Cl. Marcello IV. & M. Val. Lævino.

XXXI. Reductis in curiam legatis, tum consul, *Non adeo majestatis,* inquit, *populi Romani imperiique hujus oblitus sum, Patres Conscripti, ut si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus causam, accusantibus Græcis, fuerim: sed non quid ego fecerim, in disquisitionem venit,* [1] *quàm quid isti pati debuerint. qui si non fuerunt hostes, nihil interest. nunc, an vivo Hierone Syracusas violaverim.* [2] *Sin autem desciverunt, legatos nostros ferro atque armis petierunt, urbem ac mœnia clauserunt,* [3] *exercituque Carthaginiensium adversus nos tutati sunt; quis passos esse hostilia,* [4] *quum fecerint, indignatur? Tradentes urbem principes Syracusanorum, aversatus sum: Sosin, & Mericum Hispanum,* [5] *quibus tantùm crederem, potiores habui.* [a] *Non estis extremi Syracusanorum, quippe qui aliis humilitatem objiciatis. Quis est vestrûm, qui se mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in urbem accepturum promiserit? Odistis, & execramini eos qui fecerunt, & ne hîc quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum abest, ut & ipsi tale quicquam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, Patres Conscripti, quam isti objiciunt, maximo argumento est, me neminem, qui navatam operam reipublicæ nostræ velit, aversatum esse. Et antequam obsiderem Syracusas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pacem: & posteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipsi congresso*

INTERPRETATIO.

a *Vos qui hic adestis non postremo estis inter Syracusanos loco, quandoquidem alios tanquam abjectos & humiles despicitis.*

NOTÆ.

1. *Quàm quid isti pati debuerint.*] Adjecerat Rhen. *quàm quidquid in hostibus feci jus belli defendit.* Libri tamen ferè omnes, *nam quidquid isti pati debuerunt,* vel *debuerant, qui si non fuerint hostes, &c.* Quæ sanè haud cohærent; optimé que, & quàm minimâ potuit mutatione, Gron. correxit, *quam quid isti pati debuerint*: ita ut in proximè superiori membro intelligatur particula *tam*, de qua Livii & Taciti ellipsi annotatum est anteà. Quo pacto plena erit sententia, *sed non tam quid ego fecerim in disquisitionem venit, quàm quid isti pati debuerint.*

2. *Sin autem desciverunt.*] Omnes Libri Gallicani cum Puteano scribunt, *desciverunt, portas legatos nostros, &c.* Quod ita legendum Rubenio visum, *ad portas,* vel *in portu legatos nostros ferro atque armis petierunt.* Qua de re l. b. 24. c. 33.

3. *Exercituque Carthaginiensium adversus nos tutati sunt.*] Ita meliùs quàm quod vulgò legitur, *exercitumque Carthaginiensium*: non enim Syracusani Punicum præsidium tuebantur, sed magis Punicis armis urbem suam, & muros contra Romanos defendebant, ut Gron. notat.

4. *Quum fecerint.*] Zeugma est, & è proximo repetendum, *hostilia*, ut sit, *cùm fecerint hostilia.*

5. *Quibus tantùm crederem.*] Vulgò *quibus tantam rem.* Plerique scripti, *quibus tantum crederem.* Duo Palatini *quibus tanta crederem.* Col. unus, *quibus tamen crederem*; quòd fortè non deterius.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcell. IV. & M. Valer. Lævino.

ad portas cum principibus responsum dabatur, multis terra marique exhaustis laboribus, tandem vi atque armis Syracusas cepi. Quæ captis acciderint, [6] *apud Annibalem & Carthaginienses, victosque, justius, quam apud victoris populi senatum, quererentur. Ego, Patres Conscripti, Syracusas spoliatas si negaturus essem, nunquam spoliis earum urbem Romam exornarem. quæ autem singulis victor aut ademi aut dedi; quum belli jure, tum ex cujusque merito,* [b] *satis scio me fecisse. Ea vos* [7] *rata habeatis, Patres Conscripti, necne, magis reipublicæ interest, quam mea. Mea quippe fides exsoluta est: ad rempublicam pertinet, ne acta mea rescindendo, alios in posterum segniores duces faciatis. Et quoniam coram, & Siculorum, & mea verba audistis, Patres Conscripti; simul templo excedemus, ut me absente liberius consuli senatus possit.* Ita dimissis Siculis, & ipse in Capitolium ad delectum discessit.

XXXII. Consul alter de postulatis Siculorum ad Patres retulit. Ibi quum diu sententiis certatum esset, & magna pars senatus, principe ejus sententiæ T. Manlio Torquato, *cum tyrannis bellum gerendum fuisse*, censerent, *hostibus & Syracusanorum & populi Romani; & urbem recipi, non capi: & receptam legibus antiquis & libertate stabiliri, non fessam misseranda servitute, bello affligi. Inter tyrannorum & ducis Romani certamina, præmium victoris in medio positam urbem pulcherrimam ac nobilissimam periisse, horreum atque ærarium quondam populi Romani: cujus munificentia ac donis, multis tempestatibus, hoc denique ipso Punico bello, adjuta ornataque respublica esset. Si ab inferis existat rex Hiero, fidissimus imperii Romani cultor, quo ore aut Syracusas, aut Romam ei ostendi posse? quum, ubi semirutam ac spoliatam patriam respexisset, ingrediens Romam in vestibulo urbis, prope in porta, spolia patriæ suæ visurus sit;* Hæc taliaque quum ad invidiam consulis miserationemque Siculorum dicerentur; mitiùs tamen decreverunt Patres causâ Marcelli. *Quæ is gerens bellum victorque egisset, rata habenda esse. in reliquum curæ senatui fore rem Syracusanam, mandaturosque consuli Lævino,* [1] *quod sine jactura reipublicæ fieri posset, fortunis ejus civitatis consuleret.* Missis duobus senatoribus in Capitolium ad

INTERPRETATIO.

b. *Probè scio*, cognitum habeo.

NOTÆ.

6. *Apud Annibalem & Carthaginienses victosque, justius.*] In plurimis Codicibus scriptum est *victos se justius*. Malim quod Colb. alter habet, *apud Carthaginienses victos, justius, quàm apud Victoris populi Senatum*; erat enim quod quererentur Syracusani se malè defensos à Carthaginiensibus qui se vinci passi essent. Eleganter Gronov. scribendum putat *victos secum*, quod & mihi haud dubie placeret, si vetus aliquis Codex astipularetur.

7. *Rata habeatis .... necne.*] Testatur Jac. Gronov. à Put. aliisque optimis libris abesse particulam *nec*. Unde colligit legendum *ne*; ut sit, *ne magis reip. interest, ut ea vos rata habeatis*.

1. *Quod sine jactura.*] Vulgatior lectio, *quoad sine jactura*: idem sensus; sed illa phrasis elegantior: nam & apud Cicer. *quod tuo commodo fiat*; aliæque similes loquendi formæ extant.

consulem, uti rediret in curiam, & introductis Siculis, senatusconsultum recitatum est. legatique benigne appellati, ac dimissi, ad genua se Marcelli consulis projecerunt, obsecrantes, *ut quæ deploranda ac levandæ calamitatis caussa dixissent, veniam eis daret, & 2 in fidem, clientelamque se urbemque Syracusas acciperet.* post hæc consul [a] clementer appellatos dimisit.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcell. IV. & M. Valer. Lævino.

XXXIII. Campanis deinde senatus datus est, [b] quorum oratio miserabilior, caussa durior erat. neque enim meritas pœnas negare poterant, 1 nec tyranni erant, in quos culpam conferrent: sed satis pensum pœnarum, tot veneno absumptis, tot securi percussis senatoribus, credebant. *Paucos nobilium superstites esse, quos nec sua conscientia, [c] ut quicquam de se gravius consulerent, impulerit, nec victoris ira capitis damnaverit; eos libertatem sibi suisque, & bonorum aliquam partem orare, cives Romanos, affinitatibus plerosque & 2 propinquis jam cognationibus connubio vetusto junctos.* Summotis deinque è templo, paulisper dubitatum, an arcessendus à Capua Q. Fulvius esset. (mortuus enim post captam 3 Claudius consul erat) ut coram imperatore qui res gessisset, sicut inter Marcellum Siculosque disceptatum fuerat, disceptaretur: dein, quum M. Atilium, C. Fulvium fratrem Flacci, legatos ejus, ac Q. Minucium & L. Veturium Philonem, item Claudii legatos, qui omnibus gerendis rebus affuerant, in senatu viderent, nec Fulvium avocari à Capua, nec differri Campanos vellent; interrogatus sententiam M. Atilius Regulus, cujus ex iis qui ad Capuam fuerant, maxima auctoritas erat, *In consilio*, inquit, *arbitror me fuisse consulibus Capuâ capta, quum quæreretur, ecquis Campanorum de republica nostra*

INTERPRETATIO.

a *Cùm eos benignè compellasset*, suaque ipsis officia promisisset.

b *Campanorum oratio magis miseranda erat quam Syracusanorum*, quia illi pejus habiti à Fulvio; *sed eorum causa minùs favorabilis* quòd apertè rebellassent.

c *Ut voluntaria morte à se pœnas exposcerent*.

NOTÆ.

2. *In fidem clientelamque.*] Hoc in more positum, ut victæ urbes victores suos, eorumque familias sibi patronos asciscerent. Syracusani Marcellea festum in gratiam Marcelli instituerunt, aliosque in suis stirpi honores decreverunt, de quibus Plut.

1. *Nec tyranni erant.*] Nulli fuerant Capuæ tyranni, sed omnia publico consilio adversus Romanos a Campanis gesta.

2. *Propinquis jam cognationibus connubio vetusto junctos.*] Cum in Put. aliisque habeatur, *propinquis jam jam cognat:* censet Jac. Gronov. veram scripturam esse *propinquis jam etiam cognationibus*. Sed erit fortè qui dubitet quomodo *ex vetusto connubio propinquæ cognationes*? Et sanè si connubium pro conjugio sumas, ex vetustis inter Romanos & Campanos nuptiis non nisi longinquæ cognationes essent. Verùm *connubium* hic propriè accipiendum pro jure legitimi matrimonii, quod jam olim Campanis datum.

3. *Claudius Consul.*] Meliùs, vel *Claudius*, sine addito, ut in quibusdam libris: vel *Claudius pro consule*. Capta enim fuit Capua non a Fulvio & Claudio, adhuc Consulibus, sed cùm jam consulatu excessissent, & proconsulari imperio urbem eam obsiderent. Ita quoque paulo post accipiendum τὸ *Consulibus*, pro his ipsis qui consules anno priore fuerant.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcel. IV & M. Valer. Lævino.

bene meritus esset; duas mulieres compertum est, Vestiam Oppiam Atellanam Capuæ habitantem, & Fauculam Cluviam, quæ quondam quæstum corpore fecisset: illam quotidie sacrificasse pro salute & victoria populi Romani; hanc captivis egentibus alimenta clam suppeditasse. Cæterorum omnium Campanorum eundem erga nos animum, quam Carthaginiensium, fuisse: securique percussos à Q. Fulvio esse magis, quorum dignitas inter alios, quam quorum culpa eminebat. Per senatum agi de Campanis, qui 4 *cives Romani sunt,* 5 *injussu populi non video posse. idque & apud majores nostros in Satricanis factum est, quum defecissent: ut M. Antistius tribunus plebis prius rogationem ferret,* 6 *sciretque plebs, uti senatui de Satricanis sententiæ dicendæ jus esset. Itaque censeo cum tribunis plebis agendum esse, ut eorum unus pluresve rogationem ferant ad plebem, qua nobis statuendi de Campanis jus fiat.* L. Atilius tribunus plebis, ex auctoritate senatus plebem in hæc verba rogavit: *Omnes* 7 *Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque pop. Rom. Fulvio proconsule, quæque una secum dediderunt, agrum urbemque, divina, humanaque, utensiliaque, sive quid aliud dediderunt, de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites.*

XXXIV. Plebs sic jussit, 1 *Quod senatus juratus* 2 *maxima pars censeat,* 3 *qui assidetis, id volumus jubemusque.* Ex hoc

NOTÆ.

4. *Cives Romanos.*] Campani quippe saltem aliqua ex parte civitate donati fuerant: unde *cives Romanos* accipiendum est per appositionem, ut intelligatur paucos nobilium Campanorum, qui cives Romani sint, & affinitate conjuncti cum Patriciis Romanis, puta cum Fabiis, Claudiis, ut paulò post Attilius notat.

5. *Injussu populi.*] Nam de capite civis Romani, nonnisi populi cognitio erat ex lege Valeria.

6. *Sciretque plebs.*] Pro, *scisceretque plebs.*

7. *Campani, Atellani, Calatini, Sabatini.*] De Capua, Atella, Calatia, unde his populis nomen, actum antea. *Sabatinos* à Sabato fl. Hirpinorum dictos puto, qui per Beneventum cum amne Calore in Vulturnum defluit. Oppidum ejus nominis nullum hoc tractu invenio. Neque huc pertinet *Sabata* Etruriæ; neque *Vada Sabatia* Liguriæ, de quibus aliàs.

1. *Quod Senatus juratus.*] De gravioribus rebus Senatus juratus decernebat. Sic lib. 30. *Patres igitur jurati (ita convenerat) censuerunt, &c.* Et lib. 42. ut *Juratus Senatus decerneret, &c.*

2. *Maxima pars.*] Appositio est, ut lib. 1. *aversos boves, eximium quemque.* Significatur non omnium & singulorum Senatorum requiri suffragia, sed majoris eorum partis. Alioqui legendum esset, *Senatus jurati maxima pars.*

3. *Qui assidetis.*] A Sigonio est. Difficilis visus Lipsio locus: tolerari posse ut Gronov. sic & mihi videtur Sigonianum illud, *qui assidetis:* ita scilicet ut referatur ad Senatores, qui Attilio tribuno plebem roganti aderant; & mox Campanorum causam disceptaturi videbantur. In Libris plerisque legitur *qui adsidens.* An *Senatus, qui adsidens,* pro Senatoribus qui præsentes adessent, cùm ea de re ageretur? Faciliùs explicari res posset, si in libris scriptis occurreret quod suggerit idem Gronov. *qui adsederint,* vel *adsidebunt,* aut certè *qui absidebitis.* Ut scilicet sufficere plebi videatur ad eam rem decernendam, si Senatorum, qui ad rem illam consultandam jurati adsederint, maxima pars aliquid de ea decernat; etiam, si non totus Senatus, ac ne major quidem pars totius ordinis, aut etiam certus numerus Senatorum adsit consultationi: sæpe enim definiebatur numerus Senatorum, quem

plebeiscito

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino II

plebeiscito senatus consultus, *Oppiæ Cluviæque primum bona ac libertatem restituit. si qua alia præmia petere à senatu vellent, venire eas Romam.* Campanis in familias singulas decreta facta, quæ non operæ pretium est omnia enumerare. *Aliorum bona publicanda: ipsos liberosque eorum & conjuges vendendas; extra filias* [a] *quæ enupsissent prius quam in populi Romani potestatem venirent. Alios in vincula condendos: ac de his posterius consulendum.* Aliorum Campanorum [1] summam etiam censûs distinxerunt, publicanda necne bona essent; *pecua captiva, (præter equos), & mancipia, (præter puberes virilis sexus), & omnia* [b] *quæ solo non continerentur, restituenda,* censuerunt, *dominis. Campanos omnes, Atellanos, Calatinos, Sabatinos, extra quam, qui eorum aut ipsi aut parentes eorum apud hostes essent, liberos esse,* jusserunt*: ita ut nemo eorum civis Romanus, aut Latini nominis esset. neve quis eorum, qui Capuæ fuissent, dum portæ clausæ essent,* [c] *in urbe agrove Campano intra certam diem maneret. Locus, ubi habitarent, trans Tiberim, qui non contingeret Tiberim, daretur. qui nec Capuæ nec in urbe Campana, quæ à pop. Romano defecisset, per bellum fuissent, eos cis Lirim amnem Romam versus; qui ad Romanos transissent prius, quam Annibal Capuam veniret, cis Vulturnum emovendos,* censuerunt. *ne quis eorum propius mare quindecim millibus passuum agrum ædificiumve haberet. Qui eorum trans Tiberim moti essent, ne ipsi posterive eorum uspiam pararent, haberentve, nisi in Vejente, aut Sutrino Nepesinove agro: dum ne cui major, quam quinquaginta jugerum agri modus esset. Senatorum omnium, quique magistratus Capuæ, Atellæ, Calatiæ gessissent, bona venire Capuæ,* jusserunt. *libera corpora quæ venundari placuerat, Romam mitti, ac Romæ venire. Signa, statuas æneas, quæ capta de hostibus dicerentur, quæ eorum sacra & profana essent, ad pontificum collegium* rejecerunt. Ob hæc decreta mœstiores aliquanto quam Romam venerant, Campanos dimiserunt. nec jam Q. Fulvii sævitiam in sese, sed iniquitatem Deûm, atque execrabilem fortunam suam incusabant.

XXXV. Dimissis Siculis Campanisque, delectus habitus. scripto deinde exercitu, de remigum supplemento agi cœptum. in quam rem quum neque hominum satis, nec, ex qua pararentur stipendiumque acciperent, pecuniæ quicquam ea tempestate in publico esset; edixerunt consules, ut privati ex censu ordinibusque, sicut antea, remiges darent cum stipendio cibariisque dierum triginta. Ad id edictum tantus fremitus hominum tan-

INTERPRETATIO.

a *Quæ per nuptias è paterna domo exissent. & in domum mariti transissent.*

b *Quæ mobilia essent.*

c *Intra certum tempus Capuâ, ejusque territorio omnes excederint.*

NOTÆ.

adesse oportebat, ut lib. 38. *Prætor Senatum consuleret, cùm in Senatu centum non minùs essent.*

1. *Summam etiam census distinxerunt.*] Decreverunt ut pro ratione majoris, vel minoris patrimonii, aliorum bona publicarentur, aliis sua relinquerentur.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Valer. Lævino II. & M. Claud. Marcell. IV.

taque indignatio fuit, ut magis dux, quam materia seditioni deesset. [a] *Secundum Siculos Campanosque, plebem Romanam perdendam, lacerandamque sibi consules sumpsisse. per tot annos tributo exhaustos, nil reliqui, prater terram nudam ac vastam, habere. Tecta hostes incidisse,* [1] *servos agricultores rempublicam abduxisse, nunc ad militiam parvo ære emendo, nunc remiges imperando. Si quid cui argenti ærisve fuerit, stipendio remigum, & tributis annuis ablatum: se ut dent quod non habeant, nulla vi, nullo imperio cogi posse. Bona sua venderent: in corpora quæ reliqua essent, sævirent. Ne unde redimantur quidem, quicquam superesse.* Hæc non in occulto, sed propalam in foro atque oculis ipsorum consulum ingens turba circumfusi fremebant: nec eos sedare consules, nunc castigando, nunc consolando poterant. [2] Spatium deinde his tridui se dare ad cogitandum dixerunt: quo ipsi ad rem inspiciendam expediendamque usi sunt. Senatum postero die habuerunt de remigum supplemento: ubi quum multa disseruissent, [3] cur æqua plebis recusatio esset, verterunt orationem eo, ut dicerent, *Privatis id, seu aquum seu iniquum onus injungendum esse. Nam unde, quum pecunia in ærario non esset, paraturos navales socios? Quomodo autem sine classibus, aut Siciliam obtineri, aut Italia Philippum arceri posse, aut tuta Italiæ litora esse?*

XXXVI. Quum in hac difficultate rerum consilium hæreret, ac prope torpor quidam occupasset hominum mentes: tum Lævinus consul, *Magistratus senatui, & senatum populo, sicut honore præstent, ita ad omnia quæ dura atque aspera essent, subeunda ducem debere esse.* [1] SI QUID INJUNGERE INFERIORI *velis, id prius in te ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedientes habeas. nec impensa gravis est, quum ex ea plus quam*

INTERPRETATIO.

a *Post Siculos, & Campanos.*

NOTÆ.

1. *Servos agricultores.*] Servi enim post Cannensem cladem exiguo pretio redempti fuerant ut armarentur, & milites fierent. Dicitur autem eos *abduxisse resp.* quoniam abstracti fuerant in publicum commodum: quod autem magistratus in commune bonum facit auctoritate publica, id resp. facere censetur. Ita Cic. in Bruto, de Tib. Graccho, ait *ab ipsa rep. est interfectus*. Neque erat quod hic Sigonius laboraret, ut Gron. observat.

2. *Spatium deinde his tridui se dare ad cogitandum.*] Sigon. hanc scripturam è veteribus libris hausisse videri vult. Gronov. in Put. *tribui* legit, non *tridui*: videndum num præstet vulgata lectio, *spatium deinde his tribuere se, dareque ad cogitandum*. Etsi enim redundare videatur τὸ *dareque*, post verbum *tribuere*; & verisimile videatur certum dierum spatium esse datum: his tamen non parum repugnat, quod statim subjicitur *Senatum postero die* hac de re consultum ab Consulibus. Est enim *postero die* idem ac *postridie*: ut non aliud quam unius diei spatium plebi datum videatur.

3. *Cur æqua plebis recusatio esset.*] In Colb. vetustiori est, *Curæque plebis recusatio esset*, quod Salmasio placebat.

1. *Si quid injungere inferiori velis &c.*] Alludit Claud. in Paneg. de IV. Consulatu Honorii. *Tunc observantior æqui fit populus: nec ferre negat, cum viderit ipsum auctorem parere sibi.*

pro virili parte sibi quemque capere principum vident. [2] *Itaque classes habere atque ornare volumus populum Romanum? privatos sine recusatione remiges dare? nobismet ipsis primùm imperemus. Aurum, argentum, æs signatum omne senatores crastina die in publicum conferamus: ita ut annulos sibi quisque, & conjugi, & liberis, &* [3] *filio bullam, & quibus uxor filiæve sunt,* [4] *singulas uncias pondo auri relinquant; argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta & libras pondo,* [5] *ut salinum patellamque Deorum causâ habere possint. cæteri senatores libram argenti tantum,* [6] *æris signati quina millia in singulos patres familiæ relinquamus.* [a] *Cæterum omne aurum, argentum, æs signatum,* [7] *ad triumviros mensarios extemplo deferamus; nullo ante senatusconsulto facto: ut voluntaria collatio, & certamen adjuvandæ reipublicæ excitet ad æmulandum animos primum equestris ordinis, dein reliquæ plebis. hanc unam viam, multa inter nos collocuti, consules invenimus.* [8] *Ingredimini Diis bene juvantibus.* RESPUBLICA INCOLUMIS *& privatas res facile salvas præstat. publica prodendo, tua nequicquam serves.* In hæc tanto animo consensum est, ut gratiæ ultro consulibus agerentur. senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum & æs in publicum conferunt: tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse; ut nec triumviri accipiundo, [b] nec scribæ referendo sufficerent. Hunc consensum senatus equester ordo est secutus: equestris ordinis plebs. Ita sine edicto, [9] sine coërtione magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio

Urb. cond. an. 543.
Coss. M. Claud. Marcell. IV. & M. Valer. Lævino II.

INTERPRETATIO.

a *Reliquum auri quicquid erit.*
b *Nec scribæ ad referendum* in tabulas sufficerent.

NOTÆ.

2. *Itaque classes habere.*] Hæc Gron. scriptura dilucida est atque aperta. Vulgaris lectio, *itaque classem habeat, quam ornare volumus, populus Romanus: privatos sine recusatione remiges dare nobismetipsi primùm imperemus.* Quod Colb. uterque sequitur, nec in hac lectione multum vitii. Est enim *Populus Romanus classem habeat, quam ornare volumus. Nos* itaque *primi nobis ipsi imperemus ut privatim propriis cujusque nostrûm sumptibus remiges demus, absque* ulla *recusatione.*

3. *Filio bullam.*] Pueris ingenuis *Bulla*, sive icuncula è collo suspendebatur, quâ credebantur averti fascinationes. Eâ primùm donatus à patre fuerat Tarquinii Prisci filius, quod nondum pubes hostem in bello vulnerasset.

4. *Singulas uncias pondo auri, &c.*] Non plus quàm pondus unciæ servent, uxoris, & unius cujusque filiæ gratiâ. Lege Oppiâ cautum postea ne qua mulier plus semunciâ auri haberet. Infr. 34. 1.

5. *Ut Salinum patellamque.*] Ad hæc itaque duo sufficiebat argenti libra decem uncias nostrates cum semisse pendens. *Patella* Festo sunt *vasa picata parva sacrificiis faciendis apta*. Est enim patella diminutivum à *Patera*, cui à patentibus labris nomen. Gall. *une tasse*. In sacrificando magistratus hoc poculi genere dabat Deo vinum.

6. *Æris signati quina millia.*] Quinque scilicet assium millia, qui hoc tempore semunciales erant. Hæc quantitas exiguam nunc summam redderet, vix ultra 145. l. 16. s. 8. d.

7. *Ad Triumviros mensarios.*] De his actum lib. 23. cap. 21.

8. *Ingredimini.*] Intellige è proximo *hanc unam viam*. Gall. *Prenez cét expedient.*

9. *Sine coërtione magistratus.*] Ita Pal. unus: nec abludunt alii scripti: quod idem

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcel. IV. & M. Valer. Lævino II.

respublica eguite paratisque omnibus ad bellum, consules in provincias profecti sunt.

XXXVII. Neque aliud [1] magis tempus belli fuit, quo Carthaginienses Romanique pariter variis casibus immixtis, magis in ancipiti spe ac metu fuerint. Nam Romanis & in provinciis, hinc in Hispania adversæ res, hinc prosperæ in Sicilia, luctum & lætitiam miscuerant: & in Italia, quum Tarentum amissum damno & dolori, tum arx cum præsidio retenta præter spem gaudio fuit: & terrorem subitum pavoremque urbis Romæ obsessæ & oppugnatæ, Capua post dies paucos capta in lætitiam vertit. [a] Transmarinæ quoque res quadam vice pensatæ. Philippus hostis tempore haud satis opportuno factus: Ætoli novi adsciti socii, Attalusque Asiæ rex, jam velut despondente fortuna Romanis [2] imperium Orientis. Carthaginienses quoque Capuam amissam, & Tarentum captum æquabant: & ut ad mœnia urbis Romæ nullo prohibente se pervenisse in gloria ponebant; ita pigebat irriti incœpti: pudebatque adeo se spretos, ut sedentibus ipsis ad Romana mœnia, [3] aliâ portâ exercitus Romanus in Hispaniam duceretur. Ipsæ quoque Hispaniæ, [c] quò propiùs spem venerant, tantis duobus ducibus exercitibusque cæsis, debellatum ibi, ac pulsos inde Romanos esse; eo plus, [4] ab L. Marcio tumultuario duce ad vanum & irritum victoriam redactam esse, indignationis præbebat. Ita æquante fortuna, suspensa omnia utrinque erant: integra spe, integro metu, velut illo tempore primum bellum inciperent.

XXXVIII. Annibalem ante omnia angebat, quod Capua pertinacius oppugnata ab Romanis, quam defensa ab se, multorum Italiæ populorum animos averterat: quos neque omnes tenere præsidiis, nisi vellet in multas parvasque partes [c] carpere exercitum, quod minime tum expediebat, poterat: nec deductis præsidiis, [d] spei liberam, vel obnoxiam timori, sociorum relinquere fidem. Præceps in avaritiam & crudelitatem animus, ad spolianda, quæ tueri nequibat, ut vastata hosti relinquerentur, inclina-

INTERPRETATIO.

a *Res Macedoniæ & Græciæ.*

b *Quantò majorem spem conceperant* Carthaginienses *fore ut post casos Sciptones, eorumque exercitus, bellum in Hispania pulsis inde Romanis confectum esset: tanto majorem indignationis causam præbebant Hispaniæ* servatæ ac retentæ à Romanis *duce L. Marcio.* &c.

c *Copias dividere.*

d *Fidem sociorum sinere, aut liberam manere, ut unde* melioris conditionis *spes ostenderetur, eò se verteret; aut trepidam metu* imminentis ab hostibus periculi.

NOTÆ.

est ac *sine coërcitione*; utrunque enim perinde dicitur. Vulgo *sine cohortatione*; sed hæc frustra jam adhibita: nisi interpretere, *sine* alia, seu nova *cohortatione magistratûs*. Mallem, si liceret, *sine coactione*.

1. *Magis tempus belli.*] Redundare videtur hoc *magis*, ut pote mox aptiore loco usurpatum: quod vidisse Gronovium testatur filius.

2. *Imperium Orientis.*] Intelligit Asiam, tum minorem, tum præsertim Majorem.

3. *Alia porta exercitus Rom. &c.*] Vide lib. 26. cap. 11.

4. *Ab L. Marcio.*] Suprà lib. 25. cap. 27.

Urb. cond. ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

vit. Id fœdum consilium, quum incœpto, tum etiam exitu fuit. neque enim indigna patientium modo abalienabantur animi, sed cæterorum etiam. quippe ad plures exemplum, quam calamitas, pertinebat. Nec consul Romanus tentandis urbibus, sicunde spes aliqua se ostendisset, deerat. Salapiæ principes erant Dasius & [1] Blasius: Dasius Annibali amicus; Blasius, quantum ex tuto poterat, rem Romanam fovebat; & per occultos nuncios spem proditionis fecerat Marcello, sed sine adjutore Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus, & tum quoque magis inopià consilii potioris, quam spe effectûs, Dasium appellabat. at ille [a] quum ab re aversus, tum æmulo potentatus inimicus, rem Annibali aperit. Arcessito utroque, Annibal quum pro tribunali quædam ageret, mox de Blasio cogniturus, starentque summoto populo accusator & reus: [b] Blasius de proditione Dasium appellabat. Enimvero ille, velut in manifesta re, exclamat, *sub oculis Annibalis secum de proditione agi*. Annibali atque eis qui aderant, quo audacior res erat, minus similis veri visa est. æmulationem profecto atque odium [2] esse: & id crimen afferri, quod, quia testem habere non potuisset, liberius fingenti sit. Ita inde dimissi sunt. nec Blasius ante abstitit tamen tam audaci incœpto, quam idem obtundendo, docendoque quam ea res ipsis patriæque salutaris esset, pervicit, ut præsidium Punicum, ([3] quingenti autem Numidæ erant) Salapiaque traderetur Marcello. Nec sine cæde multa tradi potuit. longe [4] fortissimi equitum toto Punico exercitu erant. Itaque quanquam improvisa res fuit, nec usus equorum in urbe erat: tamen armis inter tumultum captis, & eruptionem tentaverunt; & quum evadere nequirent, pugnantes ad ultimum occubuerunt. nec plus quinquaginta ex his in potestatem hostium vivi venerunt. [c] plusque aliquan-

INTERPRETATIO.

a *Et alienus ab eo consilio, & infensus Blasio æmulo potentiæ in civitate, &c.*

b *Solicitabat Dasium ad prodendum* Romanis oppidum.

c *Majori detrimento fuit Annibali horum equitum; quàm Salapiæ urbis amissio.*

NOTÆ.

1. *Blasius.*] In scriptis *Blattius* vocatur: & appiano Βλάτιος.

2. *Liberius fingenti sit.*] Vulgò *liberiùs fingeretur*. In MSS. quibusdam est *liberiùs fingenti*. In aliis *fingentis ita*. In Put. *fingentis itia*: unde acutè Gron. reponit *liberiùs fingenti sit*. Adducitque eandem loquendi formam ex ipso auctore lib. 30. *Colloquium Annibalis in secreto habitum, ac liberum fingenti, quà velit flecti*. Sensus hujus loci hic est, Annibalem judicasse Dasium ex simultate eam accusationem in Blasium attulisse, quæ liberè fingi posset, seu quæ liberum ei præberet fingendi campum, cum res testibus careret.

3. *Quingenti autem Numidæ erant.*] Desideratur numerus in plerisque scriptis: sed supplendus ex Valerio Max. lib. 3. cap. 8. hoc ipsum Blasii factum post Livium narrante. Inde, atque ex more Livii numerum in his rebus adjicere soliti, Sigonio visum, pronomen *Hi*. quod editi habent, mutare in notam numeralem D. seu 10. quam lectionem ex Palatinorum uno confirmat Gron. ubi scriptum, *id autem Numidæ erant*.

4. *Fortissimi equitum.*] Illi scilicet quingenti Numidæ, qui Salapiæ in præsidio,

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello iv. & M. Valerio Lævino ii.

to damni hæc ala equitum amissa Annibali, quam Salapia fuit; nec deinde unquam Pœnus (quo longe plurimum valuerat) equitatu superior fuit.

XXXIX. Per idem tempus quum in arce Tarentina vix inopia tolerabilis esset, spem omnem præsidium quod ibi erat Romanum, præfectusque præsidii atque arcis M. Livius, in commeatibus ab Sicilia missis habebant. qui ut tuto prætervehérentur oram Italiæ, classis viginti ferme navium [1] Rhegii stabat. Præerat classi commeatibusque D. Quintius, obscuro genere ortus; cæterum multis fortibus factis gloria militari illustris. Primo quinque naves, quarum maximæ duæ triremes à Marcello ei traditæ erant, habuit: postea rem impigre sæpe gerenti tres additæ quinqueremes: postremo ipse à sociis, Rheginisque, & [2] à Velia & à Pæsto, debitas ex fœdere exigendo, [3] classem viginti navium, sicut ante dictum est, effecit. Huic ab Rhegio profectæ classi, Democrates cum pari classe navium Tarentinarum numero, quindecim millia ferme ab urbe [4] ad Sacriportum obvius fuit. Velis tum forte improvidus futuri certaminis Romanus veniebat. sed circa Crotonem Sibarimque suppleverat remigio naves: instructamque & armatam egregie pro magnitudine navium classem habebat. & tum forte sub idem fere tempus & venti vis omnis cecidit, & hostes in conspectu fuere: [5] ut ad componenda armamenta, expediendumque remigem ac militem ad imminens certamen satis temporis esset. Raro alias tantis animis justæ concurrerunt classes: quippe quum [a] in majoris discrimen rei, quam ipsæ erant, pugnarent. Tarentini, ut recuperata urbe ab Romanis [6] post centesimum prope annum, arcem

INTERPRETATIO.

a *Quòd certarent de servanda vel capienda arce Tarentinâ, quæ res majoris erat momenti, quàm ipsæ classes.*

NOTÆ.

1. *Rhegii stabat.*] De hoc Rhegio Brutiorum, deque Pæsto Lucanorum; dictum alibi.

2. *A Velia.*] *Velia,* quæ & *Helia* Lucaniæ maritimum oppidum inter Pæstum & Buxentum fuit: hod. *Castell' à mare della Brucca.*

3. *Classem viginti navium.*] Imò triginta, si manuscriptis fides. Quam classem effecerat hic Quintius additis, ad octo naves sibi à Marcello traditas, aliis Octodecim, quas à vicinis eo tractu sociis Romanorum exegerat, qui ad certum navigiorum numerum Romanis suppeditandum tenebantur ex fœdere cum ipsis inito.

4. *Ad Sacriportum.*] Ejus quidem nominis locus in Latio apud Præneste memoratur Appiano, ubi oppressus est Marius. Sed hic maritimus fuit locus, & verè portus, haud procul Metaponto & Bradani ostio, in Tarentinorum & Lucaniæ confinio, uti ex Livii narratione colligitur, qui xv. millibus ab urbe ponit, nempe à Tarento.

5. *Ut.... satis temporis esset.*] Gall. *En sorte qu'il y eust justement assez de temps, &c.* Sigon. ex vet. lib. additâ voce, scribi vult *vix satis temporis esset,* quam usitatiorem loquendi formam nemo negaverit.

6. *Post centesimum propè annum.*] Si numeres à Consulatu C. Fabricii secundo, & Q. Æmilii etiam secundo, id est, an. urbis 475. quo de Lucanis, Brutiis, Tarentinis Fabricius triumphavit: fient anni 68. Si cum Sigonio à L. Papirii Cursoris, & Sp. Carvilii secundo consulatu, quo arx &

Vrb. Cond. ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino II.

etiam liberarent;[7] spe commeatus quoque hostibus, si navali prælio possessionem maris ademissent, interclusuri: Romani, ut, retenta possessione arcis, ostenderent, non vi aut virtute, sed proditione ac furto, Tarentum amissum. Itaque ex utraque parte signo dato quum rostris concurrissent,[8] neque retro navem inhiberent,[b] nec dirimi ab se hostem paterentur, quam quis indeptus navem erat, ferrea injecta manu; ita conserebant ex propinquo pugnam, ut non missilibus tantum, sed gladiis etiam [9] prope collato pede gereretur res. Proræ inter se junctæ hærebant, [10] puppes alieno remigio circumagebantur. ita in arcto stipatæ erant naves, ut vix ullum telum in mari vanum intercideret. frontibus velut pedestris acies urgebant:[c] perviæque naves pugnantibus erant. Insignis tamen inter cæteras pugna fuit duarum, quæ primæ agminis concurrerant inter se. In Romana nave ipse Quintius erat, in Tarentina Nico, cui *Perconi* fuit cognomen, non publico modo, sed privato etiam odio invisus atque infestus Romanis: quod ejus factionis erat, quæ Tarentum Annibali prodiderat. Hic Quintium simul pugnantem hortantemque suos, incautum hasta transfigit. [11] ille atque præceps cum armis procidit ante proram. vi-

INTERPRETATIO.

b *Injecto harpagone in hostilem navem, quam quisque assequi atque apprehendere potuerat: non sinebant hostes ab se distrahi atque avelli.*

c *Et ex una in alteram navim patebat certantibus aditus.*

NOTÆ.

urbs Tarentina in Romanorum venit potestatem, anno urbis 481. existent anni dumtaxat 62.

7. *Spe commeatus quoque .... interclusuri.*] Plana satis hujus loci sententia, acriter pugnasse Tarentinos, animo non commeatum modo, sed spem ipsam commeatus intercludendi hostibus, si eis possessionem maris ademissent navali prælio victis. Quoniam tamen Put. aliique scripti habent *interclusuros*, legit Gronov. *spe* non *spem*, ut sensus sit, eosdem Tarentinos ad pugnam animatos *spe concepta* fore ut si victores extitissent, Romanorum commeatus intercluderent. Verùm præstat meo judicio prior sententia.

8. *Neque retro navem inhiberent.*] Hic ferè mos navalium præliorum fuit, ut post primum concursum naves invicem recederent, iterùm impetu majori reversuræ. *Inhibendi* autem verbo uti Livium, pro eo quod est agere, atque *impellere*, jam anteà est annotatum. Erit ergo neque *retrò inhiberent*, idem quod non retro agerent.

9. *Prope collato pede gereretur res.*] Plerique scripti habent; *collato pede quereretur.* Gron. ex Put. ubi scriptum, *quereretur res*, conjicit *gereretur res*. Vulgò legitur, *propè collato pede præliarentur*. Quod cæteris facilius, si Codicis alicujus testimonio nitatur.

10. *Puppes alieno remigio circumagebantur.*] Cum enim cohærerent inter se naves, necesse erat ut cujus validiores erant remiges, cum ea hostilis quoque circumageretur.

11. *Ille atque præceps, &c.*] Hic *atque* sumitur pro *statim* vel *continuò* ut observat A. Gell. lib. 10. cap. ult. adducto loco Virgilii, 1. Georg.

—— *Si brachia fortè remisit,*
Atque in illum præceps prono rapit alveus amni.

Cæterùm si vulgarem editionem sequamur, proclivior erit intellectus; sic enim habet, *ille simul atque præceps cum armis procidit ante proram; victor Tarentinus*, &c.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino II.

ctor Tarentinus in turbatam duce amisso navem impigre transgressus, quum summovisset hostes, & prora jam Tarentinorum esset, puppim male conglobati tuerentur Romani; repente & alia à puppi triremis hostium apparuit. Ita in medio circumventa Romana navis capitur. hinc cæteris terror injectus, ut prætoriam navem captam videre: fugientesque passim, aliæ in alto mersæ, aliæ in terram remis abreptæ, mox prædæ fuere Thurinis Metapontinisque. [12] ex onerariis, quæ cum commeatu sequebantur, perpaucæ in potestatem hostium venere: aliæ ad incertos ventos hinc atque illinc [13] obliqua transferentes vela, in altum evectæ sunt. Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res gesta; nam ad quatuor millia hominum frumentatum egressa, quum in agris passim vagarentur; Livius, qui arci præsidioque Romano præerat, intentus in omnes occasiones gerendæ rei, C. Persium, impigrum virum, cum duobus millibus armatorum ex arce emisit. qui vage effusos per agros palatosque adortus, quum diu passim cecidisset, paucos ex multis trepida fuga incidentes semiapertis portarum foribus, in urbem compulit: [14] ne urbs eodem impetu caperetur. Ita æquatæ res ad Tarentum; Romanis victoribus terra, Tarentinis mari, frumenti spes, quæ in oculis fuerat, utrosque frustrata pariter.

XL. Per idem tempus Lævinus Consul jam magna parte anni circumacta, in Sicilia veteribus novisque sociis expectatus, quum venisset, primum ac potissimum omnium ratus, [1] Syracusis nova pace inconditas componere res. [2] Agrigentum inde, (quod belli reliquum erat, tenebaturque à Carthaginiensium valido præsidio) duxit legiones. & affuit fortuna incœpto. Hanno erat imperator Carthaginiensium, sed omnem [3] in Mutine Numidisque spem repositam habebat. Per totam Siciliam vagus prædas agebat ex sociis Romanorum: neque intercludi ab Agrigento vi aut arte ulla, nec quin erumperet ubi vellet, prohiberi poterat. Hæc ejus gloria quia jam imperatoris quoque famæ officiebat, postremo in invidiam vertit: [a] ut ne bene gestæ quidem res jam Han-

INTERPRETATIO.

a *Ita ut Hanno haud multùm rebus etiam feliciter gestis lætaretur*, quæ ipsi non placebant, eo *quod earum auctor esset Mutines*.

NOTÆ.

12. *Ex onerariis*.] *Naves onerariæ* dicuntur, quæ commeatui aliisque oneribus ferendis destinatæ sunt, opponunturque armatis. Gall. illæ *Vaisseaux de charge*: hæ *vaisseaux de guerre*.

13. *Obliqua transferentes vela*.] In tempestate colliguntur vela ad obliquum cursum, ne recta adversum ventum incurrens navis mergatur. 5. Æn. *Obliquatque sinus in ventum*. Gall. *aller à la bouline*.

14. *Ne urbs eodem impetu caperetur*.] Hæc non ad proxima referri debent, sed ad superiora, *semiapertis portarum foribus*: ideo scilicet *semiapertis*, *ne urbs eodem impetu caperetur*: quod rectè vidit Tan. Faber.

1. *Syracusis nova pace inconditas componere res*.] Vulgò *Syracusanis*. Legendum videtur ex Colb. meliori, *Syracusanas*, nimirùm *res*.

2. *Agrigentum*.) Græcis *Agragas*, ad ostia fluvii cognominis, in ora Siciliæ meridionali, totius insulæ quondam amplissima urbs, nunc vulgò *Gergenti*.

3. *In Mutine Numidisque spem repositam habebant*.] Vulgò *habebat*; sed & noni

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Cl. Marcello iv. & M. Val. Lævino.

noni propter auctorem satis lætæ essent. propter quæ postremo præfecturam ejus filio suo dedit, ratus, cum imperio auctoritatem quoque ei inter Numidas erepturum. quod longe aliter evenit. [b] Nam veterem favorem ejus suâ insuper invidiâ auxit. neque ille indignitatem injuriæ tulit: confestimque ad Lævinum occultos nuncios misit de tradendo Agrigento. Per quos ut est facta fides, compositusque rei gerendæ modus, portam ad mare ferentem Numidæ quum occupassent, pulsis inde custodibus, aut cæsis, Romanos ad idipsum missos in urbem acceperunt. & quum agmine jam in media urbis ac forum magno tumultu iretur, ratus Hanno non alind quam tumultum ac secessionem (id quod & ante acciderat) Numidarum esse, ad comprimendam seditionem processit. atque ille, quum ei multitudo major, quam Numidarum procul visa, & clamor Romanus haudquaquam ignotus ad aures accidisset, prius quam ad ictum teli veniret, capessit fugam per aversam portam emissus, assumpto comite Epicyde, cum paucis ad mare pervenit: nactique opportune parvum navigium, relicta hostibus Sicilia (de qua per tot annos certatum erat) in Africam trajecerunt. alia multitudo Pœnorum, Siculorumque, ne tentato quidem certamine, quum cæci in fugam ruerent, clausique exitus essent, circa portas cæsa. Oppido recepto Lævinus, [c] qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit: cæteros prædamque vendidit. omnem pecuniam Romam misit. Fama Agrigentinorum cladis, Siciliam quum pervasisset, omnia repente ad Romanos inclinaverunt. Prodita brevi sunt viginti oppida: sex vi capta: voluntariâ deditione in fidem venerunt ad quadraginta, quarum [4] civitatium principibus quum pro cujusque merito consul [5] præmia pœnasque exsolvisset, coëgissetque Siculos positis tandem armis, ad agrum colendum animos convertere, ut esset non incolarum modo alimentis frugifera insula, sed urbis Romæ, atque Italiæ (id quod multis sæpe tempestatibus fecerat) annonam levaret; [6] ab Agathyrna inconditam multitudi-

INTERPRETATIO.

b *Etenim malevolentiâ suâ gratiam, quam antea consecutus* apud Pœnos Mutines *erat, mirum* in modum adauxit.

c *Primariis civibus, qui supra reliquos eminebant.*

NOTÆ.

ratio Gronovii, & liber Colb. volunt reponi in numero plurali, *habebant*, nimirùm Carthaginienses, non Hanno: qui si spem omnem in Mutine repositam habuisset, eum non fuisset irritaturus ablatâ præfecturâ.

4. *Civitatium.*] Perinde dicitur ac *civitatum*, quemadmodum, *ætatium*, pro *ætatum* apud Cic. de Legibus, quibus alia ubique similia.

5. *Præmia pœnasque.*] Regius & Put. & Colbertinorum melior habent, *pretia pœnasque*. & Liv. lib. 5. *pretium* sumpsit in utramque partem, *cùm & rectè & perperam facto pretium deberetur*.

6. *Ab Agathyrna.*] *Agathyrsum* Strabo & Plinius appellant, *Agathyrium* Ptolemæus. Fuit oppidum in ora Siciliæ boreali, inter Halesam & Tyndarium, cujus rudera juxta *S. Marco*, sub Promontorio, cui nunc nomen *Capo d'Orlando*, in Valle *di Demona*.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

nem secum in Italiam transvexit. quatuor millia hominum erant mixti ex omni colluvione, exules, obærati, capitalia ausi plerique, 7 & quum in civitatibus suis ac sub legibus vixerant, & postquam eos ex variis caussis fortuna similis conglobaverat, Agathyrnæ per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam. hos neque relinquere Lævinus in insula, tum primum nova pace coalescente, velut materiam novandis rebus, satis tutum ratus est: & Rheginis usui futuri erant ad populandum Brutium agrum, assuetam latrociniis quæstibus manum, Et quod ad Siciliã attinet d eo anno debellatum est.

XLI. In Hispania principio veris P. Scipio a navibus deductis, evocatisque edicto Tarraconem sociorum auxiliis, classem onerariasque ostium inde Iberi fluminis petere jubet. Eodem legiones ex hibernis convenire quum jussisset, ipse cum quinque millibus sociorum ab Tarracone profectus ad exercitum est. quum venisset, alloquendos maxime veteres milites, qui tantis superfuerant cladibus, ratus, concione advocata ita disseruit: *Nemo ante me novus imperator militibus suis, prius quam operâ eorum usus esset, gratias agere jure ac merito potuit. Me vobis, priusquam provinciam aut castra viderem, obligavit fortuna: primùm, quod ea pietate 1 erga patrem patruumq; meum vivos mortuosque fuistis: deinde, quod amissam tanta clade provinciæ possessionem, integram, & populo Romano, & successori mihi, virtute vestra obtinuistis. Sed quum jam benignitate Deûm id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant; nec ut pro ripa Iberi stantes 2 arceamus transitum hostis, sed ut ultro transeamus, transferamusque bellum; vereor ne cui vestrum majus id audaciusque consilium, quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro ætate mea videatur. Adversæ pugnæ in Hispania, nullius in animo, quam meo, minus oblitterari possunt. Quippe cui pater & patruus intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. Sed ut familiaris pœne orbitas ac solitudo frangit animum; ita publica quum fortuna tum virtus, desperare de summa rerum prohibet; 3 ea fa-*

INTERPRETATIO.

d *Finitum est eo anno bellum.*

a *Adductis in portum ex armamentario navigiis.*

NOTÆ.

7. *Et quum in civitatibus suis.*] Refer ad superiora. Sensus enim, opinor, hic est: hos homines capitalia crimina patrasse & seorsim, eo tempore quo in civitatibus quisque suis degebant; & conjunctim postquam patria pulsi fortuitò convenerant.

1. *Erga patrem patruumque meum.*] Pub. Cornelium Scipionem patrem, Cn. patruum, qui defectione sociorum à Pœnis misere cæsi, suprà lib. 25. c. 34. & 36.

2. *Arceamus transitum hostis.*] Elegantiùs ex Cantabr. Cod. Jac. Gron. *Arceamus transitu hostem.*

3. *Ea fato quodam data nobis sors est.*] *Nobis* nempe Romanis. Hæc fortè vera lectio eruta à Gronovio ex Put. ubi *nata*, quod ferri posset: melius tamen videtur, *data*; ut apud Virg. 1. Æneid. *Hæc mihi so te datum*, & apud nostrum, lib. 3. *Data fato etiam quodam Furiis genti Gallica bella*:

to quodam data nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites: à Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? [4] Jam quid hoc bello memorem? Omnibus aut ipse affui cladibus, aut [5] quibus absui, maxime unus omnium eas sensi. Trebia, Trasimenus, Cannæ, quid aliud sunt, quam monumenta occisorum exercituum, consulumque Romanorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliæ majoris partis, Sardiniæ. Adde ultimum terrorem ac pavorem, castra Punica inter Anienem & mœnia Romana posita: & visum prope in portis victorem Annibalem. In hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus populi Romani. Hæc, omnia strata humi erexit ac sustulit. Vos omnium primi, milites, post Cannensem cladem vadenti Asdrubali ad Alpes Italiamque, qui si se cum fratre conjunxisset, nullum jam nomen esset populi Romani, ductu auspicioque patris mei obstitistis. & hæ secundæ res illas adversas sustinuerunt. Nunc, benignitate Deûm, omnia secunda, prospera, in dies lætiora ac meliora in Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia, Syracusæ Agrigentumque captum. pulsi tota insula hostes, [6] receptaque provincia in ditione populi Romani est. In Italia Arpi recepti, Capua capta. Iter omne ab urbe Roma trepidâ fugâ emensus Annibal, in extremum angulum agri Brutii compulsus; nihil jam majus precatur Deos, quam ut incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat. Quid igitur minus conveniat, milites, quam quum aliæ super alias clades cumularentur, ac Dii prope ipsi cum Annibale starent, vos hic cum parentibus meis ([7] æquentur enim etiam honore nominis) sustinuisse labantem fortunam populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætaque sunt, animis deficere? Nuper quoque quæ acciderunt, [8] utinam tam sine meo luctu, quam vestro, transissent? Nunc Dii immortales imperii Romani præsides, qui centuriis omnibus, ut mihi imperium juberent dari, fuere auctores; iidem auguriis auspiciisque & [9] per nocturnos etiam visus omnia læta ac prospera portendunt. Animus quoque meus, maximus mihi ad

Urb. cond. ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

N O T Æ.

4. *Jam quid hoc bello memorem?*] Sic scripti quos vidi: & sensus est quid gestum hoc bello memorem? Minùs elegantiæ habet, illud Sigonii, *quid hoc de bello memorē?*

5. *Quibus absui.*] Clades Hispanicas intelligit, ubi pater patruusque ipsius occubuerant, cū ille in exercitibus Italicis esset Nam & apud Trebiam patrem vulneratum admodum adolescens corpore suo protexisse dicitur, l. 21. c. 46. Quod & Polyb. affirmat lib. 10.

6. *Receptaq; provincia in ditione populi Romani est.*] Variant libri: meliores *in ditione*, plerīq; habent *in ditionem*; utrunque in eundem sensum: quid enim quantùm ad sententiam, distant *provincia recepta*, seu reducta *est in ditionem*; & *provincia recepta*, id est, recuperata, *in ditione est*? hoc ego malim.

7. *Æquentur enim etiam honore nominis.*] Patruus cum patre.

8 *Utinam tam sine meo luctu quàm vestro transissent.*] Ipse Scipio patrem ac patruum cæsos lugebat: milites exercitûs quem alloquebatur, incolumes, & cæsis ducibus magnaq; parte commilitonum, ipsi tamen victores.

9. *Per nocturnos etiam visus.*] Se à Neptuno in quiete monitum, ut Carthaginē novam invaderet, militibus Scipio affirmavit auctore Polyb. quod & noster indicat extremo cap. 45.

Urb. cond ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino.

hoc tempus vates, præsagit, [10] *nostram Hispaniam esse: brevi extorre hinc omne Punicum nomen, maria terrasque fœda fuga impleturum. Quod mens sua sponte divinat, idem subjicit ratio haud fallax. Vexati ab iis socii nostram fidem per legatos implorant. tres duces discrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis, trifariam exercitum in diversissimas regiones distraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quæ nuper nos afflixit. nam & deseruntur ab sociis, ut prius ab Celtiberis nos: & diduxere exercitus; quæ patri, patruoque meo caussa exitii fuit. Nec discordia intestina coire eos in unum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt. Vos modo, milites, favete nomini Scipionum, soboli imperatorum vestrorum,* [11] *velut accisis recrescenti stirpibus. Agite milites veteres, novum exercitum, novumque ducem* [b] *traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe à vobis peragratas. Brevi faciam, ut quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultusque, & lineamenta corporis; ita ingenii, fidei, virtutisque exemplum, expressam ad effigiem vobis, reddam, ut revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat.*

XLII. Hac oratione accensis militum animis, relicto ad præsidium [1] regionis ejus M. Silano cum tribus millibus peditum, [2] & trecentis equitibus, cæteras omnes copias (erant autem viginti quinque millia peditum, duo millia & quingenti equites) Iberum trajecit. Ibi quibusdam suadentibus, ut quoniam [3] in tres tam diversas regiones discessissent Punici exercitus, proximum aggrederetur; periculum esse ratus, [a] ne eo facto in unum omnes contraheret, nec par esset unus tot exercitibus, [4] Carthaginem Novam interim oppugnare statuit: urbem quum ipsam opulentam suis opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam. ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hispaniæ obsides erant. Sitam præterea quum opportune ad trajiciendum in Africam, tum super portum satis amplum quantævis classi, & [5] nescio an unum

INTERPRETATIO.

b *Ducite trans Iberum.*

a *Ne occasionem ipsis daret sese conjungendi.*

NOTÆ.

10. *Nostram Hispaniam esse.*] Præsenti tempore utitur, ut ostendatur & certò & brevi Romanorum futuram Hispaniam.

11. *Velut accisis recrescenti stirpibus.*] Methaphora ab arboribus ducta.

1. *Regionis ejus.*] Cosetanorum, vicinorumque circa Iberi ostia populorum, ubi hodie Archiepiscop. Tarraconensis.

2. *Et trecentis equitibus.*] Quingentos Polyb. numerat.

3. *In tres tam diversas regiones.*] Asdrubal Amilcaris filius circa Saguntum, *dans le Royaume de Valence*: Mago supra Castulonensem saltum, *sur la frontiere de la Castille nouvelle, & du Royaume de Murcie*: Asdrubal Gisgonis ad Gades, *vers l'extremité de l'Andalousie Meridionale.* Alibi eos locat Polybius, & longiùs adhuc ab Ibero.

4. *Carthaginem novam.*] *Cartagena*, in regno Murciæ: de qua suprà, XXI.5.

5. *Nescio an unum.*] Intelligi potest de portu Carthaginis novæ, qui adhuc capacissimus habetur in Mediterraneo mari: nec alia est Polybii mens cum lib. 10. ait hanc urbem in Hispania solam esse ([illegible]) quæ portus haberet classi & navalibus copiis accommodatos, &c.

in Hispaniæ ora, qua nostro adjacet mari. Nemo omnium quo iretur sciebat, præter C. Lælium. is classe circummissus, ita moderari cursum navium jussus erat, ut eodem tempore [6] exercitus ostenderetur, & classis portum intraret. Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum est. simul terra marique castra ab regione urbis, qua in Septentrionem versa est, posita: [7] his ab tergo (nam frons naturâ tuta erat) vallum objectum. Cæterum sita Carthago sic est: Sinus est maris media fere Hispaniæ ora, [8] maxime Africo vento oppositus, & [9] quingentos passus introrsus retractus, paululo plus passuum in latitudinem patens. hujus in ostio sinûs [10] parva insula objecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præterqam Africo, tutum facit. ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est; ab ortu solis & à meridie cincta mari: ab occasu stagnum claudit, paulum

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino. III.

N O T Æ.

6. *Exercitus ostenderetur.*] Ita legendum ex Palat. Nam si Petav. & Colb. sequamur, ubi *eodem tempore exercitus ostenderet;* interserendum erit pronomen *se*. Rhenanus sensum quidem explicuit, sed non Livianis verbis, cum scripsit, *eodem tempore Scipio à terra exercitum ostenderet*. Illa enim *Scipio à terra*, subdititia sunt. *Exercitum* autem dicit Livius pro terrestribus copiis, & alibi quoque classi opponit; ut lib. 32. *cum magnis classibus exercitibusque mare trajecerunt*.

7. *His ab tergo (nam frons naturâ tuta erat) vallum objectum.*] Quæ sit hujus loci sententia ex Polybio patet, qui ait Scipionem ad Septentrionalem urbis partem castrametatum: exteriùs quidem (κατὰ μὲν τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν, duplici aggere & fossâ à mari ad mare castra cinxisse: at, interiora in civitatem versa, sine vallo reliquisse, quòd ipsa loci natura satis ei securitatis præberet, ob stagnum, scilicet quo clauditur Carthago, colle haud ita magno continenti commissa. Igitur *tergum* nostro exteriorem castrorum partem significat, *frons* propiorem urbi, & obsessis obversam.

8. *Maximè Africo.*] Medius hic ventus inter Solem Occidentem & Meridiem: Nautis in Mediterraneo mari, *Garbino*, aut *Lebecce*, in Oceano *Sudvvest*. Latinis Africus, quòd ab Africa seu Carthagine spiret. Vide Gell. 2. 22.

9. *Quingentos passus introrsus retractus.*] Polyb. (quem ferè sequitur noster), aliter hæc spatio metitur: ait enim τὸ βάθος, quod plerunque profunditatem, hic intimum recessum, seu longitudinem significat, esse quasi viginti stadiorum, hoc est, passuum duorum millium supra quingentos; τὸ πλάτος latitudinem ἐν ταῖς ἀρχαῖς, circa ostium nimirum portus, sive sinus, stadiorum fermè decem, hoc est, passuum mille ducentorum, & quinquaginta, dimidium nempe superioris numeri.

10. *Parva Insula.*] Adeo parva ut leucæ unius ambitu terminetur. *Scombrariam* vocarunt à Scombrorum piscatione, vulgò *Escombrera*. Ortum versus est Scombraria promontorium, nunc *Cabo de Palos*: distat hæc Insula stadiis 24. ab nova Carthagine, Auctore Strab. Totum hunc portum ita Polyb. describit, ut videatur Virg. illum cogitasse Æn. 1. quamvis ad Carthaginem Africæ depingat.

Est in secessu longo locus: Insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent, &c.

Sunt tamen quibus Homeri locum 13. Odysseæ, hic imitatus credatur Maro,

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcell. IV. & M. Valer. Lævino. II.

& ad septentrionem fusum; incertæ altitudinis [11] utcunque exæstuat aut deficit mare. [12] Continenti urbem jugum ducentos fere & quinquaginta passus patens conjungit. unde quum tam parvi operis munitio esset, non objecit vallum imperator Romanus: seu fiduciam hosti superbe ostentans, sive ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret.

XLIII. Cætera, quæ munienda erant, quum perfecisset, naves etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem, instruxit: circumvectusque classem, cum monuisset præfectos navium, ut vigilias nocturnas intenti servarent; [1] omnia ubique primò obsessum hostem conari: regressus in castra, ut consilii sui rationem, quod ab urbe potissimum oppugnanda bellum orsus esset, militibus ostenderet, & spem potiundæ cohortando faceret; concione advocata ita disseruit; [2] *Ad urbem unam oppugnandum, si quis vos adductos credit; is magis operis vestri, quam emolumenti* [a] *rationem exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim vere mœnia unius urbis sed in una urbe universam ceperitis Hispaniam. Hìc sunt obsides omnium nobilium regum populorumque: qui simul in potestate vestra erunt, extemplo omnia, quæ nunc sub Carthaginiensibus sunt, in ditionem tradent. Hìc pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt: (quippe qui mercenarios exercitus alunt): & quæ nobis maximo usui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hìc tormenta, arma, armamenta, & omnis apparatus belli est;* [b] *qui simul & vos instruet, & hostes nudabit. Potiemur præterea quum pulcherrima opulentissimaque urbe, tum opportunissima portu egregio: unde terra marique, quæ belli usûs poscunt, suppeditentur. quæ quum magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo majora. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est.* [3] *Huc rectus*

INTERPRETATIO.

a *Præsens potiùs opus vestrum, quam omnem ejus utilitatem verè inspicit.*

b *Qui & vos armabit ac muniet, & simul spoliabit hostes,* commodis suis.

NOTÆ.

11. *Utcunque exæstuat aut deficit mare.*] *Utcunque* hic significat *prout*, seu *perinde ut*. Quomodo accipi videtur à Cic. in Oratore, *Utcunque se affectum videri, & animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum:* atque à Plauto in Pœnulo, *Utcunque est ventus, exin velum vertitur*. Acceperat priùs Scipio à piscatoribus stagni hujus naturam, quod lutulentum ubique, plerisque locis vadosum esset; & quod magna ex parte quotidie circa vesperam decresceret. Alia quoque ad rem utilia perscrutatus fuerat.

12. *Continenti urbem jugum, &c. conjungit.*] Polyb. *Isthmum*, & Montem appellat in peninsulæ formam; quem *tumulum* & *jugum* vocat noster, & quo urbs continenti adhæret.

1. *Omnia ubique primo obsessum hostem conari.*] Ideo intentos jusserat esse præfectos navium, quòd obsidionis initio maximi esse consueverunt conatus eorum qui obsidentur.

2. *Ad urbem unam oppugnandum.*] An *ad oppugnandam* legas, parum interest. Quæ sequuntur ex Polybio ferè mutuatus est Liv. nec totam Scipionis apud eum orationem expressit.

3. *Huc rectus ex Africa cursus est.*] Plus quidem est ostentari militibus transitum in Africam, quod vult Pet. ubi

ex Africa cursus est: hæc una inter Pyrenæum & Gades statio: c *hinc omni Hispaniæ imminet Africa. Sed quoniam vos instructos & ordinatos cognosco; ad Carthaginem novam oppugnandam totis viribus & bono animo transeamus.* Quumque omnes una voce, hoc faciendum, succlamarent, eos Carthaginem duxit. tum terra marique eam oppugnari jubet. Urb. Cond. Ann. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

XLIV. Contra Mago Pœnorum dux, quum terra marique instrui oppugnationem videret, & ipse copias ita disponit: Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana erant, opponit: quingentis militibus arcem insedit: quingentos tumulo urbis in orientem verso imponit: multitudinem aliam, 1 quò clamor, quò subita vocasset res, intentam ad omnia occurrere jubet: Patefactâ deinde portâ, eos quos in via ferente ad castra hostium instruxerat, mittit. Romani, duce ipso præcipiente, parumper cessere, ut propiores subsidiis in certamine ipso submittendis essent. a Et primo haud impari stetere acie: subsidia deinde identidem summissa è castris, non averterunt solum in fugam hostes, sed adeo effusis institerunt, ut 2 nisi receptui cecinisset, permixti fugientibus irrupturi fuisse in urbem viderentur. Trepidatio vero non in prælio major, quam tota urbe fuit. 3 multæ stationes pavore atque loca deserta sunt: relictique muri, quum qua cuique erat proximum, desiluissent. 4 Quod ubi obversus Scipio 5 in tumulum, quem Mercurii vocant, animadvertit; multis partibus nu-

INTERPRETATIO.

c *Ex hac velut arce Carthaginienses universa Hispania dominantur*, aut minantur servitutem.

a Obsessi Romanis *initio restiterunt æquali certamine*.

NOTÆ.

scriptum, *Hinc rectus in Africam cursus est*: sed id fortè nimium Romanis, qui vixdum ullius ultra Iberum urbis compotes. Malim igitur vulgarem retinere lectionem; quando nec aliter scripti ferè omnes: satis enim est hoc rerum statu, si spes fiat, captâ hâc urbe, præcludi Pœnis aditum ex Africa in Hispaniam.

1. *Quo clamor, quo subita vocasset res, intentam ad omnia occurrere jubet.*] Correctio Gronovii est, à quo stat melior Colb. nisi quod litera *s* vocis *res* superscripta est. Vulgò legebatur, nec omnino malè, *quò clamor, quò subita vis advocasset, resistentem, &c.*

2. *Nisi receptui cecinisset.*] Scipio ex quo patet ad utros reliqua referenda, Pœnos obsessos, an Romanos obsessores.

3. *Multæ stationes pavore atque loca desertæ sunt.*] Gron. vellet *atque fugâ*. Et rectè conjungerentur *fuga & pavor*, sed receptæ lectioni quam Reg. & Colb. affirmant, stari nihil vetat: non enim omnia loca ubi armati ad defendendos muros, stationes dicuntur. Unde stationes, & loca tanquam diversa disjungi potuerunt.

4. *Quod ubi obversus Scipio in tumulum.*] Ita malim ex Reg. & Colb. uno, aliisque optimis Codicibus, quàm quod Salmasius obtrudit, *egressus*.

5. *In tumulum, quem Mercurii vocant, animadvertit.*] Sic sanè legendum, cum Ruben. vel *quem Mercurium vocant*: non, *quem Mercurium Teutatem appellant, advertit*: quod per conjecturam eruditorum quorumdam, ex vitiosa librorum scriptura natum, qui habent, *Mercurium cantati* (vel *cantanti*, aut *cantant*) *advertit*. Quamvis enim Teutatem pro Mercurio Galli dixerint, cum quibus communia multa habuere à com-

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Laevino.

data defensoribus mœnia esse; omnes è castris excitos ire ad oppugnandam urbem, & ferre scalas, jubet. ipse trium præ se juvenum validorum scutis oppositis (ingens enim jam vis omnis generis telorum è muris volabat) ad urbem succedit: hortatur, imperat quæ in rem sunt: quodque plurimum ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorque virtutis atque ignaviæ cujusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt, neque illos muri, neque superstantes armati arcere queunt, quin certatim ascendant. Et ab navibus eodem tempore ea, quæ mari alluitur, pars urbis oppugnari cœpta est. Cæterum [6] tumultus inde major quam vis, adhiberi poterat. dum applicant, dum partim exponunt scalas militesque, dum qua cuique proximum est, in terram evadere properant; ipsâ festinatione & certamine alii alios impediunt.

XLV. Inter hæc repleverat jam Pœnus armatis muros, & vis magna ex ingenti copia congesta telorum suppeditabat. Sed neque viri, nec tela, nec quicquam aliud æque quam mœnia ipsa sese defendebant. raræ enim scalæ altitudini æquari poterant: & quo quæque altiores, eo infirmiores erant. Itaque [b] quum summus quisque evadere non posset, subirent tamen alii, onere ipso frangebantur. quidam stantibus scalis, quum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt. Et quum passim homines, scalæque ruerent, & ipso successu audacia atque alacritas hostium cresceret, signum receptui datum est: quod spem non præsentis modo ab tanto certamine ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterum dedit: scalis & corona capi urbem non posse: [1] opera & difficilia esse, & tempus datura ad ferendam opem imperatoribus suis. Vix prior tumultus conticuerat, quum Scipio ab defessis jam vulneratisque recentes integrosque alios accipere scalas jubet; & vi majore aggredi urbem. Ipse, ut ei nunciatum est, [c] æstum decedere; quod per piscatores Tarraconenses, nunc levibus cymbis, nunc, [d] ubi eæ siderent, vadis pervagatos stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum

INTERPRETATIO.

a *Et magnus telorum numerus suppetebat* muros tuentibus armatis, *quod ingentem eorum copiam antea congestam haberent in eam rem.*

b *Cùm ii, qui ad supremum cujusque scalæ gradum ascenderant, non possent* inde *in fastigium murorum eniti: & nihilominus alii super alios ascenderent.*

c *Recedere* à muris *fluctus* maris agitati.

d *Iis locis in quibus* cymbæ *subsidebant,* & fundo limoso adhærescebant.

NOTÆ.

muni origine Hispani: attamen nullus hic Teutati locus, sed loco *cantanti*, legendum cum melioribus, *vocant*; quod enim ejus loco subdidere *appellant*, ignotum scriptis.

6. *Tumultus inde major quàm vis adhiberi poterat.*] Non dubito quin, ut Gron. censet, ita scripserit Livius, potiùs quàm aut *haberi*, quod in Regio, aut *videri poterat*, ut vulgo legitur. Idque indicant Colbertinus unus cum Put. in quibus *biberi poterat*, in altero *viberi*.

1. *Opera & difficilia esse, &c.*] Repete è superioribus *spem* (sive opinionem), *obsessis dedit*.

transitum

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

transitum dari; eo secum armatos duxit. [2] Medium ferme diei erat: & ad id quod sua sponte cedente in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam [3] Septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quo æstus ferebat: & adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc cura ac ratione compertum, [4] in prodigium ac Deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis [5] mare verterent, & stagna auferrent, viasque, ante nunquam initas humano vestigio, aperirent; Neptunum jubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno evadere ad mœnia.

XLVI. Ab terra [a] ingens labor succedentibus erat: nec altitudine tantum mœnium impediebantur, sed quod euntes ad ancipites utrinque ictus [1] subjectos habebant Romanos; [b] ut latera infestiora subeuntibus, quam adversa corpora, essent. At parte in alia [2] quingentis, & per stagnum

INTERPRETATIO.

a *Magno periculo* Romani *conflictabantur cum accedebant* ad muros.

b *Ita, ut latera* militum Romanorum *qui muros subibant majori obnoxia essent periculo, quàm ipsa pectora.*

NOTÆ.

2. *Medium fermè diei erat.*] Observatum anteà est ex Polyb. *æstum decedere* stagno solitum sub crepusculum: id nunc paulò ante meridiem factum Livius narrat. Oportet igitur bis singulis diebus accessum ac recessum contigisse: quod in Oceano usitatum ut septenis fermè horis redeat æstus: in Mediterraneo rarius, nec ita statis vicibus.

3. *Septentrio.*] Ventus est ab Arcto sive Ursâ majori flans: unde Græcis ἀπαρκτίας, eademque ratione Latinis à Septentrionibus, seu stellis ex quibus quasi junctis Triones figurantur, id est, boves, (sic rusticorum linguâ dictos à terendo, ut vult Varro) vel potiùs quòd ita sitæ sint, ut ternæ quæque triangulum efficiant. Sidus universum Plaustrum appellatur. Ventus ipse nautis Oceani, *Nort*, Mediterranei *Tramontana*.

4. *In prodigium ac Deos vertens Scipio.*] More suo. Solebat enim, ut proximo cap. diximus, sua omnia prodigio imputare.

5. *Mare verterent, & stagna auferrent.*] Ex libris manu exaratis, alii habent *stagna*, alii *stagnum*, quidam *stagno*. Prima lectio cæteris præstare videtur: tum quod in pluribus sit; magis enim opinor miraculum sonat *stagna auferre*, quam mare stagno auferre.

1. *Subjectos habebant Romanos.*] Valde laborant hoc loco interpretes. Expedita res erit, si verbum *habebant* referamus ad mœnia imposita capiti collis, quo urbs adibatur: participium verò *euntes* ad *Romanos*, qui urbem ea parte invadebant. Mœnia porro intelligere oportet, qualia Hierosolymis tribuit Tacitus histor. lib. 5. erant enim jam tum ejus *muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium utrinque patescerent*: quod nostra ætas imitatur. *Mœnia* itaque *subjectos habebant Romanos euntes* id est, adeuntes Romani mœnibus ejusmodi subjecti erant ad ancipites ictus, sive obnoxii erant ictibus ac telis hinc inde missis: unde nihil est quod cum Gronovio mutemus illud *euntes*, in *tuentes*, ac de obsessis intelligamus. Eo sensu subjectos habere hostes Livius dixit. lib. 7. 34. *Per eandem Vallem, in qua paulò antè subjectum eum telis suis habuerant*: Et 36. 18. *Ita modica altitudo valli erat, ut propter longitudinem hastarum subjectum haberet hostem.*

2. *Quingentis & per stagnum facilis transitus.*] Hac parte obsessis periculosissima fuit aggressio, quandoquidem & improvisa erat; nec munimentis aut militum stationibus firmatus locus, sed incustoditus: quòd stagno satis defendi crederetur. Ad eam igitur invadendam sufficere quingenti milites cum scalis. Pro *quingentis* (quod in Reg. & Put. exstat) malè in aliis *quietus & facilis*.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

facilis tranſitus, & in murum aſcenſus inde fuit. nam neque opere emunitus erat, ut ubi ipſius loci ac ſtagni præſidio ſatis creditum foret; nec ulla armatorum ſtatio, aut cuſtodia oppoſita; intentis omnibus 3 ad opem eò ferendam, unde periculum oſtendebatur. Ubi urbem ſine certamine intravere, pergunt inde quanto maximo curſu poterant, ad eam portam, circa quam omne contractum certamen erat. in quod adeò intenti omnium non animi ſolum fuere, ſed etiam oculi aureſque pugnantium, ſpectantiumque, & adhortantium pugnantes; ut nemo ante ab tergo ſenſerit captam urbem, quam tela in averſos inciderunt, 4 & utrinque ancipitem hoſtem habebant. tunc turbatis defenſoribus metu, & mœnia capta, & porta intus foriſque pariter refringi cœpta: & mox 5 cædendo confractis, ac diſtractis c ne iter impediretur foribus, armati impetum fecerunt. 6 Magna multitudo & muros tranſcendebat: ſed hi paſſim ad cædem oppidanorum verſi. illa, quæ portam ingreſſa erat, juſta acies, 7 cum ducibus, cum ordinibus, media urbe in forum proceſſit. Inde quum duobus itineribus fugientes videret hoſtes, alios ad tumulum in orientem verſum, qui tenebatur quingentorum militum præſidio; alios in arcem, in quam & ipſe Mago cum omnibus fere armatis, qui muris pulſi fuerant, refugerat; 8 partem copiarum ad tumulum expugnandum mittit: partem ipſe ad arcem ducit. & tumulus primo impetu eſt captus; & Mago arcem conatus defendere, quum omnia hoſtium plena videret, neque ſpem ullam eſſe; ſe arcemque & præſidium dedidit. Quoad dedita arx eſt, & cædes totâ urbe paſſim factæ: nec ulli puberum, qui obvius fuit, parcebatur. tum, ſigno dato, cædibus finis factus. ad prædam victores verſi, quæ ingens omnis generis fuit.

INTERPRETATIO.

c *Ut ſine impedimento ingredi poſſent*, qui adhuc foris erant.

NOTÆ.

3. *Ad opem eò ferendam.*] Abeſt à veteribus Libris τὸ *eò*, inſertum à Rhenano, majoris perſpicuitatis cauſâ; neque enim neceſſarium eſt.

4. *Et utrinque ancipitem hoſtem habebant.*] Fallor, aut pendet hoc membrum è proximè ſuperiori: unde repetendum vocabulum, *antequàm*: & *habebant*, pro *habuerunt*, vel *haberent*. Hoſtem verò *ancipitem* dicit Romanos, quorum qui ſcalis aſcenderant muros, jam à tergo; qui effringebant portam, à fronte urgebant.

5. *Cædendo confractis, ac diſtractis, ne iter impediretur, foribus.*] Ita Sigon. Probat tamen Gronov. Regii, Puteani, aliorumque lectionem, *cædendo confectis ac diſtractis, ne iter impediretur, foribus*: niſi *diſtractis* malis *diſtrattis*. Verùm *confectas fores* haud ſatis placent: quòd ſi *confectos*, ac *diſtractos* propugnatores intelligamus; nihil ſupererit quo regatur nomen *foribus*. Colb. alter pro *foribus*, habet *fortibus*, quaſi vellet auctor Romanos, velut cedendo fortioribus defenſorum, qui jam quoque labore confecti, illos huc illuc diſtraxiſſe, ut ipſi in urbem penetrarent, impetu in eos qui nondum pugnaverant facto.

6. *Magna multitudo.*] Romanorum.

7. *Cum ducibus, cum ordinibus.*] Servatis ordinibus, voluit, opinor, dicere, ut inſtructa acies maneret, in hoc etiam per urbem captam inceſſu.

8. *Partem copiarum.*] Licèt ſcripti plerique *partim* habeant, perſpicua tamen lectio vulgaris, *partem*: quod ſervat Regius unus.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

XLVII. Liberorum capitum 1 virilis sexus ad decem millia capta. inde 2 qui cives Novæ Carthaginis erant, dimisit: urbemque, & sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant, eos publicos fore populi Romani edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixe operam navassent. Cæteram multitudinem incolarum juvenum, ac validorum servorum, in classem ad supplementum remigum dedit. & auxerat 2 navibus octo captivis classem. Extra hanc multitudinem, Hispanorum obsides erant: quorum perinde, ac si sociorum liberi essent, cura habita. Captus & apparatus ingens belli, 3 catapultæ maximæ formæ centum viginti; minores ducentæ octoginta & una: ballistæ majores viginti tres, minores quinquaginta duæ: scorpionum majorum minorumque, & armorum telorumque, ingens numerus: signa militaria septuaginta quatuor. Et auri argentique relata ad imperatorem magna vis: pateræ aureæ fuerunt CCLXXVI. libras ferme omnes pondo: argenti facti signatique 4 decem & octo millia & ccc pondo: vasorum argenteorum magnus numerus. Hæc omnia C. Flaminio quæstori appensa adnumerataque sunt. tritici 5 quadraginta millia modiûm, hordei ducenta septuaginta. Naves onerariæ CXIII. in portu expugnatæ, captæque: quædam cum suis oneribus, frumento, armis, ære præterea, ferroque, linteis, & sparto, & navali alia materia ad classem

INTERPRETATIO.

2 Captivorum è numero eos liberavit, qui cives erant Carthaginis novæ.

NOTÆ.

1. *Virilis sexûs.*] Reg. scribit *Virile sexûs.* Put. *Virile secus.* Menat. *Virilis secus.* Cujus nominis usum eruditè observat probatque pluribus Gron. ex veteribus optimis scriptoribus apud Gell. ex Sallustio, Tacito, Ammiano Marcellino; quorum dubia videri posset auctoritas, variante plerisque locis scriptura: non ita Ausonii, apud quem mensura carminis nomen *secus* exigit. *Juno Ceres, & Vesta, secus muliebre, sorores.* Et: *Nota Caledoniis nuribus, muliebre secus, strix.* Sive hoc neutrius generis nomen sumatur in nominandi casu per appositionem, pro *muliebris sexus*; sive in accusativo, (qui tamen ablativi loco sit) pro *muliebrem sexum* ut cum Græcorum more dicimus *os humerosque Deo similis*, pro eo quod est *ore humerisque Deo similis*: sed hæc in gignendi casum resolvuntur, quasi dicas *sorores sexus muliebris*, strix *muliebris sexus*. At *virile ac muliebre secus*, non absolutè dicuntur, sed vel utramque, vel alterum adjuncto, aut intellecto altero, pro *virilis ac muliebris sexus*.

2. *Navibus octo captivis.*] Apparet tamen ex Polybio captas fuisse octodecim Carthaginientium naves.

3. *Catapultæ maximæ formæ.*] Sigon. *Catapultæ maximæ fermè centum viginti.*

4. *Decem & octo millia & trecenta pondo.*] Æquaverit hæc summa sexcenta & sexaginta fermè librarum Francicarum millia: pondus argenti haud multum excesserit quatuor & viginti millia marcarum.

5. *Quadraginta millia modiûm.*] Regius & Put. *tritici quadringenta millia modiûm.* Jam observatum est modium Romanorum habuisse libras sex & viginti cum octo unciis. Si unciæ Romanæ nostris responderent, parum distaret modius à duodecima Sextarii majoris seu Parisiensis parte, quam vocamus *un boisseau*. Hæc quippè mensura frumenti libras circiter viginti Parisienses continet, quarum singulæ sedecim sunt unciarum nostrarum.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

ædificandam: ut minimum omnium, [6] inter tantas opes belli captas, Carthago ipsa fuerit.

XLVIII. Eo die Scipio C. Lælio cum sociis navalibus urbem custodire jusso, ipse in castra legiones reduxit: fessosque milites omnibus uno die belli operibus (quippe qui & in acie dimicassent, & in capienda urbe tantum laboris periculique adissent, & captâ, cum iis qui in arcem confugerant, iniquo etiam loco pugnassent) curare corpora jussit. Postero die militibus navalibusque sociis convocatis, primum Diis immortalibus laudesque & grates egit, qui se non urbis solum opulentissimæ omnium in Hispania uno die compotem fecissent; sed ante eò congessissent omnis penè Africæ atque Hispaniæ opes: ut neque hostibus quicquam relinqueretur, & sibi ac suis [a] omnia superessent. Militum deinde virtutem collaudavit, quod eos non eruptio hostium, non altitudo mœnium, non inexplorata stagni vada, non castellum in alto tumulo situm, non munitissima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia, perrumperentque. Itaque quanquam omnibus omnia deberet, præcipuum tamen [1] muralis coronæ decus ejus esse, qui primus murum ascendisset. profiteretur, qui se dignum eo duceret dono. Duo professi sunt. Q. Trebellius centurio legionis quartæ, & Sex. Digitius socius navalis. nec ipsi tam inter se acriter contendebant, quam studia excitaverant [b] uterque sui corporis hominum. Sociis, C. Lælius præfectus classis; legionariis, M. Sempronius Tuditanus aderat. Ea contentio quum prope seditionem veniret, Scipio [2] tres recuperatores quum se daturum pronunciasset, qui cognita caussa testibusque auditis judicarent, uter prior in oppidum transcendisset; C. Lælio, & M. Sempronio [3] advocatis partis utriusque, P. Cornelium Caudinum de medio adjecit: eosque tres recuperatores considere, & causam cognoscere jussit. Quum res eo majore ageretur certamine, [4] quod amoti tantæ digni-

INTERPRETATIO.

a *Cuncta, affatim suppeterent.*

b *Accenderant ambo contentiones hominum ejus ordinis, ex quo quisque ipsorum erat:* militum nempe, alter terrestris, alter navalis exercitus.

NOTÆ.

[6] *Inter tantas opes belli captas.*] Sigon. *Opes bellicas.*

1. *Muralis coronæ decus.*] Ea ex auro erat, pinnis fastigiata.

2. *Tres recuperatores.*] *Reciperatio* erat, ut ait Gallus Ælius apud Festum, *cum inter populum, & reges, nationesque & civitates peregrinas lex convenit quomodo per Reciperatores reddantur res, reciperenturque,* (id est *recuperentur*) *resque privatas inter se persequantur.* Hinc patet quod initio fuerit Recuperatorum munus, quæ nominis eorum origo. Postea generaliter Recuperatores dicti Assessores, sive Judices qui cum magistratu penes quem erat jurisdictio, in provinciis causas dubias disceptabant: sic dicti, quòd per eos suum quisque recuperaret. Vide Teoph. Instit.

3. *Advocatis partis utriusque.*] Jam diximus eos omnes *advocatos* olim dictos qui amico in causâ aderant officii causâ, diversos à patronis qui causam agebant.

4. *Quod amoti.*] Ex Put. est, aliisque veteribus; aliàs *admoti*. Illud rectius vi-

tatis non tam advocati quam moderatores studiorum fuerant; C. Lælius, relicto consilio, ad tribunal ad Scipionem accedit, eumque docet, *rem sine modo ac modestia agi: ac prope esse, ut manus inter se conserant. Cæterum etiamsi vis absit, nihilominus detestabili exemplo rem agi: quippe ubi fraude ac perjurio decus petatur virtutis. Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes Deos paratos jurare magis quæ velint, quam quæ sciant vera esse: & obstringere perjurio non se solum, suumque caput,* [5] *sed signa militaria & aquilas, sacramentique religionem. Hæc se ad eum de sententia P. Cornelii, & M. Sempronii deferre.* Scipio collaudato Lælio, ad concionem advocavit, pronunciavitque, *Se satis compertum habere, Q. Trebellium & Sex. Digitium pariter in murum escendisse: seque eos ambos virtutis caussa coronis muralibus donare.* tum reliquos, [6] prout cuique meritum virtusque erat, donavit. ante omnes C. Lælium præfectum classis, & omni genere laudis sibimetipsi æquavit, & corona aurea ac triginta bubus donavit.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

XLIX. Tum obsides civitatum Hispaniæ vocari jussit: quorum quantus numerus fuerit, piget scribere. quippe quum alibi [1] trecentos fermè, alibi septingentos viginti quinque fuisse inveniam. Æque & alia inter auctores discrepant. Præsidium Punicum alius decem, alius septem, alius haud plusquam duûm millium fuisse scribit. Capta alibi decem millia capitum, alibi supra quinque & viginti invenias. Scorpiones majores minoresque ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Græcum sequar [2] Silenum: si Valerium Antiatem, majorum scorpionum sex millia, minorum tredecim; adeo nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem convenit. plerique Lælium præfuisse classi, sunt qui M. Junium Silanum dicant. Armen præfuisse Punico præsidio, deditumque Romanis, Antias Valerius; Magonem alii scriptores tradunt. Non de numero navium captarum, non de pondere auri atque argenti, [a] & redactæ pecuniæ, convenit.

INTERPRETATIO.

a Non conveniunt etiam auctores de pondere seu numero *pecuniæ quæ* ex manubiis *confecta esset.*

NOTÆ.

detur. Hi enim anteà partium duces, cum initio adessent contendentibus, & alter classiariorum militum, alter legionariorum causam foverent; non tamen ita mordicus adhærebant parti quisque suæ, ut non etiam studia suorum auctoritate suâ temperarent. At nunc judices facti, parti utrique, tanquàm ablatis ducibus, liberam relinquebant inter se acriter concertandi facultatem.

5. *Sed signa militaria & aquilas.*] Juramenta militum apud Aquilas & signa imaginibus Deorum consecrata fiebant.

6. *Prout cuique meritum virtusque erat.*] Veterum alii aliter, Reg. *Cujusque*, Colb. *Cuique.*

1. *Trecentos fermè.*] Hos Hispanorum obsides Polyb. plures facit trecentis, quod paulo majorem numerum indicat, non duplum longè minùs ultra duplum.

2. *Silenum.*] Memoratur hic Græcus rerum Romanarum scriptor Dionysio Halic. lib. 1. quasi qui minùs accuratè, & ex rumoribus magis quàm ex vero historiam composuerit. Calatianum fuisse, deque rebus Siculis scripsisse tradit Athen. lib. 12. Meminit ejus quoque Diog. Laërtius in Anaxagora, & Tzetzes in Lycophronem, ubi ait eum fabulosas historias contexuisse.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello iv. & M. Valerio Lævino ii.

Si aliquibus assentiri necesse est: media simillima veris sunt. Cæterum Scipio, vocatis obsidibus, primum universos bonum animum habere jussit. *Venisse eos in populi Romani potestatem, qui beneficio quam metu obligare homines malit: exterasque gentes fide ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio.* Deinde acceptis nominibus civitatum, recensuit captivos, quot cujusque populi essent; & nuncios domum misit, ut ad suos quisque recipiendos veniret. Si quarum forte civitatum legati aderant, eis præsentibus suos restituit: cæterorum curam b benigne tuendorum C. Flaminio quæstori attribuit. Inter hæc è media turba obsidum mulier magno natu, Mandonii uxor, qui frater Indibilis Ilergetum reguli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit, obtestarique cœpit: *ut curam cultumque fœminarum impensius custodibus commendaret.* quum Scipio, 3 *nihil profecto defuturum*, diceret; tum rursus mulier, *Haud magni ista facimus*, inquit, *quid enim huic fortunæ non satis est? Alia me cura, ætatem harum intuentem (nam ipsa jam extra periculum injuriæ muliebris sum) stimulat.* Ætate & forma florentes circa erant Indibilis filiæ, aliæque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente colebant. Tum Scipio, *Meæ, populique Romani disciplinæ caussa facerem*, inquit, *ne quid, quod sanctum usquam esset, apud nos violaretur. nunc ut id curem impensius, vestra quoque virtus dignitasque facit: quæ ne in malis quidem oblitæ decoris matronalis estis.* Spectatæ deinde integritatis viro tradidit eas, tuerique haud secus verecunde ac modeste, quam hospitum conjuges ac matres jussit.

L. Captiva deinde à militibus adducitur ad eum adulta virgo; adeo eximia forma, ut quacunque incedebat, converteret omnium oculos. 1 Scipio percunctatus patriam parentesque; inter cætera accepit, desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti: 2 Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus sponsoque ab domo accitis, quum interim audiret 3 deperire eum sponsæ amore; ubi primum venit, accuratiore eum sermone quam parentes alloquitur. a *Juvenis*, inquit, *juvenem appello: quo minor sit inter nos hujus sermonis verecundia. Ego, quum sponsa tua capta*

INTERPRETATIO.

b Captivorum *custodiendorũ & liberaliter habendorum munus commisit C. Flaminio.*
a *Alloquor parem ætate.*

NOTÆ.

3. *Nihil profecto defuturum.*] Clarius apud Polyb. per interrogationem, *quid verò necessariorum illis deest?* & illa iterum *non rectè, ô imperator, nostros cepisti sermones. Si existimas nos eorum gratiâ, quæ ad alimenta pertinent tuâ curâ nunc opus habere.*

1. *Scipio percunctatus patriam, parentesque.*] Scribunt Flor. & auctor de Vir. Illustr. vetuisse Scipionem ad se virginem adduci, ne eâ visâ nimiùm exardesceret: aut vel oculis aliquid de virginitatis integritate delibasse videretur. Quod an majoris continentiæ fuerit, quam Alexandri factum Darii filias formâ eximias admittentis ad alloquium, & ab iis abstinentis, quæsitum inter declamatores.

2. *Allucio nomen erat.*] Plutarchus *Lucejum* vocat, alii Indibilem, sed malè opinor.

3. *Deperire eum sponsæ amore.*] Hæc mihi verior videtur loquendi forma, quamvis ut plurimum *deperire* sponsam, vel puellam sponsus aut amasius dicatur.

à militibus nostris, [4] *ad me ducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem; quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, (præsertim recto & legitimo amore) & non respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cujus possum, amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eâdem, qua apud soceros tuos parentesque suos verecundiâ: servata tibi est, ut inviolatum & dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem unam pro eo munere paciscor; amicus populo Romano sis: & si me virum bonum credis esse, quales patrem patruumque meum jam ante hæ gentes norant, scias multos nostri similes in civitate Romana esse: nec ullum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis, aut amicum malis.* Adolescens, simul pudore & gaudio perfusus, dextram Scipionis tenens, Deos omnes invocare ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis pro suo animo [5] atque illius erga se merito, esset. Parentes inde cognatique virginis [b] appellati. qui quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus; orare Scipionem, *ut id ab se donum acciperet*, cœperunt: *haud minorem ejus rei apud se gratiam futuram esse*, affirmantes, *quam redditæ inviolatæ foret virginis*. Scipio, quando tanto opere peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes jussit: vocatoque ad se Allucio, *Super dotem*, inquit, *quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent*; aurumque tollere, ac sibi habere jussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum, implevit populares laudibus meritis Scipioni: *Venisse Diis simillimum juvenem; vincentem omnia, quum armis, tum benignitate ac beneficiis*. Itaque delectu clientium habito, cum delectis mille & quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem revertit.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino II.

LI. Scipio retentum secum Lælium, dum [1] captivos obsidesque & prædam ex consilio ejus disponeret; satis omnibus compositis, data quinquereme, captivisque Magone, & [2] quindecim fere senatoribus, qui simul cum eo capti erant, in navem impositis; [3] nuncium victoriȩ Romam mittit. ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercendis navalibus pedestribusque copiis absumpsit. Primo die legiones in armis quatuor

INTERPRETATIO.

b *Compellati.*

NOTÆ.

4. *Ad me ducta esset.*] Ita rectè in manuscriptis. Nam *deducta* (quod vulgò legitur) licet de sponsa ad maritum dici soleat, sæpe tamen in malam partem usurpatur de amica ad amantem, ut apud Cic. *Tertia deducta*. Non abs re itaque alio potiùs verbo, nec ambiguo utendum hic Scipioni Sponsum Virginis alloquente fuisse videtur.

5. *Atque illius erga se merito.*] Illud *merito* dedit Rhe. quod deest in omnibus scriptis. Et verò nihil ad sensum desideratur: etenim vox *animo* repetenda, quasi dicat *pro suo animo* nempe Allucii; *atque illius* nempe Scipionis *animo erga se*.

1. *Captivos obsidesque & prædam disponeret.*] Gall. *Pendant que par son avis il disposoit des prisonniers, des ostages, & du butin.*

2. *Quindecim ferè Senatoribus.*] Carthaginis Novæ, opinor.

3. *Nuncium mittit.*] Revoca ex superioribus Lælium.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

millium spatio [4] decurrerunt: secundo die arma curare & tergere ante tentoria jussit: tertio die rudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt: [5] præpilatisque missilibus jaculati sunt: quarto die quies data: quinto iterum in armis decursum est. Hunc ordinem laboris, quietisque, quoad Carthagine morati sunt, servarunt. Remigium classicique milites tranquillo in altum evecti, agilitatem navium simulacris navalis pugnæ experiebantur. Hæc extra urbem terra marique, corpora simul, animosque ad bellum acuebant. urbs ipsa strepebat apparatu belli, fabris omnium generum in publica officina inclusis: dux cuncta pari cura obibat. nunc in [a] classe ac navali erat: nunc cum legionibus decurrebat: nunc operibus aspiciendis tempus dabat, quæque in officinis, quæque in armamentario ac navalibus, fabrorum multitudo plurima in singulos dies [b] certamine ingenti faciebat. His ita inchoatis, [6] refectisque quos quassaverat muris, dispositisque præsidiis ad custodiam urbis, Tarraconem est profectus, [c] à multis legationibus protinus in via aditus: quas partim dato responso ex itinere dimisit, partim distulit Tarraconem, quò omnibus novis veteribusque sociis, edixerat conventum. Et cuncti fere, qui cis Iberum incolunt populi, multique etiam ulterioris provinciæ convenerunt. Carthaginiensium duces, primo ex industria famam captæ Carthaginis compresserunt: deinde ut clarior res erat, quam ut tegi ac dissimulari posset, elevabant verbis. *Nec opinato adventu ac prope furto unius diei urbem unam Hispaniæ interceptam. cujus rei tam parvæ præmio, elatum insolentem juvenem, immodico gaudio speciem magnæ victoriæ imposuisse. At ubi appropinquare tres duces, tres victores hostium exercitus audisset, occursuram ei extemplo domesticorum funerum memoriam.* Hæc in vulgus jactabant; haudquaquam ipsi ignari, [d] quantum sibi ad omnia virium Carthagine amissa decessisset.

INTERPRETATIO.

a *Apud naves, aut in earum armamentario.* b *Certatim.*

c *Conventus Scipio à legatis plurium populorum.*

d *Quanta vires, quantaque copiæ ad omnia necessaria, ipsis detracta essent erepta nova Carthagine.*

NOTÆ.

4. *Decurrerunt.*] Gall. *Ils firent l'exercice.*

5. *Præpilatisque missilibus jaculati sunt.*] Hastas *præpilatas* bifariam dici vult Cæl. lib. 21. c. 16. tum ferream habentes cuspidem, quasi *præferratas*; tum etiam ferro carentes, sed in mucronem exacutas: aliud velle Plin. videtur, 8. 6. ubi ait Elephantos *ab operariis hastas præpilatas habentibus per circum totum actos*. Idem 9. 30. dicit *locustarum cornua propria rotunditate præpilata*. Sic obtusis, opinor, rotundo mucrone, jaculis hic usi milites: sive, ut ait Polyb. ἐσφαιρωμένοις.

6. *Refectisque quos quassaverat, muris.*] Sic Reg. cum editis, alii *quos quassaverant*; illud de Scipione jubente, hoc de militibus Romanis intelligi potest. Atqui muros à Scipione quassatos non memorat Livius, sed scalis superatos. Hinc Gronovius legit, *refectisque, quà quassi erant, muris*, sed nullis faventibus Codicibus. Probabile videtur, etsi non pauci Romanorum in mœnia scalis evasissent, ab aliis concussam machinis fuisse murorum partem vicinam portæ, quam effregerant.

FINIS LIBRI XXVI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXVII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.



N. Fulvius Proconsul cum exercitu ab Annibale ad Herdoneam cæsus est. Meliore eventu à Claudio Marcello consule adversus eundem ad Numistronem pugnatum est. inde Annibal nocturecessit. Marcellus insecutus est, & subinde cedentem pressit, donec confligeret. priore pugna Annibal superior fuit, Marcellus in sequenti. Fabius Maximus pater consul Tarentinos per proditionem recepit. In Hispania ad Bætulam Scipio cum Asdrubale Amilcaris conflixit & vicit. inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Claudius Marcellus, T. Quintius Crispinus consules speculandi caussa egressi è castris, insidiis ab Annibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res præterea à P. Sulpicio Prætore adversus Philippum & Achæos gestas continet. Lustrum à censoribus conditum est: censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum & octo: ex quo numero apparuit quantum hominum tot præliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Asdrubal, qui cum exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Annibali conjungeret, cum millibus hominum quinquaginta sex cæsus est, M. Livii consulis ductu; sed non minore opera Claudii Neronis consulis. qui quum Annibali oppositus esset, relictis castris, ita ut hostem falleret, electa manu profectus, Asdrubalem circumvenit.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

I. HIC status rerum Hispaniæ erat. In Italia autem consul Marcellus, Salapiâ per proditionem receptâ, [1] Maroneam [2] & Meles de Samnitibus vi cepit. Ad tria millia militum ibi Annibalis, quæ præsidii caussâ relicta erant, oppressa. Præda ([3] & aliquantum ejus fuit) militi concessa. tritici quoque [4] ducenta quadraginta millia modiûm, & [5] centum decem millia hordei inventa. Cæterum nequaquam inde tantum gaudium fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est haud procul [6] ab Herdonea urbe. Castra ibi [7] Cn. Fulvius proconsul habebat, spe recipiundæ Herdoneæ, quæ post Cannensem cladem ab Romanis defecerat, nec loco satis tuto posita, nec præsidiis firmata. Negligentiam insitam ingenio ducis augebat spes ea, quod [a] labare iis adversus Pœnum fidem senserat, postquam Salapiâ amissâ excessisse his locis Annibalem in Brutios auditum est. Ab Herdonea ea omnia per occultos nuncios delata Annibali, simul curam sociæ retinendæ urbis, & spem fecere incautum hostem aggrediendi. exercitu expedito, ita ut famam prope præveniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit, & quo plus terroris hosti objiceret, acie instructa accessit. Par audaciâ Romanus, consilio & viribus impar,

INTERPRETATIO.

a *Audierat civium Herdoneæ fidem vacillare, eosque paratos esse à partibus Carthaginiensium deficere.*

NOTÆ.

1. *Maroneam.*] In Thracia & in Syria notæ illius nominis urbes: in Samnio vicinoque Italiæ tractu reperio nullam. Videamus num significare voluerit Livius *Marrucinum Theate*, primarium oppidum Marrucinorum, qui Samnitibus contributi: hodie *Chieti* in Aprulio Citeriori: aut *Marruvium* Marsorum, nunc *Morrea*, in ulteriori Aprulio. Marsi certè ipsi quoque Samnites, seu sponte, seu vi, sæpe sequuti leguntur. Colb. hic habet *Marmoreas*, pro *Maroneam*.

2. *Et Meles.*] Puto *Melas* legendum, ut sit *Mela* in nominandi casu: de quo oppido lib. 24. cap. 20. Licet autem à Fabio captum ibi dicatur; facilè tamen potuit intermedio tempore à Romanis ad Pœnos defecisse: quod Herdoneæ contigisse videtur, cum stativa Q. Fabius Prætor ad Herdoneas communita habuisse narretur d. cap. 20. lib. 24. & tamen hic Herdonea in Pœnorum potestate esse dicitur.

3. *Et aliquantum ejus fuit.*] Vulgò legitur, *Prædę aliquantum militi fuit concessum*. Ex Rhenani conjectura probabat Sigon. *præda aliquantum, usui militum concessa*. Sed veterum optimi, teste Gron. *Præda, & aliquantum ejus fuit, militi concessa*: quibus verbis indicatur *haud multum prædæ fuisse*; & quantum prædæ fuit, concessum esse militibus.

4. *Ducenta quadraginta millia modiûm.*] Gall. *Environ vingt mille cestiers de blé, mesure de Paris.*

5. *Centum decem millia hordei.*] Mensura Parisina fient paulo plura quam novem millia sextariorum.

6. *Ab Herdonea urbe.*] Aliàs *Ardonea*: de qua urbe lib. 24. cap. 20. nunc *Ardena* in Apuliæ Daunia, quæ hodie *Capitanata*; urbs diversa à *Cerdonia*, quæ nunc *Cedogna* in Principatu ulteriori, cum qua confunditur à Cluverio.

7. *Cn. Fulvius proconsul.*] Cognomine *Centumalus*, alius ab Cn. Fulvio Flacco Prætore, biennio antè in iisdem locis victo, ut observat Sigon.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

copiis raptim eductis conflixit. quinta legio & sinistra ala acriter pugnam inierunt. Cæterum Annibal signo equitibus dato, ut quum pedestres acies occupassent præsenti certamine oculos animosque, circumvecti, pars castra hostium, [8] pars terga pugnantium invaderent; [9] ipse in Fulvii similitudinem nominis, quod Cn. Fulvium prætorem biennio ante in iisdem devicerat locis, increpans, *similem eventum pugnæ fore* affirmabat. Neque ea spes vana fuit. nam quum cominus acie & peditum certamine multi cecidissent Romanorum, starent tamen ordines signaque; equestris à tergo tumultus, simul à castris clamor hostilis auditus, sextam ante legionem, [10] quæ in secunda acie posita, prior ab Numidis turbata est, quintam deinde, atque eos qui [11] ad prima signa erant, avertit. Pars in fugam effusi, pars in medio cæsi: ubi & ipse Cn. Fulvius [12] cum undecim tribunis militum cecidit. Romanorum sociorumque quot cæsa in eo prælio millia sint, quis pro certo affirmet? quum tredecim millia alibi, alibi haud plus quam septem inveniam. Castris prædaque victor potitur. Herdoneam, quia & defecturam fuisse ad Romanos comperit, nec mansuram in fide, si inde abscessisset; multitudine omni Metapontum ac Thurios traducta, incendit, occiditque principes, qui cum Fulvio colloquia occulta habuisse comperti sunt. Romani, qui ex tanta clade evaserant, diversis itineribus semermes ad Marcellum consulem in Samnium perfugerunt.

II. Marcellus nihil admodum tanta clade territus, literas Romam ad Senatum de duce & exercitu ad Herdoneam amisso scribit. cæterum, *eundem se, qui post Cannensem pugnam, ferocem victoria Annibalem contudisset, ire adversus eum,* [a] *brevem illi lætitiam qua exultet facturum.* Et Romæ quidem quum luctus ingens ex præterito, tum timor in futurum

INTERPRETATIO.

[a] Se *effecturum ut non diu fruatur Annibal gaudio* victoriæ *quo* nunc *exultat*.

NOTÆ.

8. *Pars terga pugnantium invaderent.*] Mavult Gron. *terga trepidantium*, id est, Romanorum satagentium & se commoventium: quo quidem significatu accipi aliquando *trepidandi* verbum non diffiteor: verùm & rarior hæc hujus verbi acceptio, & nullus adducitur Codex cujus auctoritate nitatur hæc correctio; Regius certè, qui penes nos, distinctè habet *pugnantium*, a quo sensus non abhorret.

9. *Ipse in Fulvii similitudinem nominis increpans.*] Vulgò, *ipse Cn. Fulvii similitudinem nominis increpans*: quod planum. Inserit præpositionem *in* ex Put. & aliis Gronov. firmatque exemplo ipsius Livii lib. 1. cap. 51. *Hæc Aricinus in regem Romanum increpans*. In altero Colbertinorum est, *ipse in Fulvium, similitudinem nominis increpans*, quod magis probaverim.

10. *Quæ in secunda acie.*] Gall. *Qui estoit à la seconde ligne*.

11. *Ad prima signa.*] Gall. *à la premiere ligne*.

12. *Cum undecim Tribunis.*] Hunc numerum præferunt MSS. & firmat Plut. adversus editos, in quibus *duodecim Tribuni* legionum cæsi numerantur.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

erat. Consul ex Samnio in Lucanos transgressus, [1] ad Numistronem in conspectu Annibalis loco plano, quum Pœnus collem teneret, posuit castra. Addidit & aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit. nec detrectavit Annibal [b] ut signa portis efferri vidit. Ita tamen aciem instruxerunt, ut Pœnus dextrum cornu in collem erigeret, Romani sinistrum ad oppidum applicarent. Ab hora tertia quum ad noctem pugnam extendissent, fessæque pugnando primæ acies essent; ab Romanis prima legio & dextera ala, ab Annibale Hispani milites, & funditores Baleares, elephanti quoque, commisso jam certamine, in prælium acti. Diù pugna neutro inclinata stetit. [c] Primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit, & apud hostes integri à fessis pugnam accepere. Novum atque atrox prælium ex tam segni repente exarsit; recentibus animis corporibusque: sed nox incertâ victoriâ diremit pugnantes. Postero die Romani ab sole orto, in multum diei stetere in acie: ubi nemo hostium adversus prodiit; spolia per otium legêre, & congestos in unum locum cremavêre suos. Nocte insequenti Annibal silentio movit castra, & in Apuliam abiit: Marcellus ubi lux fugam hostium aperuit, sauciis cum præsidio modico Numistrone relictis, præpositoque his L. Furio Purpureone tribuno militum, [d] vestigiis institit sequi. [e] Ad Venusiam adeptus eum est. Ibi per dies aliquot [2] quum ab stationibus procursaretur; mixta equitum peditumque tumultuosa magis prælia quam magna, & ferme omnia Romanis secunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti exercitus, sine ullo memorando certamine: quum Annibal nocte signa moveret, locum insidiis quærens: Marcellus, nisi certa luce, [f] & exploratoantè, non sequeretur.

III. Capuæ interim Flaccus dum bonis principum vendendis, agro, qui publicatus fuerat, locando ([1] locavit autem omnem frumento) tempus

INTERPRETATIO.

b *Postquam conspexit signa extra portas* castrorum Romanorum, *efferri* ad pugnam.

c *In locum primæ legionis alæque dexteræ*, postquam pugnando fessæ fuerunt, *successerunt pedites legionis tertiæ, & equites alæ sinistræ*.

d Annibalis inhærens *vestigiis* eum *sequi* perseveravit.

e *Assecutus est Annibalem circa Venusiam*.

f *Nec nisi missis priùs qui itinera explorarent*.

NOTÆ.

1. *Ad Numistronem.*] *Numistro*, sive *Numistrum* à nostro, & à Plutarcho, in Lucania ponitur; à Ptolemæo in Brutiis; secundum quem Cluverius & Sanso eo loco describunt ubi hodiè *Nicastro* urbs Calabriæ ulterioris. Numestranos Plinius Volcentanis junctos ait, quos quasi eosdem cum Volcejanis Celsus Cittadinus in mediterraneis Lucaniæ locat inter Silarum & Tanagrum fluvios circa Alburnum montem, atque nunc *Bocino* appellari: quo situ fuisse quoque Numistrum circa oppidum quod vulgò *Muro*, si quis affirmaverit, me repugnantem non habebit.

2 *Quum ab stationibus, &c.*] Gall. *Comme il se faisoit divers partis, les uns & les autres sortant de leurs Quartiers*.

1. *Locavit autem omnem frumento.*] Non pecuniâ, ut plerunque fit: sed certo frumenti numero, quem annuatim penderent conductores, seu coloni.

terit; ne deesset materia [2] in Campanos sæviendi, novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus. milites [a] ædificiis emotos, simul ut cum agro tecta urbis fruenda locarentur; simul metuens, ne suum quoque exercitum, sicut Annibalis, nimia urbis amœnitas emolliret; in portis murisque sibimetipsos [b] tecta militariter [3] coëgerat ædificare. erant autem pleraque ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta; [4] stramento intecta omnia, velut de industria, alimentis ignis. Hæc [5] noctis una hora ut omnia incenderent centum septuaginta Campani, principibus fratribus Blosiis, conjuraverant. indicio ejus rei [c] ex familia Blosiorum facto, portis repente jussu proconsulis clausis, quum ad arma signo dato milites concurrissent; comprehensi omnes [6] qui in noxa erant, & quæstione acriter habita, damnati necatique: indicibus libertas, & [7] æris dena millia data. [8] Nucerinos, [9] & Acerranos querentes, ubi habitarent non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deletâ, Romam Fulvius ad senatum misit. Acerranis permissum, ut ædificarent quæ incensa erant: Nucerini Atellam, quia id maluerant (Atellanis Calatiam migrare jussis) traducti. Inter multas magnasque res, quæ nunc secundæ, nunc adversæ, occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria. M. Ogulnius, & P. Aquilius, in Etruriam legati ad frumentum coëmendum quod Tarentum portaretur, profecti: & mille milites de exercitu urbano, [10] par numerus Romanorum sociorumque, eodem in præsidium cum frumento missi sunt.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino II.

IV. Jam æstas in exitu erat, [1] comitiorumque consularium instabat tempus. sed literæ Marcelli negantis è republica esse, [2] vestigium

INTERPRETATIO.

a *Amotos procul ab domibus, tum, ut, &c.*
b *Tuguria.*
c *A Blosiorum servis.*

NOTÆ.

2. *In Campanos sæviendi.*] Cives urbis Capuæ proprio nomine *Campani* Romanis dicti. Unde nihil erat cur hic Rhen. *Capuanos* scriberet.

3. *Coëgerat ædificare.*] Flaccus.

4. *Stramento intecta.*] Gall. *Tous couverts de chaume.*

5. *Noctis unâ horâ.*] Hæc, quæ in multis desunt, leguntur disertè in Regio, cujus mihi copia.

6. *Qui in noxa erant.*] Gall. *Qui estoint complices du crime.*

7. *Æris dena millia.*] Nostrâ pecuniâ 291. lib. 13. s. 4. d.

8. *Nucerinos.*] Campaniæ, *di Nocera* in *Principatu citeriore.*

9. *Acerranos.*] In eadem Campania, *dell' Acerra.*

10. *Par numerus.*] Exercitus qui apud urbem, constabat non tantum Romanis militibus legionariis, sed etiam sociis. Igitur quingenti Cives Romani, totidemque è sociorum numero missi, ut fierent omnino mille.

1. *Comitiorumque consularium instabat tempus.*] Habebantur hoc tempore ea Comitia circa finem Julii, aut initium Sextilis mensis, qui post Augustus; idque ex quo Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius Luscus, propter subitum Celtiberiæ motum, consulatum Kal. Januarii inierant; ann. scilicet u. 600. quod testatur Cassiodorus; & Epit. Livii 47. quæ ad ann. 598. refert. Hic dies deinde solennis ineundi consulatus fuit stante rep.

2. *Vestigium abscedi.*] Eadem est loquendi forma ac cum dicimus, *ne latum quidem unguem*, id est, vestigio tenus abscedi, quantum scilicet vestigium hominis est: quod per hyperbolen dictum,

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

abscedi ab Annibale, cui cedenti, certamenque abnuenti 3 gravius ipse instaret; curam injecerant, ne aut consulem tum maxime res agentem à bello avocarent, aut in annum consules deessent. Optimum visum est, quanquam extra Italiam esset, Valerium potius consulem ex Sicilia revocari. Ad eum literæ jussu senatus ab L. Manlio 4 prætore urbis missæ, cum literis consulis M. Marcelli: ut ex iis nosceret, quæ caussa Patribus eum potius quam collegam revocandi ex provincia esset. Eo fere tempore legati 5 ab rege Syphace Romam venerunt; quæ is prospera prælia cum Carthaginiensibus fecisset memorantes. *Regem nec inimiciorem ulli populo quam Carthaginiensi, nec amiciorem quam Romano, affirmabant esse. misisse eum antea legatos in Hispaniam ad Cn. & P. Cornelios imperatores Romanos. nunc ab ipso velut fonte petere Romanorum amicitiam voluisse.* Senatus non legatis modò benigne respondit, sed ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genucium, P. Pætelium, P. Popilium. Dona tulere, togam, & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram 6 ex quinque pondo auri factam. Protinus & alios Africæ regulos jussi adire, iis quoque quæ darentur, portata, togæ prætextæ, a & ternum pondo pateræ aureæ. Et Alexandriam ad 7 Ptolemæum 8 Cleopatramque reges M. Atilius & Manius Acilius legati ad commemorandam renovandamque amicitiam missi, dona tulere: Regi togam, & tunicam purpuream cum sella eburnea: 9 Reginæ, pallam pictam 10 cum amiculo purpureo.

INTERPRETATIO.

a *Pocula ex auro quæ tres libras pendebant.*

NOTÆ.

3. *Gravius ipse instaret.*] Reg. & Colb. cum Put. aliisque *graves ipse instaret.*

4. *Prætore urbis.*] Sic dicit pro *Prætore urbano*, ad discrimen Peregrini, qui ipse quoque in urbe.

5. *Ab rege Syphace.*] *Syphax* rex fuit Massæsylorum, qui partem Numidiæ occiduam, & Mauris finitimam incolebant.

6. *Ex quinque pondo auri.*] Ita quidem Colb. sed Reg. *Coronam auream ex quinque pondo factam:* quod perinde est, & magis placebat Rhenano Lipsioque, adversus quos Gron. illud *auri* potius probat. Auri hujus pretium librarum nostrarum duo millia & octingentas haud superaret.

7. *Ptolemæum.*] Epiphanem intelligit Ptolemæum, inter Ægypti ex hac stirpe reges, ordine quintum, qui paulo ante Cleopatram duxerat Antiochi magni filiam

8. *Cleopatramque reges.*] Reginæ cum regibus conjunctæ reges quoque appellantur; eadem ratione qua hominis nomen utrique sexui tribuitur.

9. *Reginæ Pallam.*] Ex eo dictam Varro *Pallam* vult, quòd foris ac *palàm* induatur; est enim pallium quadrum ad vestigia usque deductum, & fere sumitur pro honestæ mulieris exteriori vestimento; quod gemmis in ordinem affixis & phrygiorum opere plerunque ornabatur: unde apud Plautum Menæch. act. 3. sc. 2. *pallam ad phrygionem fert:* Et apud Virg. 1. Æneid.

—pallam signis auroque rigentem.

Nomen Isidorus deducit ἀπὸ τοῦ πάλλειν, seu à mobilitate, quod rugis vibrantibus sinuata crispetur. Gall. *une cimare brodée, un manteau de femme, une veste en broderie.* Gallorum tamen veterum Pallæ breviores, nec infra verenda.

10. *Cum amiculo purpureo.*] Amicu-

Multa aestate, qua haec facta sunt, ex propinquis urbibus agrisque nunciata sunt prodigia: Tusculi agnum cum ubere lactanti natum: Jovis aedis culmen fulmine ictum, ac prope omni tecto nudatum. Iisdem ferme diebus, [11] Anagniae terram ante portam ictam, diem ac noctem sine ullo ignis alimento arsisse. & aves, ad [12] compitum Anagninum, in luco Dianae nidos in arboribus reliquisse. Tarracinae in mari haud procul portu angues magnitudinis mirae, lascivientium piscium modo exultasse. Tarquiniis porcum cum ore humano genitum. Et in agro Capenate, ad lucrum Feroniae, [b] quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. Haec prodigia hostiis majoribus procurata decreto pontificum: & supplicatio diem unum Romae ad omnia pulvinaria, alterum, in Capenate agro ad Feroniae lucum, indicta.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Laevino II.

V. M. Valerius consul literis excitus, provincia exercituque mandato Cincio praetori, M. Valerio Messala praefecto classis, cum parte navium in Africam, praedatum simul speculatumque, quae populus Carthaginiensis ageret pararetque, misso; ipse decem navibus Romam profectus quum prospere pervenisset, senatum extemplo habuit. ibi de suis rebus gestis commemoravit. *Quum [1] annos prope sexaginta in Sicilia terra marique saepe magnis cladibus bellatum esset, [a] se eam provinciam confecisse. neminem Chartaginiensem in Sicilia esse: neminem Siculum, qui metu inde fugati absuerint, non esse: omnes in urbes agrosque suos reductos, arare, serere: desertam recoli tandem terram, frugiferam ipsis cultoribus, populoque Romano pace ac bello fidissimum annonae subsidium*. Exin Mutine, & si quorum aliorum merita erga populum Romanum erant, in senatum introductis; honores omnibus, [b] ad exsolvendam fidem consulis, habiti. Mutines etiam civis Romanus factus; rogatione ab tribuno plebis ex auctoritate Patrum ad plebem lata. Dum haec Romae geruntur, M. Valerius Messala quinquaginta navibus quum ante lucem ad Africam accessisset, improviso in agrum Uticensem excensionem fecit: eumque late depopulatus,

INTERPRETATIO.

b *Statuas quatuor.*

a *Se penitùs redegisse Siciliam in formam provinciae.*

b *Quò data ipsis à Consule fide liberaretur.*

NOTAE.

lum apud Romanos pro meretricio pallio lineo aliquando dictum est, si fides Isidoro: non ita apud alias gentes se rem habuisse, neque id apud Romanos fuisse perpetuum ex hoc loco facile est conjicere. Fuit hoc amiculum indumenti species, velando, ut videtur, capiti. Gall. *un voile, une cape de pourpre*.

11. *Anagniae terram ante portam ictam.*] Non displicet Rubenii conjectura reponentis *Hermam*. Hermae quippe, sive Mercurii, ante portas statui solebant: & favent aliquatenus MSS. Reg. quidem & Put. habent *ternam* Voss. & Colb. *termam*. Menard. *thermam*. Sed si *Hermam* legimus, scribendum erit *ictum*.

12. *Compitum Anagninum.*] Nomen loci in Hernicis inter Pictas & Ferentinum, quà in viam Latinam desinit Lavicana. Is in cauponam transiit, vulgò *Hosteria d'Anagni*.

1. *Annos propè sexaginta in Sicilia.*] Observat Sigon. ab Ap. Claudio Consule, qui primus bellum in Siciliam transtulit, ad hoc tempus, numerari annos 55.

Urb. Cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

multis mortalibus cum alia omnis generis præda captis, ad naves rediit; atque in Siciliam transmisit: tertiodecimo die, quam profectus inde erat, Lilybæum revectus. Ex captivis, quæstione habita, hæc comperta: consulique Lævino omnia ordine perscripta, ut sciret quo in statu res Africæ essent. *Quinque millia Numidarum cum* [2] *Masinissa Galæ filio acerrimo juvene Carthagine esse: & alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniam ad Asdrubalem trajicerentur: ut is quam maximo exercitu primo quoque tempore in Italiam transgressus jungeret se Annibali. in eo positam victoriam credere Carthaginienses. Classem præterea ingentem apparari ad Siciliam repetendam, eamque se credere brevi trajecturam.* Hæc recitata à consule, ita movere senatum, ut non expectanda comitia consuli censerent, sed dictatorem comitiorum habendorum caussa dici, & extemplo in provinciam [3] redeundum. Illa disceptatio tenebat, quod consul *in Sicilia se M. Valerium Messalam, qui tum classi praeesset, dictatorem dicturum esse* ajebat: Patres *extra Romanum agrum* ([4] eum autem Italiâ terminari) *negabant dictatorem dici posse*. M. Lucretius tribunus plebis, quum de ea re consuleret, ita decrevit senatus: *Ut consul prius quam ab urbe discederet, populum rogaret, quem dictatorem dici placeret: eumque quem populus jussisset, dictatorem diceret. Si consul noluisset,* [5] *prætor urbanus populum rogaret: si ne is quidem vellet, tum tribuni ad plebem ferrent.* Quum consul se *populum rogaturum negasset,* [6] *quod suæ potestatis esset*, prætoremque vetuisset rogare; tribuni plebis rogarunt, plebesque scivit, *ut Q. Fulvius, qui tum ad Capuam erat, dictator diceretur.* sed quo die id plebis concilium futurum erat, consul clàm nocte in Siciliam abiit. destitutique Patres [7] literas ad M. Claudium mittendas censuerunt, *ut desertæ à collega reipublicæ subveniret, diceretque, quem populus jussisset, dictatorem.* Ita à Marcello consule Q. Fulvius dictator dictus, & ex eodem plebiscito ab Q. Fulvio dictatore P. Licinius Crassus Pontifex maximus magister equitum dictus.

VI. Dictator posteaquam Romam venit, Cn. Sempronium Blæsum legatum, quem ad Capuam habuerat, in Etruriam provinciam ad exercitum misit, in locum C. Calpurnii prætoris: quem ut Capuæ exercituique suo præesset, literis excivit. Ipse comitia in quem diem

NOTÆ.

2. *Masinissa.*] Qui post patrem Numidarum Massylorum seu Orientalium rex fuit.

3. *Redeundum.*] Consuli Lævino.

4. *Eum autem Italiâ terminari.*] Ita Reg. absque præpositione *in*: & intellige terminari Italiæ continente. Cæterum Sicilia inter Italiæ Insulas semper habita.

5. *Prætor urbanus.*] τὸ *urbanus* rei clarius explicandæ causâ additum glossema videri potest. Abest certè ab Reg. aliisque scriptis.

6. *Quod sua potestatis esset.*] Reverâ summi ad hæc tempora Magistratus Dictatorem dixerant arbitrio quisque suo: Senatus quidem creari Dictatorem à Consule jubebat, cum opus videbatur: sed quem vellet Dictatorem Consul dicebat.

7. *Literas ad M. Claudium.*] Marcellum nempe Consulem.

primum

primum potuit, edixit: quæ certamine inter tribunos dictatoremque injecto, [1] perfici non potuerunt. [2] Galeria juniorum, quæ forte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium consules dixerat. [3] eodemque jure vocatæ inclinassent, ni tribuni plebis [4] C. & L. Arennii se interposuissent; *qui neque* [5] *magistratum continuari* [6] *satis civile esse ajebant: & multo fœdioris exempli, eum ipsum creari qui comitia haberet. Itaque si* [7] *suum nomen dictator acciperet, se comitiis intercessuros: si aliorum præterquam ipsius ratio haberetur; comitiis se moram non facere.* Dictator caussam comitiorum auctoritate senatus, plebiscito, exemplisque tutabatur. *nam, Cn. Servilio consule, quum C. Flaminius alter consul ad Trasimenum cecidisset; ex auctoritate Patrum ad plebem latum, plebemque scivisse, ut quoad bellum in Italia esset, ex iis qui consules fuissent, quos & quoties vellet, reficiendi consules populo jus esset. exemplumque eam in rem habere, vetus* [8] *L. Postumii Megelli, qui interrex iis comitiis quæ ipse habuisset, consul cum C. Junio Bubulco creatus esset; recens Q. Fabii, qui sibi continuari consulatum, nisi id bono publico fieret, profecto nunquam sisset.* His orationibus quum diu certatum esset, postremo ita inter dictatorem ac tribunos convenit, *ut eo quod censuisset senatus, staretur.* Patribus id tempus reipublicæ visum est, ut per veteres, & expertos, bellique peritos imperatores respublica gereretur. itaque moram fieri comitiis non placere. Concedentibus tribunis, co-

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valerio Lævino II.

N O T Æ.

1. *Perfici non potuerunt.*] Sic Reg. vul. *non potuerant.*

2. *Galeria juniorum.*] Tribus & Centuriæ nomen est, quæ tunc forte ducta ut ante alias suffragia ferret. Vide suprà *Veturia juniorum* lib. 26. cap. 22.

3. *Eodemque jure vocata inclinassent.*] Quidam scriptum habent *jure vocata reliqua:* sed illud *reliqua* nec scriptis, nec in bonis editionibus occurrit: & frustra est Tan. Faber qui *cætera vocata* necessario legendum putat. Omnes enim Tribus & Centuriæ in prærogativas & jure vocatas dividebantur, nec hæ sub illis comprehensæ. *Prærogativa* dicebantur quæ (prout sors tulerat) primo loco rogabantur, quos Consules aut Prætores, &c. fieri vellent: *jure vocata*, aliæ quæ suo quæque ordine ad suffragia postea vocabantur. Non itaque debuit pro solemni voce *jure* subjici vox *cætera*: verè tamen Faber *eodemque* explicat per εἰς τὸ αὐτό, *in idem;* est enim sensus Centurias jure vocatas eosdem Consules creaturas fuisse, quos prærogativa dixerat. Vide Gronov. 4. observ. 1.

4. *C. & L. Arennii se interposuissent.*] In Reg. & Colb. *Ariani* vocantur, quæ vulgaris lectio. Vide tamen Gron. ibid.

5. *Magistratum continuari.*] Agebatur nunc de Consulatu in annum sequentem dando: at Q. Fulvius Proconsul tantùm anno priori fuerat, & nunc Dictator, non Consul. Verùm Dictatura, summus erat Magistratus, etiam supra Consulatum: & Magistratûs nomine intelligitur, non idem Magistratus, sed quivis qui par vel ferè par sit. *Magistratum* itaque *continuari* hoc loco est ex Dictatore aut Proconsule fieri Consulem.

6. *Satis civile esse ajebant.*] Dicebant non convenire modestiæ boni Civis, nihil supra reliquos sibi arrogantis.

7. *Suum nomen Dictator acciperet.*] Hoc est, si Dictator seipsum reciperet in Candidatorum numerum, ut creari Consul posset. Qui enim comitia Magistratuum habebat, ambientium nomina populo proponebat, extra quos nominari permittebat neminem.

8. *L. Posthumii Megelli.*] An. u. c. 462.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcell. IV. & M. Valer. Lævino II.

militia habita. Declarati consules Q. Fabius Maximus quintum, Q. Fulvius Flaccus quartum. Prætores inde creati, L. Veturius Philo, T. Quintius Crispinus, C. Hostilius Tubulus, C. Aurunculejus. Magistratibus in annum creatis, Q. Fulvius dictatura se abdicavit. Extremo æstatis hujus, classis Punica navium quadraginta cum præfecto Amilcare in Sardiniam trajecta; 9 Olbiensem primo, dein postquam ibi P. Manlius Vulso prætor cum exercitu apparuit, circumacta inde ad alterum insulæ latus, Caralitanum agrum vastavit: & cum præda omnis generis in Africam rediit. Sacerdotes Romani eo anno mortui aliquot suffectique. C. Servilius Pontifex factus in locum T. Otacilii Crassi. 10 T. Sempronius T. F. Longus augur factus in locum T. Otacilii Crassi. Decemvir item sacris faciundis in locum Tib. Sempronii C. F. Longi, Tib. Sempronius, Tib. F. Longus suffectus. M. Marcius rex sacrorum mortuus est: & M. Æmilius Papus maximus curio. 11 neque in eorum locum sacerdotes eo anno suffecti. Et censores hic annus habuit L. Veturium Philonem, & P. Licinium Crassum pontificem maximum. Crassus Licinius nec consul, nec prætor ante fuerat, quam censor est factus. 12 ex ædilitate gradum ad censuram fecit. Sed hi censores neque senatum legerunt, nec quicquam publicæ rei egerunt: mors diremit L. Veturii. inde & Licinius censura se abdicavit. Ædiles curules L. Veturius, & P. Licinius Varus, ludos Romanos diem unum instaurarunt. Ædiles plebis Q. Catius, & L. Porcius Licinus ex mulctaticio argento signa ænea ad Cereris dedere: & ludos pro temporis ejus copia magnifici apparatus fecerunt.

VII. Exitu anni hujus, die quarta & trigesima quam ab Tarracone profectus erat, C. Lælius legatus Scipionis Romam venit. isque cum agmine

NOTÆ.

9. *Olbiensem primo.*] *Olbia* Sardiniæ oppidum fuit, cujus adhuc extant rudera in latere Insulæ Orientali, & in Septentrionali regione, cui à Promontorio *Lugudori* nomen. Juxta oppidum cui nomen vulgo à *S. Lucia*.

10. *Tib. Sempronius, Tiberii filius, Longus Augur factus in locum T. Otacilii Crassi.*] Hæc inserta sunt hoc loco in Reg. Put. Petaviano: in vulgatis desunt, offensis, ut puto, exscriptoribus repetitione illorum verborum, *factus in locum T. Otacilii Crassi*. Est tamen verisimile T. Otacilium duo sacerdotia gessisse, Pontificatum & Auguratum, & prius C. Servilio delatum, posterius Ti. Sempronio, cui præterea datus est Decemviratus vacans morte alterius Tit. Sempronii, qui ejus pater aut certè gentilis. Simile quid invenies lib. 23. cap. ult. in locum nempe M. Pompeji Mathonis Auguris ac Decemviri; Decemvirum quidem creatum M. Aurelium Cottam, Augurem vero Ti. Sempronium Gracchum. Vide & lib. 30. cap. 26. Perspicuus magis noster hic locus fuisset, si dixisset autor, *in locum ejusdem T. Otacilii*.

11. *Neque in eorum locum.*] Quod de Otacilio antea dixerat, eodem quo mortuus est anno neminem ipsi Pontificem suffectum, quia sub exitum anni excessisset; idem nunc simili ex causa contigisse credibile est.

12. *Ex ædilitate gradum ad Censuram.*] Hoc rarum in Romana rep. ubi gradatim deferri soliti honores: sed Pontificatus maximus huic Licinio Crasso pro Consulatu aut Prætura, gradus ad Censuram fuit.

Urb. cond. an. 543. Coss. M. Claud. Marcello IV. & M. Valer. Lævino. II.

captivorum ingressus urbem, magnum concursum hominum fecit. Postero die in senatum introductus, *captam Carthaginem, caput Hispaniæ, uno die, receptasque aliquot urbes, quæ defecissent, novasque in societatem ascitas*, exposuit. Ex captivis comperta his fere congruentia, 1 quæ in literis fuerant M. Valerii Messalæ. Maxime movit Patres Asdrubalis transitus in Italiam, 2 vix Annibali atque ejus armis obsistentem: Productus in concionem Lælius eadem edisseruit. Senatus ob res feliciter à P. Scipione gestas, supplicationem in unum diem decrevit. C. Lælium primo quoque tempore cum quibus venerat navibus, redire in Hispaniam jussit. Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli, multis auctoribus: haud nescius quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint. Quod mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumpsisse. 3 Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fulvio Flacco quartum consulibus, Idibus Martiis, quo die magistratum inierunt, Italia ambobus provincia decreta; regionibus tamen partitum imperium: Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucanis ac Brutiis rem gereret. M. Claudio prorogatum in annum imperium. Prætores sortiti provincias: C. Hostilius Tubulus urbanam: L. Veturius Philo 4 peregrinam cum Gallia: T. Quintius Crispinus Capuam: C. Aurunculejus Sardiniam. Exercitus ita per provincias divisi. Fulvio duæ legiones, quas in Sicilia M. Valerius Lævinus haberet: Q. Fabio, quibus in Etruria C. Calpurnius præfuisset, decretæ. Exercitus urbanus ut in Etruriam succederet: C. Calpurnius eidem præesset provinciæ, exercituique: Capuam, exercitumque, quem Q. Fulvius habuisset, T. Quintius obtineret. C. Hostilius ab C. Lætorio proprætore provinciam exercitumque, qui tum Arimini erat, acciperet. a M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ:

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fabio Maximo V. & Q. Fulvio Flacco IV.

INTERPRETATIO.

a *Attributa sunt M. Claudio Marcello copiæ, quibus in Consulatu usus præclarè pugnaverat.*

NOTÆ.

1. *Quæ in literis fuerant M. Valerii.*] Probat non abs re Gron. ex Put. *quæque in literis*, ut scilicet expositis à Lælio congruerent quæ ex captivis comperta erant, & ea quæ scripta hac de re fuerant à Messala.

2. *Vix Annibali atque ejus armis obsistentem.*] Plurimi optimique manu exarati, atque in his ambo Colbertini habent *subsistentem*, eodem sensu: est enim aliquando *subsistere* idem ac sustinere vel sufficere, ut probat Gron. ex Bruto ad Cic. lib. 11. famil. epist. 10. *Non si Varronis thesauros habeam, subsistere sumptui possem*. Addit & Claud. lib. 2. in Eutrop. *Nec tantis unum subsistere posse periclis.*

3. *Q. Fabio Maximo, &c. idibus Martiis.*] Nota hunc solemnem hoc tempore ineundorum Magistratuum diem.

4. *Peregrinam cum Gallia.*] Peregrina jurisdictio hoc tempore muneris potius nomen, quam verum munus fuit, paucis per hæc bella peregrinis Romæ agentibus. Nihil itaque mirum si cum ea T. Veturius Galliam provinciam sortitus sit. Et ex hoc aliisque sequentibus locis emendari debet; ut censet Pighius, probatque Gronov. quod mox dicitur, *Hostilium à C. Letorio provinciam exercitumq; accepisse*. Igitur ibi pro *Hostilius* scribendum *L. Veturius ab C. Letorio, &c.*

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fabio Max. v. & Q. Fulvio Flacco iv.

M. Valerio cum L. Cincio (his quoque enim prorogatum in Sicilia imperium) Cannensis exercitus datus: eumque supplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii superessent, jussi. Conquisitos eos, consules in Siciliam miserunt: additaque eadem militiæ ignominia, sub qua Cannenses militabant: quique ex prætoris Cn. Fulvii exercitu b ob similis iram fugæ missi eo ab senatu fuerant. C. Aurunculejo eædem in Sardinia legiones, quibus P. Manlius Vulso eam provinciam obtinuerat, decretæ. P. Sulpicio eadem legione, eademque classe Macedoniam obtinere jusso prorogatum in annum imperium. triginta quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti jussæ: cætera classe prædatum in Africam, aut ipsum M. Valerium Lævinum trajicere; aut mittere, seu L. Cincium, seu M. Valerium Messalam. Nec de Hispania quicquam mutatum, nisi quod non in annum Scipioni Silanoque, sed donec revocati ab senatu forent, prorogatum imperium est. Ita provinciæ, exercituumque 5 in eum locum partita imperia.

VIII. Inter majorum rerum curas a comitia maximi curionis, quum in locum M. Æmilii sacerdos crearetur, vetus excitaverunt certamen; patriciis negantibus C. Mamilii Vituli, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem esse: quia nemo ante eum, nisi ex Patribus, id sacerdotium habuisset. Tribuni appellati, ad senatum rejecerunt. Senatus 1 populi potestatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus curio C. Mamilius Vitulus. Et 2 flaminem dialem invitum inaugurari coëgit P. Licinius pontifex maximus C. Valerium Flaccum. Decemvir sacris faciundis creatus in locum Q. Mucii Scævolæ demortui, C. Lætorius. Caussam inaugurari coacti flaminis libens reticuissem, ni ex mala fama in bonam vertisset. Ob adolescentiam negligentem luxuriosamque C. Flaccus flamen captus a P. Licinio pontifice maximo erat; L. Flacco fratri germano, cognatisque aliis ob eadem

INTERPRETATIO.

b *Propter iram ex* ipsorum *pari fuga* conceptam à Senatu.

a *Comitia qua habita sunt causâ creandi Sacerdotis; qui cæteris Curionibus præesset.*

NOTÆ.

5. *In eum locum partita.*] Legitur vulgò ex Cœlio Curione, *in eum annum*: sed *locum* habent optimi quique & priscæ editiones. Quod nomen interdum pro tempore accipi Gronov. ostendit, ex nostro sæpius, & ex Sallustio in Jugurth. *Tamen ad id locorum talis vir consulatum appetere non audebat*. Item ibidem: *Neque post id locorum Jugurthæ dies, aut nox ulla quieta fuit*. Sic plerunque *interea loci*. Cæterum *partita* referendum est, non tantum ad imperia, sed etiam ad provincias, quasi esset: *partita provincia, & partita imperia*.

1. *Populi potestatem fecit.*] Ita meliores: alii, *populo potestatem fecit*, nimirum Curionis maximi, sive ex Patribus, sive ex plebe creandi.

2. *Flaminem Dialem invitum.*] Mirum videri potest cur invitus ad Flaminis dignitatem provectus sit, qui negligentem & luxuriosam adolescentiam egerat. Verùm hæc ipsa cogendi causa fuit, ut juvenis nobilissimis natalibus à vitiis ad virtutem pudore sacerdotii traduceretur.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

vitiis invisus. Is, ut animum ejus cura sacrorum & cæremoniarum cepit, ita repente exuit antiquos mores, ut nemo tota juventute haberetur prior, nec probatior primoribus Patrum, suis pariter alienisque, esset. Hujus famæ consensu elatus ad justam fiduciam sui, rem intermissam per multos annos ob indignitatem flaminum priorum repetivit, ut in senatum introiret. Ingressum eum curiam quum L. Licinius prætor inde eduxisset, tribunos plebis appellavit flamen. Vetustum jus sacerdotii repetebat: datum id cum toga prætexta, & sella curuli 3 & flaminio esse. Prætor, non exoletis vetustate annalium exemplis stare jus, sed recentissimæ cujusque consuetudinis usu volebat: nec patrum, nec avorum memoria Dialem quenquam id jus usurpasse. Tribuni, rem inertia flaminum oblitteratam, 4 ipsis, non sacerdotio damno fuisse, quum æquum censuissent, ne ipso quidem contra tendente prætore, magno assensu Patrum plebisque, flaminem in senatum introduxerunt: omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitæ, quam sacerdotii jure, rem eam flaminem obtinuisse. Consules prius quam in provincias irent, duas urbanas legiones in supplementum, quantum opus erat cæteris exercitibus, militum scripserunt. Urbanum veterem exercitum Fulvius Consul C. Fulvio Flacco legato (frater hic consulis erat) in Etruriam dedit ducendum: & legiones, quæ in Etruria erant, Romam deducendas. Et Fabius consul reliquias exercitus Fulviani conquisitas (fuere autem ad tria millia trecenti triginta sex) Q. Maximum filium ducere in Siciliam ad M. Valerium proconsulem jussit: atque ab eo duas legiones, & triginta quinqueremes accipere. Nihil hæ eductæ ex insula legiones minuerunt, nec viribus nec specie, ejus provinciæ præsidium. nam quum præter egregie suppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam Numidarum equitum peditumque magnam vim haberet; Siculos quoque qui in exercitu Epicydis aut Pœnorum fuerant, belli peritos viros, milites scripsit. Ea externa auxilia quum singulis Romanis legionibus adjunxisset, duorum speciem exercituum servavit: altero L. Cincium partem insulæ, qua regnum Hieronis fuerat, tueri jussit: altero ipse cæteram insulam tuebatur; 5 divisam quondam Romani Punicique imperii finibus;

NOTÆ.

3. *Et Flaminio esse*.] Conjunctionem & delendam censet Gronov. quod scilicet velit dignitati Flaminis datum jus ingrediendi in Senatum, eadem ratione qua data esset toga prætexta & sella curulis. Ego tamen nihil movendum puto: est enim sensus hic, ut voluerit Valerius Flaccus sibi cum dignitate Flaminis, ejusque insignibus, datam esse facultatem illam intrandi in Senatum, tanquam sacerdotio illi cohærentem: quæ sententia parum differt à priore, integro textu.

4. *Ipsis non sacerdotio damno fuisse*.] Hoc exemplum ad plurima valet: sed duo in primis inde colligenda, tum inesse per se sacerdotio sanctitatem quandam, mutarique in melius eo inito mores: tum negligentiam priorum Sacerdotum nihil successoribus obesse.

5. *Divisam quondam*.] Himera fere interfluente.

Vrb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

[6] classe quoque navium septuaginta partita, ut omni ambitu litorum præsidia oræ maritimæ essent. Ipse cum Mutinis equitatu provinciam peragrabat; ut viseret agros, cultaque ab incultis notaret: & perinde dominos laudaret castigaretque. Ita tantum ea cura frumenti provenit, ut & Romam mitteret, [7] & Catanam conveheret. unde exercitui, qui ad Tarentum æstiva acturus esset, posset præberi.

IX. Cæterum transportati milites in Siciliam (& erant major pars Latini nominis, sociorumque) prope magni motus caussa fuere: ADEO EX PARVIS sæpe magnarum momenta rerum pendent. Fremitus enim inter Latinos, sociosque in conciliis ortus: *Decimum annum delectibus & stipendiis exhaustos esse. quotannis ferme clade magna pugnare. Alios in acie occidi, alios morbo absumi: magis perire sibi civem, qui ab Romano miles lectus sit, quam qui à Pœno captus. quippe ab hoste gratis remitti in patriam; ab Romanis extra Italiam in exilium verius, quam in militiam ablegari. Octavum jam ibi annum senescere Cannensem militem, moriturum antequam Italia hostis (quippe nunc quum maxime florens viribus) excedat. Si veteres milites non redeant in patriam, novi legantur, brevi neminem superfuturum. Itaque quod propediem res ipsa negatura sit, prius quam ad ultimam solitudinem atque egestatem perveniant, negandum populo Romano esse. Si consentientes in hoc socios videant Romani, profecto de pace cum Carthaginiensibus jungenda cogitaturos. aliter nunquam, vivo Annibale, sine bello Italiam fore.* Hæc acta in conciliis. Triginta tum coloniæ populi Romani erant. ex iis, duodecim, quum omnium legationes Romæ essent, [a] negaverunt consulibus, esse unde milites pecuniamque darent. Eæ fuere [1] Ardea, Nepete, Sutrium, Alba, Carseoli, Cora, Suessa, Circeji, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Nova re consules icti, quum absterrere eos à tam detestabili consilio vellent, castigando increpandoque plus quam leniter agendo profecturos rati, eos ausos esse consulibus dicere, ajebant, *quod consules in senatu ut pronunciarent, in animum inducere non possent. non enim detrectationem eam munerum militiæ, sed apertam defectionem à populo Romano esse.* Redirent

INTERPRETATIO.

a *Dixere Consulibus se nec milites, nec stipendia suppeditare posse.*

NOTÆ.

6. *Classis quoque navium septuaginta parata.*] Hanc vulgatem lectionem nihil opus erat immutare: non tamen improbabilis Gron. conjectura ex Put. *Classe quoque navium lxx. partita, ut omni ambitu litorum præsidia oræ maritimæ essent.* Ut nêpe, quemadmodum Q. Maximus Fabii Consulis filius partem exercitus L. Cincio attribuerat, alterâ parte sibi reservata; ita & classem diviserit, dimidiâ ejus parte sibi sumptâ, dimidiâ Cincio traditâ, quò per totum Insulæ ambitum præsidia essent ad tuendam oram maritimam. Vulgò *præsidio*, fortè non deteriùs, ut scilicet naves præsidio essent oræ maritimæ.

7. *Et Catanam conveheret.*] Hæc Siciliæ urbs in Orientali ora, Ætnæ monti subjecta, nunc *Catana* quoque dicitur.

1. *Ardea, Nepete, &c.*] De his deque sequentibus Coloniis egimus ad Decadem 1.

Urb. cond. ann. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

itaque propere in colonias, & tanquam integra re locuti magis quam ausi tantum nefas, cum suis consulerent: admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Romanos: inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augendæ caussa missos, quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla pietas, si memoria antiquæ patriæ esset. Consulerent igitur de integro. nam tum quidem quæ temere agitassent, ea prodendi imperii Romani, b *tradendæ Annibali victoriæ esse*. Quum alternis 1 hæc consules diu jactassent, nihil moti legati: neque se quod domum renunciarent, habere dixerunt, neque senatum suum quid novi consuleret, ubi nec miles qui legeretur, nec pecunia, quæ daretur in stipendium, esset. Quum obstinatos eos viderent consules, rem ad senatum detulerunt. ubi tantus pavor animis omnium est injectus, ut magna pars, *actum de imperio* diceret. *idem alias colonias facturas, idem socios; consensisse omnes, ad prodendam Annibali urbem Romanam*.

X. Consules hortari & consolari senatum, & dicere, *Alias colonias in fide atque officio pristino fore, eas quoque ipsas* 1 *quæ officio decessissent, si legati circa eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur, verecundiam imperii habituras esse*. Permissum ab senatu iis quum esset, agerent, facerentque, ut è republica ducerent; pertentatis prius aliarum coloniarum animis, citaverunt legatos: quæsiveruntque ab iis, a ecquid milites ex formula paratos haberent? 2 Pro duodeviginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit: *& milites ex formula paratos esse: & si pluribus opus esset, plures daturos: & quicquid aliud imperaret velletque populus Romanus, enixe facturos. ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse*. Consules, *sibi parum videri*, præfati, *pro merito eorum, sua voce collaudari eos, nisi universi Patres iis in curia gratias egissent*, sequi in senatum jusserunt. Senatus quàm poterat honoratissimo decreto allocutus eos, mandat consulibus, ut ad populum quoque, eos producerent. & inter

INTERPRETATIO.

b *Hæc spectare ad prodendum Imperium Romanum, atque ad victoriam in Annibalem transferendam.*

a *Num milites juxta præscriptum ordinem haberent paratos*, id est, tot & quales unaquæque Colonia ex veteri lege ac more deberet.

NOTÆ.

1. *Hæc Consules diu jactassent.*] Num meliùs, ut Sigonii liber: *hæc Consules demonstrassent?*

1. *Quæ officio decessissent.*] Sic meliores contra Borbetomagensem editionem, ubi: *quis ab officio decesserint*. Sed notandum aliud *decedere* re aliqua, vel de re aliqua; aliud decedere abs re: Liv. lib. 34. *potuisse se extra id periculum esse, si decedere fide, si conjurare cum cæteris maluissent*.

2. *Pro duodeviginti coloniis.*] Cluverius *undeviginti* legit: tot enim paulo post vulgò recensentur. Verum cum ante Livius triginta omnino numeraverit, atque ex eo numero duodecim dixerit recusasse delectum; sequitur ut non nisi octodecim supersint. Itaque deletis *Nolanis*, qui absunt ab Mss. numerus constabit. Fuerant coloniæ ad quinquaginta tres; sed pars interierant, pars in hostium erant potestate.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

multa alia præclara, quæ ipsis majoribusque suis præstitissent, recens etiam meritum eorum in rempublicam commemorarent. Ne nunc quidem post tot secula sileantur, fraudenturve laude sua. Signini fuere, & Norbani, Saticulanique, & Brundusini, & Fregellani, & Lucerini, & Venusini, & Adriani, & Firmani, & Ariminenses: & ab altero mari, Pontiani, & Pæstani, & Cosani: & mediterranei Beneventani, & Æsernini, & Spoletani, & Placentini, & Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi Romani stetit: iisque gratiæ, & in senatu, & ad populum actæ. Duodecim aliarum coloniarum quæ detrectaverunt imperium, mentionem fieri Patres vetuerunt, neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari à consulibus. ea tacita castigatio maxime ex dignitate populi Romani visa est. Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, consulibus; [3] aurum vicesimarium, [b] quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit. Prompta ad [4] quatuor millia pondo auri. inde [5] quingena pondo data consulibus, & M. Marcello, & P. Sulpicio proconsulibus, & T. Veturio prætori, qui Galliam provinciam sortitus erat; additumque Fabio Consuli [6] centum pondo auri præcipuum, quod in arcem Tarentinam portaretur, cætero usi sunt ad vestimenta [7] præsenti pecunia locanda exercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama ducisque gerebat.

XI. Prodigia quoque, prius quam ab urbe Consules proficiscerentur, procurari placuit. In Albano monte tacta de cœlo erant, signum Jovis, arborque templo propinqua, & Ostiæ lacus, & Capuę murus, Fortunęque ędes, & Sinuessę murus portaque. Hęc de cœlo tacta. Cruentam etiam fluxisse aquam Albanam, quidam auctores erant: & Romæ intus cellam ędis [1] Fortis Fortunę de capite [2] signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum. Et Priverni satis constabat bovem locutum; [3] volturiumq;

INTERPRETATIO.

b *In parte intima, & quasi penetralibus ærarii.*

NOTÆ.

3. *Aurum vicesimarium.*] Ex vectigali vicesimæ ab iis qui manumittebant, & pendi solitæ redactum: qua de re Liv. lib. 7.

4. *Quatuor millia pondo auri.*] Nobis æstimarentur vicies centenis ducentis quadraginta fermè millibus librarum.

5. *Quingena pondo.*] Nostra æstimatione, *deux cens vingt-huit mille livres à chacun*, aut circiter.

6. *Centum pondo auri præcipuum.*] Nobis hodie, *la valeur de cinquante six mille livres en or plus qu'à chacun des autres.*

7. *Locanda exercitui.*] Locari dicuntur quæ dantur facienda, non minùs quàm quæ dantur utenda fruenda: sic vestimenta certo pretio facienda artificibus data sunt, quæ militantibus in Hispania mitterentur. *Præsenti pecunia.* Gall. *Argent comptant.*

1. *Fortis Fortunę.*] Ædes Fortis Fortunæ fuit in foro Boario, regione Fori Romani, quæ Octava sub augusto.

2. *Signum quod in corona erat.*] Imagunculam significat, quæ in corona illius Deæ.

3. *Volturiumque.*] Pro vulture *volturius* quoque dicitur.

frequenti foro in tabernam devolasse; & Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac fœminam sexu infantem, quos,[4] androgynos vulgus (ut pleraque[a] faciliore ad duplicanda verba Græco sermone) appellat; & lacte pluisse, & cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis majoribus procurata, & supplicatio circa omnia pulvinaria, & obsecratio in unum diem indicta: & decretum, ut C Hostilius prætor ludos Apollinis, sicut his annis voti factique erant, voveret, faceretque. Per eos dies & censoribus creandis Q. Fulvius consul comitia habuit. Creati censores, ambo[5] qui nondum consules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus. Hi censores, ut agrum Campanum fruendum locarent, ex auctoritate Patrum[6] latum in plebem est, plebesque scivit. Senatûs lectionem contentio inter censores de principe legendo, tenuit.[b] Sempronii lectio erat, cæterum Cornelius *morem*[c] *traditum à patribus sequendum* ajebat: *ut qui primus censor ex iis qui viverent, fuisset, eum principem legerent*: is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, *cui Dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse Deos. Se id suo arbitrio facturum: lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanæ civitatis esse*[7] *vel Annibale judice victurus esset*. Quum certatum diu esset verbis, concedente collega, lectus à Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus Consul:[8] inde alius lectus senatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat: infamis auctor deserendæ Italiæ post Cannensem cladem.[d] In equestribus quoque notis eadem servata caussa. sed erant perpauci, quos ea infamia attingeret. Illis omnibus ([9] & multi erant) adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis fa-

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

INTERPRETATIO.

a *Græcâ linguâ, quæ liberius* & feliciùs quàm Latina, *per compositionem plura vocabula geminat & conjungit*.

b *Penes Sempronium erat jus nominandi* Principem Senatus & Senatum universum, quod sorte ipsi obvenerat.

c *A majoribus introductum*.

d *In equitum recensione & remotione ignominiosa, ratio quoque habita est ejusdem rei*, id est, consilii deserendæ Italiæ.

NOTÆ.

4. *Androgynos*.] Dicuntur iidem Hermaphroditi, desumpto nomine ab adolescente eximiæ formæ, quem Poetæ Mercurio & Venere genitum, atque à Salmaci Nympha adamatum, in unum cum ea corpus coaluisse ferunt.

5. *Qui nondum Consules fuerant*.] Id exemplo proximorum Censorum factum.

6. *Latum in plebem*.] Aliàs, *latum ad plebem*: est ergo *in* pro *apud*.

7. *Vel Annibale judice victurus esset*.] Gall. *Qu'il le gagneroit, qu'il l'emporteroit au dire mesme d'Annibal*: ou, *Quand Annibal mesme en seroit le juge*. Nam *vincere* dicitur is secundum quem judex pronunciat.

8. *Inde alius lectus Senatus*.] Gall. *Ensuite on nomma le reste du Senat*.

9. *Et multi fuerant*.] Pauci quidem auctores fuerant Italiæ relinquendæ, sed multi reliqui ex fuga Cannensi: utrisque adempti à censoribus ignominiæ causâ equi publici.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

cerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiverunt, qui equò merere deberent: atque ex iis, qui principio ejus belli [10] septemdecim annos nati fuerant, neque militaverant, omnes ærarios fecerunt. Locaverunt inde reficienda quæ circa forum incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium.

XII. Transactis omnibus, quæ Romæ agenda erant, consules ab bellum profecti: prior Fulvius prægressus Capuam. post paucos dies consecutus Fabius, qui & collegam coram obtestatus, & per literas Marcellum, ut quam acerrimo bello detineret Annibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret: ea urbe adempta hosti jam undique pulso, nec ubi consisteret, [a] nec quid fidum respiceret habenti, ne remorandi quidem caussam in Italia fore. Rhegium etiam nuncium mittit ad præfectum præsidii, quod ab Lævino Consule adversus Brutios ibi locatum erat, [b] octo millia hominum: pars maxima ab Agathyrna (sicut antea dictum est) ex Sicilia traducta, rapto vivere hominum assuetorum. additi erant Brutiorum indidem perfugæ, [c] & audacia & audendi omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad Brutium primum agrum depopulandum duci jussit, inde ad [1] Cauloniam urbem oppugnandam. Imperata non impigre solum, sed etiam avide exsecuti, direptis fugatisque cultoribus agri, summa vi urbem oppugnabant. Marcellus consulis literis excitus, & quia ita in animum induxerat, neminem ducem Romanum tam parem Annibali quam se esse, ubi primum in agris pabuli copia fuit, ex hibernis profectus, ad Canusium Annibali occurrit. Solicitabat ad defectionem Canusinos Pœnus. cæterum ut appropinquare Marcellum audivit, castra inde movit. Aperta erat regio sine ullis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde cœpit. Marcellus vestigiis instabat, [d] castraque castris conferebat: & opere perfecto, extemplo in aciem legiones educebat. Annibal turmatim per equites peditumque jaculatores levia certamina serens, casum universæ pugnæ

INTERPRETATIO.

a *Cum nihil haberet quo confidere, aut quò confugere posset.*

b *Quod* præsidium *octo millibus hominum* constabat.

c *Æquales* Siculis ex Agathyrna, *tum audacia, tum necessitate nihil non audendi*, ob crimina quæ eos alibi securè agere non sinebant.

d *Et castra sua locabat juxta castra Annibalis*, eum continuo insequens, *& statim atque munitionem* castrorum suorum *absolverat, instruebat aciem Romanam* ad pugnam.

NOTÆ.

10. *Septemdecim annos nati.*] Hæc plena pubertas, hoc legitimum sumendæ militiæ tempus.

1. *Ad Cauloniam.*] *Caulonia* sive *Caulon* priùs Aulon (Græco vocabulo quod convallem significat) oppidum fuit agri Locrensis inter Sagram fluvium, qui nunc *Sagriano*, & Cocintum promontorium. Locatur à Cluverio subdubitanter ubi nunc *Castelvettere* ad flumen *Alaro*, qui olim *Eleporus*, in ulteriori Calabria, ad oram maris Jonii. Alia fuit Aulonia in Sicilia, ab hujus Civibus, per Brutios domo pulsis, condita.

Urb. cond. ann. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

non necessarium ducebat. tractus est tamen ad id quod vitabat certamen. Nocte prægressum eum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus. 2 castra inde ponentem, pugnando undique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatumque totis copiis: & quum jam nox instaret, Marte æquo discessum est. castra exiguo distantia spatio, raptim ante noctem permunita. Postero die luce prima Marcellus in aciem copias eduxit. nec Annibal detrectavit certamen; multis verbis adhortatus milites, *ut memores Trasimeni, Cannarumque, contunderent ferociam hostis. urgere atque instare eum.* 3 *non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circumspicere. quotidie simul orientem solem & Romanam aciem in campis videndam esse. Si uno prælio haud incruentus abeat, quietius deinde tranquilliusque eum bellaturum.* His irritati adhortationibus, simulque tædio ferociæ hostium quotidie instantium lacessentiumque, acriter prælium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. cedere inde ab Romanis dextera ala, 4 & extraordinarii cœpere. Quod ubi Marcellus vidit, duodevicesimam legionem in primam aciem inducit. e Dum alii trepidi cedunt, alii segniter subeunt, turbata tota acies est: dein prorsus fusa; & vincente pudorem metu, terga dabant. Cecidere in pugna fugaque ad duo millia & septingenti civium sociorumque, 5 in his quatuor Romani centuriones, duo tribuni militum M. Licinius & M. Fulvius. Signa militaria quatuor de ala prima, quæ fugit: duo de legione quæ cedentibus sociis successerat, amissa.

XIII. Marcellus, postquam in castra reditum est, concionem adeo sævam atque acerbam apud milites habuit, ut prælio per diem totam infeliciter tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. *Diis immortalibus ut in tali re, laudes gratesque,* inquit, *ago, quod victor hostis cum tanto pavore incidentibus vobis in vallum portasque, non ipsa castra est aggressus. deseruissetis profecto eodem terrore castra, quo omisistis pugnam. Qui pavor hic, qui terror, quæ repente, qui, & cum quibus pugnaretis, oblivio animos cepit?*

INTERPRETATIO.

e *Cum extraordinarii, & qui in alabus, & octavadecima legionis milites ex dextera erant, trepidantes cederent hosti- cunda acie in primam procederent tardius.*

NOTÆ.

2. *Castra inde ponentem.*] Gall. *Comme Annibal estoit aprés à se loger, Marcellus attaqua ceux qui travailloient aux retranchemens, & l'empescha de fortifier son Cãp.*

3. *Non iter quietos facere.*] Gall. *Qu'il ne les laissoit en repos, ny dans leur marche ny dans leur campement; & ne leur donnoit pas le loisis de respirer & de se reconnoistre.*

4. *Et extraordinarii.*] Extraordinarii dicebantur selecti ex sociorum numero, qui in exercitu Romano militabant, tum equites pro tertia parte, tum pedites pro quinta; eximii nempe utriusque corporis, seligebantur qui circa Imperatorem assidui in via, in castris, in pugna, ei velut custodes extra ordinem adessent: unde *extraordinariorum* nomen: quo equites ab alaribus, pedites à cohortibus sociorum distinguebantur. Vide Lips. de Milit. Roman. lib. 2. dial. 7. ex Polyb.

5. *In his.*] In cæsorum numero;

Vrb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo & victos sequendo priorem æstatem absumpsistis: quibus dies noctesque fugientibus per hos dies institistis: quos levibus prœliis fatigastis, quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: cujus & ipsius pudere ac pœnitere vos oportet, referam. nempe æquis manibus hesterna die diremistis pugnam. Quid hæc nox, quid hæc dies attulit? vestræ [a] *his copiæ imminutæ sunt, an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis militibus. corpora tantum atque arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo, aut cohorti abstulisset? Adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur. vos illi hodierno die primum fugati exercitus dedistis decus.* Clamor inde ortus, *ut veniam ejus diei daret; ubi vellet deinde experiretur militum suorum animos. Ego vero experiar*, inquit, *milites: & vos crastina die in aciem educam, ut victores potius quam victi veniam impetretis, quam petitis.* Cohortibus, quæ signa amiserant, [1] hordeum dari jussit: centurionesque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, [2] districtis gladiis discinctos destituit: & ut postero die [3] omnes pedites equitesque armati adessent, edixit. Ita concio dimissa: [4] fatentium, jure ac merito sese increpitos. neque illo die virum quenquam in acie Romana fuisse, præter unum ducem, cui aut morte satisfaciendum, aut egregiâ victoriâ esset. Postero die armati ornatique [b] ad edictum aderant. Imperator eos collaudat: pronunciatque, *à quibus orta pridie fuga esset, cohortesque, quæ signa amisissent, se in primam aciem inducturum. edicere jam sese, omnibus pugnandum ac vincendum esse: & adnitendum singulis universisque, ne prius hesternæ fugæ quam hodiernæ victoriæ fama Romam perveniat.* Inde cibo corpora firmare jussit, ut si longior esset pugna, viribus sufficerent. Ubi omnia dicta factaque sunt, quibus excitarentur animi militum, in aciem procedunt.

INTERPRETATIO.

a *Nocte ac die.*
b *Secundum id quod edixerat* Marcellus.

NOTÆ.

1. *Hordeum dari.*] Hæc ignavorum & fugacium maximè pœna militaris erat, ut iis frumenti loco hordeum præberetur.

2. *Districtis gladiis discinctos destituit,*] Mavult Gron. *districtis*. id est, evaginatis, seu nudatis: nam *districtis* ex ipsius sententia idem esset ac *impeditis*. Mavult & *destitui*, repetito scilicet ex superioribus verbo *jussit*. An vero cingulo militiæ in perpetuum exuti & omnino exauctorati fuerint hi Centuriones, an vero ablatis ad tempus gladiis stare eos jusserit dubium cuipiam videri poterit. Posterius mihi pro certo: & recentior est acceptio verbi *destituere*, pro exauctorare. Quod ad *destringendi ac distringendi* verba attinet, video ea promiscuè, ac diversis utrunque significationibus sumi.

3. *Omnes pedites equitesque.*] Legi Gronv. jubet cum scriptis: *omnes equites pedites armati adessent*. Quod eo sensu acciperem, ut equites alæ dextræ, qui proximo prælio fugerant, jussi sint se, non in equis, sistere, sed *pedibus insistentes*: nisi vox *omnes* aliud demonstraret.

4. *Fatentium,*] Concio scilicet *militum*, qui fatebantur, &c.

XIV. Quod ubi Annibali nunciatum est: *Cum eo nimirum*, inquit, *hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat victoribus certamen*. Signa inde canere jussit, copias educit. Pugnatum utrinque aliquanto quam pridie acriùs est: Pœnis a ad obtinendum hesternum decus adnitentibus: Romanis ad demendam ignominiam. 1 Sinistra ala ab Romanis, & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant; & legio vicesima ab dextro cornu instructa. L. Cornelius Lentulus, & C. Claudius Nero legati, cornibus præerant: Marcellus mediam aciem, hortator testisque præsens, firmabat. Ab Annibale Hispani primam obtinebant frontem, & id roboris in omni exercitu erat. Quum anceps diu pugna esset; Annibal elephantos in primam aciem induci jussit: b si quem injicere ea res tumultum ac pavorem posset. Et primo turbarunt signa, ordinesque, & partim occulcatis, partim dissipatis terrore qui circa erant, nudaverant una parte aciem. latiusque fuga manasset, ni C. Decimius Flavus tribunus militum, c signo arrepto primi hastati manipulum ejus signi se sequi jussisset. duxit ubi maxime tumultum conglobatæ belluæ faciebant: pilaque in eas conjici jussit. Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, & tam conferta turba. sed ut non omnes vulnerati sunt; ita in quorum tergis infixa stetere pila, (2 ut est genus anceps) in fugam versi etiam integros avertere. Tum jam non unus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conjicere. eo magis ruere in suos belluæ: tantoque majorem stragem edere, quam inter hostes ediderant, d quanto acrius pavor consternatam agit, quam insidentis magistri imperio regitur. In perturbatam transcursu belluarum aciem signa inferunt Romani pedites, & haud magno certamine dissipatos, trepidantesque avertunt. Tum in fugientes equitatum im-

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

INTERPRETATIO.

a *Ut hesterna victoria gloriam servarent ac retinerent.*

b Tentans *utrùm ex eo aliquid tumultus & terroris posset* Romanis *inferri.*

c *Arrepto signo primi hastatorum manipuli.*

d. *Quò majore impetu* unaquæque harum belluarum *timore perculsa impellitur, quàm gubernetur ductu rectoris qui ipsi insidet.*

NOTÆ.

1. *Sinistra ala ab Romanis.*] At prædixerat Marcellus se in primam aciem inducturum eos à quibus orta pridie fuga erat; fugere autem cœperat dextera ala: nunc vero inducitur in primam aciem ala sinistra. Verùm potuit in sinistrum cornu transferri quæ priùs dextrum obtinuerat: potuit & ala una ita dividi, ut in prima acie utrunque cornu obtineret. Legio quoque vicesima in dextro cornu ita locari potuit, ut in secunda acie postridie steterit unà cum duodevicesima: quæ in sinistrum cornu rejecta fuerit, cum pridie in dextro pugnasset.

2. *Ut est genus anceps.*] Vult Elephantorum generis, non semper in bello certum esse usum, ut qui sæpe in suos, non minùs quam in hostes, irruant. Quemadmodum nunc, cum vulnerati Elephanti, eos quoque, qui vulnerati non erant, secum in fugam traxerunt.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. iv.

mittit Marcellus, nec ante finis sequendi est factus, quam in castra paventes compulsi sunt. Nam super alia, quæ terrorem trepidationemque facerent, elephanti quoque duo in ipsa porta corruerant, coactique erant milites per fossam vallumque ruere in castra. ibi maxima hostium cædes facta: cæsa ad octo millia hominum, quinque elephanti. Nec Romanis incruenta victoria fuit. mille ferme, & septingenti de duabus legionibus, & sociorum supra mille & trecentos occisi: vulnerati permulti civium, sociorumque. Annibal nocte proximâ castra movit. Cupientem insequi Marcellum prohibuit multitudo sauciorum.

XV. Speculatores, qui prosequerentur agmen missi, postero die retulerunt, Brutios Annibalem petere. Iisdem ferè diebus & ad Q. Fulvium Consulem Hirpini & Lucani, & [1] Volscentes, traditis præsidiis Annibalis, quæ in urbibus habebant, dediderunt sese, clementerque à consule cum verborum tantum castigatione, ob errorem præteritum, accepti. [2] Et Brutiis similis spes veniæ facta est: quum ab iis Vibius & Pactius fratres, longe nobilissimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent. Q. Fabius consul oppidum in Salentinis [3] Manduriam vi cepit. ibi ad quatuor millia hominum capta; & cæteræ prædæ aliquantum. Inde Tarentum profectus, in ipsis faucibus portûs posuit castra. naves, quas Livius tutandis commeatibus habuerat, [4] partim machinationibus onerat, apparatuque mœnium oppugnandorum; partim tormentis & saxis, omnique missilium telorum genere instruit: onerarias quoque, [5] non eas solum, quæ remis agerentur; ut alii machinas scalasque ad muros ferrent, alii procul ex navibus vulneraret mœnium propugnatores. Eæ naves ab aperto mari, ut urbem aggrederentur, instructæ paratæque sunt. Et erat liberum mare, classe Punicâ, quum Philippus oppugnare Ætolos pararet, Corcyram transmissa. In Brutiis interim Caulonis oppugnatores, sub adventum Annibalis ne opprimerentur, in tumulum

NOTÆ.

1. *Volscentes.*] *Hirpini* & *Lucani* gentium nomina sunt; *Volscentes*, oppidi unius: idem *Volscentani* dicuntur à Plinio, qui eis junctos ait Numestranos. Cluverius inter Consentiam & Numistronem ponit circa fontes *Ocinari*, (qui hodie *Turbido*) ubi nunc *Clocento* in utriusque Calabriæ confinio.

2. *Et Brutiis.*] Universæ nimirum genti, cujus pars Volscentes.

3. *Manduriam.*] Dicitur & *Mandurium* & *Manduria* in plurali numero, inter Neretum (vulgò *Nardo*) & Tarentum, in Salentinis, quæ nunc pars Hydruntinæ terræ: oppidum illud vulgò *Mandula*, ut Nigro placet, aliis *Casalnuovo*. unde haud procul lacus *Andoria* qualis Manduriis appositus apud Plinium.

4. *Partim machinationibus.*] Distinguit has *machinationes* à tormentis, ac deinde machinas scalasque conjungit, quas homines ad muros ferrent. Itaque Machinationum nomine *turres*, intelligit aliave machinamentorum genera, quæ Rom. navibus ad muros admovebant.

5. *Non eas solùm quæ remis agerentur.*] Non adjicit, sed & eas *quæ velis agerentur*, quia hoc ex illo sequitur.

à præsenti impetu tutum, [6] ad cætera inopem, se recepere. Fabium Tarentum obsidentem leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam adjuvit. Præsidium Brutiorum datum ab Annibale Tarentini habebant. ejus præsidii præfectus deperibat amore mulierculæ, cujus frater in exercitu Fabii consulis erat. Is certior literis sororis factus de nova consuetudine advenæ locupletis, atque inter populares tam honorati, spem nactus per sororem quolibet impelli amantem posse; quid speraret, ad consulem detulit. quæ quum haud vana cogitatio visa esset, pro perfuga jussus Tarentum transire, ac per sororem præfecto conciliatus, primò occultè animum ejus tentando, dein satis exploratâ levitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad proditionem custodiæ loci, cui præpositus erat. Ubi & ratio agendæ rei, & tempus convênit; miles nocte per intervalla stationum clam ex urbe emissus, ea quæ acta erant, quæque, ut agerentur, convenerat, ad consulem refert. Fabius vigilia prima, dato signo iis qui in arce erant, quique custodiam portus habebant, ipse circuito portu, ab regione urbis in orientem versa occultus consedit. Canere inde tubæ simul ab arce, simul à portu & ab navibus, quæ aperto mari appulsæ erant; clamorque undique cum ingenti tumultu, unde minimum periculi erat, de industria ortus. Consul interim silentio continebat suos. Igitur Democrates, qui præfectus antea classis fuerat, [7] fortè illo loco præpositus, postquam quieta omnia circa se vidit, alias partes eo tumultu personare, ut captæ urbis interdum excitaretur clamor; veritus ne inter cunctationem suam consul aliquam vim faceret, signaque inferret; præsidium ad arcem, unde maxime terribilis accidebat sonus, traducit. Fabius, quum ex temporis spatio & ex silentio ipso (quod ubi paulo ante strepebant excitantes vocantesque ad arma, [a] inde nulla accidebat vox) deductas custodias sensisset; ferri scalas ad eam partem muri, qua Brutiorum cohortem præsidium agitare proditionis conciliator nunciaverat, jubet. Eà primùm est captus murus; adjuvantibus recipientibusque Brutiis: & transcensum in urbem est. inde & proxima refracta porta, ut frequenti agmine signa inferrentur. Tum clamore sublato, sub ortum fermè lucis, nullo obvio armato in forum perveniunt: omnesque undique, qui ad arcem portumque pugnabant, in se convertermnt.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fabio Maximo v. & Q. Fulvio Flacco IV.

XVI. Prælium in aditu fori majore impetu, quam perseverantiâ

INTERPRETATIO.

a *Nihil strepitûs ea parte excitabatur: vox inde nulla ad se perveniebat.*

NOTÆ.

6. *Ad cætera inopem.*] Hæc ignorant Scripti & veteres editiones. Erit itaque additamentum loco glossematis.

7. *Fortè illo loco.*] Rhen. scribebat *illi loco*: sed optimi, tum scripti, tum editi habent *illo loco*: nec tam loco ipsi, quàm iis qui illo loco erant, præpositus intelligi debet Democrates.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fabio Max. v. & Q. Fulvio Flacco iv.

commissum est. non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis par Romano Tarentinus erat. Igitur pilis tantùm conjectis, priùs penè quam consererent manus, terga dederunt, dilapsique per nota urbis itinera in suas amicorumque domos. Duo ex ducibus Nico & Democrates, fortiter pugnantes cecidere. Philomenus qui proditionis ad Annibalem auctor fuerat, quum citato equo ex prælio avectus esset; vagus paulo post equus errans per urbem cognitus: corpus nusquam inventum est. creditum vulgo est, ᵃ in puteum apertum ex equo præcipitasse. Cartalonem autem præfectum Punici præsidii, cum commemoratione paterni hospitii positis armis venientem ad consulem, miles obvius obtruncat. Alii alios passim sine discrimine armatos, inermes, cædunt; Carthaginienses Tarentinosque pariter. Brutii quoque multi passim interfecti, seu per errorem, ¹ seu vetere in eos insito odio: seu ad proditionis famam (ut vi potius atque armis captum Tarentum videretur) extinguendam. Tum ab cæde ad diripiendam urbem discursum. millia triginta servilium capitum dicuntur capti: ingens argenti vis facti signatique: ² auri octoginta septem millia pondo: signa tabulæque prope ut Syracusarum ornamenta æquaverint. Sed majore animo generis ejus prædâ abstinuit Fabius quam Marcellus: qui interroganti scribæ, ³ quid fieri signis vellet (ingentis magnitudinis Dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) *Deos iratos Tarentinis relinqui* jussit. Murus inde, qui urbem ab arce dirimebat, dirutus est ac disjectus. Dum hæc Tarenti aguntur, Annibal iis, qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarenti, dies noctesque cursim agmine acto quum festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset; *Et Romani*, inquit, *suum Annibalem habent. eadem, qua ceperamus, arte, Tarentum*

INTERPRETATIO.

ᵃ *Præcipitem equo excidisse*, aut *se præcipitem dedisse ex equo in apertum puteum*.

NOTÆ.

1. *Vetere in eos insito odio.*] Romanis odio *Brutii* erant, ea præsertim de causa quòd primi totius Italiæ ad Annibalem descivissent. Idcirco devictis Pœnis, Brutios Romani ignominiæ causâ Magistratibus in provincias euntibus servorum vice ministrare jusserunt: unde Lorarii seu Lictores, tortoresque *Brutiani* dicti, auctore A. Gell. 10.3.

2. *Auri octoginta septem millia pondo.*] Æquipollent, nisi errat calculus, libris Francicis argenteis trecenties tricies centenis septingentis ac viginti millibus: (33720000. l.) quæ summa suspecta est Glareano. Quare sic interpungit: *Argenti vis ingens, facti signatique auri* LXXXVII. *pondo*, ut hoc aurum, non totum in pecunia numerata fuerit, sed non minima ex parte in vasis, annulis, torquibus omnique instrumentorum atque ornamentorum genere. Plut. prædam Tarentinam universam tribus millibus talentorum æstimat: quæ non ultra septuagies centena & ducenta millia librarum excurrerent (7200000.)

3. *Quid fieri signis vellet.*] Gall. *Ce qu'il vouloit que l'on fist des statuës*. Ita meliores, elegantiùs quàm cum vulgo: *quid fieri de signis vellet*.

amisimus. Nec tamen fugienti modo convertisse agmen videretur; 4 quo constituerat loco, quinque millia ferme ab urbe posuit castra. ibi paucos moratus dies, Metapontum sese recepit. inde duos Metapontinos cum literis principum ejus civitatis ad Fabium Tarentum mittit: fidem ab consule accepturos, impunita iis priora fore, si Metapontum ei cum præsidio Punico prodidissent. Fabius vera quæ afferrent, esse ratus, diem qua accessurus esset Metapontum, constituit: literasque ad principes dedit, quæ ad Annibalem delatæ sunt. Enimvero lætus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo invictus fuisset; haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti, prius quam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt. hostiâ quoque cæsâ consulenti Deos, aruspex, cavendum à fraude hostili, & ab insidiis, prædixit. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi ut cunctantem hortarentur, ac repente comprehensi, metu gravioris quæstionis detegunt insidias.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. V. & Q. Ful. Flac. IV.

XVII. Æstatis ejus principio, qua hæc agebantur, P. Scipio in Hispania quum hiemem totam reconciliandis barbarorum animis, partim donis, partim remissione obsidum captivorumque absumpsisset; 1 Edesco ad eum, clarus inter duces Hispanos, venit. Erant conjux liberique ejus apud Romanos. Sed præter eam caussam, etiam velut fortuita inclinatio animorum, quæ Hispaniam omnem averterat ad Romanum à Punico imperio, traxit eum. Eadem caussa 2 Indibili Mandonioque fuit, haud dubie omnis Hispaniæ principibus, cum omni popularium manu, relicto Asdrubale, secedendi in imminentes castris ejus tumulos, unde a per continentia juga tutus receptus ad Romanos esset. Asdrubal quum hostium res tacitis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore ut, nisi audendo aliquid moveret, 3 quà cœpissent, fluerent; di-

INTERPRETATIO.

a *Per montes qui continui* ad Romanorum castra pertingebant.

NOTÆ.

4. *Quo constituerat loco.*] Vulgò *quo constiterat loco:* sed in optimis est, *quo constituerat loco;* quod Gron. notat: id est, eo loco ubi jam suos ad modicam quietem statuerat. Ita Sallust. bel. Jugurth. cap. 49. loquens de Metello: *dein brevi cognitis insidiis, paulisper agmen constituit.* Et noster lib. 9. ubi *cum constituisset Romanos*. Fatendum tamen est ab hac ipsa sententia non abire vulgarem lectionem: idem enim revera est, aliquo loco cum exercitu consistere, & aliquo loco exercitum constituere.

1. *Edesco ad eum.*] Polybio est *Edeco.*

2. *Indibili Mandonioque.*] Ilergetum Reguli erant.

3. *Quà cœpissent, fluerent.*] Ita membranæ & Editi melioris notæ; contra Rhenanum, cui probatur, *quà cœpissent, ruerent*. Lectionem priorem tuetur pluribus Gronov. Et fluere pro *effluere, deficere, dilabi*, haud dubiè dicitur: nec opus erat exemplorum congerie qualis eam in rem ab ipso adducta. Sed nec eo sensu, opinor, id verbum hoc loco accipi necesse est. Vult enim Livius vidisse Asdrubalem, nisi aliquid novi molitetur, quo Hispanorum animi averti à Romanis, atque ad Pœnorum partes reduci possent; futurum ut res quæ ad Romanos inclinare cœperant, ad eosdem omnino vergerent, & aquarum more eodem cursu ad illos *fluerent* seu decurrere pergerent.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. V. & Q. Ful. Flac. IV.

micare quamprimum statuit. Scipio avidior etiam certaminis erat; b cum à spe, quam successus rerum augebat; tum quod prius, quum jungerentur hostium exercitus, cum uno dimicare duce exercituque, quam simul cum universis, malebat. Cæterum, etiam cum pluribus pariter dimicandum foret, arte quadam copias auxerat. Nam quum videret nullum esse navium usum, quia vacua omnis Hispaniæ ora classibus Punicis erat, c subductis navibus Tarracone, navales socios terrestribus copiis addidit. & armorum affatim erat captorum Carthagine: & quæ post captam eam fecerat, d tanto opificum numero incluso. Cum iis copiis Scipio veris principio ab Tarracone egressus (jam enim & Lælius redierat ab Roma, e sine quo nihil majoris rei motum volebat) ducere ad hostem pergit. Per omnia pacata eunti, f ut cujusque populi fines transiret, prosequentibus excipientibusque sociis, Indibilis & Mandonius cum suis copiis occurrerunt. Indibilis pro utroque locutus, haudquaquam ut barbarus stolide incauteque, sed potius cum verecunda gravitate: propiorque *excusanti transitionem ut necessariam, 4 quam glorianti eâ velut ad primam occasionem raptâ. Scire enim se, 5 transfugæ nomen execrabile veteribus sociis, novis suspectum esse. Neque eum se reprehendere morem hominum, g si tamen anceps odium caussa, non nomen, faciat. Merita inde sua in duces Carthaginienses* commemoravit, *avaritiam contrà eorum, superbiamque, & omnis generis injurias in se atque populares. Itaque corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse: animum jam pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederet coli. ad Deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque injurias pati. Se id Scipionem orare, ut transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit. quales ex hac die experiundo cognoverit, perinde operæ eorum pretium faceret. Ita prorsus* respondet *facturum* Romanus: *nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint societatem ratam, ubi nec divini quicquam nec humani sanctum esset.* Productæ deinde in conspectum iis conjuges liberique, lachrymantibus gaudio redduntur, atque eo die in hospitium abducti. Postero die fœdere accepta fides, dimissi-

INTERPRETATIO.

b *Tum propter spem, &c.*

c *Navigiis ad portum Tarraconensem adductis, adjecit exercitui terrestri milites qui in navibus erant.*

d *Cum infinitum propè numerum artificum*, qui apud Carthaginem novam inventi, in urbis illius *officinis reclusisset*.

e *Absque cujus opera & ministerio nolebat quicquam moliri quod majoris momenti esset.*

f *Cum sociorum populorum, alii eum comitarentur, alii venientem exciperent, prout fines uniuscujusque transibat.*

g *Modo causa* transfugii *non ipsum nomen* transfugæ, *dubium reddat odium* impendens ab utrisque.

NOTÆ.

4. *Quam glorianti eâ.*] Palatini Codices habent: *eam velut primam occasionem raptam*, quod Gronov. placet. Sed hæc tanti non sunt.

5. *Transfugæ nomen.*] Sumpta videtur hæc sententia ex orat. Legati Mitylenæi apud Thucyd. lib. 3. cap. 17.

que ad copias adducendas. 6 Iisdem deinde in castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem perventum est. Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. V. & Q. Ful. Flac. IV.

XVIII. Proximus Carthaginiensium exercitus Asdrubalis 1 prope urbem Bæculam erat. Pro castris equitum stationes habebat. In eas velites antesignanique, & qui primi agminis erant, advenientes ex itinere, priusquam castris locum caperent, adeo contemptim impetum fecerunt, ut facile appareret, quid utrique parti animorum esset. In castra trepidâ fugâ compulsi equites sunt: signaque Romana portis prope ipsis illata. Atque illo quidem die irritatis tantum ad certamen animis castra Romani posuerunt. Nocte Asdrubal in tumulum copias recepit, plano campo in summo patentem: fluvius ab tergo, antè circaque, velut ripa præceps, oram ejus omnem cingebat. Suberat & altera inferior summissa fastigio planities. eam quoque altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. In hunc inferiorem campum postero die Asdrubal, postquam stantem pro castris hostium aciem vidit; 2 equites Numidas, leviumque ar-

INTERPRETATIO.

a Campus altior amnem habebat à à tergo, à fronte atque ab lateribus, crepidine cingebatur, quæ similis erat præruptis amnium ripis.

NOTÆ.

6. *Iisdem deinde in castris tendebant.*] Gron. ex Put. cui consonat Colb. *Iis castris tenebant*: quod fulcire nititur auctoritate, tum ipsius Livii lib. 28. ubi, *Læva Celtiberos, novum exercitum, supra novem millia hominum; dextra Punica tenere*: sed ibi *tenebant* refertur ad læva, & dextra, nimirum loca. Addit Valer. Flaccum ex scripto Oxoniensi, apud quem: *hinc lævo Telamon pelago tenet*. Sed ibi vulgo legitur: *lævum pelagus tenet*. Malim itaque ex recepta magis scriptura *tendebant*, id est, conjunctis cum Scipione copiis, cum eo castra metabantur, sive in ipsius castris tentoria habebant.

1. *Prope urbem Bæculam.*] Memoratur hoc oppidum Polybio, qui Βαίκυλα in plurali numero vocat. Ptolemæus Authetanis sive Ausetanis tribuit. In Reg. editisque pluribus scribitur *Betula*, in Colb. *Besula*. Unde in suspicionem venio eam urbem fuisse quæ nunc *Besalu* in Cataloniæ tractu Emporitano. Favet Asdrubalis consilium de transitu in Galliam cogitantis, apud nostrum, & Polyb. Sed negotium facessit quod idem Polybius Castuloni vicinum facit hunc locum, sive, ut ipse nominat Κασταλῶνι: & noster mox cap. 20. testatur paucis post prælium factum ad Bæculam diebus, Scipionem cum rediret Tarraconem, *saltu Castulonensi* excessisse: unde sequi videtur Bæculam non in Ausetanis, sed in Oretanis, certè procul ab Ausetanis & Tarracone fuisse. Accedit quod initio cap. 19. dicitur Asdrubal, commisso ad Bæculam prælio, præter Tagum, qui in Celtiberorum finibus oritur, per Carpetanos longe ab Tarracone dissitos fluit. Simile veri videtur prælium in *Castellanorum* regione, cui vicini Ausetani, commissum fuisse; nec Castulonensi, sed *Castellanensi saltu* Scipionem rediisse Tarraconem; Asdrubalem verò qui paulò antè victus secundum *Tecum* seu Tichim fluvium, (hodie *le Tech*) qui eo tractu oritur, ad Pyrenæum contenderet: Livium autem exemplo Polybii pro fluviolo minoris nominis *Teco*, (ut à Plinio vocatur) *Tagum* subjecisse notissimum flumen. Nam etsi non procul Tago commissum fuisset prælium, non per saltum Castulonensem, sed per Idubedam montem rectum iter Scipioni Tarraconem redeunti erat.

2. *Equites Numidas, &c. demisit.*] Gall. *Asdrubal fit descendre la Cavalerie Numidienne, &c. dans le champ qui estoit au dessous de son camp, mais plus élevé que la campagne voisine.*

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. V. & Q. Ful. Flac. IV.

morum Baleares, & Afros demisit. Scipio circumvectus ordines signaque, ostendebat hostem: *prædamnata spe æquo dimicandi campo, captantem tumulos, loci fiduciâ, non virtutis armorumque stare in conspectu. sed altiora mœnia habuisse Carthaginem, quæ transcendisset miles Romanus. Nec tumulus, nec arcem, ne mare quidem armis obstitisse suis.* 3 *ad id fore altitudines, quas cepissent hostes, ut per præcipitia & prærupta salientes fugerent. eam quoque se illis fugam clausurum.* Cohortesque duas, alteram tenere fauces vallis, per quam deferretur amnis, jubet: alteram viam insidere, quæ ab urbe per tumuli obliqua in agros ferret. ipse expeditos, qui pridie stationes hostium pepulerant, ad levem armaturam 4 infimo stantem supercilio ducit. 5 Per aspreta primo, 6 nihil aliud quam viâ impediti iere. deinde ut sub ictum venerunt, telorum primo omnis generis vis ingens effusa est in eos: ipsi contrà saxa, quæ locus strata passim, 7 omnia ferme missilia, præbet, ingerere. non milites solum, sed etiam turba calonum immixta armatis. Cæterum quanquam ascensus difficilis erat, & prope obruebantur telis saxisque, b assuetudine tamen succedendi muros & pertinaciâ animi, c subierunt primi. Qui, simul cepere aliquid æqui loci, ubi firmo consisterent gradu; levem & concursatorem hostem, atque intervallo tutum, quum procul missilibus pugna eluditur, instabilem eundem ad cominus conferendas manus, expulerunt loco: & cum cæde magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere. Inde Scipio jussis adversus mediam evadere aciem victoribus, cæteras copias cum Lælio dividit; atque eum parte dextra tumuli circumire, donec mollioris ascensus viam inveniret, jubet. ipse ab læva, circuitu haud magno, in transversos hostes incurrit. Inde primo turbata acies est, dum ad circumsonantem undique clamorem flectere cornua & obvertere ordines volunt. Hoc tumultu & Lælius subiit, & dum pedem referunt, ne ab tergo vulnerarentur, laxata prima acies, locusque ad evadendum & mediis datus est: qui per tam iniquum locum, stantibus

INTERPRETATIO.

b *Muros subeundi, seu ascendendi.*
c *Qui proximi hostibus erant, ascenderunt* in tumulum.

NOTÆ.

3. *Ad id fore altitudines.*] Gall. *Que ces eminences occupées par les ennemis ne serviroient qu'à les engager à fuir par des precipices, &c.*

4. *Infimo stantem supercilio.*] Gall. *Qui estoient logez embas sur la ravine.* Supercilium dicitur pars collis eminentior, sic apud Virgil. 1. Georg.

Ecce supercilio clivosi tramitis undam Elicit.

Ductâ metaphorâ ab hominum superciliis, quæ supra oculos eminent.

5. *Per aspreta.*] Scripti *per asperæ*, scilicet loca.

6. *Nihil aliud quàm viâ impediti.*] Rectum videbatur; *nullo alio quam viâ impediti*: sed non ineleganter accusativo utitur: *nihil aliud impediti*, quasi *non aliter impediti* quàm viæ difficultate.

7. *Omnia fermè missilia.*] Adjectivè dicuntur *missilia* saxa, ad jaciendum idonea.

integris ordinibus, elephantisque ante signa locatis, nunquam evasissent. Quum ab omni parte cædes fierent, Scipio, qui lævo cornu in dextrum incurrerat, maxime in nuda hostium latera pugnabat. Et jam ne fugæ quidem patebat locus. nam & stationes utrinque Romanæ dextra lævaque insederant vias; & portam castrorum ducis principumque fuga clauserat; addita trepidatione elephantorum, quos territos æque atque hostes timebant. Cæsa igitur ad octo millia hominum.

Urb. Cond. Ann. 544. Coss. Q. Fab. Max. V. & Q. Fulv. Flacc. IV.

XIX. Asdrubal jam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantisque præmissis, quam plurimos poterat de fuga excipiens; 1 præter Tagum flumen ad Pyrenæum tendit. Scipio castris hostium potitus, quum præter libera capita omnem prædam militibus concessisset; in recensendis captivis decem millia peditum, duo millia equitum invenit. ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit. Afros vendere quæstorem jussit. Circumfusa inde multitudo Hispanorum & ante deditorum, & pridie captorum, *regem* eum ingenti consensu appellavit. Tum Scipio, silentio per præconem facto, *sibi maximum nomen imperatoris esse* dixit, *quo se milites sui appellassent. regium nomen, alibi magnum, Romæ intolerabile, esse. Regalem animum in se esse: si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, taciti judicarent, vocis usurpatione abstinerent.* Sensere etiam barbari magnitudinem animi, cujus miraculo nominis alii mortales stuperent, id a ex tam alto fastigio aspernantis. Dona inde regulis principibusque Hispanorum divisa, & ex magna copia captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem jussit. Quum Afros venderet jussu imperatoris quæstor, puerum adultum inter eos forma insigni, quum audisset regii generis esse, ad Scipionem misit. quem quum percunctaretur Scipio, *quis, & cujas, & cur id ætatis in castris fuisset; Numidam esse*, ait, *Massivam populares vocare.* 2 *orbum à patre relictum, apud maternum avum Galam regem Numidarum educatum:* 3 *cum avunculo Masinissa, qui nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam trajecisse. Prohibitum propter ætatem à Masinissa, nunquam ante prælium iniisse. Eo die, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio avunculo clam armis equoque sumpto in aciem exisse: ibi prolapso equo effusum in præceps, captum ab Romanis esse.* Scipio quum asservari Numidam jussisset, quæ pro tribunali agenda erant, peragit. inde quum se in prætorium recepisset, vocatum eum interrogat, velletne ad Masinissam reverti? quum effusis gaudio lachrymis, *cupere verò*, diceret; tum puero

INTERPRETATIO.

a *Qui velut ex multò eminentiore loco despiciebat nomen regis, quod homines ceteri velut admirabile suspicerent.*

NOTÆ.

1. *Præter Tagum flumen.*] Legendum auguror: *præter Tecum*, ob rationes superiori cap. allatas: & hic fl. juxta Pyrenæum.

2. *Orbum à patre relictum.*] Ita rectè & editi, & scripti quibus utor. Alii perperam *orbum à patre factum*.

3. *Cum avunculo Masinissa.*] Imò cum patruo. Nam Masinissa eum fratris filium vocat, 28. 35. Avus ergo Massivæ paternus Gala, non maternus.

Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Fulv. Flac. iv.

annulum aureum, [4] tunicam lato clavo cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equumque ornatum donat, jussisque prosequi quoad vellet equitibus dimisit.

XX. De bello inde consilium habitum & auctoribus quibusdam, ut confestim Asdrubalem persequeretur; anceps id ratus, ne Mago atque alter Asdrubal cum eo jungerent copias, præsidio tantum [1] ad insidendum Pyrenæum misso, ipse reliquum æstatis recipiendis in fidem Hispaniæ populis absumpsit. Paucis post prælium factum ad Bæculam diebus; quum Scipio rediens jam Tarraconem [2] saltu Castulonensi excessisset; Asdrubal Gisgonis filius & Mago imperatores [3] ex ulteriore Hispania ad Asdrubalem venere; serum post male gestam rem auxilium, [a] consilio in cætera exsequenda belli haud parum opportuni. Ibi conferentibus, quid in cujusque Provinciæ regione animorum Hispanis esset, unus Asdrubal Gisgonis, ultimam Hispaniæ oram, quæ ad Oceanum & Gades vergit, ignaram adhuc Romanorum esse, eoque Carthaginiensibus satis fidam censebat. Inter Asdrubalem alterum & Magonem constabat, *beneficiis Scipionis occupatos omnium animos publice privatimque esse:* [b] *nec transitionibus finem antè fore, quam omnes Hispani milites aut in ultima Hispaniæ amoti, aut traducti in Galliam forent. Itaque* [4] *etiamsi senatus Carthaginiensium non censuisset, eundum tamen Asdrubali fuisse in Italiam, ubi belli caput rerumque summa esset.* [c] *simul ut Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex Hispania abduceret. exercitum ejus cum transitionibus, tum adverso prælio imminutum, Hispanis repleri militibus: & Magonem, Asdrubali Gisgonis filio tradito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda mercede auxilia in Baleares trajicere; Asdrubalem Gisgonis cum exercitu penitus* [5] *in Lusitaniam abire: nec cum Romanis manus conferere; Masinissæ ex omni equitatu quod roboris esset, tria millia equitum*

INTERPRETATIO.

a *Idonei tamen ad consilium præbendum ad reliqui belli administrationem.*

b *Nec cessatura transfugia* Hispanorum ad Romanos.

c *Tum quia caput belli & summa rerum in Italia: tum etiam quia abducendi procul à Scipione Hispani erant.*

NOTÆ.

4. *Tunicam lato clavo.*] Quasi Senatorio insigni.

1. *Ad insidendum Pyrenæum.*] Ut Asdrubali victo in Galliam transituro iter præciperet.

2. *Saltu Castulonensi.*] Nam potiùs *Castellanensi,* vide cap. 18. *Bæculam.* Totus certè tractus ille montosus.

3. *Ex Ulteriore Hispania.*] Mago enim in confinio Bæticæ hibernasse videtur: Asdrubal Gisgonis versus Gades in Lusitaniæ Bæticæque confinio. Vide 22. 21.

4. *Etiamsi Senatus Carthaginiensium non censuisset.*] Id quidem censuerat Senatus Carthaginiensis, supr. 23. 27. sed remoto ac secluso ejus decreto, necessaria videbatur hæc Asdrubalis in Italiam expeditio.

5. *In Lusitaniam.*] Pars extrema Ulterioris Hispaniæ versus Occasum, nunc *Portugallia* magna ex parte: quod regnum plus in longitudinem, minùs in latitudinem patet. Nã Castellæ Occidentalioris pars, veteris Lusitaniæ regionẽ Orientalẽ invasit.

expleri: eumque vagum[6] *per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hostium oppida atque agros populari*. his decretis, ad exsequenda quę statuerant, duces digressi. Hęc eo anno in Hispania acta. Romę fama Scipionis in dies crescere. Fabio Tarentum captum[7] astu magis quam virtute, glorię tamen esse. Fulvii senescere fama: Marcellus etiam adverso rumore esse, super quam quod primo male pugnaverat, quia vagante per Italiam Annibale, media ęstate[8] Venusiam in tecta milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus plebis. Is jam à prima pugna, quę adversa fuerat, assiduis concionibus infamem invisumque plebei Claudium fecerat, & jam[9] de imperio abrogando ejus agebat: [10] tum tamen necessarii Claudii obtinuerunt, ut relicto Venusię legato, Marcellus Romam rediret ad purganda ea [11] quę inimici decernerent: nec de imperio ejus abrogando absente ipso ageretur, Forte sub idem tempus & Marcellus ad deprecandam ignominiam, & Q. Fulvius consul comitiorum causa Romam venit. Urb. cond. an. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Fulv. Flac. IV.

XXI. Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio est, ingenti concursu plebisque & omnium ordinum. Accusavitque tribunus plebis, non Marcellum modo, sed omnem nobilitatem. *Fraude eorum & cunctatione fieri, ut Annibal decimum jam annum Italiam provinciam habeat: diutius ibi quam Carthagine vixerit. Habere fructum imperii prorogati Marcello populum Romanum. bis cæsum exercitum ejus, æstiva Venusiæ sub tectis agere*. Hanc tribuni orationem ita obruit Marcellus commemoratione rerum suarum, ut non rogatio solum de imperio ejus abrogando antiquaretur, sed postero die consulem eum ingenti consensu centurię omnes crearent. Additur collega T. Quintius Crispinus, qui tum prętor erat. Postero die prętores creati P. Licinius Crassus Dives, pontifex Maximus

NOTÆ.

6. *Per Citeriorem Hispaniam*.] Hispania Citerior quæ initio hujus belli Ibero finiebatur, jam nunc longè ultra eum fluvium porrigi cœperat, victoriis Scipionis amplificata.

7. *Astu magis quam virtute*.] Ita disertè Reg. quo utimur. Colb. aliique, *ingenio magis quam virtute*. Alii aliter.

8. *Venusiam ..... milites abduxisset*.] Pro *Venusia*. Plut. *Sinuessam* nominat ut nota Sigon.

9. *De imperio abrogando ejus*.] Planum erit si dicamus: *de ejus imperio abrogando*: aut legendum erit, *abrogando ei*: vel cum Sigon. *de imperio ei abrogando*.

10. *Tum tamen necessarii*.] Variant exemplaria: non pauca habent, *cum tamen*. Colb. *cum tam*: sed in Reg. cujus mihi copia, *tum tamen*, quod sensui congruit. Gronov. *cunctanter*, subtiliùs quam veriùs,

11. *Qua inimici decernerent*.] Meliorum est hæc lectio, & cum aliis Colb. & sic *decernerent* intelligendum erit de Senatoribus, qui Claudio Marcello infesti, eum sententiis suis lacerabant. Nec refert quòd non ea quæ decernerentur purganda erant, sed crimina ob quæ decernebantur: est enim hypallages, vel metonymiæ species: ut apud Sueton. in Vespasiano: *ruderibus purgandis manus primus admovit*. Non enim propriè rudera purgantur, sed locus ruderibus oppletus. Nihil tamen reprehensione dignum habet vulgata lectio (quam præfert Regius quoque): *qua inimici objicerent*.

Urb. Cond. ann. 544. Coss. Q. Fab. Max. v. & Q. Ful. Flac. IV.

P. Licinus Varus, Sex. Julius Cæsar, [1] Q. Claudius Flamen. Comitiorum ipsorum diebus solicita civitas de Etruriæ defectione fuit. Principium ejus rei ab Aretinis fieri, C. Calpurnius scripserat, qui eam provinciam proprætor obtinebat. Itaque confestim eo missus Marcellus consul designatus, qui rem inspiceret; ac, si digna videretur, exercitu accito bellum ex Apulia in Etruriam transferret. Eo metu compressi Etrusci quieverunt. Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate ac legibus suis, responsum ab senatu est, ut redirent quum Fabius consul Romam venisset. [2] Ludi & Romani & plebeji eo anno [a] in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus, & Servius Sulpicius Galba: plebeji, C. Servilius, & Q. Cæcilius Metellus. Servilium negabant jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse; quod patrem ejus, [b] quem triumvirum agrarium occisum à Bojis circa Mutinam esse, opinio per decem annos fuerat, vivere atque [3] in hostium potestate esse satis constabat.

Vrb. cond. an. 545. Coss. M. Marcello V. & T. Quint. Crispino.

XXII. Undecimo anno Punici belli consulatum injerunt M. Marcellus quintum ([c] ut numeretur consulatus, quem vitio creatus non gessit) & T. Quintius Crispinus. Utrique consulum [1] Italia decreta provincia est, & [2] duo consulum prioris anni exercitus: tertius tum erat Venusiæ, cui M. Marcellus præfuerat. ita ut ex tribus eligerent duos quos vellent: tertius ei traderetur, cui Tarentum & Salentina provincia evenisset. Cæteræ provinciæ ita divisæ prætoribus. P. Licinio Varo urbana, P. Licinio Crasso pontifici maximo peregrina, [d] & quo senatus censuisset: Sex. Julio Cæsari Sicilia, Q. [3] Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum im-

INTERPRETATIO.

a *Per unum diem singuli.*

b *Unum à Triumviris ad dividendos colonis in Galliam Cisalpinam missis, agros.*

c *Si quis annumeret eum* Consulatum, &c.

d *Et præterea provincia ad quam Senatus illum proficisci decerneret*, seu munus aliud *quod* ultra jurisdictionem urbanam *administrare à Senatu juberetur.*

NOTÆ.

1. *Q. Claudius Flamen.*] Abest à nostris vox *Flamen*, sed cap. proximo huic Q. Claudio additur cognomen *Flaminio*: malim tamen, *Flamini*, ut sit agnomen ex præsenti dignitate, non cognomen familiæ.

2. *Ludi & Romani & Plebeji.*] Quorum illi ab Ædilibus Curulibus: hi ab Ædilibus Plebejis celebrati uno tantum die.

3. *In hostium potestate esse.*] Non itaque inter Jurisconsultos constabat filium captivi (qui servus esset hostium) pro libero cive interim habendum, aut certe honores gerere posse.

1. *Italia decreta provincia.*] Provinciæ propriè extra Italiam. Verùm *provincia* vocabulum non de regione hic accipiendum, sed de munere & magistratus officio in ea exercendo.

2. *Duo Consulum prioris anni exercitus.*] Tolerari potest: elegantius tamen, *duo consulares pr. an. exercitus* quæ lectio indicatur aliquatenus in Colb. ubi, *duo Consules exercitus.*

3. *Claudio Flamini.*] Sigon. *Flamininum* appellatum vult, quod Flamen Dialis fuerit: sed eâ ratione Flaminini nomen posteris ipsius magis quam ipsi convenisset; quemadmodum à Corvo Corvini dicti sunt. Neque verisimile est à Sacerdotio, quod per tot familias am-

perium

perium in annum est Q. Fulvio Flacco, ut provinciam Capuam, quæ T. Quintii prætoris fuerat, cum una legione obtineret. prorogatum & C. Hostilio Tubulo est, ut proprætor in Etruriam ad duas legiones succederet C. Calpurnio. Prorogatum & L. Veturio Philoni est, ut proprætor Galliam eandem provinciam cum iisdem duabus legionibus obtineret, quibus prætor obtinuisset. Quod in L. Veturio, idem in C. Aurunculejo decretum ab senatu, latumque de prorogando imperio ad populum est, qui prætor Sardiniam provinciam cum duabus legionibus obtinuerat. 4 additæ ei ad præsidium provinciæ, quinquaginta longæ naves, quas P. Scipio ex Hispania misisset. Et P. Scipioni, & M. Silano suæ Hispaniæ, suique exercitus in annum decreti. Scipio, ex octoginta navibus, quas secum ex Italia adductas aut captas Carthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam transmittere jussus. quia fama erat, magnum navalem apparatum eo anno Carthagine esse: ducentis navibus omnem oram Italiæ, Siciliæque ac Sardiniæ impleturos. Et in Sicilia ita divisa res est. Sex. Cæsari exercitus Cannensis est datus. M. Valerius Lævinus (ei quoque enim prorogatum imperium est) classem quæ ad Siciliam erat navium septuaginta obtineret. Adderet eo triginta naves, quæ ad Tarentum priore anno fuerant. cum ea centum navium classe, si videretur ei, prædatum in Africam trajiceret. Et P. Sulpicio, ut eadem classe Macedoniam Græciamque provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus, quæ ad urbem Romam fuerant, legionibus, nihil mutatum. 5 Supplementum, quo opus esset, scriberent consules, permissum. Una & viginti legionibus eo anno defensum imperium Romanum est. Et P. Licinio Varo 6 prætori urbano negotium datum, ut naves longas triginta veteres reficeret, quæ Ostiæ erant, & viginti novas naves sociis navalibus impleret: ut quinquaginta navium classe oram maris vicinam urbi Romanæ tueri posset. C. Calpurnius vetitus ab Aretio movere exercitum nisi cum successor venisset. Idem & Tubulo imperatum, ut inde præcipue caveret, ne qua nova consilia caperentur.

Vrb. Cond. ann. 545. Coss. M. Marcello V. & T. Quintio Crispino.

XXIII. Prætores in provincias profecti. Consules religio tenebat, quod

NOTÆ.

bulaverat, deductum ad hanc solam cognomen. Nostri *Flaminium* legunt, quod cognomen est Quintiorum, nisi forte hic Q. Claudius ex Flaminiorum familia fuit, in Claudiam gentem adoptione translatus: sic sane Flamininus diceretur, quemadmodum Scipio Æmilianus.

4. *Adita ad præsidium provinciæ quinquaginta longæ naves.*] Lectio hæc vulgaris in Regio majori occurrit. Colb. cum aliis habet *additum præsidium*; quod per appositionem, est *quinquaginta naves præsidium provinciæ additum*. Omittunt etiam τὸ *longæ*.

5. *Supplementum, quo opus esset, scriberent Consules, permissum.*] Alii *Consulibus*. Sed nihil interest, dicas *permissum Consulibus ut supplementum scriberent*, an *permissum ut Consules supplementum scriberent*.

6. *Prætori urbano.*] Scriptura est Regii unius. Vulg. *Prætori urbis*, quod eodem redit. Illud usitatius.

Urb. cond. an. 545. Coss. M. Marcello, & T. Quint. Crispino.

prodigiis aliquot nunciatis, non facile litabant. Et ex Campania 1 nunciata erant, Capuæ duas ædes, Fortunæ, & Martis, & sepulchra aliquot de cœlo tacta. Cumis (β ADEO MINIMIS ETIAM REBUS prava religio inserit Deos) mures in æde Jovis aurum rosisse. Casini examen apum ingens in foro consedisse. Et Ostiæ murum portamque de cœlo tactam. Cære vulturium volasse 2 in ædem Jovis. Vulsiniis sanguine lacum manasse. Horum prodigiorum caussa diem unum supplicatio fuit. Per dies aliquot hostiæ majores a sine litatione cæsæ, diuque non impetrata pax Deûm. in capita consulum, republica incolumi, exitiabilis prodigiorum eventus vertit. Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus à P. Cornelio Sulla prætore urbis primum facti erant. inde omnes deinceps prætores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dieque incertâ faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque: quæ tamen magis in longos morbos 3 quàm in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ caussa, & supplicatum per compita tota urbe est, & P. Licinius Varus prætor urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum b in statam diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque 4 ante Diem III. Non. Quintil. is dies deinde solennis servatus.

XXIV. De Aretinis, & fama in dies gravior, & cura crescere Patribus. Itaque C. Hostilio scriptum est, *ne differret obsides ab Aretinis accipere*: & cui traderet Romam deducendos, C. Terentius Varro cum imperio missus. qui ut advenit, extemplo Hostilius legionem unam, quæ ante urbem castra habebat, signa in urbem ferre jussit, præsidiaque locis idoneis disposuit, tum in foro citatis senatoribus obsides imperavit. Quum senatus c biduum ad considerandum peteret tempus, *aut ipsos extemplo dare, aut se postero die senatorum omnes liberos sumpturum*, edixit. inde 1 portas custodire

INTERPRETATIO.

a *Absque signis propitiati per sacrificium numinis*.

b Ut *certa die* quotannis celebrarentur.

c *Cum bidui tempus ad deliberandum postularet*.

NOTÆ.

1. *Nunciata erant.*] Intellige *prodigia*, quæ Capuæ contigisse, statim narrantur: alioqui scribendum erat: *ex Campania nunciatum est*.

2. *In ædem Jovis.*] Optimi: *in æde Jovis*, id est, intra ædem: & vultures, licèt in auspiciis boni ominis habeantur; unum tamen in templo volasse, ominosum videbatur, quia rarum; quemadmodum & lupum frequentia hominibus loca esse ingressum.

3. *Quàm in perniciales.*] In melioribus est: *perniciabiles*.

4. *Ante diem tertium nonas.*] Modus loquendi classicis auctoribus receptus, pro *tertio die ante nonas*.

1. *Portas custodire jussit tribunis militum præfectisque sociûm.*] Hæc Colb. cum plerisque aliis membranis. Et sane, quanvis usu minùs recepta, potest tamen non omnino vitiosa videri constructio verbi *jubere* cum dativo. Præter Paul. J.C. apud quem in l. 26. dig. de acquirenda vel omittenda hæred. *si jussero filio vel servo adire*: tum alii, tum Q. Curt. lib. 5. ubi, *suis rex corporibus, cultuque feminarum abstinere jussit*, Cic. ipse ita loquutus videtur 3. de legib. *Senatori*,

jussit tribunis militum, præfectisque sociûm & centurionibus, ne quis nocte urbe exiret. Id segnius, negligentiusque factum. septem principes senatus, prius quam custodiæ in portis locarentur, ante noctem cum liberis evaserunt. Postero die luce prima quum senatus in forum citari cœptus esset, ² desiderati, bonaque eorum venierunt. à cæteris senatoribus centum viginti obsides, liberi ipsorum accepti, traditique C. Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quàm ante fuerant, in senatu fecit. Itaque tanquam imminente Etrusco tumultu, legionem alteram ex urbanis Aretium ducere jussus ipse C. Terentius, eamque habere in præsidio urbis. C. Hostilium cum cætero exercitu placet totam provinciam peragrare, & cavere, ne qua occasio novare cupientibus res, daretur. C. Terentius ut Aretium cum legione venit, ª claves portarum quum magistratus poposcisset, negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quam negligentia intercidisse; ipse alias claves omnibus portis imposuit: cavitque cum cura, ut omnia in potestate sua essent. Hostilium ᵇ intentiùs monuit, ut in eo spem non moturos quicquam Etruscos poneret, si, ne quid moveri possit, cavisset.

Urb. cond. ann. 545. Coss. M. Marcello, & T. Quint. Crispino.

XXV. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum coram Fabio, ¹ defendente ipso quos ceperat armis, aliis infensis, & plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ, pœnæque. Senatusconsultum in sententiam Manii Acilii factum est, *ut oppidum præsidio custodiretur: Tarentinique omnes intra mœnia continerentur. res integra postea referretur, quum tranquillior status Italiæ esset.* Et de M. Livio præfecto arcis Tarentinæ haud minore certamine actum est; ² aliis Senatusconsulto notantibus præfectum,

INTERPRETATIO.

a *Cum petiisset à Magistratibus* ut sibi darentur *portarum claves.*

b *Accuratiùs monuit ut in eo spem tantùm collocaret retinendi Etruscos in fide, si cautionem ipse adhiberet ne possent res ab ipsis notari.*

NOTÆ.

inquit, *tria jussa sunt, ut adsit, ut loco dicat, ut modo*. Castigavit hic nostrum Rhen. mutatis dandi casibus in accusativos; *custodire jussit tribunos militum præfectosque*. Et sic habetur in Reg. Sed optima Gronov. correctio ex antiquissimo Codice, in quo, resectâ dumtaxat ultimâ literâ verbi *jussit*, legitur: *portas custodire jussi tribuni militum, præfectique, &c.*

2. *Desiderati.*] Septem illi Senatores Aretini.

1. *Defendente ipso quos ceperat.*] Mos Romanorum ita ferebat, ut victores urbium, tuerentur earum causam, tanquam patroni.

2. *Aliis Senatusconsulto notantibus præfectum.*] Id est, notandum censentibus: vulgò *aliis sententiis notantibus præfectum.* Rhenan. vitioso Codice usus, qui pro *sententiis* habebat *sociis*, (ut est in Reg. uno) scribit minùs commodè, *aliis ocii notantibus præfectum.* Sigon. optimè, pro *sententiis* legit *Senatusconsulto*; quam lectionem partim conjectura assecutus, partim ab veteri codice hausit. Ea confirmari potest ex lib. 25. Livii nostri, ubi de fraude publicanorum: *ea fraus indicata M. Æmilio prætori priori anno fuerat, ac per eum ad Senatum delata, nec tamen Senatusconsulto notata.* Plures hujusmodi auctoritates adjecit Gron. Mihi nô potest non probari hæc correctio cum in Colb. inveniã *so notantibus*,

Urb.cond. ann. 545. Coss. M. Marcello, & T. Quint. Crispino.

quod ejus socordia Tarentum proditum hosti esset: aliis præmiá decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque unius ejus operà receptum Tarentum foret: ² mediis ³ ad censores, non ad senatum notionem de eo pertinere dicentibus. cujus sententiæ & Fabius fuit. adjecit tamen, ⁴ *fateri se, opera Livii Tarentum receptum, (quod amici ejus vulgo in senatu jactassent) neque enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret*. Consulum alter T. Quintius Crispinus ad exercitum, quem Q. Fulvius Flaccus habuerat, cum supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant. in quibus quod quum ⁵ bello Gallico ad Clastidium ⁶ ædem Honori & Virtuti vovisset, dedicatio ejus à pontificibus impediebatur: quod negabant ⁷ unam cellam amplius quàm uni Deo rite dedicari. quia si de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quod utri Deo divina res fieret, sciri non posset. neque enim duobus, nisi certis Deis, rite una hostia fieri. ita addita ⁸ Virtutis ædes approperato opere: neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt. Tum demum ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento proficiscitur. Locros in Bruttiis Crispinus oppugnare conatus, quia magnam famam attulisse Fabio Tarentum rebatur, omne genus tormentorum, machinarumque ex Sicilia arcessierat: & naves indidem accitæ erant, quæ vergentem ad mare

INTERPRETATIO.

2 *Aliis* Senatoribus, qui neutram illarum sententiarum probabant, sed *media* quasi *via incedebant*.

NOTÆ.

nullo quidem idoneo sensu: sed ita ut pateat SE scriptum pro *S.C.* quibus singularibus literis significari *Senatusconsultum* nemo nescit.

3. *Ad censores, non ad Senatum, notionem.*] Censoriæ *notionis* non uno loco meminit Cic. etsi plerique Codices corruptè *notationem* habeant; quæ ad censores quidem pertinebat, sed non absque notione fieri poterat aut debebat: meliùsque dicitur hic *notionem* quàm *cognitionem*, ut scribendum censebat Rhen. aliud est enim *cognitio*, quæ ad Censores propriè non pertinet, sed ad Magistratus jurisdictionem solemni more exercentes (unde dies cognitionum): aliud *notio* quæ judicibus, etiam datis seu pedaneis, competit. Porrò qui hujus rei judicium ad censores, morum ac disciplinæ magistros, trahebant, hi Livium præfectum arcis Tarentinæ, crimine liberabant, non probro.

4. *Fateri se operâ Livii Tarentum receptum.*] Hoc acutè & facetè dictum narrat Cic. de senect. sed quod in Livium Salinatorem id jactatum ait, memoriâ lapsus est. Vide & Plut. in Fab.

5. *Bello Gallico ad Clastidium.*] Primo Consulatu Marcelli, cum Virdumaro duce Insubrium interempto opima spolia retulit an. u. 531. Vide Epit. Liv. 20. Polyb. lib. 1. Plut. in Marcello.

6. *Ædem Honori & Virtuti.*] Fuit hæc Ædes ad portam Capenam.

7. *Unam cellam ampliùs quàm uni Deo.*] Ita quidem Reg. unus, idque Rhenano placuit. Cæterùm meliores, *qui negabant unam cellam duobus recte dedicari*: & Plut. sic quoque expressit, ἑνὶ ναῷ δύο θεοὺς περιέχεσθαι, quem vide in Marcello, & Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. sed nonne cella Junonis cum Jovis cella in Templo Jovis Capitolini? Exceptos esse certos Deos ab ea observatione ostendunt sequentia.

8. *Virtutis ædes.*] Diversa ab æde Honoris, quamvis proxima & conjuncta, ita ut per illam ingressus ad hanc pateret.

partem urbis oppugnarent. Ea omissa oppugnatio est, quia [9] Lacinium Annibal admoverat copias: & collegam eduxisse jam à Venusia exercitum fama erat, cui conjungi volebat. Itaque in Apuliam ex Brutiis reditum, & inter Venusiam [10] Bantiamque, minus trium millium passuum intervallo, consules binis castris consederant. In eandem regionem & Annibal rediit; averso ab Locris bello. Ibi consules ambo ingenio feroces prope quotidie milites in aciem excire; haud dubia spe, si duobus exercitibus consularibus junctis commisisset sese hostis, debellari posse.

Urb. cond. an. 545. Coss. M. Marcello, & T. Quintio Crispino.

XXVI. Annibal quia cum Marcello bis priore anno congressus, vicerat, victusque erat, ut eum eodem si dimicandum foret, nec spem nec metum ex vano haberet; ita duobus consulibus haudquaquam sese parem futurum credebat. Itaque totus in suas artes versus, insidiis locum quærebat. Levia tamen prælia inter bina castra vario eventu fiebant: quibus quum extrahi æstatem posse, consules crederent, nihilominus oppugnari Locros posse rati, L. Cincio, ut ex Sicilia Locros cum classe trajiceret, scribunt. Et ut ab terra quoque oppugnari mœnia possent, ab Tarento partem exercitus, qui in præsidio erat, duci eo jusserunt. Ea ita futura per quosdam [1] Thurinos comperta Annibali quum essent, mittit ad insidendam ab Tarento viam. ibi [2] sub tumulo Peteliæ tria millia equitum, peditum duo in occulto locata: in quæ inexplorato euntes Romani quum incidissent, ad duo millia armatorum cæsa, & mille ducenti ferme vivi capti. alii dissipati fuga per agros saltusque Tarentum rediere. Tumulus erat silvestris inter Punica & Romana castra, ab neutris primò occupatus: quia Romani qualis pars ejus, quæ vergeret ad hostium castra, esset, ignorabant, Annibal insidiis, quam castris aptiorem eum crediderat. itaque nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas medio in saltu condiderat, quorum interdiu nemo ab statione movebatur, ne aut arma aut ipsi procul conspicerentur. Fremebant vulgo in castris Romanis, *occupandum eum tumulum esse, & castello firmandum: ne, si occupatus ab Annibale foret, velut in cervicibus haberent hostem*. Movit ea res Marcellum, & collegæ, *quin imus*, inquit, *ipsi cum equitibus paucis exploratum? Subjecta res oculis nostris certius dabit consilium*. Adsentiente Crispino, cum equitibus ducentis & viginti, ex quibus [3] quadraginta Fregellani, cæteri Etrusci erant, proficiscuntur. Secuti M. Marcellus consulis filius, & A. Manlius, tribuni militum: simul &

NOTÆ.

9. *Lacinium.*] Oppidum est, vicino Junonis Templo celebratum, juxta promontorium ejusdem nominis; nunc *Capo delle Colonne* in Calabria ulteriori.

10. *Bantiamque.*] Ex Livio Apuliæ oppidum est, haud procul Forento & Acherontia, in Lucanorum confinio Cluver. ad lævam Bradani ripam collocat, haud procul ejus fontibus. Fuit ergo ex adverso oppidi *Petra Galla* in Basilicata, non procul *Cirenza*.

1. *Thurinos.*] A Thuriis oppido in Brutiis, dicti Thurini. Id antea Sibaris, postea Copiæ dictum. Nunc in ruinis vocatur *Sibari*, in Calabria citeriore.

2. *Sub tumulo Peteliæ.*] Respondere huic loco videtur *Lopa di Pacela* circa fontes Læi, in confinio Basilicatæ & Calabriæ citerioris.

3. *Quadraginta Fregellani.*] Hos ab

Urb. cond. an. 545. Coss. M. Marcell. & T. Quintio Crispino.

duo præfecti sociûm, L. Arennius, & M'. Aulius. Immolasse eo die quidam memoriæ prodidere consulem Marcellum, & prima hostia cæsa, jecur sine capite inventum, in secunda omnia comparuisse, quæ assolent. 4 Auctum etiam visum in capite: nec id sane aruspici placuisse; quod secundum trunca & turpia exta, nimis læta apparuissent.

XXVII. Cæterum consulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Annibale ut nunquam satis castra castris collata duceret. tum quoque vallo egrediens signum dedit, 1 *ut ad locum miles esset paratus; si collis, in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent, ac sequerentur*. Exiguum campi ante castra erat: inde in collem aperta undique & conspecta ferebat via. Numidis speculator 2 nequaquam in spem tantæ rei positus; sed si quos vagos pabuli aut lignorum caussa longius à castris progressos possent excipere, signum dat ut pariter ab suis quisque latebris exorirentur. Non ante apparuere, a quibus obviis ab jugo ipso consurgendum erat, quam circumiere qui à tergo includerent viam. Tum undique omnes exorti, & clamore sublato impetum fecere. Quum in ea valle consules essent, ut neque evadere possent in jugum occupatum ab hoste, nec receptum ab tergo circumventi haberent; extrahi tamen diutius certamen potuisset, ni cœpta ab Etruscis fuga pavorem cæteris injecisset. Non tamen omisere pugnam deserti ab Etruscis Fregellani, donec integri consules hortando, ipsique ex parte pugnando, rem sustinebant. Sed postquam vulneratos ambo consules, Marcellum etiam 3 transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, tum & ipsi (perpauci autem supererant) cum Crispino consule duobus jaculis icto, & Marcello adolescente, saucio & ipso, effugerunt. 4 Interfectus A. Manlius tribunus militum, & ex duobus præfectis sociûm M'. Aulius occisus, L. Arennius captus. & lictores consulum quinque vivi in hostium potestatem venerunt: cæteri aut interfecti, aut cum consule effugerunt. equites tres & quadraginta, aut in prælio aut in fuga ceciderunt, duodeviginti vivi capti. Tumultuatum in castris fue-

INTERPRETATIO.

a *Illi qui consurgere debebant à vertice, ut obviam irent hostibus.*

NOTÆ.

Fregellis equites Marcellus sibi præ cæteris sociis fidos selegerat, cum Etruscis 180. ex Romanis nemine ascito, præter Collegam, filium, unumque Tribunum.

4. *Auctum etiam visum in capite,*] Indicat jecur majus solito versus caput apparuisse, quod clariùs tradunt Valer. Max. 1.6. ubi caput jecinoris duplex ait fuisse, & Plut. grande supra modum: additque ido displicuisse aruspicibus, quòd mutationem ingentem portenderent.

1. *Ut ad locum miles esset paratus.*] Hic quoque *locus* pro *tempore*.

2. *Nequaquam in spem tantæ rei,*] Speraverat Annibal, ipsique Numidæ, hisce insidiis circumveniri posse legionem, turmamve aliquam tantùm exercitus Romani, non sub ictum venturos Consules ipsos, & certæ morti sese objecturum Marcellum.

3. *Transfixum lancea.*] Adactam Marcello per latera hastam lato ferro armatam scribit Plut.

4. *Interfectus A. Manlius.*] Cum meliores Codices exhibeant *interfecti*, non abs re suspicatur Gron. ita scripsisse Livium: *interfecti A. Manlius Tribunus militum, & ex duobus præfectis sociûm Ma-*

rat, ut consulibus irent subsidio: quum consulem, & filium alterius consulis saucios, exiguasque infelicis expeditionis reliquias, ad castra venientes cernunt. Mors Marcelli quum alioquin miserabilis fuit; tum quod nec pro ætate, (major jam enim sexaginta annis erat) neque [b] pro veteris prudentia ducis, tam improvide se collegamque, & prope totam rempublicam in præceps dederat. [c] Multos circa unam rem ambitus fecerim, si quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velim. Ut omittam alios, [5] L. Cælius triplicem rei gestæ ordinem edit: [6] unam traditam fama: alteram [d] scriptam laudatione filii, qui rei gestæ interfuerit: tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Cæterum ita fama variat, ut tamen plerique, loci speculandi caussa castris egressum; omnes, insidiis circumventum, tradant.

XXVIII. Annibal magnum terrorem hostibus morte consulis unius, vulnere alterius, injectum esse ratus, ne cui deesset occasioni, castra in tumulum, in quo pugnatum erat, extemplo transfert. ibi inventum [1] Marcelli corpus sepelit. Crispinus & morte collegæ, & suo vulnere territus silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est montes, in iis loco alto & tuto undique castra posuit. Ibi duo duces sagaciter moti sunt;

Urb. cond. an. 545. Coss. M. Marcello, & T. Quint. Crispino.

INTERPRETATIO.

b *Nec quantum exigebat prudentia, quam comparare sibi debuerat, cum jam vetus esset dux.*

c *Utendum mihi esset longo verborum circuitu, multisque ambagibus circa rem unam.*

d *Oratione quâ filius* Marcelli defunctum *patrem* publice pro more *laudavit*.

a *Castra prudenter moverunt.*

NOTÆ.

nius Aulius. L. Arennius captus, expuncta voce *occisus*, quam ab homine semidocto adjectam censet.

5. *L. Cælius.*] Librorum veterum alii *C. Lælius* scribunt, ut Colb. alii *C. Cælius*. Unde Sigonius putat intelligendum hic esse L. Cœlium Antipatrum, cujus alibi mentio apud nostrum; aut C. Lælium, quem historias scripsisse colligi potest ex Polyb. lib. 10.

6. *Unam traditam famâ.*] An igitur *ordo* fœminino genere dicitur? An vero *unam, alteram & tertiam* referuntur ad *rem gestam*? Nisi pro *ordinem*, legendum *narrationem, seriem*, aut quid simile.

1. *Marcelli corpus sepelit.*] Decet nimirum victores moderatio, & humanitatis, in mortuos præsertim, officia. Testatur Plut. Annibalem Marcelli corpus vultumque contemplatum, & commotum hoc tanti viri casu, mortui cadaver splendidè cremasse, cineresque argenteâ inclusos urnâ ad Marcelli filium misisse, sicuti à Livio & Cæsare Augusto narratum ait: nam à Corn. Nepot. & Valer. Maximo traditum fuisse, urnâ à Numidis è manibus deferentium rapta, sparsos ac dissipatos cineres jacuisse.



Ecce tibi ex nummis Marcelli effigies.

Urb. cond. an. 545. Coss. M. Marcello, & T. Quint. Crispino.

alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem. [2] Annulo Marcelli simul cum corpore Annibal potitus erat. ejus signi errore [3] ne qui dolus necteretur a Pœno, metuens Crispinus, circa civitates proximas miserat nuncios: *occisum collegam esse, annuloque ejus hostem potitum. ne quibus literis crederent nomine Marcelli compositis.* Paulò ante hic nuncius consulis Salapiam venerat, quum literæ ab Annibale allatæ sunt, Marcelli nomine compositæ: *se nocte, quæ diem illum secutura esset, Salapiam venturum. parati milites essent, qui in præsidio erant, si quò opera eorum opus esset.* [4] Sensere Salapiani fraudem: & [b] [5] ab ira, non defectionis modo, sed etiam equitum interfectorum, rati occasionem supplicii peti, remisso retro nuncio, (perfuga autem Romanus erat,) ut sine arbitrio milites quæ vellent, agerent, oppidanos per muros urbisque opportuna loca in stationibus disponunt: custodias, vigiliasque in eam noctem intentius instruunt. circa portam, qua venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat, opponunt. Annibal quarta vigilia ferme ad urbem accessit. Primi agminis erant perfugæ Romanorum, & arma Romana habebant. ii, ubi ad portam est ventum, Latine omnes loquentes excitant vigiles: aperirique portam jubent; consulem adesse. Vigiles velut ad vocem eorum excitari, tumultuari, trepidare, [6] moliri portam. cataracta dejecta clausa erat. eam partim vectibus levant: partim funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possent. Vixdum satis patebat iter, quum perfugæ certatim ruunt per portam: & quum sexcenti ferme intrassent, remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu cecidit. Salapiani, alii perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, ut inter pacatos, gerentes arma, invadunt: alii è turri ejus portæ murisque saxis, sudibus, pilis, absterrent hostem. Ita inde Annibal suámet ipse fraude captus abiit: profectusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam Cincius summa vi, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia advecto, oppugnabat. Magoni jam haud ferme fidenti, retenturum defensurumque se urbem, prima spes morte nunciata Marcelli affulsit. Secutus inde nuncius, Annibalem Numidarum equitatu præmisso,

INTERPRETATIO.

b Suspicati Salapiani seu Salapitani Annibalem occasionem hanc quærere expetendi ab ipsis pœnas, *propter iram* qua ardebat, *non solum quod descivissent* ad Romanos, sed etiam quòd prodidissent præsidium: ita *ut* ala equitum Numidarum *interficeretur*.

NOTÆ.

2. *Annulo Marcelli.*] Signatorius indicatur Annulus. In Reg. majori & alibi, *annulis*. Sive plures habebat Marcellus, sive quod veteres de uno etiam annulo pluralem numerum usurpabant, quemadmodum *liberos* dicimus de uno filio filiave.

3. *Ne qui dolus.*] Colb. cum plerisque, *ne cui dolus necteretur*. Reg. major, *ne quis*.

4. *Sensere Salapiani.*] In Reg. & Colb. quemadmodum, in Put. *Salapitani*, ut Lilybætani, &c.

5. *Ab ira, &c.*] Gall. *Par le ressentiment*. Vide suprà 26. 38.

6. *Moliri portam.*] Ita Gron. ex Reg. & Put: vulgo *moliri*, ac deinde: *porta cataractâ dejectâ clausa erat*, quod non caret sensu. *Moliri* enim sumitur pro *sa-*

7 ipsum

[7] ipsum quantum accelerare posset, cum peditum agmine sequi. Itaque ubi primum Numidas edito è speculis signo adventare sensit, & ipse patefacta repente porta ferox in hostes erumpit. Et primò, magis quia improviso id fecerat, quam quod par viribus esset, anceps certamen erat. deinde ut supervenere Numidæ, tantus pavor Romanis est injectus, ut passim ad mare ac naves fugerent; relictis operibus machinisque, quibus muros quatiebant. Ita adventu Annibalis soluta Locrorum obsidio est.

XXIX. Crispinus postquam in Brutios profectum Annibalem sensit, exercitum cui collega præfuerat, [1] M. Marcellum tribunum militum Venusiam abducere jussit. ipse cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticæ agitationem præ gravitate vulnerum patiens; Romam literas de morte collegæ scripsit, quantoque ipse in discrimine esset. *Se comitiorum caussa non posse Romam venire: quia nec viæ laborem passurus videretur, & de Tarento solicitus esset, ne ex Brutiis Annibal eo converteret agmen. Legatos opus esse ad se mitti, viros prudentes: cum quibus, quæ vellet, de republica loqueretur.* Hæ literæ recitatæ, magnum & luctum morte alterius consulis, & metum de altero fecerunt. Itaque & Q. Fabium filium ad exercitum Venusiam miserunt: & ad consulem tres legati missi, Sext. Julius Cæsar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Alimentus, quum paucis ante diebus ex Sicilia rediisset. Hi nunciare consuli jussi, *ut si ad comitia ipse Romam venire non posset;* [2] *dictatorem in agro Romano diceret comitiorum caussa. Si consul Tarentum profectus esset, Q. Claudium prætorem placere in eam regionem inde abducere legiones, in qua plurimas sociorum urbes tueri posset.* Eadem æstate M. Valerius cum classe centum navium ex Sicilia in Africam transmisit: & ad [3] Clupeam urbem exscensione facta, agrum late nullo ferme obvio armato vastabat. inde ad naves raptim prædatores recepti, quia repente fama accidit, *classem Punicam adventare.* octoginta erant & tres naves. Cum iis haud procul Clupea prospere pugnat Romanus. decem & octo navibus captis, fugatis aliis, cum magna terrestri navalique præda, Lilybæum rediit. Eadem æstate & Philippus implorantibus Achæis auxilium tulit. quos & [4] Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello urebat; & Ætoli navibus per fretum, quod Naupactum [5] & Patras interfluit

NOTÆ.

tagere, conari, Gall. *se remüer*. Cic. 6. epist. 10. *agam ipse per me, & moliar.*

7. *Ipsum.*] Annibalem.

1. *M. Marcellum Tribunum Militum.*] Marcelli Consulis nuper interfecti filium.

2. *Dictatorem in agro Romano.*] An ita ut ipse Quintius ex vulneribus æger in agrum Romanum veniret? An ut Dictatoris potestas agro Romano finiretur? Sed hoc, ni fallor, valdè novum; illud vix possibile.

3. *Clupeam urbem.*] Clupea sive Clypea oppidum fuit Africæ propriè dictæ, (quæ & posteà Proconsularis) inter Hermæam sive Mercurii promontorium (vul. *Capo Bon*) & Hadrumettum. Clupea hodie inflexo vocabulo *Quipia* vocatur, pertinetque ad regnum *Tunetanum*.

4. *Machanidas.*] Qui post Lycurgum Regiæ stirpis ultimum, Lacedæmonum regnum invaserat.

5. *Et Patras.*] Urbs est è primariis Achajæ, (quæ nunc ducatus Clarentiæ à

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcell. v. & T. Quint. Crispino.

(6 *Rhion* incolæ vocant) exercitu trajecto, depopulati erant. Attalum quoque regem Asiæ, quia Ætoli summum gentis suæ magistratum ad eum proximo concilio detulerant, fama erat in Europam trajecturum.

XXX. Ob hæc Philippo in Græciam descendenti 1 ad Lamiam urbem, 2 Ætoli duce Pyrrhia, qui prætor in eum annum cum absente Attalo creatus erat, occurrerunt. Habebant & ab Attalo auxilia secum: & mille ferme ex Romana classe à P. Sulpicio missos. Adversus hunc ducem atque has copias Philippus bis prospero eventu pugnavit: a mille admodum hostium utraque pugna occidit. Inde quum Ætoli metu compulsi Lamiæ urbis mœnibus tenerent sese, Philippus 3 ad Phalara exercitum reduxit. 4 In Maliaco sinu is locus est, quondam frequenter habitatus propter egregium portum, tutasque circa stationes, & aliam opportunitatem maritimam, terrestremque. Eo legati 5 ab rege Ægypti

INTERPRETATIO.

a *Mille fere*, vel *circiter mille*.

NOTÆ.

Latinis appellatur) in Peloponneso (vulgo *Morea*) ad oram Jonii maris, non procul faucibus sinus Corinthiaci: nunc Italis *Patrasso*: nostris *Patras*: Græcis *Paleopatra*.

6. *Rhion incolæ vocant.*] Non tam fretum, quàm promonterium ei imminens à meridie ex Achajâ Peloponnesiaca, *Rhium* dicitur; cui ex adverso respondet *Antirrhium* in Ætoliæ, & Locridis confinio, in aditu sinus Corinthiaci. Id fretum Molycrium Straboni dicitur à Molycria oppido: nunc imminentibus hinc inde Castellis duobus defenditur, quæ Dardanelli vocantur à Turcis, quemadmodum quæ faucibus Hellesponti dominantur: fretum ipsum ab Italis dicitur, *le Bocche del Golfo di Lepanto*, vel, *Stretto di Lepanto*; promontorium autem *Rhium* appellant *Capo di Patrasso*. Nigro tamen dicitur *Galata*, quibusdam *Capo di S. Andrea*. Antirrhium vero *Trapani*.

1. *Ad Lamiam.*] Phthiotidis in Thessalia oppidum mediterraneum, non procul sinu Maliaco situm. Inde bellum Lamiacum dictum, quod ab Atheniensibus in Antipatrum gestum duce Laosthene paulo post mortem Alexandri. Urbs nomen adhuc retinere dicitur ad Sperchium, aliis est *Lamina*.

2. *Ætholi duce Pyrrhia.*] Ejus sæpe mentio apud Polybium. Vulgò, contra fidem meliorum codicum, legebatur: *Physia*, sive *Physsia*, cujus meminit quoque Polyb. lib. 5. & quem captum scribit à Lyco Pharæensi duce Achæorum: sed non apparet hunc ducem fuisse Ætolorum.

3. *Ad Phalara.*] Plurali numero dicitur *Phalara*, *orum*, oppidum Thessaliæ in Phthiotide regione ad ostium fere Sperchii fluvii, qui in Maliacum influit sinum.

4. *Maliaco.*] Hic sinus Ægæi maris Thessaliam & Locros Orientales dividit ab Euboea insula, hodie *Golfo de Zeiton*.

5. *Ab Rege Ægypti.*] Quæ olim Melampodum regio Græcis dicta, Ægypti deinde nomen sortita est ab Ægypto Danai fratre. Inter Syriam ab Oriente, Libyam ab Occasu, Æthiopiam à Meridie sita; Mediterraneo mari prætenditur latere Septentrionali, quà Delta est regio sic dicta quod extremis duobus Nili ostiis & mari circumdata Triquetram figuram imitetur instar illius Græcorum literæ Δ. Delta: hodie *Errif* appellatur. Pars vero superior versus Meridiem, olim Thebais à Thebis quæ centum portæ nobiles (de quarum prisco imperio Tacitus lib. 2.) hodie *Sahid*. Media olim Heptanomis, nunc *Bechria*. Tota Ægyptus *Elchibeth* indigenis, Turcis *Messere*, eodem nomine quo *Kairus*, nobis *le grand Caire* ubi olim Memphis. Europæi vetus Ægypti nomen retinent.

[6] Ptolemæo, Rhodiisque, & Atheniensibus [7] & Chiis venerunt, ad dirimendum inter Philippum atque Ætolos bellum. Adhibitus ab Ætolis & ex finitimis pacificator Amynander [8] rex Athamanum. Omnium autem non tanta pro Ætolis cura erat, ferocioris quàm pro ingeniis Græcorum gentis: quam ne Philippus regnumque ejus, grave libertati futurum, rebus Græciæ immisceretur. De pace dilata consultatio est in concilium Achæorum; concilioque ei & locus, & dies certa indicta, interim triginta dierum induciæ impetratæ. Profectus inde rex [9] per Thessaliam [10] Bœotiamque, [11] Chalcidem Eubœæ venit, ut Attalum, quem classe [12] Eubœam petiturum audierat, portubus & litorum appulsu arceret. Inde præsidio relicto adversus Attalum, si forte interim trajecisset, profectus ipse cum paucis equitum levisque armaturæ, [13] Argos venit. Ibi [14] curatione Heræorum

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcello V. & T. Quint. Crispino,

NOTÆ.

6. *Ptolemæo.*] Is fuit tertius à primo Ptolemæo Lagi, habuitque cognomen Philopatoris.

7. *Et Chiis.*] Chios Ægæi maris insula est ad latus Asiæ minoris Occidentale, à quo non lato admodum freto dirimitur, nomen adhuc servat.

8. *Rex Athamanum.*] *Athamanes* populi fuere Epiri Orientalis sub Pindo monte, Driopibus & Perrhæbis ad Occidentem. Præcipuum oppidum fuit Argithea. Eorum regio pars hodie *Despotatus* est sub Turcis in præfectura Romeliæ, sive Græciæ.

9. *Per Thessaliam.*] Regio est Græciæ, inter Macedoniam ad Septentrionem, partim etiam ad Occasum, & Helladem seu Græciam propriè dictam, atque Epirum ad Meridiem; Ægæum mare ad Ortum attingens. Eam Ptolemæus Macedoniæ adscribit, quod Macedonibus diu subjecta fuerit. In partes quatuor dividitur à Strabone, *Thessaliotidem* seu Thessaliam strictè sumptam, *Phthiotidem*, *Estiotidem*, *Pelasgiotidem*, quibus adjungenda *Magnesia*. Olim Æmonia, aliisque nominibus dicta, adhuc *Thettalia* Græcis, ut audio. Brietio *Janna*; Lazio *Jannina*; at Castaldo *Comenolitari*, quæ partium nomina esse conjicio, illud Occidentem versus qua hæc regio Epiro contermina; hoc versus Orientem & Aquilonem. Caput urbium *Larissa* etiamnum hodie sub Turcis. Præcipui quondam populi fuere *Pelasgi* ex Arcadia oriundi, auctore Pausania, (unde ipsa regio quondam Argos Pelasgicum apud Strabonem) *Magnetes* ab Magnete, uno è filiis Æoli prisci, nomen sortiti; *Myrmidones* ex Ægina insula, *Lapithæ* Pindi & Othrys montium accolæ; *Centauri* equorum domitores circa Pelion.

10. *Bœotiamque.*] Quæ prius Aonia, aliisque appellationibus dicta, eam mansuro diutius nomine Bœotiam vocarunt; sive à *Bove*, qua duce Cadmus in designando condendæ urbis principis (Thebarum nempe) loco usus ex oraculo fuerat; seu potius à *Bœoto* Æoli tertii filio, ut vult Apollodorus. Ea hodie *Stramulipa*, dicitur, ut ajunt.

11. *Chalcidem.*] Hæc *Chalcis* Eubœæ insulæ primaria, ab Atheniensibus condita, quà Euripus Insulam & Bœotiæ continentem interfluit, angusto adeo freto, ut ponte jungatur. Nunc Græcis *Εὔριπος*, ab Euripo vicino seu mari reciprocante; hinc Turcis corruptè *Egripos*, nostri *Negrepont*, eodem cum insula nomine.

12. *Eubœam.*] Insula è majoribus Græciæ, quam à Bœotia avulsam Plin. scribit, eidem universæ in longitudinem ab Attica Thessaliam usque prætenta: ubi Caphareum promontorium Troicis temporibus formidandum. Cæterum *Chalcidem Eubœæ*, distinctionis causâ Livius dicit, quod aliæ sint eo nomine urbes, tum in Ætolia, tum in Syria.

13. *Argos.*] Argolidis Peloponnesi Provinciæ & Argivorum regni caput *Argos* in neutro genere dicebatur, & *Argi* numero plurali: atque hoc Argos Hippium

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcello v. & T. Quint. Crispino.

15 Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata, quia se Macedonum reges 16 ex ea civitate oriundos referunt: Heræis peractis; b ab ipso ludicro extemplo 17 Rhium profectus est, ad indictum multo ante sociorum concilium. Ibi de Ætolico finiendo bello actum, ne caussa aut Romanis, aut Attalo intrandi Græciam esset. Sed ea omnia vix dum induciarum tempore circumacto, Ætoli turbavere: postquam & Attalum 18 Æginam venisse, & Romanam classem stare ad Naupactum audivere. Vocati enim in concilium Achæorum, in quo eædem legationes erant, quæ ad Phalara egerant de pace; primum questi sunt quædam parva contra fidem conventionis tempore induciarum facta: postremò negarunt dirimi bellum posse, nisi 19 Messeniis Achæi 20 Pylum redderent, 21 Romanis restitueretur Atintania,

INTERPRETATIO.

b *Statim post ludos* Heræos.

NOTÆ.

& Hippobotum cognomine dictum, quod generosos aleret equos, prope Inachum fluvium fuit: hodieque *Argo* vocatur.

14. *Curatione Heræorum.*] *Heræa* oppidum fuit Arcadiæ in meditullio ferè Peloponnesi, (quæ nunc *Morea*) ad Ladonem, qui in Alpheum delabitur: vulgò quibusdam *Hereo*: Moletius *Raveli* appellat. Hic ludi sive Certamina ludicra celebrabantur minoris famæ quàm Nemea; utrorumque tamen cura hoc anno delata Philippo, ut iis præsideret.

15. *Nemeorumque.*] *Nemea* Argolidis oppidum in eadem Peloponneso, inter Argos & Corinthum ubi ludi Nemæi, sacri nempe Agones in honorem sive Herculis qui horrendum in Nemæa sylva leonem occiderat, seu potius Archemori infantis, qui Lycurgi Thracis filius, Hypsipyles alumnus, dum ea viam septem Heroibus adversus Thebas proficiscentibus demonstrat, à serpente ibidem fuerat interemptus. Hodie pertinere dicitur ad Zachaniam, Moreæ regionem, cujus nomen à Laconia detortum: locum ipsum vocari ajunt *Tristina*.

16. *Ex ea civitate oriundos.*] Primus Macedonum rex Caranus ex Heraclidarum Argolidis regum sanguine ortus fuit, de quo Just. lib. 7.

17. *Rhium profectus est.*] Oppidum Achajæ, ad promontorium.

18. *Æginam venisse.*] Insula est in medio sinu Saronico inter plagam Athenarum in Hellade, & Epidauri in Peloponneso: in ea quondam regnavit Æacus. Nomen adhuc retinet Sponio teste. Geographi scribunt *Engiam* vocari, atque adeo sinum ipsum *Golfo d'Engia* appellant.

19. *Messeniis.*] *Messenia* Peloponnesi regio inter sinus Messeniacum & Cyparissium: caput olim habuit *Messenam* ad ostium Balyræ, atque oram sui sinus: nunc *Mossenigo* dici volunt. Regio partim sub *Zachania* nomine comprehenditur, partim ad *Belvedere* refertur, quæ provinciæ sunt Moreæ.

20. *Pylum redderent.*] Tres fuere hujus nominis urbes in Peloponneso. Alia Pylus Eliaca ad ostium Penei in Elide; alia Pylus Nestorea ad Amathum; tertia Pylus Messeniaca è regione Sphacteriæ insulæ in Messeniæ latere Occidentali, supra Coryphasium promontorium: de hac nunc agi videtur; videmus enim ex Polybio in Exceptis controversiam Achæis hoc tempore motam ab Eleis quidem de *Triphylia* quæ pars Elidis; à Messeniis autem de Pylo ab illis occupata. Hæc Pylos hodie *Navarino* in regione Moreæ quam *Belvedere* nominant. Sphacteria insula dicitur hodie Nautis *Sapienza*.

21. *Romanis restitueretur Atintania.*] Ita legendum haud dubie, licet in aliquibus codicibus pro *Romanis* legatur *Sationis*: ac deinde in optimis etiam ignoratione Atintanum librarii scripserint *at in tanta*; vel *at intantas*: ubi alii legunt *Athamanis*.

22 Scerdilædo & Pleurato Ardyæi. Enim verò indignum ratus Philippus, victos victori sibi ultro conditiones ferre: *ne antea quidem se aut de pace audisse, aut inducias pepigisse*, dixit, *spem ullam habentem quieturos Ætolos; sed ut omnes socios testes haberet, se pacis, illos belli caussam quæsisse.* ita infecta pace concilium dimisit; quatuor millibus armatorum relictis ad præsidium Achæorum, & quinque longis navibus acceptis. quas si adjecisset missæ nuper ad se classi Carthaginiensium, & ex Bithynia ab rege Prusia venientibus navibus, statuerat navali prælio lacessere Romanos; jam diu in ea regione potentes maris. ipse ab eo concilio Argos regressus: jam enim Nemeorum appetebat tempus, quæ celebrari volebat præsentia sua.

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcello V. & T. Quint. Crispino.

XXXI. Occupato rege apparatu ludorum, & per dies festos licentius quam inter belli tempora remittente animum, P. Sulpicius ab Naupacto profectus, classem appulit inter Sicyonem & Corinthum, agrumque nobilissimæ fertilitatis effuse vastavit. Fama ejus rei Philippum ab ludis excivit: raptimque cum equitatu profectus, jussis subsequi peditibus, palatos passim per agros, gravesque prædâ (ut qui nihil tale metuerent) adortus Romanos, compulit in naves. Classis Romana haudquaquam læta prædâ Naupactum rediit. Philippus quoque ludorum, qui reliqui erant, celebritatem, a quantæcumque, de Romanis tamen, victoriæ partæ famâ auxerat.

INTERPRETATIO.

a *Celebritas dierum qui supererant ad perficiendos ludos, aucta fuerat ex fama victoriæ, quæ etsi* mediocris, *tamen qualiscumque* esset *de Romanis fuerat relata;* quod magno in pretio habendum.

NOTÆ.

sed eo usque nondum Romani penetraverant. *Atintanes* porro populi erant Macedoniæ Occidentalis, quam postea Romani quartam ejus regionis partem constituerunt, quæque hodie ab Albanis populis *Albania* vocatur. Sed Albani ad Septentrionem, Atintanes ad Meridiem versus Acroceraunios montes; hinc Orestidi, inde Stymphalidi & Penestis, Tymphæisque finitimi. Cæterùm, ad Atintaniam quod attinet, cum Romani Illyriorum obsidione liberatos Epidamnios in fidem accepissent, proxima Illyrici eâ occasione ingressi, Ardiæos obiter subegerunt. Adfuere mox plures aliorum populorum legationes, inque his Parthinorum & Atintanum, qui omnes se fidei Romanorum permisere, suntque in amicitiam suscepti, ut est apud Polyb. lib. 2. *Atintanes* vero Molossica gens fuere, & primum pars Epiri, mox Macedoniæ: nunc tractûs illius qui vulgo *Canina* in Albania meridionali.

22. *Scerdilædo & Pleurato Ardyæi.*] Scriptum in plerisque est *Archidæ*, editorum non pauci habent *Parthini*. De *Achridæ*, quæ post Justiniani patria, cogitasse Livium quo minus conjiciam, tum alia faciunt, tum nomen hujus loci recentius, & quod nomen verum populi regulis illis attributi occurrit, nempe *Ardyæi*: ut rectè Gronov. vidit. Sunt autem *Ardyæi* populi Illyrici, Macedoniæ regno inclusi à Philippo, Vardæi quoque & Bardæi; iidem, ni fallor, qui Ptolemæo Eordæi, ad Panyasum seu Genusum fluvium, hodie *Arzenza*: inter Taulantios, Elymiotas, Parthinos, & Dassaretios atque Albanos siti: nunc ex fide Tabularum Geographicarum vulgarium in *Tamoriza* regione: inter fluvios Polinam, & Spinarzam. At *Parthini*, quos Pleurato attributos à Romanis Polyb. tradit; aliàs *Parthini*, Elymiotis & Eordæis ad Ortum, ad Occasum Dassaretiis erant: unde suspicor veram hujus loci lectionem ex collatis Mss. & Editis: esse *Romanis restituerentur Atintania, Scerdilædo & Pleurato Ardyæi & Parthini.*

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcello v. & T. Quintio Crispino.

lætitiaque ingenti celebrati festi dies. eo magis etiam, quod populariter dempto [b] capitis insigni, purpura atque alio regio habitu, [1] æquaverat cæteris se in speciem: quo nihil gratius est civitatibus liberis. Præbuissetque haud dubiam eo facto spem libertatis, nisi omnia intolerandâ libidine fœda ac deformia effecisset. vagabatur enim cum uno aut altero comite [2] per maritas domos dies noctesque: & [3] submittendo se in privatum fastigium, quo minus conspectus, eo solutior erat: & libertatem quum aliis vanam ostendisset, totam in suam licentiam verterat. [c] Neque enim omnia emebat aut eblandiebatur, sed vim etiam flagitiis adhibebat: periculosumque & viris & parentibus erat, moram incommoda severitate libidini regiæ fecisse. uni etiam principi Achæorum Arato adempta uxor nomine Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat. Per hæc flagitia solenni Nemeorum peracto, paucisque additis diebus, [4] Dymas est profectus ad præsidium Ætolorum, quod [5] ab Eleis accitum [6] acceptumque in urbem erat, ejiciendum. Cycliadas (penes eum

INTERPRETATIO.

b *Diademate.*

c *Non enim* stupra & adulteria cuncta *pretio vel blanditiis obtinebat*, & quasi mercabatur, *sed* multa *per vim* extorquebat.

NOTÆ.

1. *Æquaverat cæteris in speciem.*] Colb. melior: *æquaverat civis se in speciem.*

2. *Per maritas domos.*] Reg. ad marginem: aliàs, *maritas*; quod diserte Colbertini ambo habent: *per domos* scilicet *maritorum*, ut cum eorum uxoribus adulterium committeret. In Spirensi Cod. scriptum erat *maritum as domos*; unde Rhen. fecit *maritimas domos*, vultque intelligi domos tenujorum. Quasi maritima loca minùs frequentia minusque conspicua, quam mediterranea. Sed nec patitur hanc illius emendationem narratio Liviana, quæ flagitia hæc à Philippo admissa refert quo tempore ludis Heræis Nemeisque præerat, qui non ad mare celebrabantur. Nomen *maritus* adjective dicitur pro maritali seu conjugali, quod ipse Rhen. fatetur, *ulmos* agnoscens *maritas*. Sic *maritam pecuniam* pro dote Plaut. Sic pro conjugali amore aut amoris usu, *venerem maritam* Ovid. dixit. Quidni pari ratione dixerit noster, *maritas domos*?

3. *Sub mittendo se in privatum fastigium.*] Mirum videtur *submittere se in fastigium*; ideoque censet Gronov. deleto pronomine, legendum *submittendo in privatum* (id est, privatim seu in morem privatorum) *fastigium* (suum nempe, sive regium). Posset tamen dici Philippum, cum rex esset, ita se submisisse, ut fastigium retineret, non regium, sed quale servant nobiliores & potentiores inter privatos.

4. *Dymas est profectus.*] *Dyma*, urbs est maritima Achajæ propriæ in Peloponneso ad confinia Elidis, non procul Araxo promontorio, nunc *Chiarenza* Italis, nostris *Clarence*. Nam posterioribus sæculis duces habuit suos, unde Ducatus Clarentinus.

5. *Ab Eleis.*] Dicuntur Elei ab Elide provincia seu regione Peloponnesi, (quæ nunc *Morea*) inter Achajam & Messeniam posita, cui ad Ortum Arcadia. Ea fluminis Alphei ostiis & Olympia urbe, ludisque Olympicis olim nobilis: hodie *Belvedere* appellatur ab Italis de nomine Castelli maritimi, ab amæno prospectu. Græcis eodem sensu Elis, cum vicino ad meridiem tractu dicitur *Caloscopion*.

6. *Acceptumque in urbem.*] Elim, unde regioni atque incolis nomen.

summâ imperii erat) Achæique ad Dymas regi occurrere: & Eleorum accensi odio, 7 quod à cæteris Achæis dissentirent; & infensi Ætolis, quos Romanum quoque adversus se movisse bellum credebant. Profecti ab Dymis conjuncto exercitu transeunt 8 Larissum amnem, qui Eleum agrum ab Dymeo dirimit.

Urb. Cond an. 545. Coss. M. Marcello V. & T. Quint. Crispino.

XXXII. Primum diem, quo fines hostium ingressi sunt, populando absumpserunt. Postero die acie instructa ad urbem accesserunt; præmissis equitibus, qui obequitando portis promptum ad excursiones genus lacessérunt Ætolorum. Ignorabant Sulpicium cum quindecim navibus ab Naupacto 1 Cyllenen trajecisse: & expositis in terram quatuor millibus armatorum, silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse 2 Elim. Itaque improvisa res ingentem injecit terrorem, postquam inter Ætolos Eleosque Romana signa atque arma cognovere. Et primo recipere suos voluerat rex: dein, contracto jam inter Ætolos 3 & Trallos (Illyriorum id est genus) certamine, quum urgeri videret suos, & ipse rex cum equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo trajectus, quum prolapsum per caput regem effudisset, atrox pugna utrinque accensa est; & ab Romanis impetu in regem facto, & protegentibus regiis. insignis & ipsius pugna fuit, quum pedes inter equites coactus esset prælium inire. deinde quum jam impar certamen esset; caderentque circa eum multi & vulnerarentur, raptus ab suis atque alteri equo injectus, fugit. Eo die castra quinque millia passuum ab urbe Eleorum posuit. postero 4 ad castellum (Pyrgum vocant) copias omnes eduxit: quo agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat. eam inconditam inermemque multitudinem primo statim terrore adveniens cepit;

NOTÆ.

7. *Quod à cæteris Achæis dissentirent.*] Diversa quidem ab Achaja fuit Elis; sed hoc tempore plerique Peloponnesiorum in Achæorum societatem coierant; ideoque latiùs sumpto nomine sub Achæis Elæi continebantur: quemadmodum hodie Frisii, Zelandi, aliique populi nomine Hollandorum vulgò censentur.

8. *Larissum amnem.*] Hic fluvius Achajam propriam magna ex parte dividit ab Elide: nunc *Riso* vocatur in Tabulis Geographicis.

1. *Cyllenen trajecisse.*] Cyllene oppidum est Elidis maritimum inter Dymam & Pylum Eliacam, quæ ad ostia Penei supra Chelonates promontorium, quod hodie *Capo Tornese* non procul ostio Selleentis fluvii: hodie ex Nigro *Atravida*. Hic genitum Mercurium Mela putavit, ideo Cyllenium appellatum: cum tamen ex recepta magis sententia id nominis traxerit à Cyllene vel Cyllenio monte in Arcadiæ, Achajæ, atque Argolidis confinio.

2. *Elim.*] Ab hac urbe nomen Elidi Provinciæ, seu regioni Peloponnesi, in qua priscis temporibus Epei. Fuit urbs in ejus parte quæ Triphylia vocabatur, ad Peneum Peloponnesiacum: nunc Nigro *Jalea*.

3. *Et Trallos.*] Inter Illyrici populos referuntur à Stephano Tralli, an à Triballis diversi, an errore exscriptorum contracto Triballorum vocabulo, valde ambigo. Vide quæ infrà lib. 37. cap. 39.

4. *Ad Castellum, (Pyrgum vocant).*] Pylum geminam in hac regione, nec procul Eli memorant Geographi veteres, Pyrgum, ni fallor, tacent; sed πύργος generale nomen est turrim, sive arcem significans.

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcello v. & T. Quintio Crispino.

compensaveratque ea præda, quod ignominiæ ad Elim acceptum fuerat: Dividenti prædam captivosque (fuerant autem quatuor millia hominum, pecoris omnis generis ad millia viginti) nuncius ex Macedonia venit: Eropum quendam, corrupto arcis præsidiique præfecto, [5] Lychnidum cepisse. tenere & [6] Dassaretiorum quosdam vicos, & [7] Dardanos etiam concire. Omisso igitur Achaico atque Ætolico bello, relictis tamen duobus millibus & quingentis omnis generis armatorum, cum Menippo & Polyphanta ducibus ad præsidium sociorum, profectus ab Dymis per Achajam Bœotiamque [8] & Beboidem, decimis castris [9] Demetriadem in Thessaliam pervenit.

XXXIII. Ibi alii majorem afferentes tumultum nuncii occurrunt: *Dardanos in Macedoniam effusos,* [1] *Orestidem jam tenere, ac descendisse* [2] *in*

N O T Æ.

5. *Lychnidum.*] Urbs fuit Macedoniæ Occidentalis, Dassaretiorum caput in Illyrici confinio, unde nomen Vicino lacui, qui & Dassarites, ex quo Drillus fluvius in Adriaticum mare defluit; Sophiano est *l'Ochrida* aliis *Alchria*. Sunt qui patriam Justiniani fuisse velint, & vocari nunc Turcis *Justandil*, id est, Justinianam, quod mihi valde dubium ob rationes alibi adductas ex Nov. ejusdem Imperatoris XI. *L'Ocrida* in Albania est Præfecti Turcici sedes.

6. *Dassaretiorum quosdam vicos.*] Vocantur & Dassaretæ, aliisque nominibus: Macedoniæ Illyricæ, ut diximus, populi fuere; hodie Albaniæ.

7. *Dardanos.*] Mæsica gens fuere Dardani, Orbelo monte à Macedonia diremti, semperque Macedonibus infesti: nunc in parte Meridionali Serviæ & Bulgariæ sub Turcis.

8. *Et Beboidem.*] In quibusdam Codicibus est: *& Bœobam*, unde Sabellicus *Bœbeidem* excogitavit. Verùm *Bœbeis*, non regionis nomen est, ut Achaja & Bœotia; sed paludis, quæ à Bœbe, Magnesiæ juxta Methonen, oppido nomen traxit, vulgo *Besero*, Turcis lacus *de Jenisar*, ab urbe Pheris, quam Bœbe vicinam ad Occasum, sic illi vocant. Meliùs hic igitur, ni fallor, Colbertini ambo cum Regio, *& Eubœam* habent: quod & Aldus secutus est. Nec repugnat Geographica ratio, ut Glareano visum: etenim Eubœa citra Demetriadem est, cum Bœbeis palus ultra hanc urbem sit. Eodemque itinere jam anteà Demetriadem Philippus à Peloponneso redierat, ut vidimus suprà cap. 30.

9. *Demetriadem.*] In Magnesia Thessaliæ Orientali regione hæc *Demetrias* est, imminens sinui Pelasgico, qui nunc *Golfo de Armiro* inter Pagasas & Jolcon: hodie *Dimitriada*: Regum Macedoniæ quandoque sedes: à Demetrio Poliorcete nomen accepit, ut & aliquandiu Sicyon in Peloponneso.

1. *Orestidem.*] Ab Oreste hæc regiuncula nomen accepit, qui regno propter interfectam matrem profugus, Argos Oresticum hic condidisse traditur. Fuere *Orestæ* populi olim in parte Australi Macedoniæ occiduæ, Atintanibus & Elymiotis, Stymphaliisque finitimi: Acrocerauniis montibus dividuntur à Chaonia, quæ videtur ad eorum sedem producta sub corrupto nomine *Canina*, quæ pars Albaniæ ad oram Meridionalem sinus Adriatici.

2. *In Argestæum campum.*] Sigon. pro *Argestæum campum*, scribendum censet *Ægestæum*, id est, Thesprotinum: nam Ægestæi apud Steph. Thesproti, Epirotica gens satis nota. Sed Thesproti extra Philippi regnum, adversus quem bellum Dardanis erat; & vix credibile in Thesprotis nominandis obsoletâ & parum notâ appellatione usum Livium. Num potius *Æstræum*, quod conjecerat Glarean. Fuit certe in Macedonia, auctore Ptolem. ejus nominis oppidum, à quo *Æstræi*, exiguus populus, Dassaretiis ad ortum æstivum proximi, inter Axium & Drillonem fluvios: hodie in Albaniæ parte Septentrionali, eo loco forte ubi nunc Tabulæ Mercatoris locant *Hitirga*.

Arge-

Urb. Cond. an. 545. Coll. M. Marcello V. & T. Quint. Crispino.

Argestæum campum: famamque inter barbaros celebrem esse, Philippum occisum. Expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit; in arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum 3 cornu alterum galeæ præfregit. id inventum ab Ætolo quodam, perlatumque in Ætoliam ad Scerdilædum, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgavit. post profectionem ex Achaja regis, Sulpicius Æginam classe profectus, cum Attalo sese conjunxit. Achæi cum Ætolis Eleisque, haud procul Messene prosperam pugnam fecerunt. Attalus rex, & P. Sulpicius Æginæ hibernarunt. Exitu hujus anni T. Quintius Crispinus consul, dictatore comitiorum ludorumque faciendorum caussa dicto T. Manlio Torquato, ex vulnere moritur. alii Tarenti, alii in Campania mortuum tradunt. Id quod nullo ante bello acciderat; duo consules sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempubl. reliquerant. Dictator Manlius magistrum equitum Cn. Servilium (tum ædilis curulis erat) dixit. Senatus, quo die primum est habitus, 4 ludos magnos facere dictatorem jussit, quos M. Æmilius prætor urbis, C. Flaminio, Cn. Servilio consulibus, fecerat: & in quinquennium voverat. Tum dictator & ludos fecit, & in insequens lustrum vovit. Cæterùm, quum duo consulares exercitus tam prope hostem sine ducibus essent, omnibus aliis omissis, una præcipua cura Patres populumque incessit, consules primo quoque tempore creandi: & ut eos potissimum crearent, quorum virtus satis tuta à fraude Punica esset; *cum toto eo bello damnosa, præpropera ac fervida 5 ingenia imperatorum fuisse: tum eo ipso anno consules nimia cupiditate conserendi cum hoste manum, in nec opinatam fraudem lapsos esse. cæterum Deos immortales mi-*

NOTÆ.

3. *Cornu alterum galeæ.*] Ipse Livius mox *insigne galeæ* explicat: quale tamen id fuerit silent interpretes. Lucem afferre potest quod Plut. in Pyrrho tradit, agnitum eum fuisse ab eximia crista, sive apice galeæ, & cornibus hircinis; quo sive ornamento ad decorem, sive nota præcipua ad terrorem usos fuisse Macedoniæ præsertim reges, ex ipsorum nummis constat. Et ante Alexandrum quidem caput tegebant leoninis exuviis, exemplo Herculis, à quo genus ducebant: Alexander verò, qui Jove Ammone, sub arietis specie coli solito, genitus credi volebat; ex eo cornibus insignem amabat effigiem: unde & *Bicornis* cognominatus. Inde successores ejus simile affectabant insigne. Et Pyrrhus quidem inter Alexandri successores fuit, regnumque Macedoniæ bis tenuit. Philippus autem de quo hic agitur Macedonibus nunc imperabat. Quin & Thraces Asiatici, ex Herodoto, æreæ cassidi imponebant bovis aures & cornua ex ære facta. Celtæ quoque sive Galli, & Cimbri rictibus ferarum, quarum pellibus corpus tegebant, aut eorum formis affabre effigiatis sæpe capita exornabant, aut armabant. Quin & Ammoni ipsi arietis caput assignatum refert Diod. Sic. lib. 3. quod hoc signo galeam in bellis ornatam gestasset. Et verò cornu pro gloriæ ac splendoris symbolo apud veteres habebatur. Adeo ut Hebræorum aliorumque Orientalium linguâ eodem vocabulo, *Karan* קרן, utrumque exprimatur, & splendor, & cornu: unde & cornuta Mosis facies pro splendida.

4. *Ludos magnos.*] De illorum origine, suprà lib. 25. cap. 12.

5. *Ingenia fuisse.*] Subintellige, *ajebant*, vel *cogitabant*.

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Marcell. v. & T. Quint. Crispino.

fertos nominis Romani, pepercisse innoxiis exercitibus: a *temeritatem consulum, ipsorum capitibus damnasse.*

XXXIV. Quum circumspicerent Patres, quosnam consules facerent, longe ante alios eminebat C. Claudius Nero. Ei collega quærebatur. & virum quidem eum egregium ducebant: sed promptiorem acrioremque, quam tempora belli postularent, aut hostis Annibal: temperandum acre ejus ingenium moderato & prudenti viro adjuncto collega censebant. M. Livius erat multis ante annis a ex consulatu 1 populi judicio damnatus. quam ignominiam adeo ægre tulerat, ut & rus migraret, & per multos annos & urbe, & omni cœtu careret hominum. octavo ferme post damnationem anno M. Claudius Marcellus, & M. Valerius Lævinus consules reduxerant eum in urbem: sed erat veste obsoleta, 2 capilloque & barbâ promissâ: præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominiæ acceptæ. L. Veturius & P. Licinius censores eum tonderi, & squalorem deponere, 3 & in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coëgerunt. sed tum quoque b aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati hominis eum caussa M. Livii Macati, quum fama ejus ageretur, stantem coëgit in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto intervallo c auditus convertit ora hominum in se, caussamque sermonibus præbuit, *indigno injuriam à populo factam, magnoque id damno fuisse, quod tam gravi bello nec opera, nec consilio talis viri usa respublica esset. C. Neroni neque Q. Fabium, neque M. Valerium Lævinum dari collegas posse,* 4 *quia duos patricios creari non liceret. eandem caussam in T. Manlio esse, præterquam quod recusasset delatum consulatum, recusaturusque esset. Egregium par consulum fore, si M. Livium C. Claudio collegam adjunxissent.* Nec populus mentionem ejus rei ortam à Patribus est aspernatus. Unus eam rem in civitate, is cui deferebatur honos, abnuebat: levitatem civitatis accusans. *Sorditati rei non misertos, candidam togam invito*

INTERPRETATIO.

a *Consulumque ipsorum nimiam audaciam, ipsorum tantum morte punitam voluisse.*

a *Condemnatus statim post consulatum,* vel *propter gesta in consulatu.*

b Senatoribus aliis verba facientibus *ipso* vel *unico verbo assentiendo,* vel cum discessio fieret, è sua sede in alteram partem *cum aliis migrando, sententiam suam* per silentium *prodebat.*

c *Cum egregie perorasset, spectari cœpit, deditque caussam de se disserendi, & fatendi injustam ipsi infamiam cum eam meritus non esset.*

NOTÆ.

1. *Populi judicio damnatus.*] Quòd prædam Illyricam malignè divisisse argueretur.

2. *Barbâ promissâ.*]Ut in luctu & reatu.

3. *Et in senatum venire.*] Fortè non tanquàm Senatorem; neque enim adhuc à Censoribus lectum in Senatum fuisse apparet: sed quòd consul fuisset, & sic ex eorum esset numero, quibus permissum erat in Senatu sententiam dicere, ut antea est observatum.

4. *Duos patricios.*] Notat Sigon. his temporibus nunquam in consulatu duos simul patricios fuisse, licet plebji duo conjuncti fuerint; velut cum creati sunt consules Gracchus & Marcellus.

offerre: eodem honores pœnasque congeri. Si bonum virum ducerent, quid ita pro malo ac noxio damnassent? si noxium comperissent, d *quid ita male credito priore consulatu, alterum crederent?* Hæc taliaque arguentem & querentem, castigabant Patres; *& M. Furium* memorantes *revocatum de exilio* 5 *patriam pulsam sede sua restituisse. Ut parentum sævitiam, sic patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse.* adnixi omnes cum C. Claudio M. Livium consulem fecerunt.

Urb. Cond. an. 545. Coss. M. Claud. Marcello & T. Quint. Crispino.

XXXV. Post diem tertium ejus diei prætorum comitia habita. Prætores creati L. Porcius Licinus, 1 C. Mamilius, A. & C. Hostilii Catones. Comitiis perfectis, ludisque factis, dictator & magister equitum magistratu abierunt. C. Terentius Varro in Etruriam proprætor missus, ut ex ea provincia 2 C. Hostilius Tarentum ad eum exercitum iret, quem T. Quintius consul habuerat. & L. Manlius trans mare legatus iret, viseretque quæ res ibi gererentur: simul, quod 3 Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebraretur: ut si tutò per hostem posset, adiret id concilium: ut qui Siculi bello ibi profugi, aut Tarentini cives relegati ab Annibale essent, domos redirent; scirentque, sua omnia, quæ ante bellum habuissent, reddere populum Romanum. Quia periculosissimus annus imminere videbatur, neque consules in republica erant: in consules designatos omnes versi; quam

INTERPRETATIO.

d *Post male sibi commissum primum consulatum, cur secundum committerent?*

NOTÆ.

5. Patriam pulsam sede sua restituisse.] Vulgo, *patria pulsum, sede sua restituisse:* elegantius tamen Put. *patriam pulsam sede sua;* quod post Rhenanum Gronov. probat. Patriæ quippe nomine intelligitur resp. civitas, populus Romanus; qui urbe pulsus à Gallis, restitutus fuerat in pristinas sedes à Camillo (de quo lib. 5.) Simili loquendi forma usus Augustus apud Sveton. *Ita mihi salvam ac sospitem remp. sistere in sede sua liceat.*

1. *C. Mamilius.*] Vulg. *C. Manlius:* sed ex veteribus libris Sigon. emendat: *& C. Mamilium Vitulum,* de quo suprà cap. 8. indicari putat: eò magis quod *Cajus* inter prænomina Manliorum non legatur.

2. *Ad eum exercitum quem T. Quintius habuerat: & L. Manlius trans mare legatus iret.*] Rotundiùs Colbertini ambo: *ut ex ea provincia C. Hostilius Tarentum ad eum exercitum:* & omissis quæ sequuntur: *L. Manlius trans mare legatus iret.* Ibi *ad eum exercitum* satis indicat exercitum illum *qui ad Tarentum.*

3. *Olympiæ ludicrum.*] Fuit *Olympia*, quæ & *Pisa*, urbs Peloponnesi in Elide regione; ejusque tractu Triphylia, ad Alpheum fluvium, hod. *Langanico*, ex mente Castaldi, Nigro *Stauri*. Ibi habebantur *ludi Olympici*, Jovi sacri quarto quoque anno celebrari soliti circa Solstitium æstivum; quod intervallum Olympiadem dixere. Quatuor apud Græcos fuisse præcipua certamina sacra sive Agones cuique notum. Olympia Jovi; Pythia Apollini dicata; Nemea in honorem Archemori; Isthmia in honorem Palæmonis, aliàs Melicertæ. Præter Musicæ certamen (quod in Pythiis) exercitationum quibus certabatur, quinque fuere genera; Saltus, Cursus, Discus, Jaculatus, & Lucta: Præmia victoris, coronæ fuere ex ramis in Olympicis ludis Oleastri; in Pythicis Lauri cum Baccis, in Isthmiis ex Pinu, in Nemeis ex Apio.

Urb. Cond. an. 546. Coss. C.Cl. Nerone, & M.Livio II.

primùm eos sortiri provincias, & præscíscere quam quisque eorum provinciam, quem hostem haberet, volebant. De reconciliatione etiam gratiæ eorum in senatu actum est, principio facto à Q. Fabio Maximo. 4 Inimicitiæ autem nobiles inter eos erant, & acerbiores eas, a indignioresque Livio sua calamitas fecerat, quod spretum se in ea fortuna credebat. itaque is magis implacabilis erat: &, *nihil opus esse reconciliatione*, ajebat. *acrius & intentius omnia gesturos:* b *timentes ne crescendi ex se inimico collegæ potestas fieret*. Vicit tamen auctoritas senatus, ut positis simultatibus, communi animo consilioque administrarent rempublicam. Provinciæ iis 5 non permixtæ regionibus, sicut superioribus annis, sed diversæ extremis Italiæ finibus; alteri adversus Annibalem Brutii, Lucani; alteri Gallia adversus Asdrubalem (quem jam Alpibus appropinquare fama erat) decreta. Exercitum ex duobus, qui in Gallia, quique in Etruria essent, addito urbano, eligeret quem mallet, qui Galliam esset sortitus. Cui Brutii provincia evenisset, novis legionibus urbanis scriptis, utrius mallet consulum prioris anni exercitum sumeret. Relictum à consule exercitum Q. Fulvius proconsul acciperet: eique in annum imperium esset. & C. Hostilio, cui pro Etruria Tarentum mutaverant provinciam, pro Tarento Capuam mutaverunt. legio una data, cui Fulvius proximo anno præfuerat. De Asdrubalis adventu in Italiam cura in dies crescebat.

XXXVI. Massiliensium primum legati nunciaverant, *eum in Galliam transgressum: erectosque adventu ejus, quia magnum pondus auri attulisse diceretur ad mercede auxilia conducenda, Gallorum animos*. missi deinde cum iis legati ab Roma Sex. Antistius & M. Retius ad rem inspiciendam, retulerant, *misisse se cum Massiliensibus ducibus, qui per hospites eorum principes Gallorum omnia explorata referrent. Pro comperto habere, Asdrubalem ingenti jam coacto exercitu proximo vere Alpes trajecturum: nec tum eum quicquam aliud morari, nisi quod clausæ hieme Alpes essent*. In locum M. Marcelli P. Ælius Petus augur creatus, inauguratusque. & Cn. Cornelius Dolabella rex sacrorum inauguratus est in locum M. Marcii, qui biennio ante mortuus erat. Hoc eodem anno & lustrum conditum est à censoribus P. Sempronio Tuditano, & M. Cornelio Cethego. Censa civium capita centum triginta septem millia, centum & octo. minor aliquanto numerus quam qui ante bellum fuerat. Eo anno primum, ex quo Annibal

INTERPRETATIO.

a *Et quæ Livio majorem indignationis, seu offensionis causam præbuerant*.

b *Cum metueret* uterque, ne si fortè deterius rem gereret, locus daretur *collegæ, sibi infenso se se extollendi* augendique potentiam & gloriam suam *ex ipsius dedecore*.

NOTÆ.

4. *Inimicitiæ autem nobiles*.] Aliàs, *inimicitiæ antè nobiles*. In gratiam vero ut redierint, refert Valer. Max. lib. 4. cap. 2.

5. *Non permixtæ regionibus*.] Ut anno superiori, quo Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucania & Brutiis finitimis populis rem gerere jussi. Sup. c. 3.

in Italiam venisset [1] comitium tectum esse, memoriæ proditum est, & ludos Romanos semel instauratos ab ædilibus curulibus Q. Metello, & C. Servilio. & plebeiis ludis biduum instauratum ab Q. Mamilio, & M. Cæcilio Metello ædilibus plebis. & tria signa ad Cereris ædem dederunt: & Jovis epulum fuit ludorum caussa. Consulatum inde ineunt C. Claudius Nero, & M. Livius iterum. qui, quia jam designati provincias sortiti erant, prætores sortiri jusserunt. C. Hostilio [2] urbana evenit: addita & peregrina, [3] ut tres in provincias exire possent. A. Hostilio Sardinia, C. Mamilio Sicilia, [4] L. Porcio Gallia evenit. Summa legionum trium & viginti; ita per provincias divisa, [a] ut binæ consulum essent, quatuor Hispania haberet: tres prætores binas, in Sicilia, in Sardinia & Gallia; duas C. Terentius in Etruria, duas Q. Fulvius in Bruttiis, duas Q. Claudius circa Tarentum & Salentinos; unam C. Hostilius Tibulus Capuæ. Duæ urbanæ ut scriberentur. primis quatuor legionibus populus tribunos creavit. [5] in cæteras consules miserunt.

Urb. Cond. an. 546. Coss. C. Claudio Nerone, & M. Livio II.

XXXVII. Priusquam consules proficiscerentur, novendiale sacrum fuit: quia Vejis de cœlo lapidaverat. SUB UNIUS PRODIGII (ut fit) mentionem, alia quoque nunciata, Minturnis ædem Jovis, [1] & lucum Maricæ; item Atellæ murum, & portam de cœlo tacta. Minturnenses, terribilius quod esset, adjiciebant, sanguinis rivum in porta fluxisse. & Capuæ lupus nocte portam ingressus, vigilem laniaverat. Hæc procurata hostiis majoribus prodigia, & supplicatio diem unum fuit ex decreto pontificum. inde iterum novendiale instauratum, quod [2] in Armilustro lapi-

INTERPRETATIO.

a *Ut consulum unusquisque duas haberet legiones.*

NOTÆ.

1. *Comitium tectum.*] Comitium vocabatur Locus in foro ubi habebantur Comitia, præsertim Curiata. Id diu tecto caruit, ita ut populus sub dio de rebus publicis deliberare cogeretur: unde non raro tempestate ingruente solvebantur comitia. Nunc autem tecto illud operire placuit.

2. *Urbana evenit.*] Intellige è proximo, *provincia* vel *sors*; munus scilicet juris inter cives dicendi: ut & peregrina, inter peregrinos.

3. *Ut tres in provincias.*] Ut nempe ex quatuor prætoribus creatis, tres extra urbem mitti possent ad res gerendas, uno urbanas provincias duas seu jurisdictiones administrante & exercente.

4. *L. Porcio Gallia.*] At jam Gallia consulum alteri assignata fuerat. Quid ergo prætore opus? Id factum extra ordinem conjicias, ob periculum ea parte ab Asdrubale adventante in Annibalis fratris auxilium.

5. *In cæteras consules miserunt.*] Jam observatum est, cum Tribuni militum ad legiones à consulibus, aliisve imperatoribus priùs crearentur; populum deinde partes suas ea in re interponere cœpisse. Nunc itaque ad eas legiones quæ Consulibus attributæ, Tribuni à populo nominati; ad reliquas aliis imperatoribus assignatas ipsi Consules tribunos crearunt.

1. *Lucum Maricæ.*] Fuit *Marica* Nympha, seu Dea Minturnensium circa Lirim fluvium, de qua dictum Dec. 1.

2. *In Armilustro.*] *Armilustrum* & *Armilustrium* diversa sunt. Etenim *Armilustrium* festum erat apud Romanos, quo rem divinam faciebant lustrationis

Urb. Cond. an. 546. Coss. C. Claudio Nerone, & M. Livio II.

dibus visum pluere. Liberatas religione mentes turbavit rursus nunciatum, Frusinone infantem natum esse quadrimo parem: nec magnitudine tam mirandum, quam quod is quoque, ut Sinuessæ biennio antè, incertus mas an fœmina esset, natus erat. Id vero aruspices ex Etruria acciti fœdum ac turpe prodigium dicere. extorrem agro Romano procul terræ contactu alto mergendum. Vivum in arcam condidere, provectumque in mare projecerunt. Decrevere item pontifices, ut virgines ter novenæ per urbem euntes carmen canerent. Id quum in Jovis Statoris æde discerent 3 conditum ab Livio poëta carmen, tacta de cœlo ædes in Aventino Junonis Reginæ. prodigiumque id ad matronas pertinere aruspices quum respondissent, donoque Divam placandam esse; ædilium curulium edicto in Capitolium convocatæ, quibus in urbe Romana, intraque decimum lapidem ab urbe, domicilia essent, ipsæ inter se quinque & viginti delegerunt, ad quas 4 ex dotibus stipem conferrent. Inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum, pureque & caste à matronis sacrificatum. Confestim ad aliud sacrificium eidem Divæ 5 ab decemviris edicta dies: cujus ordo talis fuit: 6 ab æde Apollinis boves fœminæ albæ duæ porta Carmentali in urbem ductæ, post eas duo signa cupressea Junonis reginæ portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem, carmen in Junonem reginam canentes ibant: illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decemviri coronati laurea, prætextatique. A porta, Jugario vico in forum venere. in foro pompa constitit; & a per manus reste data, virgines b sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. inde vico Tusco,

INTERPRETATIO.

a *Tradito per manus fune*, quo pompa trahebatur.

b *Saltatione* regentes, vel *sequentes cantum*.

NOTÆ.

causâ; ex eo dictum quod circumirent ludentes, ancilibus armati, testibus Varrone & Festo. *Armilustrum* autem fuit locus in quo hæc sacra fiebant; petito nomine ab ambitu lustri. Hinc *Armilustrum*, & *vicus Armilustri* in Aventino.

3. *Conditum ab Livio Poëta.*] *Livium Andronicum* intelligit, Poëtam antiquissimum, qui apud Romanos primus fabulam docuit, ut Cic. & Gell. scribunt, hoc est, dramata recitavit: cujus rei initium M. Claudio Cethego Cæci filio, & P. Sempronio Tuditano Coss. an. u. 549. Fuit autem hic Livius libertus M. Livii Salinatoris, cujus & liberos erudierat. De Fabularum primis actoribus dictum supra 7. 2. *conditum* & sequentia refer ad *carmen*.

4. *Ex dotibus stipem conferrent.*] Consentientibus scilicet maritis, mediocria dona religionis præsertim causâ mulieribus permissa. Alioqui maritus constante matrimonio civile habet dotis dominium.

5. *Ab Decemviris.*] Sacrorum.

6. *Ab æde Apollinis.*]. Cum plures fuerint ædes Apollinis Romæ: hinc atque ex sequentibus patet hanc pompam ab æde Apollinis quæ in regione Circi Flaminii erat, per portam Carmentalem, ad Forum Romanum incessisse; inde per Forum Boarium, & Velabrum, in Aventinum ductam, ad ædem Junonis Reginæ.

Velabroque, per Boarium forum, [7] in clivum Publicium, [8] atque ædem Junonis reginæ perrectum. ibi duæ hostiæ ab decemviris immolatæ, & simulacra cupressea in ædem illata. Urb. Cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

XXXVIII. Diis ritè placatis delectum consules habebant acriùs intentiusque, quàm prioribus annis quisquam meminerat habitum. nam & belli terror duplicatus novi hostis in Italiam adventu: & minus juventutis erat, unde scriberent milites. Itaque colonos etiam maritimos, [1] qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recusantibus, edixere in diem certam, ut quo quisque jure vacationem haberet, [2] ad senatum deferret. Ea die hi populi ad senatum venerunt: [3] Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & ab supero mari Senensis. Quum vacationes suas quisque populus recitaret; nullius quum in Italia hostis esset, præter Antiatem Ostiensemque, vacatio observata est, & earum coloniarum juniores jurejurando adacti, [4] supra dies triginta non pernoctaturos se esse extra mœnia coloniæ suæ, donec hostis in Italia esset. Quum omnes censerent, primo quoque tempore consulibus eundum ad bellum (nam & Asdrubali occurrendum esse descendenti ab Alpibus, ne Gallos Cisalpinos, neve Etruriam erectam in spem rerum novarum solicitaret: & Annibalem suo proprio occupandum

N O T Æ.

7. *In Clivium Publicium.*] Aliàs, *Clivum Publicum*. Sed differunt hi duo Clivi. De *Publico*, qui in Quirinali, accipiendus Livius lib. 26. cap. 10. Hic *Publicius* Clivus, seu Clivus *Publicii* in regione Aventini, sic appellatus est, ex Festo, quòd eum duo fratres L. & M. Publicii Malleoli ædiles curules, pecuariis condemnatis, ex pecunia quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehiculis ab Velia veniri posset: sic enim corrigendum hunc locum censent non improbabiliter viri docti, cum vulgò scriptum sit: *ut in Quintinum vehiculis vel venire posfit*. Simili de causa, ait Varro, dictus est Publicius Vicus, ad portam Trigeminam regione Circi Maximi.

8. *Atque ædem Junonis Reginæ.*] Diversa duo erant Junonis Reginæ templa: alterum in Aventino, quò hæc pompa processit: alterum in regione Circi Flaminii.

1. *Qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere.*] Coloniarum maritimarum vacationes sive immunitates, (ne scilicet inviti cogerentur milites Romanis dare) *sacrosancta* dicebantur, quod jurejurando senatus & populi firmatæ essent. Hoc verò privilegium ipsis concessum fuerat propter necessitatem tuendi adversus piratarum, hostiumque incursum litoris. Vide Cic. pro Corn. Balbo. Hyginum de limitib.

2. *Ad Senatum referret.*] Supple, per Zeugma, *jus*, id est, *tabulas* quibus jus cujusque coloniæ nitebatur.

3. *Ostiensis, &c.*] Hæc nomina coloniarum; quæ in ora Latii, partim etiam Etruriæ, jam diu explicuimus. *Senensis* intelligitur quæ *in Senam Gallicam*, ad litus maris Adriatici deducta fuerat: Senæ enim in Etruria procul ab utroque mari, ut coloniis maritimis annumerari non possint.

4. *Supra dies triginta.*] Aliter veteres libri ex Sig. nam pro triginta scribunt (*quadraginta* prætermisso vocabulo *dies*) habent, *Juniores jurejurando adacti ultra quadraginta non pernoctaturos extra mœnia coloniæ suæ*; sic numerus, non ad tempus referetur, quod sanè diuturnius fuisset, si cuivis licuisset abesse per mensem integrum; sed ad ipsos colonos, seu cives, quorum non nisi *quadraginta* abnoctare poterant eodem tempore, reliquis omnibus interdicto de nocte exitu, per hæc periculosa tempora.

Urb. Cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

bello, a ne emergere ex Brutiis atque obviam fratri ire posset) Livius cunctabatur, parum fidens suarum provinciarum exercitibus: 5 collegam ex duobus consularibus egregiis exercitibus, & tertio, cui Q. Claudius Tarenti præesset, electionem habere. intuleratque mentionem de Volonibus revocandis ad signa. Senatus liberam potestatem consulibus fecit, & supplendi unde vellent, & eligendi de omnibus exercitibus quos vellent, permutandique: & ex provinciis, quos è republica censerent esse, traducendi. Ea omnia cum summa concordia consulum acta. Volones in undevicesimam & vicesimam legiones scripti. Magni roboris auxilia ex Hispania quoque à P. Scipione M. Livio missa, quidam ad id bellum auctores sunt: octo millia Hispanorum Gallorumque 6 & duo millia de legione militum: equitum ad mille octingentos, mixtos Numidas Hispanosque. M. Lucretium has copias navibus adduxisse: & sagittariorum, funditorumque ad quatuor millia, ex Sicilia C. Mamilium misisse.

XXXIX. Auxerunt Romæ tumultum literæ ex Gallia allatæ ab L. Porcio prætore: *Asdrubalem movisse ex hibernis, & jam Alpes transire: octo millia Ligurum conscripta, armataque, conjunctura se transgresso in Italiam esse, nisi mitteretur in Ligures qui eos bello occuparet, se cum invalido exercitu, quoad tutum putaret, progressurum.* Hæ literæ consules, raptim confecto delectu, maturius quam constituerant, exire in provincias coëgerunt: ea mente, ut uterque hostem in sua provincia contineret, neque conjungi, aut conferre in unum vires pateretur. Plurimum 1 in eam rem adjuvit opinio Annibalis: quod etsi ea æstate transiturum in Italiam fratrem crediderat, recordando quæ ipse in transitu, nunc Rhodani, nunc Alpium, cum hominibus locisque pugnando per quinque menses exhausisset, haudquaquam tam facilem maturumque transitum exspectabat. ea tardius movendi ex hibernis caussa fuit. Cæterum Asdrubali, & sua & aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuere. non enim receperunt modo 2 Arverni eum,

INTERPRETATIO.

a *Ne posset extra* remotos ab urbe *fines Brutiorum progredi: Brutiorum regione excedere.*

NOTÆ.

5. *Collegam, &c.*] Supple, dicens, nimirum Livius Consul.

6. *Duo millia de legione militum.*] Intelligit detracta de una, vel pluribus legionibus, quæ in Hispania erant, millia peditum Romanorum duo: ex numero autem sociorum aut conductitiorum, equites mille, qui partim Numidæ, partim Hispani.

1. *In eam rem.*] Ad impediendam nempe Asdrubalis cum Annibale conjunctionem.

2. *Arverni.*] Populi Galliæ, hoc tempore Celticæ, post Aquitaniæ sub Augusto: quorum urbs *Gergovia*, deinde *Arvernum* quod nunc *Claramontium*. Hi ante Cæsaris ætatem de principatu Galliarum cum Heduis certaverant, seque Romanorum fratres appellabant. Sed miror hac transiisse Asdrubalem, procul rectâ ad Alpes viâ: nisi si paratis ad arcendum transitum accolis Rhodani inferioris, ad superiorem regionem invitantibus Arvernis, progredi maluit.

dein.

deincepsque aliæ Gallicæ atque Alpinæ gentes; sed etiam secutæ sunt ad bellum. & quum [3] per munita pleraque transitu fratris, [4] quæ antea invia fuerant, ducebat; tum etiam duodecim annorum assuetudine perviis Alpibus factis, [a] inter mitiora jam hominum transibat ingenia. [5] Invisitati namque antea alienigenis, nec videre ipsi advenam in sua terra assueti, omni generi humano insociabiles erant. & primo ignari quo Pœnus pergeret, suas rupes suaque castella, & pecorum hominumque prædam peti crediderant: fama deinde Punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur, satis edocuerat [b] viam tantum Alpes esse: duas prævalidas urbes, magno inter se maris terrarumque spatio discretas, de imperio & opibus, certare. hæ caussæ aperuerant Alpes Asdrubali. Cæterùm quod celeritate itineris profectum erat, id mora ad Placentiam, dum frustra obsidet magis, quam oppugnat, corrupit. Crediderat [c] campestris oppidi facilem expugnationem esse: & nobilitas coloniæ induxerat eum, magnum se excidio ejus urbis terrorem cæteris [6] ratum injecturum. Non ipsum solum ea oppugnatio impediit: sed Annibalem post famam transitus ejus tanto spe sua celeriorem, jam moventem ex hibernis, continuerat. quippe reputantem non solum quam lenta urbium oppugnatio esset: sed etiam quam [7] ipse frustra eandem illam coloniam ab Trebia victor regressus tentasset.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

XL. Consules diversis itineribus profecti ab urbe, velut in duo pariter bella, distenderant curas hominum: simul recordantium, quas primus adventus Annibalis intulisset Italiæ clades: simul quum illa angeret cura *quos tam propitios urbi atque imperio fore Deos, ut eodem tempore utrobique respublica prospere gereretur. adhuc adversa secundis pensando, rem ad id tempus extractam esse. quum in Italia ad Trasimenum & Cannas*

INTERPRETATIO.

a *Per populos quorum animi paulatim mansuefacti fuerant*, aucto hominum per montana transitu & commercio.

b *Alpes* per se non peti, quasi de illarum possessione dimicaretur: sed *esse viam duntaxat*, quà bellum transferretur.

c *Urbis in plano sita.*

NOTÆ.

3. *Per munita pleraque.*] Intellige *munita loca*, non de castellis arcibusve adversus externam vim permunitis; sed de itineribus quæ complanata fuerant, & pervia facta, ab Annibale illac transeunte, &c.

4. *Quæ anteà invia.*] Alpes inviæ ante Annibalem non fuerant. Testis ipse Liv. qui lib. 5. Gallos Transalpinos jam regnante Prisco Tarquinio eà transgressos tradit in Italiam. Videndi eam in rem Strabo lib. 4. Plin. lib. 12. cap. 1. Id modò verum est, parum cognita fuisse horum montium juga, atque itinera.

5. *Invisitati namque anteà alienigenis.*] Ut in Put. sic in Regio quoque habetur hæc scriptura, quam adverterat Lips. Vulgo legitur *insuetati*: quod nomen de rebus magis, quam de personis dicitur hoc sensu. Nam, quòd Gell. x. 10. *Romanos annulis usitatos* dicit, frequentativum est, pro *usos*, sive *uti solitos*.

6. *Ratum injecturum.*] Inductus fuerat Asdrubal ad obsidendam Placentiam, cum existimaret fore ut, si eà potiretur, reliquis metum injiceret.

7. *Ipse frustra eandem illam coloniam tentasset.*] Aut certè Castellum Placentiæ adjunctum; quâ de re supra xxi. 56. & 57.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. II.

præcipitasset Romana res, prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse. postea quum in Hispania alia super aliam clades, duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset, [1] *multa secunda in Italia Siciliaque gesta quassatam* [2] *rempublicam excepisse: & ipsum intervallum loci, quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum. Nunc* [a] *duo bella in Italiam accepta, duos celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romam, & unum in locum totam periculi molem, omne onus incubuisse. qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero juncturum.* terrebat & proximus annus lugubris duorum consulum funeribus. His anxii curis homines, digredientes in provincias consules [3] prosecuti sunt. Memoriæ proditum est, plenum adhuc iræ in cives M. Livium ad bellum proficiscentem, monenti Q. Fabio, ne priusquam genus hostium cognosset, temere manum consereret, respondisse, *Ubi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum.* Quum quæreretur, quæ caussa festinandi esset; *Aut ex hoste egregiam gloriam*, inquit, *aut ex civibus victis gaudium, meritum certe, etsi non honestum capiam.* Priusquam Claudius consul in provinciam perveniret, per extremum finem agri [4] Larinatis ducentem in Salentinos exercitum Annibalem cum expeditis cohortibus adortus C. Hostilius Tubulus, incomposito agmini terribilem tumultum intulit. ad quatuor millia hominum occidit, novem signa militaria cepit. Moverat ex hibernis ad famam hostis Q. Claudius, qui per urbes agri Salentini castra disposita habebat. Itaque ne eum duobus exercitibus simul confligeret Annibal, nocte castra ex agro Tarentino movit, atque in Brutios concessit. Claudius in Salentinos agmen convertit. Hostilius Capuam petens, obvius ad Venusiam fit consuli Claudio. Ibi ex utroque exercitu electa peditum quadraginta millia, duo millia & quingenti equites, quibus consul adversus Annibalem res gereret: reliquas copias Hostilius Capuam ducere jussus, ut Q. Fulvio proconsuli traderet.

XLI. Annibal undique contracto exercitu, quem in hibernis, aut in præ-

INTERPRETATIO.

a *Illatum intra Italiam bellum duplex*, seu duabus diversis regionibus:

NOTÆ.

1. *Multa secunda.*] Non credit Gron. scripsisse Livium: *multa secunda gesta;* ideoque legi vult: *duos exercitus ex parte delesset multâ, secundas in Italia Siciliaque res, &c.* ut sit, *ex parte multa.* Sed si quid mutandum, quidni potius scribatur: *multos secundas in Italia Siciliaque res conquassatam remp. excepisse.*

2. *Remp. excepisse.*] Metaphora est ab iis qui labantes homines, aut res suscipiunt & sustinent: ut apud Cic. pro Rabir. Post. *excipere aliquem labentem.*

3. *Profecuti sunt.*] Non secuti sunt ad bellum, (loquitur enim de is qui Romæ remanserant), sed *prosecuti sunt curis*, vel solicitudine affecti sunt erga Consules abeuntes. Eadem nempe loquendi formâ, quâ dicimus *amore aliquem aut odio prosequi:* aut quomodo *laudibus*, vel *grato animo, gratâ memoriâ prosequi*, Cicero dixit.

4. *Larinatis.*] A Larino oppido Apuliæ.

Urb. cond. an. 546. Coss. C.Cl. Nerone, & M.Liv. II.

sidiis agri Brutii habuerat, in Lucanos 1 ad Grumentum venit; spe recipiendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecissent. eodem à Venusia consul Romanus exploratis itineribus contendit, & mille fere & quingentos passus castra ab hoste locat. Grumenti mœnibus prope injunctum videbatur Pœnorum vallum. quingenti passus 2 erant inter castra Punica ac Romana. Interjacebat campus, colles imminebant nudi, sinistro lateri Carthaginiensium, dextro Romanorum; neutris suspecti: 3 quod nihil sylvæ, neque ad insidias latebrarum habebant. In medio campo ab stationibus procursantes, certamina, haud satis digna dictu, serebant. Id modo Romanum quærere apparebat, 4 ne abire hostem pateretur. Annibal inde evadere cupiens, a totis viribus in aciem descendebat. Tum consul ingenio hostis usus, quo minus in tam apertis collibus timeri insidiæ poterant; 5 quinque cohortes addi-

INTERPRETATIO.

a *Intentus erat ad decretoriam pugnam.*

NOTÆ.

1. *Ad Grumentum.*] Oppidum erat Lucaniæ, quæ nunc *Basilicata*: haud procul Aciri fluvio, in quem confluit Sora. Cluv. putat dici vul. *Clarimonte*. Holst. in annotationibus ad illius Italiam ponit ad antiquam Ecclesiam S. Laberii, vul. *S. Laviero*: sed in annotationibus ad Geographiam Sacram, censet esse *Agrimonte* ad eundem Acirim, supra *Tursi* oppidum. In annotationibus denique ad Ortelium eò decurrit, ut putet esse *Agromento* ad dextram Aciris fl. qui situs est Agrimontis: ut inter hæc duo an aliquid sit discriminis, dubium satis videatur.

2. *Erant ad castra.*] In optimis codicibus: *intererant castra Punica & Romana*, eodem sensu.

3. *Quod nihil sylva, neque ad insidias latebrarum habebat.*] Mureto placebat: *quod nihil sylva, nihil ad insidias latebrarum*. Gron. *nihil neque sylva, neque... latebrarum, &c.* quasi nempe minus ordinatè post, *nihil*, subjiciatur, *neque*; videtur enim subintelligendum, *nihil*, ac sic erit, *neque nihil*, hoc est, *aliquid*. Miror suspectam viris adeo eruditis hanc latinitatem: cum ignotum haud sit negativas particulas *non*, *nihil*, *nemo*, aliasque ejus generis, à se venustè habere, ac tacitè continere *quicquam*, *quispiam*, *ullus*, &c. *nihil*, enim idem est ac, *non quicquam*: & cum adjicitur negativa particula *neque*, refertur, non ad negativam, *non*. inclusam in voce *nihil*, sed ad vocem affirmantem, nempe *quicquam*, quæ inest eidem vocabulo: quasi esset; *neque quicquam latebrarum ad insidias*. Eàdem ratione Cic. in Pison. dixit: *rectè an secùs, nihil ad nos; aut si ad nos* &c. ubi intelligere non oportet, *aut si nihil ad nos*, sed *aut si quicquam*, vel *si aliquid ad nos*. Non absimili figurâ loquendi usus est Juven. sat. 6. *cum furem nemo timeret caulibus aut pomis, & aperto viveret horto*: ubi si nomen, *nemo*, (quo regitur verbum *viveret*, non minùs quam verbum *timeret*) repetas in postremo hemistichio, sequetur sub Jovis initia, (sive, ut ipse loquitur; *Jove nondum barbato*;) *neminem aperto horto vixisse*; quod erit contra mentem Auctoris. Loco igitur nominis *nemo*, intelligere necessario oportet, *quisque*: quod pronomen latebat in nomine, *nemo*, idest, *non quisque*, vel *non quisquam*.

4. *Ne abire hostem pateretur. Annibal inde evadere cupiens.*] Ita Reg. quod menti auctoris videtur repugnare. Colbertini, *ne abire hostem pateretur Annibalem, inde cupiens totis viribus in aciem descendebat*. *Inde*, id est, ea de causa ne abire, seu evadere Annibal posset, Nero *cupiens*, &c.

5. *Quinque cohortes,*] Plerique *quinque cohortibus additis quinque manipulis*; quâ ratione jubendi verbum dativo gaudebit. Id ut vitetur (quod etsi minùs usi-

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. 11.

tis quinque manipulis, nocte jugum superare & in aversis vallibus considere jubet. tempus exsurgendi ex insidiis, & aggrediendi hostem, Ti. Claudium Asellum tribunum militum, & P. Claudium præfectum sociûm edocet, quos cum iis mittebat. Ipse luce prima copias omnes peditum equitumque in aciem eduxit. Paulo post & ab Annibale signum pugnæ propositum est: clamorque in castris ad arma discurrentium est sublatus. inde eques, pedesque certatim portis ruere, ac palati per campum properare ad hostes. Quos ubi effusos consul videt, tribuno militum tertiæ legionis C. Aurunculcio imperat, ut equites legionis quanto maximo impetu possit, in hostem emittat. ita pecorum modo, incompositos [6] toto passim campo se fudisse, ut sterni obterique, priusquam instruantur, possint.

XLII. Nondum Annibal è castris exierat, quum pugnantium clamorem audivit. itaque excitus tumultu, raptim ad hostem copias agit. [a] Jam primos occupaverat equestris terror. peditum etiam primo legio; & dextra ala prælium inibant: incompositi hostes, ut quemque aut pediti, aut equiti casus obtulit, ita conserunt manus. crescit pugna subsidiis, & procurrentium ad certamen numero augetur: pugnantesque (quod nisi [1] in vetere exercitu, & duci veteri haud facile est) inter tumultum ac terrorem instruxisset Annibal; ni cohortium ac manipulorum decurrentium per colles clamor ab tergo auditus, metum, ne intercluderentur à castris, injecisset. Inde pavor incussus: & fuga passim fieri cœpta est. minorque cædes fuit, quia propinquitas castrorum breviorem fugam perculsis fecit. Equites enim tergo inhærebant: in transversa latera invaserant cohortes, [b] secundis collibus via nuda ac facili decurrentes. tamen supra octo millia hominum occisa: supra septingentos capti: signa militaria novem adempta: elephanti etiam, quorum nullus usus in repentina ac tumultuaria pugna fuerat, quatuor occisi, duo capti. [2] Circa quingentos Romanorum sociorumque victores, ceciderunt. postero die Pœ-

INTERPRETATIO.

a *Primæ aciei Pœnorum terrorem intulerant equites* Romani.

b *Per colles proclives.*

NOTÆ.

tatum, vitio tamen carere paulò antè ostendisse mihi videor) Gron. nominis inflexionem invertit, scribitque: *quinque cohortibus additos quinque manipulos*. Cohortes autem intellige sociorum, manipulos Romanorum.

6. *Toto passim campo se fudisse.*] Supple, *ait*: quod sæpe apud nostrum omittitur.

1. *In vetere exercitu, & duci veteri.*] In Colb. & melioribus ita legitur: estque sensus, eam rem facilem non esse, nisi duci jamdiu exercitato; ac ne illi quidem, nisi veteribus copiis imperet. Recepta lectio, *& duce vetere*, quod pendebit à præpositione *in*: non multum tamen diversus est sensus.

2. *Circa quingentos Romanorum sociorumq; victores ceciderunt.*] Alii: *Et trecenti circa Romanorum sociorumque*. Put. *Circa D. Romanorum sociorumque*, ut in contextu; id est, ex victoribus, qui partim Romani, partim socii. Non videntur quidem victores propriè dici qui in pugna cadunt: sed tamen id quoque usurpatum, quòd morte sua victoriam suorum redimant. *Et victores ceciderunt*, pro eo est ac *vincendo ceciderunt*.

nus quievit. Romanus in aciem copiis eductis, posteaquam neminem signa contra efferre vidit; spolia legi cæsorum hostium, & suorum corpora collata in unum sepeliri jussit. inde insequentibus continuis diebus aliquot ita institit portis, ut prope inferre signa videretur; donec Annibal tertia vigilia crebris ignibus tabernaculisque, [3] quæ pars castrorum ad hostes vergebat, & Numidis paucis, qui in vallo portisque se ostenderent, relictis, profectus, Apuliam petere intendit. Ubi illuxit, successit vallo Romana acies. & Numidæ ex composito paulisper in portis se valloque ostentavere: frustratique aliquandiu hostes, citatis equis agmen suorum assequuntur. Consul ubi silentium in castris, & ne paucos quidem qui prima luce obambulaverant, parte ulla cernebat, duobus equitibus speculatum in castra præmissis, postquam satis tuta omnia esse exploratum est, inferri signa jussit. tantumque ibi moratus, dum milites ad prædam discurrunt, receptui deinde cecinit, multoque ante noctem copias reduxit. Postero die prima luce profectus, magnis itineribus famam & vestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem assequitur. Ibi quoque tumultuaria pugna fuit. supra duo millia Pœnorum cæsa. Inde nocturnis, montanisque itineribus Pœnus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit. Hanno inde (is enim præsidio ejus loci præfuerat) in Brutios cum paucis ad exercitum novum comparandum missus. Annibal copiis ejus ad suas additis, Venusiam retro, quibus venerat itineribus, repetit: atque inde Canusium procedit. Nunquam Nero vestigiis hostis abstiterat: & Q. Fulvium, quum Metapontum ipse proficisceretur, in Lucanos, ne regio ea fine præsidio esset, arcessierat.

Urb. cond. ann. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio, II.

XLIII. Inter hæc ab Asdrubale, postquam à Placentiæ obsidione abscessit, quatuor Galli equites, duo Numidæ cum literis ad Annibalem missi, quum per medios hostes totam ferme longitudinem Italiæ emensi essent, dum [a] Metapontum cedentem Annibalem sequuntur, incertis itineribus Tarentum delati, à vagis per agros pabulatoribus Romanis ad Q. Claudium proprætorem deducuntur. Eum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum admotus fateri vera coëgit, edocuerunt; *literas se ab Asdrubale ad Annibalem ferre*. Cum iis literis, sicut erant, signatis, L. Virginio tribuno militum ducendi ad Claudium consulem traduntur. duæ simul turmæ Samnitium præsidii caussa missæ. qui ubi ad consulem pervenerunt, literæque lectæ per interpretem sunt, & ex captivis percunctatio facta; tum Claudius non id tempus esse reipublicæ ratus, quo consiliis ordinariis, [1] provinciæ suæ quisque finibus

INTERPRETATIO.

a *Recedentem versus Metapontum*.

NOTÆ.

3. *Quæ pars castrorum*.] Dixerit alius, *quà parte castra ad hostes vergebant*: vel certè *quà pars Castrorum*, &c.

1. *Provinciæ suæ quisque finibus*.] Rarò terminos Provinciæ sibi assignatæ excedebant Consules, aut Prætores; nec

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu, bellum gereret: Audendum ac novandum aliquid improvisum, inopinatum, quod cœptum non minorem apud cives, quam hosteis, terrorem faceret; perpetratum in magnam lætitiam ex magno metu verteret; literis Asdrubalis Romam ad senatum missis, simul & ipse Patres conscriptos quid pararet, edocet, ut quum in Umbria se occursurum Asdrubal fratri scribat; legionem à Capua Romam arcessant: delectum Romæ habeant: exercitum urbanum ad Narniam hosti opponant. Hæc senatui scripta. Præmissi autem [2] per agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum, Prætutianum, quà exercitum ducturus erat, ut omnes ex agris urbibusque commeatus paratos militi ad vescendum in viam deferrent, equos jumentaque alia producerent, ut vehiculorum fessis copia esset. Ipse de toto exercitu civium sociorumque quod roboris erat, delegit, sex millia peditum, mille equites: pronuntiat, occupare se in Lucanis proximam urbem Punicumque in ea præsidium velle, ut ad iter parati omnes essent. Profectus nocte, [b] flexit in Picenum. Et consul quidem quantis maximis poterat itineribus, ad collegam ducebat; relicto Q. Catio legato, qui castris præesset.

XLIV. Romæ haud minus terroris ac tumultus erat, quam fuerat [1] biennio antè quum castra Punica objecta Romanis mœnibus portisque fuerant. neque satis constabat animis, tam audax iter consulis laudarent vituperarentne. Apparebat (quo nihil iniquius est) ex eventu famam habiturum. *Castra prope Annibalem hostem relicta sine duce cum exercitu, cui detractum foret omne quod roboris, quod floris fuerit: & consulem in Lucanos ostendisse iter, quum Picenum & Galliam peteret, castra relinquentem nulla alia re tutiora, quam errore hostis, qui ducem inde atque exercitus partem abesse ignoraret. Quid futurum, si id palam fiat? & aut insequi Neronem cum sex millibus armatorum profectum, Annibal toto exercitu velit; aut castra invadere, prædæ relicta, sine viribus, sine imperio,* [2] *sine auspicio? Veteres ejus belli clades, duo consules proximo anno interfecti terrebant. & ea omnia accidisse, quum unus imperator, unus exercitus hostium in Italia esset: nunc duo bella Punica facta, duos ingentes exercitus, duos prope Annibales in Italia esse. quippe & Asdrubalem, patre eo-*

INTERPRETATIO.

b *Convertit* iter *Picenum versus.*

NOTÆ.

facilè, nisi ex decreto Senatus aut populi, copias conjungebant: sed nimirum necessitas novorum plerunque consiliorum artifex, quidquid exigit, approbat.

2. *Per agrum Larinatem, &c.*] Hæc omnia urbium aut populorum vocabula, explicuimus ad Decadem I.

1. *Biennio ante.*] Pleno scilicet, & extremis hinc inde annis non connumeratis: qui si computentur, quadriennium erit; anno enim 542. accesserat Annibal ad urbem spe liberandæ Capuæ.

2. *Sine auspicio.*] Auspicia enim Magistratuum erant, ut hic Consulis, qui abscesserat. Nihil autem magnæ rei nisi auspicatò suscipi, fierive mos erat.

dem Amilcare genitum, aeque impigrum ducem, per tot in Hispania annos [3] *Romano exercitum bello,* [4] *gemina victoria insignem, duobus exercitibus cum clarissimis ducibus deletis. nam itineris quidem celeritate ex Hispania, & conciatis ad arma Gallicis gentibus, multo magis quam Annibalem ipsum gloriari posse. quippe in iis locis hunc coëgisse exercitum, quibus ille majorem partem militum fame, ac frigore, quae miserrima mortis genera sunt, amisisset.* Adjiciebant etiam periti rerum Hispaniae, *haud cum ignoto duce C. Nerone congressurum: sed quem in saltu impedito deprehensus forte, haud secus quam puerum, conscribendis fallacibus condicionibus pacis frustratus elusisset.* Omnia majora etiam vero; praesidia hostium, minora sua, metu interprete semper in deteriora inclinato, ducebant.

Vrb. Cond. ann. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

XLV. Nero postquam jam tantum intervalli ab hoste fecerat, ut detegi consilium satis tutum esset, paucis milites alloquitur. *Negat ullius consilium imperatoris in speciem audacius, reipsa tutius fuisse, quam suum. Ad certam eos se victoriam ducere. quippe ad quod bellum collega non ante, quam* [1] *ad satietatem ipsius peditum atque equitum datae ab senatu copiae fuissent, majores, instructioresque quam si adversus ipsum Annibalem iret, profectus sit,* [a] *eo ipsos quantuncunque virium momentum addiderint, rem omnem inclinaturos. Auditum modò in acie (nam ne antè audiretur, daturum operam) alterum consulem, & alterum exercitum advenisse, haud dubiam victoriam facturum. famam bellum conficere, & parva momenta, in spem metumque impellere animos. Gloriae quidem ex re bene gesta partae fructum prope omnem ipsos laturos. Semper* QUOD POSTREMUM ADJECTUM SIT, *id rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo concursu, qua admiratione, quo favore hominum iter suum celebretur.* Et, hercule, [2] per instructa omnia ordinibus virorum mulierumque undique ex agris effusorum, inter vota ac preces & laudes ibant: illos *praesidia Reipublicae, vindices urbis Romanae imperiique* appellabant: *in illorum armis dextrisque suam liberorumque suorum salutem ac libertatem repositam esse.* Deos omnes Deasque precabantur, ut illis faustum iter felixque pugna, matura ex hostibus victoria esset: damnarenturque ipsi votorum, quae pro iis suscepissent; ut quemadmodum nunc soliciti prosequerentur eos, ita paucos post dies laeti ovantibus victoriâ obviam irent. Invitare inde pro se quisque, offerre & fatigare precibus, ut quae ipsis jumentisque usui essent, ab se potissimum

INTERPRETATIO.

a *Futurum ea de causa, ut illi* (milites ipsius Claudii Neronis) *addito quantumcunque tenui momento* (ad copias M. Livii alterius Consulis) *victoriam*, si forte nutaret, secum *traherent atque inclinarent* ad Romanos.

NOTÆ.

3. *Romano exercitum bello.*] Colb. unus, *exercitatum*: quod perinde est.

4. *Gemina victoria insignem.*] Relatâ de ambobus Scipionibus fratribus in Hispania caesis.

1. *Ad satietatem ipsius peditum, &c.*] Vide supra cap. 38.

2. *Per instructa omnia.*] Supple *itinera*, vel *loca*.

Urb. cond. ann. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

sumerent. benigne omnia cumulata dare. Modestiâ certare milites, ne quid ultra usum necessarium sumerent: nihil morari, 3 nec ab signis absistere cibum capientes: diem ac noctem ire: vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare. Et ad collegam præmissi erant, qui nunciarent adventum, percunctarenturq; clam an palam, interdiu an noctu, venire sese vellet, iisdem an aliis considere castris. Nocte clam ingredi melius visum est.

XLVI. 1 Tessera per castra ab Livio consule data erat, ut tribunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet. neque enim dilatari castra opus esse, ne hostis adventum alterius consulis sentiret: & coarctatio plurium in angusto tendentium facilior futura erat, quod Claudianus exercitus nihil ferme, præter arma, secum in expeditionem tulerat. Cæterum in ipso itinere auctum voluntariis agmen erat; offerentibus sese ultro; & veteribus militibus perfunctis jam militia; & juvenibus, quos certatim nomina dantes, si quorum corporis species, roburque virium aptum militiæ videbatur, conscripserat. 2 Ad Senam castra alterius consulis erant: & quingentos inde ferme passus Asdrubal aberat. Itaque quum jam appropinquaret, tectus montibus substitit Nerò: ne ante noctem, castra ingrederetur. Silentio ingressi, ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria abducti, cum summa omnium lætitia hospitaliter excipiuntur. Postero die consilium habitum, cui & L. Porcius Licinus prætor affuit. Castra juncta consulum castris habebat: & ante adventum eorum, per loca alta ducendo exercitum, quum modò insideret angustos saltus, ut transitum clauderet; modò ab latere aut ab tergo carperet agmen, ludificatus hostem omnibus artibus belli fuerat. is tum in consilio aderat. Multorum eò inclinant sententiæ, ut, dum fessum via ac vigiliis reficeret militem Nero, simul & ad noscendum hostem paucos sibi sumeret dies, tempus pugnæ differretur. Nero non suadere modò, sed summa ope orare instituit; *ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent. Errore (qui non diuturnus futurus esset) velut torpentem Annibalem, nec castra sua sine duce relicta aggredi, nec ad sequendum se* a *iter intendisse, antequam se moveat, deleri exercitum Asdrubalis posse* 3 *redireque in Apuliam*

INTERPRETATIO.

a *Se dedisse in viam*, vel *iter arripuisse*.

NOTÆ.

3. *Nec ab signis absistere cibum capientes.*] Probarem Gronovianam ex conjectura lectionem: *nec ab signis absistere, nec subsistere, cibum capientes;* verùm Codices in quibus est verbum *subsistere*, nulli habent *absistere*.

1. *Tesserâ per castra.*] Mandatum vel jussum sive tesserâ, sive alio signo datum.

2. *Ad Senam.*] *Senam Gallicam* nimirum, quæ & Senogallia, Senonum Italicorum olim caput, in Veteri Umbria trans Apenninum: de qua paulò antè. Hod. *Sinigaglia* in Urbini ducatu, qui ab Urbano VIII. Ecclesiæ Romanæ ditioni adjunctus. Ea non procul, ad *Metaurum* fluvium, fusus cæsusque Annibal; quod frustra quidam ad Cæsenam trahunt longiùs ab Metauro distitam.

3. *Redireque in Apuliam.*] Malim, *redirique*, ut respondeat priori passivæ vocis

Qui

Qui prolatando ſpatium hoſti det, eum & illa caſtra prodere Annibali, & aperire in Galliam iter; ut per otium ubi velit, Aſdrubali conjungatur. Extemplo ſignum dandum, & exeundum in aciem: abutendumque errore hoſtium 4 *abſentium, præſentiumque: dum neque illi ſciant cum paucioribus, nec hi cum pluribus & validioribus rem eſſe.* Conſilio dimiſſo ſignum pugnæ proponitur, confeſtim in aciem procedunt.

Urb. cond. ann. 546. Coſſ. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

XLVII. Jam hoſtes ante caſtra inſtructi ſtabant. moram pugnæ attulit, quod Aſdrubal provectus ante ſigna cum paucis equitibus, ſcuta vetera hoſtium notavit, quæ ante non viderat, & [a] ſtrigoſiores equos. multitudo quoque major ſolita viſa eſt. Suſpicatus enim, id quod erat; receptui propere cecinit, ac miſit ad flumen, unde aquabantur: ubi & excipi aliqui poſſent, & notari oculis, ſi qui forte aduſtioris coloris ex recenti via eſſent; ſimul circumvehi procul caſtra jubet, ſpecularique, num auctum aliqua parte ſit vallum: & ut attendant, ſemel biſne ſignum canat in caſtris. Ea quum ordine omnia relata eſſent; caſtra nihil aucta errorem faciebant. Bina erant, ſicut ante adventum conſulis alterius fuerant: una M. Livii, altera L. Porcii: neutris quicquam, quò latius tenderent, ad munimenta adjectum. Illud veterem ducem aſſuetumque Romano hoſti movit; quod ſemel in prætoriis caſtris ſignum, bis in conſularibus referebant ceciniſſe. duos profecto conſules eſſe, & quonam modo alter ab Annibale abſceſſiſſet, cura angebat. Minime id quod erat, ſuſpicari poterat, tantæ rei fruſtratione Annibalem eluſum: ut ubi dux, ubi exercitus eſſet, cum quo caſtra collata haberet, ignoraret. Profecto haud mediocri clade abſterritum inſequi non auſum. magnopere vereri, ne perditis rebus ſerum ipſe auxilium veniſſet: Romaniſque eadem jam fortuna in Italia, quæ in Hiſpania eſſet. interdum, literas ſuas ad eum non perveniſſe, credere: interceptiſque iis, conſulem ad ſeſe opprimendum acceleraſſe. His anxius curis, extinctis ignibus, vigilia prima dato ſigno, ut taciti vaſa colligerent, ſigna ferri juſſit. in trepidatione & nocturno tumultu [b] duces, parum intente aſſervati, alter in deſtinatis jam inde antè animo latebris ſubſedit, alter per vada nota 1 Metaurum flumen tranavit: ita deſertum à ducibus agmen, primo per agros palatur; feſſique aliquot ſomno ac vigiliis, ſternunt corpora

INTERPRETATIO.

a *Equos macilentos, & fame reſtrictos.*
b *Duces* itineris qui bini erant, *minùs diligenter cuſtoditi.*

NOTÆ.

verbo, *deleri exercitum*: & Colbertini, omiſſis per imprudentiam librarii, (quæ media erant) habent: *delerique in Apuliam.* fortè *deſertique in Apuliam.*

4. *Abſentium præſentiumque.*] Vterque exercitus deceptus à Nerone, & Annibalis abſentis, & præſentis Aſdrubalis.

1. *Metaurus flumen.*] Alius à Metauro Brutiorum, hic *Metaurus* Vmbriæ. Vul. *Metro*, inter Senogalliam & Fanum evolvitur in mare Superum ſeu Adriaticum.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

passim, atque infrequentia relinquunt signa. Asdrubal, dum lux viam ostenderet, c ripâ fluminis signa ferri jubet; & per tortuosi amnis sinus, flexusque 2 errorem volvens, haud multum processit; ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus. sed quum, quantum mare abscedebat, tanto altioribus coërcentibus amnem ripis, non inveniret vada; diem terendo, spatium dedit ad insequendum sese hosti.

XLVIII. Nero primum cum omni equitatu advenit. Porcius deinde assecutus cum levi armatura. Qui quum 1 fessum agmen carperent ab omni parte incursarentque, & jam 2 omisso itinere, quod fugæ simile erat, castrametari Pœnus in tumulo super fluminis ripam vellet; advenit Livius peditum omnibus copiis, non itineris modo, sed ad conserendum extemplo prælium instructis, armatisque. sed ubi omnes copias conjunxerunt, directaque acies est; Claudius dextro in cornu, Livius ab sinistro pugnam instruit: media acies prætori tuenda datur. Asdrubal, omissa munitione castrorum, postquam pugnandum vidit, in prima acie ante signa elephantos conlocat. circa eos lævo in cornu adversus Claudium Gallos opponit; haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat. ipse dextrum cornu adversus M. Livium sibi, atque Hispanis (& ibi maxime in vetere milite spem habebat) sumpsit. Ligures in medio post elephantos positi. sed longior quam latior acies erat. Gallos prominens collis tegebat. Ea frons, quam Hispani tenebant, cum sinistro Romanorum cornu concurrit. dextra omnis acies extra prælium eminens cessabat. collis oppositus arcebat, ne aut à fronte, aut ab latere aggrederentur. Inter Livium, Asdrubalemque ingens contractum certamen erat, atroxque cædes utrinque edebatur. ibi duces ambo, ibi pars major peditum equitumque Romanorum: ibi Hispani, vetus miles peritusque Romanæ pugnæ; & Ligures, durum in armis genus. eodem versi elephanti, qui primo impetu turbaverant antesignanos, & 3 jam signa moverant loco: deinde, crescente certamine & clamore, impotentius jam regi, & inter duas acies versari, velut incerti quorum essent; d haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis. Claudius, *Quid ergo præcipiti*

INTERPRETATIO.

c *Secundum amnis ripam.*
d *Non secus ac naves gubernaculo destituta, &c.*

NOTÆ.

2. *Errorem volvens.*] Aliàs. *cum errore volvens*; sed *errorem volvens* ex Put. est: & significat *via implicans errores*, sive *incertum iter ancipiti ambage texens*, ut Pacatus in Panegyrico Theodosii loquitur & sic fortè Livius dixit *errorem volvere*, ut Cic. *orbem versare*. An potiùs *errorem volvens*, animo scilicet cogitans quantum sibi errandum esset, sequenti varios amnis Metauri flexus, substitit, nec multum processit per noctem.

1. *Fessum agmen carperent ab omni parte &c.*] Gallicè, *Ils entamojent de tous costez, & pressojent les troupes d'Annibal qui estojent harassées.*

2. *Omisso itinere.*] Gall. *Ayant quitté la marche.*

3. *Jam signa moverant loco.*] Gall. *Ils avojent poussé & fait reculer la premiere ligne,*

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

curſu tam longum iter emenſi ſumus? clamitans militibus, quum in adverſum collem fruſtra ſigna erigere conatus eſſet: poſtquam ea regione penetrari ad hoſtem non videbat poſſe; cohortes aliquot ſubductas è dextro cornu, [a] ubi ſtationem magis ſegnem quam pugnam futuram cernebat, poſt aciem circumducit: & non hoſtibus modo, ſed etiam ſuis inopinantibus in ſiniſtrum hoſtium latus incurrit: tantaque celeritas fuit, ut quum oſtendiſſent ſe ab latere, mox in terga jam pugnarent. Ita ex omnibus partibus ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidantur Hiſpani Ligureſque: & ad Gallos jam cædes pervenerat. Ibi minimum certaminis fuit. nam & pars magna ab ſignis aberant, nocte dilapſi, ſtratique ſomno paſſim per agros: & qui aderant, itinere ac vigiliis feſſi, intolerantiſſima laboris corpora, vix arma humeris geſtabant. Et jam diei medium erat; ſitiſque & calor hiantes, cædendos capiendoſque affatim præbebat.

XLIX. Elephanti plures ab ipſis rectoribus quam ab hoſte interfecti. fabrile ſcalprum cum malleo habebant: id, ubi ſævire belluæ ac ruere in ſuos cœperant, magiſter inter aures poſitum, ipſo in articulo quo jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat, ictu adigebat. Ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inventa erat, [1] ubi regendi ſpem viciſſent. primuſque id Aſdrubal inſtituerat, dux quum ſæpe alias memorabilis, tum illâ præcipue pugnâ. Ille pugnantes hortando, pariterque obeundo pericula, ſuſtinuit: ille feſſos, abnuenteſque tædio & labore nunc precando, nunc caſtigando, accendit: ille fugientes revocavit, omiſſamque pugnam aliquot locis reſtituit. poſtremo, quum haud dubie fortuna hoſtium eſſet, ne ſupereſſet tanto exercitui [b] ſuum nomen ſecuto, concitato equo [2] ſe in cohortem Romanam immiſit. Ibi ut patre Amilcare & Annibale fratre dignum erat, pugnans cecidit. Nunquam eo bello, una acie tantum hoſtium interfectum eſt, redditaque æqua Cannenſi clades, vel ducis vel exercitus interitu videbatur. [3] Quinquaginta ſex millia hoſtium occiſa: capta quinque millia & quadringenti: præda alia magna, tum omnis generis, tum auri etiam argentique. Civium

INTERPRETATIO.

a *Quo loco videbat futurum ut potiùs incaſſum ſtarent, quàm pugnarent.*
b *Qui ipſius auſpicia ſequebatur.*

NOTÆ.

1. *Ubi regendi ſpem viciſſent.*] Inter diverſas lectiones hanc Gron. probat poſt Rhenanum: eſtque ſenſus elephantos, poſtquam turbati magiſtris ſpem ademerant fore ut regere poſſent, impacto in cervicem ſcalpro ab ipſis rectoribus interfectos.

2. *Se in cohortem Romanam.*] Intellige cohortem ſociorum, qui in exercitu Romano: aliàs manipulos dicendum eſſet.

3. *Quinquaginta ſex millia.*] Quantum à Livio diſtat hac in re Polyb. qui lib. XI. ſcribit non pauciores decem millibus è Carthaginienſium exercitu deſideratos, connumeratis Celtis; ex Romanis verò circa duo millia.

Vrb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

etiam Romanorum, qui capti apud hostes erant, 4 supra quatuor millia capitum recepta, id solatii fuit pro amissis eo prælio militibus. Nam haudquaquam incruenta victoria fuit: octo ferme millia Romanorum, sociorumque occisa. Adeoque etiam victores sanguinis cædisque cœperat satietas, ut postero die, quum esset nunciatum Livio consuli, Gallos Cisalpinos, Liguresque, qui ante prælio non affuissent, aut inter cædem effugissent, uno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine ullo aut imperio: posse, si una equitum ala mittatur, omnes deleri; *Supersint*, inquit, *aliqui nuncii*, *& hostium cladis*, *& nostræ virtutis*.

L. Nero ea nocte, quæ secuta est pugnam, citatiore quam inde venerat agmine, die sexto ad stativa sua atque ad hostem pervenit. Iter ejus frequentia minore, quia nemo præcesserat nuncius, lætitia vero tanta, vix ut compotes mentium præ gaudio essent, celebratum est. Nam Romæ neuter animi habitus satis dici enarrarique potest: nec quo incerta exspectatione eventus civitas fuerat, nec quo victoriæ famam accepit. Nunquam per omnes dies, ex quo Claudium consulem profectum fama attulit, ob orto sole ad occidentem, aut senator quisquam à curia atque ab magistratibus abscessit, aut populus è foro. Matronæ, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestationesque versæ; per omnia delubra vagæ suppliciis votisque fatigare Deos. tam solicitæ ac suspensæ civitati fama incerta primo accidit: duos Narnienses equites in castra, quæ in faucibus Umbriæ opposita erant, venisse ex prælio, nunciantes, *cæsos hostes*. Et primo magis auribus quam animis id acceptum erat, ut majus lætiusque, quam quod mente capere, aut satis credere possent: & ipsa celeritas fidem impediebat, quod biduo ante pugnatum dicebatur. Literæ deinde ab L. Manlio Acidino missæ 1 ex castris afferuntur de Narniensium equitum adventu. Eæ literæ per forum ad tribunal Prætoris latæ, senatum curia exciverunt: tantoque certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concursum est, ut adire nuncius non posset, traheretur que à percunctantibus, vociferantibusque, ut in Rostris, priusquam in senatu, literæ recitarentur. tandem summoti, & coërciti à magistratibus: dispensarique lætitia inter impotentes ejus animos potuit. In senatu primum, deinde in concione literæ recitatæ sunt: & pro cujusque ingenio aliis jam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos, consulumve literas audissent.

LI. *Ipsos deinde appropinquare legatos* allatum est. tum enim vero omnis ætas currere obvii; primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes, 1 ad Mulvium usque pontem continens agmen pervênit.

NOTÆ.

4. *Supra quatuor millia capitum recepta.*] Meliores *tria millia* tantùm numerant.

1. *Ex Castris.*] Quæ in Vmbria.

1. *Ad Mulvium usque pontem.*] Pons *Mulvius* seu *Milvius*, altero ab urbe lapide impositus Tiberi, qui à Latio dividit Etruriam; transitur venientibus Romam per viam Flaminiam; hodie *Ponte Molle*.

Legati erant, L. Veturius Philo, P. Licinius Varus, Q. Cæcilius Metellus. circumfusi omnis generis hominum frequentia in forum pervenerunt; quum alii ipsos, alii comites eorum, *quæ acta essent*, percunctarentur, & ut quisque audierat, *exercitum hostium imperatoremque occisum, legiones Romanas incolumes, salvos consules esse*; extemplo aliis porro impertiebant gaudium suum. Quum ægre in curiam perventum esset; multo ægrius summota turba ne Patribus misceretur, literæ in senatu recitatæ sunt. 2 inde producti in concionem legati. L. Veturius literis recitatis, ipse planius omnia, quæ acta erant, exposuit; cum ingenti assensu, postremo etiam clamore universæ concionis, quum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa Deûm, ut grates agerent; ab aliis domos, ut conjugibus liberisque tam lætum nuncium impertirent. Senatus, quod M. Livius, & C. Claudius consules, incolumi exercitu, ducem hostium legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit. eam supplicationem C. Hostilius prætor 3 pro concione edixit; celebrataque à viris fœminisque est. Omnia templa per totum triduum æqualem turbam habuere: quum matronæ amplissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutæ metu, Deis immortalibus grates agerent. 4 Statum quoque civitatis ea victoria movit: ut jam inde haud secus quam in pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum solvendo, auderent. C. Claudius consul quum in castra redisset, caput Asdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, projici ante hostium stationes, captivosque Afros vinctos, ut erant, ostendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Annibalem, & expromere quæ acta essent, jussit. Annibal tanto simul publico familiarique ictus luctu; *agnoscere se fortunam Carthaginis*, fertur dixisse: castrisque inde motis, ut omnia auxilia, quæ diffusa latius tueri non poterat, in extremum Italiæ angulum Brutios, contraheret. & Metapontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis, & Lucanorum, qui suæ ditionis erant, in Brutium agrum traduxit.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. II.

NOTÆ.

2. *Inde producti*.] *Producere* hoc loco pro *exhibere* accipitur, seu coram sistere. Aliàs *traducti*, vel *introducti*.

3. *Pro concione edixit*.] Edicere est palam pronunciare atque imperare. *Concio* à conciendo dicta, est cœtus populi aut militum ad rem certam convocatorum.

4. *Statum quoque civitatis ea victoria movit*.] *Commotum omnium statum* dixit Velleius in malam partem, ut ostenderet convulsas fuisse omnium fortunas: atque ita plerumque sumitur verbum *movendi*; hic contrà mutatio indicatur in meliùs.

FINIS LIBRI XXVII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXVIII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

RES in Hispania prospere gestæ à Silano Scipionis legato, & ab L. Scipione fratre adversus Pœnos, à Sulpicio Proconsule, & ab Attalo Rege Asiæ, adversus Philippum regem Macedonum pro Ætolis, referuntur. Quum M. Livio & Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset: Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est: Nero qui in collegæ provinciam, ut victoriam ejus adjuvaret, venerat, equo est secutus. & in hoc habitu plus gloriæ reverentiæque habuit. nam & plus in bello, quàm collega, fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia virginis, quæ non custodierat, extinctus est: virgo cæsa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellavit, decimo-quinto anno ejus belli, anno quinto postquam ierat: exclusisque in totum possessione ejus hostibus, Hispaniam recepit. & à Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum, duobus navigiis transvectus, fœdus junxit. Asdrubal Gisgonis, ibi cum eo in eodem lecto accubuit. Munus gladiatorium in honorem patris patruique Carthagine Nova dedit: non ex gladiatoribus, sed ex iis qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Quum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos & conjuges rogo extructo occiderunt, & se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicitus esset, seditionem in parte exercitus motam, confirmatus discussit: rebellantesque Hispaniæ populos coëgit in deditionem venire. Et amicitia facta est cum Masinissa Rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam trajecisset, pollicebatur: cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiam trajiceret. Romam reversus, consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque in Africam trajiceret, si ex republ. esse censeret. Mago Amilcaris filius à minore Baleari insula, ubi hiemarat, in Italiam trajecit.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. 11,

QUUM transitu Asdrubalis, quantum [1] in Italiam declinaverat belli, tantum levatæ Hispaniæ viderentur; renatum ibi subito par priori bellum est. Hispanias ea tempestate sic habebant Romani, Pœnique. Asdrubal Gisgonis filius ad Oceanum penitus, Gadesque concesserat. [a] Nostri maris ora omnisque ferme Hispania, qua in orientem vergit, Scipionis ac Romanæ ditionis erat. Novus imperator Hanno in locum Barcini Asdrubalis novo cum exercitu ex Africa transgressus, Magonique junctus, quum in Celtiberia, quæ media [2] inter duo maria est, brevi magnum hominum numerum armasset; Scipio adversus eum M. Silanum cum decem haud plus millibus militum, equitibus quingentis, misit. Silanus quantis maximis potuit itineribus, (impediebant autem & asperitates viarum, & angustiæ saltibus crebris, ut pleraque Hispaniæ sunt inclusæ) tamen non solum nuncios, sed etiam famam adventus sui prægressus, [b] ducibus indidem ex Celtiberia transfugis ad hostem pervênit. Eisdem auctoribus compertum est, quum decem circiter millia ab hoste abessent, bina castra circa viam, qua irent, esse: læva Celtiberos, novum exercitum supra novem millia hominum, [c] dextra Punica tenere castra. hæc stationibus, vigiliis, omni justa militari custodia tuta & firma esse: illa altera soluta neglectaque, ut barbarorum & tyronum, & minus timentium quod in sua terra essent. Ea prius aggredienda ratus Silanus, signa quam maxime ad lævam jubebat ferri, necunde ab stationibus Punicis conspiceretur. ipse præmissis speculatoribus, citato agmine ad hostem pergit.

II. Tria millia ferme aberat, quum haud dum quisquam hostium senserat. confragosa loca, & obsita virgultis tenebant colles. Ibi in cava valle atque ob id occulta, considere militem, & cibum capere jubet. interim speculatores transfugarum dicta affirmantes, venerunt. Tum sarcinis in medium conjectis arma Romani capiunt: [a] acieque justa in pugnam vadunt. Mille passuum aberant, quum ab hoste conspecti sunt, trepidarique repente cœptum. & Mago ex castris, citato equo ad primum clamorem & tumultum advehitur. Erant autem in Celtibero-

INTERPRETATIO.

a *Regiones ad mare Mediterraneum sita.*

b *Cum ducibus itineris uteretur, qui ex eadem Celtiberia transfugerant ad Romanos.*

c *Pœnorum* autem *castra occupare loca*, quæ *ad dextram via* erant.

a *Et instructa acie atque ordinata* progressi sunt.

NOTÆ.

1. *In Italiam declinaverat.*] Metaphora sumpta est à lancibus quarum altera translato ex parte in eam pondere deprimitur; altera vero sublevatur. Inter meliores Codices variat lectio parùm variante sensu: alii habent, *quantum in Italiam inclinaverat belli.*

2. *Inter duo maria.*] Inter Ibericum, quod mediterranei; & Cantabricum, quod Oceani pars.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. II.

rum exercitu [1] quatuor millia ſcutatorum & ducenti equites; [2] hanc juſtam legionem (& id ferme roboris erat) in prima acie locat: cæteros, levem armaturam, in ſubſidiis poſuit. Quum ita inſtructos educeret caſtris, vixdum in egreſſos vallo Romani pila conjecerunt. Subſidunt Hiſpani adverſus emiſſa tela ab hoſte, inde ad mittenda ipſi conſurgunt; quæ quum Romani conferti, ut ſolent, denſatis excepiſſent ſcutis; tum pes cum pede collatus, & gladiis geri res cœpta eſt. Cæterum aſperitas locorum, & Celtiberis, quibus in prælio concurſare mos eſt, velocitatem inutilem faciebat: & haud iniqua eadem erat Romanis ſtabili pugnæ aſſuetis; niſi quod anguſtiæ [b] & internata virgulta ordines dirimebant: & ſinguli binique velut cum paribus, conſerere pugnam cogebantur. Quod ad fugam impedimento hoſtibus erat, id ad cædem eos, velut vinctos, præbebat. Et jam ferme omnibus ſcutatis Celtiberorum interfectis, levis armatura, & Carthaginienſes, qui ex alteris caſtris ſubſidio venerant, perculſi cædebantur. duo haud amplius millia peditum, & equitatus omnis, vix inito prælio, cum Magone effugerunt. Hanno alter imperator cum eis, qui poſtremi jam profligato prælio advenerant, vivus capitur. Magonem fugientem equitatus ferme omnis, & quod veterum peditum erat ſecuti, decimo die [3] in Gaditanam provinciam ad Aſdrubalem pervenerunt. Celtiberi novus miles, in proximas dilapſi ſylvas, inde domos diffugerunt. [c] Peropportunâ victoriâ, nequaquam tantum jam conflatum bellum, quanta futuri materia belli (ſi licuiſſet eis, Celtiberorum gente excita, & alios ad arma ſolicitare populos) oppreſſa erat. Itaque collaudato benigne Silano, Scipio ſpem debellandi, [d] ſi nihil eam ipſe cunctando moratus eſſet, nactus, ad id, quod reliquum belli erat, in ultimam Hiſpaniam adverſus Aſdrubalem pergit. Pœnus quum caſtra tum forte ad ſociorum animos in Bætica continendos in fide haberet, ſignis repente ſublatis, fugæ magis, quàm

INTERPRETATIO.

b *Stirpes hinc inde erenata.*

c *Victoria hac admodum opportuna, ingens bellum* etſi jam *exortum* extinxerit, *majorem* tamen *oppreſſit materiam belli, quod futurum erat, ſi potuiſſent* Pœni *poſt Celtiberorum gentem* ad arma *concitatam, alios* quoque *populos* ad tumultuandum *inducere.*

d *Modò ipſe ſpem illam non remoraretur propria cunctatione*, ſeu *morâ ſuâ non corrumperet.*

NOTÆ.

1. *Quatuor millia ſcutatorum.*] Voſſius *quatuor millia ſcutati:* quod conjicit ex Put. in quo *ſcutata:* in aliis *ſcuta.*

2. *Hanc juſtam legionem.*] Romanorum propriè *legio* dicitur, hic adſcribitur Celtiberis, quod & numero & ſcutis Romanum morem imitarentur. *Cæteros, levem armaturam,* epexegeſis eſt.

3. *In Gaditanam provinciam.*] Tractum intellige Gadibus attributum, qui ad utriuſque maris fauces procurrit, ubi conventus Gaditanus poſteà à Romanis inſtitutus fuit: una cum vicino Bæticæ tractu. Maurorum tempore comprehendebatur his finibus exiguum regnum Algeziræ, cum parte Hiſpalenſis, in Andaluzia quæ ad fretum, ac Bætis oſtia.

itinere

itineris modo, penitus ad Oceanum & Gadeis ducit. Cæterum quoad continuisset exercitum, 4 propositum bello se fore ratus; antequam freto Gades trajiceret, exercitum omnem passim in civitates divisit, ut & muris se ipsi & armis muros tutarentur.

Urb. cond. an. 546. Coss. C.Cl. Nerone, & M.Livio II.

III. Scipio ubi animadvertit, dissipatum passim bellum; & circumferre ad singulas urbes arma, diutini magis quam magni esse operis: retro vertit iter. ne tamen hostibus eam relinqueret regionem, L. Scipionem fratrem cum decem millibus peditum, & mille equitum, ad oppugnandum opulentissimam in iis locis urbem, 1 Oringin barbari appellabant, mittit. Sita 2 in Melessum finibus est Hispanæ gentis. ager frugifer. 3 argentum etiam incolæ fodiunt. ea arx fuit Asdrubali ad excursiones

N O T Æ.

4. *Propositum bello se fore ratus.*] Asdrubal scilicet, existimans fore, ut quamdiu omnes copias junctas secum retineret, à Scipione, quasi scopus ad ictum destinatus, peteretur; exercitum dispersit ac divisit in civitates.

1. *Oringin barbari appellabant.*] In Regio uno scribitur, *Oroncin*; in Colb. altero, *Orongin*. Hanc urbem eandem esse cum *Auringe* cujus mentio apud nostrum lib.24. cap. 42. Et corruptè *Oningin* scribi apud Plinium, plura sunt quæ suadeant: affinitas præsertim vocum, & situs in Bætica ulteriore. Nam *Oningin* Plin. in Astigitano conventu locat, noster *Auringem* memorat ultra Mundam, & hic *Oringin* ponit in *Massiensium* finibus (sic enim legendum mox demonstrabitur.) Hi verò Stephano teste, regionem incolebant ἀντικειμένην τοῖς ταρτησίοις, oppositam vel attributam Tartessiis, quod & Vitruvius testatur. Constat autem *Tartessum* urbem fuisse freto Gaditano appositam, ubi nunc *Tarifa*. His admissis, *Oringis* neque *Arjona* erit, ut Clusio & Floriano visum; nec *Jaën*, ut Marianæ placebat; (hæ quippe duæ urbes in parte Orientali Andaluziæ, & versus fontes Bætis sitæ, ad Cordubensem, non ad Astigitanum conventum referendæ essent). Sed vel *Moron* ex sententia Beuteri, vel *Coronil*, aut circa hæc loca, quæ nunc in parte Andaluziæ occidua, quà ad Meridiem vergit, ubi Seviliæ regnum proximum exiguo regno Algeziræ, quibus respondebat ex parte conventus Astigitanus.

2. *In Melessum finibus.*] Vacillant hic Scripti: sed rectè Ruben. ductâ conjecturâ, ex Put. aliisque melioribus membranis, ubi *Massessum* legitur; *Massiensium* reponit; ejusque conjectura juvari potest ex Regio uno, in quo *Mesenssium* scribitur. Hi populi à *Massia* civitate Hispaniæ ulterioris nomen habebant, cujus meminit Plin. lib. 35. cap. 14. aitque ibi fieri lateres, qui siccati non merguntur in aqua. Regionem nominat Theopompus apud Stephanum, ut & Vitru. à quo *Massica* dicitur. Urbs fortè eadem est cum ea quam Ptol. *Maxilvan* nominat, in Turdetanis; Nic. Sanso *Vallalvam* interpretatur. Miror eruditissimo Gronovio in suspicionem venisse easdem cum *Massia* & *Tartesso*, Hispaniæ urbibus esse *Mastiam* & *Tarseium*, quarum mentio in secundo Pœnorum cum Romanis fœdere apud Polyb. lib 3. Has quippe in Africa fuisse ostendit promontorium Pulcrum, his locis adjunctum tanquam vicinis. Accedit quod tunc agebatur de Romanorum navigatione ultra ea loca: at de navigatione ad fretum Gaditanum vix est ut eo tempore Romani cogitarent.

3. *Argentum etiam incolæ fodiunt.*] Hoc novum in agro frugifero. Argenti enim & alia ferè metalla ex sterili solo erui, & raro frugibus simul ac metallis, agrum eumdem abundare, Strabo lib. 3. notat: Tudertanorum porro terram utrisque divitem, pro miraculo refert. Argenti vero feracem adeo, ut privati argentum effodientes, triduo talentum euboicum extraherent. Unde confirmari potest quod de situ *Oringis*, & *Massia* diximus.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. II.

circa 4 in Mediterraneos populos faciendas. Scipio castris prope urbem positis, prius quam circumvallaret urbem, misit ad portas, qui ex propinquo alloquio animos tentarent, suaderentque, ut amicitiam potius quam vim experirentur Romanorum. Ubi nihil pacati respondebatur, fossa duplicique vallo circumdata urbe, in tres partes exercitum divisit: ut una semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima pars cum adorta oppugnare est, atrox sane & anceps prælium fuit: non subire, non scalas ferre ad muros præ incidentibus telis facile erat. & jam qui erexerant ad murum scalas, alii furcis ad idipsum factis detrudebantur, in alios 5 lupi superne ferrei injecti, ut in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. quod ubi animadvertit Scipio, nimia paucitate suorum exæquatum certamen esse, & jam eo superare hostem, quod ex muro pugnaret; 6 duabus simul partibus, primâ receptâ, urbem est aggressus. Quæ res tantum pavoris injecit fessis jam cum primis pugnando, ut & oppidani mœnia repentinâ fugâ desererent: & Punicum præsidium metu, ne prodita urbs esset, relictis stationibus in unum se colligeret. Timor inde oppidanos incessit, ne, si hostis urbem intrasset, sine discrimine, Pœnus an Hispanus esset, obvii passim cæderentur. itaque patefacta repente porta, frequentes ex oppido sese ejecerunt; scuta præ se tenentes ne tela procul conjicerentur; dextras nudas ostentantes, ut gladios abjecisse appareret. id utrùm parum ex intervallo sit conspectum, an dolus aliquis suspectus fuerit, incompertum est. Impetus hostilis in transfugas factus: nec secus, quam adversa acies, cæsi. Eademque porta signa infesta in urbem illata: & aliis partibus securibus dolabrisque cædebantur & refringebantur portæ; & ut quisque intraverat eques, ad forum occupandum (ita enim præceptum erat) citato equo pergebat. Additum erat & triariorum equiti præsidium. legionarii cæteras partes pervadunt: direptione & cæde obviorum, nisi qui armis se tuebantur, abstinuerunt. Carthaginienses omnes in custodiam dati sunt: oppidanorum quoque trecenti ferme, qui clauserant portas. cæteris traditum oppidum; suæ redditæ res. Cecidere in urbis ejus oppugnatione hostium duo millia ferme, Romanorum haud plus nonaginta.

IV. Læta & ipsis, qui rem gessere, urbis ejus expugnatio fuit:

NOTÆ.

4. *In Mediterraneos populos.*] Hinc colligi posse videtur longe à mari fuisse *Oringin*, ut nunc *Moron*.

5. *Lupi supernè fuere injecti.*] Lupi hoc loco sunt instrumenta unca & lupinis dentibus similia, ut Turnebus ait Adversar. lib. 11. cap. ult. At Cœl. Rhodiginus lib. 21. cap. 24. *Lupos* interpretatur ferrulas manubriatas, Gall. *De petites scies emmanchées*, agrestium usibus accommodas.

6. *Duabus simul partibus.*] Exercitu in tria velut corpora diviso, urbem non nisi una ex tribus partibus oppugnabat L. Scipio: quam fessam, nunc removit, ac duas reliquas, quæ interim quietæ manserant, conjunctim ad oppugnationem advocavit.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

[1] & imperatori cæteroque exercitui speciosum adventum suum, ingentem turbam captivorum præ se agentes, fecerunt. Scipio collaudato fratre, quum, quanto poterat verborum honore, [2] Carthagini ab se captæ, captam ab eo Oringin æquasset; quia & hiems instabat, ut nec tentare Gades, nec disjectum passim per provinciam exercitum Asdrubalis consectari posset; in citeriorem Hispaniam omnes suas copias reduxit: dimissisque in hiberna legionibus, L. Scipione fratre Romam misso, & Hannone hostium imperatore, cæterisque nobilibus captivis, ipse Tarraconem concessit. Eodem anno Classis Romana cum M. Valerio Lævino proconsule ex Sicilia in Africam transmissa, in Uticensi Carthaginiensique agro late populationes fecit. extremis finibus Carthaginiensium [3] circa ipsa mœnia Uticæ, prædæ actæ sunt. Repetentibus Siciliam classis Punica (septuaginta erant longæ naves) occurrit. decem & septem naves ex iis captæ sunt, quatuor in alto mersæ. cætera fusa ac fugata classis. Terra marique victor Romanus cum magna omnis generis præda Lilybæum repetit. Toto inde mari pulsis hostium navibus, magni commeatus frumenti Romam subvecti.

V. Principio æstatis ejus, qua hæc sunt gesta, P. Sulpicius proconsul, & Attalus rex, quum Æginæ (sicut ante dictum est) hibernassent, [1] Lemnum inde classe juncta, Romanæ quinque & viginti quinqueremes, Regiæ quinque & triginta, transmiserunt. Et Philippus, ut, seu terra, seu mari, obviam eundum hosti foret, paratus ad omnes conatus esset, ipse Demetriadem ad mare descendit: Larissam diem ad conveniendum exercitui edixit. Undique ab sociis legationes Demetriadem ad famam Regis convenerunt. Sustulerant enim animos Ætoli, quum ab Romana societate, tum post Attali adventum; finitimosque depopulabantur. nec Acarnanes solum Bœotique, & qui Eubœam incolunt, in magno metu erant: sed Achæi quoque; quod super Ætolicum bellum Machanidas etiam Lacedæmonius tyrannus haud procul [2] Argivorum fine positis castris terrebat. hi

NOTÆ.

1. *Et imperatori.*] P. nempe Scipioni, qui fratrem miserat ad urbem expugnandam.

2. *Carthagini ab se capta.*] Nempe novæ, quæ in Hispania: magnam enim Africæ Carthaginem nondum ceperat.

3. *Circa ipsa mœnia Uticæ.*] Fuit *Utica* urbs in Africa sexaginta stadiis à Carthagine, colonia Tyriorum, trienno fermè post Gades, diu ante Carthaginem condita, portu nobilis, & Punicarum Africæ coloniarum post Carthaginem opulentissima: hodie Christianis *Biserta*, incolis Arabibus *Bensarta*. Hinc Cato *Uticensis* dictus, quod ibi mortem sibi consciverit, desperatis partium Pompejanarum rebus.

1. *Lemnum inde.*] Insula est maris Ægæi *Lemnos*, inter Chersonesos duas, Chalcidicam, & Thraciam: opposita monti Atho qui in Macedonia, inde sex & octoginta passuum millibus distat. Nomen hodie retinet, Græci enim *Limno* adhuc vocant; nec nisi corruptè à Nautis *Stalimene* appellatur. Olim Vulcani officinam Poëtæ in ea locabant: à quo & nomen habuit urbs *Hephæstias*, id est, Vulcania. In ea effoditur *Terra Lemnia* sive sigillata, quæ contra venena valet. Venetis erepta fuit a Mahomete II. Turcarum imperatore.

2. *Argivorum fine.*] *Fine* pro *finibus*,

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Liv. II.

omnes suis quisque urbibus, quæ pericula terra marique portenderentur, memorantes auxilia Regem orabant. Nec ex Regno quidem ipsius tranquillæ nunciabantur res. *& Scerdiladum, Pleuratumque motos esse, & Thracum maxime* [3] *Mædos, si quod longinquum bellum Regem occupasset, proxima Macedoniæ incursuros*. Bœoti quidem & interiores Græciæ populi, [4] Thermopylarum saltum, ubi angustæ fauces coarctant iter, fossa valloque intercludi ab Ætolis nunciabant, ne transitum ad sociorum urbes tuendas Philippo darent. Vel segnem ducem tot excitare tumultus circumfusi poterant. Legationes dimittit: pollicitus, [5] *proüt tempus ac res se daret, omnibus laturum auxilium*. in præsentia, quæ maxime urgebat res, [6] Peparethum præsidium urbi mittit, unde allatum erat, *Attalum ab Lemno classe transmissa omnem circa urbem agrum depopulatum*. Polyphantam cum modica manu in Bœotiam, Menippum item quemdam ex regiis ducibus [7] cum mille peltastis (pelta cetræ haud dissimilis est) Chalcidem mittit. additi [8] quingenti Agrianum; ut omnes

NOTÆ.

3. *Mædos*.] Populi Mædi, à quibus Mædica regio, diversa à Mæsia. Mæsos Thraciæ populos, conterminos Dardanis facit Strabo lib. 7. Et vero ultra fluvium Strymonem erant. Vide suprà *Jamphorina lib. 26. cap. 25.*

4. *Thermopylarum saltum*.] Græci Thermopylas appellarunt fauces sive angustias, quibus ex Helladis provincia Locride in Pthiotidem Thessaliæ aditus patet, non ultra pedes quinque & viginti latus. Hæ inter Oetam montem, & sinum Maliacum: duobus montium jugis, hinc Callidromo, inde Tychiunte sepiuntur. *Pylæ* dictæ sunt, seu portæ, quod ingressum præbeant portarum instar: & verò sæpius muro interclusæ fuerunt ad arcendos hostes. *Thermopylæ* autem appellatæ ob vicinas Thermas, id est, calida lavacra. Nunc Italis vocantur *Bocca di Lupo*, Græcis *Lycostoma*. Has angustias trecenti Spartani, Leonida duce, adversus immensas Xerxis Persarum regis copias propugnarunt, donec vita superfuit. Ibi habebatur totius Græciæ conventus, sive Concilium Amphictyonum.

5. *Proüt tempus ac res se daret.*] Ita Colb. Reg. autem, *proüt tempus ac res sineret*; neutrum absurdum, illud elegantius, quidquid reclamet Rhen. sic Plaut. in Bacchid. *an nesciebat*, inquit, *quam ejusmodi homini rara tempus se dare*. Adjungi alia possunt his quæ profert in hanc rem Gronov.

6. *Peparethum*.] Scribebatur vulgo: *quæ maxime urgebant res pararent*. Tum *præsidium urbi mittit*. In uno Colb. scribitur hic locus per verba singularis numeri: *quæ maximè urgebat respiraret. Humum præsidium urbi mittit*. Ex ambobus, emendatis ut par est, confici potest sensus quem ex Polyb. eruerat Sigon. & quem confirmat Gron. hac lectione: *quæ maxime urgebat res: Peparethum præsidium urbi mittit*: quo intelligatur missas in Insulam *Peparethum* copias, quæ in eatur urbem ejusdem nominis tuerentur. Est enim Peparethus insula exigua maris Ægei, haud multum distans ab Thessaliæ continente, ejusque regione Magnesia, intermedia Scyatho insulâ paulò minore: hodie *Saraquino* ex Sophiano; alii *Piperi* dici ajunt.

7. *Cum mille Peltastis*.] *Peltastæ* vocabantur apud Græcos Peltis armati; quod brevis clypei genus sine umbone, formâ Lunæ semiplenæ. Amazonum Pelta hederæ figuram imitabatur, auctore Xenoph.

8. *Quingenti Agrianum*.] Vulgo *Ænianum*: sed ex Polybio *Agrianes* restituit Sigon. quos Stephanus Pœoniæ populos nominat. Verùm, cum inter Hæmum & Rhodopen locet, apparet ad Thraciam pertinere. Strabo quoque lib. 9.

insulæ partes tueri possent. ipse 9 Scotussam est profectus; eodemque ab Larissa Macedonum copias traduci jussit. Eo nunciatum est, *concilium Ætolis* 10 *Heracleam indictum, regemque Attalum, ad consultandum de summa belli, venturum*. Hunc conventum ut turbaret subito adventu, magnis itineribus Heracleam duxit. & concilio quidem dimisso jam venit: segetibus tamen, quæ prope maturitatem erant, maxime 11 in sinu Æniano evastatis, Scotussam copias reducit. Ibi exercitu omni relicto, cum cohorte regia Demetriadem sese recepit. Inde ut ad omnes hostium motus posset occurrere, 12 in Phocidem, atque Eubœam, & Peparethum mittit, qui loca alta eligerent. 13 unde editi ignes apparerent: ipse 14 in Tisæo (mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi) speculam posuit: ut ignibus procul sublatis, signum, ubi quid molirentur hostes, momento temporis acciperet. Romanus imperator, & Attalus rex à Peparetho 15 Nicæam trajecerunt. inde classem in Eubœam ad urbem 16 Oreum transmittunt: quæ 17 ab Deme-

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Claud. Nerone, & M. Livio II.

NOTÆ.

Thraciæ tribuere videtur, cum Triballos ab Agrianibus ad Istrum, quindecim dierum itinere, habitasse scribit. Et verò *Agrianes* fluvius, cujus illi accolæ, & à quo nomen acceperant, ab Hæmo monte descendit in Hebrum, media ferè in Thracia, quæ nunc Romania propriè.

9. *Scotussam est profectus.*] Duæ fuere hoc nomine civitates: altera in Odomantice Macedoniæ regione Septentrionali: altera in Pelasgiotidis & Magnesiæ confinio, quæ Thessaliæ regiones sunt. De posteriori loquitur hoc loco Livius, quæ nomen adhuc retinere dicitur.

10. *Heracleam*,]. Cum plures sunt Heracleæ, indicatur Thrachiniæ, quæ in Phthiotide, haud procul sinu Maliaco, inter Sperchium, & Asopum Thessalicos amnes. Nunc *Comaro* Pineto dicitur.

11. *In sinu Æniano*.] Sinus nomine hic intelliguntur loca seu terræ sinui adjacentes; & Gronov. legendum censet, vel *in sinu Æniane*, vel, ut est in scriptis, *in sinu Ænianum*, quorum gens Locris Epicnemidiis vicina circa Oetam montem, ad Maliacum sinum degebat, Ætolis hoc tempore contributa, cum aliàs ad Perrhæbos pertinerent juxta Othryn colentes, ut Strab. & Steph. idem tradunt. Itaque *sinus Ænianum* parum distat ab sinu Oetæo, Maliaco, seu Lamiaco. Porrò hi *Ænianes* diversi fuere ab Æniis ex Æno urbe Chersonesi Thraciæ, & ab Æniatibus ex Ænia oppido Macedoniæ; cujus mentio lib. 45.

12. *In Phocidem*.] Fuit Phocis regio Helladis sive Græciæ propriè dictæ, quam Ptol. Achajæ nomine indigitat, ubi Delphi & Parnassus. Sita erat inter Oetam montem & sinum Cirrhæum. Ei Dores & Locri Ozolæ ad Occasum, Bœoti cum reliquis Locris ad Ortum: nunc pars est *Livadia*.

13. *Unde editi ignes apparerent*.] Non absimilem usum præstant in Hispania turres locis altis, præsertim maritimis, positæ, quarum meminit noster l. 21. c. 19. Minori paulo celeritate, sed longe certiùs Galli veteres quæ ubique gerebantur, literis consignata, per dispositos ad certa & vicina inter se spatia homines eximiæ pernicitatis, nunciabant, teste Cæsare: quæ origo videri potest publici veredorum usus.

14. *In Tisæo*.] Tisæus mons est Thessaliæ in Phthiotide, unde Tisæum promontorium in sinu Pelasgico, si Laurembergii tabulis fides.

15. *Nicæam*.] Plures sunt ejus nominis urbes, hæc fuit non procul sinu Maliaco in Locris Epicnemidiis.

16. *Oreum*.] Patet ex ipso Livio *Oreum* in Eubœa insula fuisse, ejusque extima parte ab Euripo aversa, & sic in ora maris Ænæi: nunc *Loreo* dici volunt.

17. *Ab Demetriaco sinu*.] Hic sinus idem cum Pelasgico, qui *Golfo di Armiro*. Ita-

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Claud. Nerone, & M. Livio II.

triaco sinu Chalcidem & Euripum petenti, ad lævam primâ urbium Eubœæ posita est. Ita inter Attalum ac Sulpicium convenit, ut Romani à mari, regii à terra oppugnarent.

VI. Quatriduo postquam appulsa classis est, urbem aggressi sunt. id tempus occultis cum Platore, qui à Philippo præpositus urbi erat, colloquiis absumptum est. Duas arces urbs habet, unam imminentem mari, 1 altera urbis medio est. cuniculo inde via ad mare ducit, quam à mari turris quinque tabulatorum, egregium propugnaculum, claudebat. Ibi primo atrocissimum contractum est certamen, & turre instructa omni genere telorum, & tormentis machinisque ad oppugnandam eam ex navibus expositis. Quum omnium animos oculosque id certamen avertisset, portâ maritimæ arcis Plator Romanos accepit, momentoque arx occupata est. Oppidani pulsi inde, in mediam urbem ad alteram tendere arcem. Et ibi positi erant, qui fores portæ objicerent, ita exclusi, in medio cæduntur capiunturque. Macedonum præsidium conglobatum sub arcis muro stetit; nec fugâ effuse petitâ, nec pertinaciter prælio inito. Eos Plator venia à Sulpicio impetrata in naves impositos 2 ad Demetrium Phthiotidis exposuit; ipse ad Attalum se recepit. Sulpicius tam facili ad Oreum successu elatus: Chalcidem inde protinus victrici classe petit. ubi haudquaquam ad spem eventus respondit. Ex patenti utrinque coactum in angustias mare, speciem intuenti primò gemini portus in ora duo versi præbuerit: sed haud facile alia infestior classi statio est: nam & venti ab utriusque terræ præaltis montibus, 3 subiti ac procellosi se dejiciunt, & 4 fretum ipsum Euripi, non septies die, sicut fama

NOTÆ.

lis, vel potius ejus pars, à Demetrio urbe nomen accepit, (de quo proximo cap.) estque ad confinia Phthiotidis & Magnesiæ.

1. *Altera urbis medio est.*] Reg. Gronov. visus: *altera in urbis medio est*. Put. cum Reg. quem præ manibus habeo: *altera urbis media est*: quomodo scribi jubet Gronov. eam formam loquendi firmari putans ex Silio Italico lib. 1. *concidit exacti medius per viscera teli*, ut habent meliores editiones, quo significari vult hostem sic perfossum telo, ut hujus mediam partem intra viscera absconditam habeat, prominente hinc capulo, inde mucrone. Mihi priorum lectionum alterutra magis arridet: utpote Latinâ, licet minùs reconditâ, & minùs affectatâ phrasi, qualibus non semper utique Livius utitur.

2. *Ad Demetrium Pthiotidis exposuit.*] Phthia patria fuit Achillis, & Phthiotis regio Thessaliæ: *Demetrium* autem Thessalicum, Stephanus jacere ait ad Amphrysum amnem. Strabo lib. 9. *Demetrium*, sic dictum à Cereris fano quæ Græcis Δημήτηρ, in ditione Protesilai fuisse ait, atque ab eo Pyrasum vocatam, urbem portu commodo, 20. stadia à Thebis Phthioticis.

3. *Subiti ac procellosi se dejiciunt.*] Vulgaris à Rhenano lectio *venti .... decidunt*: scripti autem habent, *procellosi dejiciunt*: unde Gron. fieri posse putat, *se dejiciunt*, vel *dejiciuntur*. Quid si *dejiciunt* referatur ad naves, quæ ingruentibus ventis deprimantur.

4. *Fretum ipsum Euripi.*] Deductum putatur *Euripi* nomen à verbo ῥιπίζω, quod est *ventilare*, unde *Euripus* fretum reciprocans: quanquam in genere de fretis omnibus dicitur, imo & producitur ad aquæductus. Per Antonomasiam verò hoc nomen sibi vindicavit Euboicum seu

fert, temporibus statis reciprocat: 5 sed temere a in modum venti, nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur. ita nec nocte nec die quies navibus datur. Quum classem tam infesta statio accepit, tum & oppidum alia parte clausum mari, alia ab terra egregie munitum, præsidioque valido firmatum, & præcipue fide præfectorum principumque, quæ fluxa & vana apud Oreum fuerat, stabile atque inexpugnabile fuit. Id prudenter, ut in temere suscepta re, Romanus fecit, quod circumspectis difficultatibus, ne frustra tempus tereret, celeriter abstitit incœpto, classemque inde 6 ad Cynum 7 Locridis (emporium id est Opuntiorum urbis mille passuum à mari sitæ) trajecit. Urb. cond. ann. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio. II.

VII. Philippum & 1 ignes ab Oreo editi monuerant, sed serius Platoris fraude è specula elati: & impari maritimis viribus, haud facilis erat in insulam classi accessus. ita res per cunctationem omissa. Ad Chalcidis auxilium, ubi signum accepit, impigre est motus. nam & ipsa Chalcis, quanquam ejusdem insulæ urbs est, tamen adeo arcto interscinditur freto, 2 ut ponte continenti jungatur, terraque aditum faciliorem quam mari habeat. Igitur Philippus, dejecto præsidio, fusisque Ætolis, qui saltum Thermopylarum insidebant; quum ab Demetriade Scotussam, inde de tertia vigilia profectus, trepidos hostes Heracleam compulisset, ipse uno die 3 Phocidis Elatiam millia amplius sexaginta contendit. Eodem ferme

INTERPRETATIO.

a *Prout ventus variè flat*, vel *non secùs ac ventus*, tempore incerto.

NOTÆ.

Chalcidicum fretum, quod & Bœoticum; angustum scilicet mare, & sinus, quo Eubœa insula dirimitur à continente Græciæ strictiùs sumptæ. De hujus, ut & de Taurominitani in Sicilia Euripi æstu Plin. l. 2. c. 97. Figuratè ad homines inconstantes, atque instabiles nomen Euripi porrexerunt Græci, atq; adeò ad res ipsas: est enim receptũ apud eos εὔριπος ἄνθρωπος, & εὔριπος τύχη. Cæterùm ab Euripo ad urbem Chalcidem totamq; tandem Eubœam translata est à Græcis appellatio: unde corruptum nomen hodiernum. Turcis enim *Egripos* appellatur: Italis adhuc corruptiùs *Negroponte*. Unde nostris Euripus ipse, *Le Détroit, le Golfe de Negrepont*. V. xxxi. 47.

5. *Sed temerè in modum venti*,] Horis nempè ac temporibus incertis, quemadmodum venti spirant. Servat tamen hic Euripus Chalcidicus æstibus suis certam rationem, licet pro variis anni temporibus diversam. Eam, velut sibi exploratam, describit Sponius in Itinerario suo per Græciam, Gallicè nuper vulgato.

6. *Ad Cynum*.] In Locris Opuntiis ad sinum Maliacum fuit oppidum *Cynus*, Euripo & ipsum appositum; Aedepso Eubœæ oppositum: Opuntis navale. Ibi Deucalion & Pyrrha habitasse credebantur.

7. *Locridis*.] Alii Occidentales fuere Locri, Ozolæ cognominati à gravi apud eos terræ & aquæ alicubi odore, ad sinum Corinthiacum: hi hodie in Livadiæ parte: alii Orientales à prioribus Parnasso, ac Phocidis & Bœotiæ parte interjacente, dirempti, ad Euripum; divisi in Opuntios, & Epicnemidios, qui nunc sub *Stramulipa*, ni fallor.

1. *Ignes ab Oreo editi monuerant*.] Vide cap. prox.

2. *Ut ponte continenti jungatur*.] Adhuc quoque ita se res habet.

3. *Phocidis Elatiam*.] Maxima Phocensium post Delphos *Elatia*, seu *Elatea* ad Cephisum fluvium, qui in Copaidem influit paludem.

Urb. cond. ann. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

die ab Attalo rege 4 Opuntiorum urbs capta diripiebatur. concesserat eam prædam regi Sulpicius, quia Oreum paucos ante dies ab Romano milite, expertibus regiis, direptum fuerat. 5 Cum Romana classis eo se recepisset, Attalus ignarus adventus Philippi, 6 pecuniis à principibus exigendis terebat tempus. adeoque improvisa res fuit, ut nisi Cretensium quidam forte pabulatum ab urbe longius progressi, agmen hostium procul conspexissent, opprimi potuerit. Attalus inermis atque incompositus, cursu effuso mare ac naves petit. a & molientibus ab terra naves Philippus supervenit, tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit. inde Opuntem rediit: Deos hominesque accusans, quod tantæ rei fortunam ex oculis prope raptam amisisset. Opuntii quoque 7 ab eadem ira increpiti, quod quum trahere obsidionem in adventum suum potuissent, viso statim hoste prope in voluntariam deditionem concessissent. Compositis circa Opuntem rebus, 8 Toronem est profectus. Et Attalus primo Oreum se recepit. inde quum fama accidisset, 9 Prusiam Bithiniæ regem in fines regni sui transgressum, omissis Romanis rebus, atque Ætolico bello, in Asiam trajecit. Et Sulpicius Æginam classem recipit, unde initio veris profectus erat. Haud majore certamine quam Opuntem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit. Incolebant urbem eam profugi ab Thebis Phthioticis. 10 urbe sua capta à Philippo, quum in fidem Ætolorum perfugissent, sedem eis Ætoli eam dederant, urbis vastatę ac desertæ

INTERPRETATIO.

a *Supervenit Philippus* Attalicis, *conantibus naves è portu in altum impellere.*

NOTÆ.

4. *Opuntiorum urbs.*] Locri Opuntii cognominantur ab urbe, quæ *Opus, untis,* dicitur; Ajacis Oilei quondam sedes: ab ea sinus Opuntius.

5. *Cum Romana Classis eò se recepisset.*] Sic optimi, & cum aliis Colb. *eò se recepisset*, nempè Cynum Locridis portum, ut Attalo expugnanti Opuntem faverent Romani. Nihil igitur attinet Orei nunc mentionem fieri, quod anteà expugnatum fuerat. Et male vulgò legitur *Oreum sese recepisset.*

6. *Pecuniis à principibus exigendis.*] Intellige à primatibus captæ civitatis Opuntiorum.

7. *Ab eadem ira.*] Ex causa ejusmodi doloris, nempe amissæ occasionis Philippus Opuntios increpuit.

8. *Toronem,*] Est quidem *Toron* urbs Macedoniæ in Paraxia regione, à qua Toronaicus sinus: quæ urbs nunc *Castel Rampo* Italis. Sed longe distat ab iis regionibus de quibus hic agitur: unde Glar. & Sig. exponi volunt *Thronium*, quod oppidum est Locrorum Epirnemidiorum ad Boagrium fluvium & sinum Maliacum, (quod olim incensum fuerat à Xerxe) non procul Cnemide horum Locrorum primaria urbe. Constanter tamen *Toronem* habent membranæ quas videre mihi contigit.

9. *Prusiam Bithynia regem.*] Nicomedis primi filius, Zielæ frater, Prusias erat, Zipætæ Thracis nepos; qui dissidentibus Alexandri successoribus, Bithyniam occupaverat. Hic Philippi Macedonis gener per secundam uxorem, pro eo adversus Attalum Pergami regem arma nunc cepit: postea populo Romano in servilem modum addictus; ut ejus se libertum profiteretur.

10. *Urbe sua.*] Nempe Thebis Phthioticis.

priore

priore ejusdem Philippi bello. Tum ab Torone, sicut paulo ante dictum est, receptâ profectus, [11] Tritonon, & [12] Drymas, Doridis parva atque ignobilia oppida cepit. inde Elatiam, jussis ibi se operiri Ptolemæi Rhodiorumque legatis, venit. Ubi quum de finiendo Ætolico bello ageretur (affuerant enim legati nuper Heracleæ concilio Romanorum Ætolorumque) nuncius affertur, Machanidam, Olympiorum solenne ludicrum parantes [13] Eleos, aggredi statuisse. Prævertendum id ratus, legatis cum benigno responso dimissis; se neque caussam ejus belli fuisse, nec moram (si modo æquâ & honestâ conditione liceat) paci facturum; cum expedito agmine profectus per Bœotiam, [14] Megara, atque inde Corinthum descendit. unde commeatibus sumptis, [15] Phliunta; [16] Pheneumque petit. Et jam cum Heræam venisset, audito, Machanidam famâ adventus sui territum refugisse Lacedæmonem, [17] Ægium se ad concilium Achæorum recepit: simul classem Punicam, ut mari quoque aliquid posset, accitam, ibi ratus se inventurum. Paucis ante diebus [18] in Phoceas trajecerant Pœni: inde portus Acarnanum petierant, quum ab Oreo profectum

Vrb. Cond. ann. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

NOTÆ.

11. *Tritonon.*] Tethronion Herodoto vocatur, & Pausaniæ: oppidum fuit Phocidis, haud procul Elatea: neque vero eò pertinet Tritônus Stephani, qui oppidulum Macedoniæ vocat circa Pallenem, atque ita inter sinus Thermaicum & Toroniacum. Vibius Sequester Triconicam paludem memorat: ejusdem nominis in Bæotia exiguus amnis ad Alalcomenas.

12. *Drymas.*] *Dryma* Pausaniæ, Herodoto *Drymos*, dicitur. Codices Livii meliores scribunt *Drumias*. Phocidis quoque oppidum fuit, minus, opinor, distans ab Elatea. Quod autem hæc duo loca noster Doridi adscribit, mirum videri non debet: bellis enim & gentium migrationibus, confusi sæpe in Græcia populorum fines.

13. *Eleos aggredi statuisse.*] Id contra immunitatem Eleis concessam ob sacros Jovi ludos fieri videbatur, qua nemini armato per hanc urbem & regionem transire licebat ex Ætolorum jurato decreto.

14. *Megara.*] Hæc Græciæ urbs, caput exiguæ regionis (quæ Atticæ pars & quasi lacinia) medio Athenas inter & Corinthum intervallo sita, Nisi fabulis noti regia, à quo Nisæa portus ad Sinum Saronicum nomen accepit. Sub Turcis nomen ferè servat. Vocatur enim *Megra*, extritâ secundæ syllabæ vocali. Apparet longè diversam à Megaris Siciliæ, quæ & Hybla minor, de qua sup. XXIV. 30.

15. *Phliunta,*] *Phliûs*, cujus oppidani Phliasii, in Sicyoniæ sinu circa Asopi Achaici fontes: hodie Pinetus, aliique dici volunt *Phoica*, alii aliter: verius forte periisse alii putant.

16. *Pheneumque.*] *Pheneos* oppidum fuit Arcadiæ in Peloponneso sub monte Cyllene, non procul Nonacride: nomen adhuc retinere dicitur.

17. *Ægium.*] Urbs fuit Achajæ proprie dictæ in Peloponneso, sic appellata à Capris duabus quæ Jovem aluere, αἶγας Græci appellant. Ibique Achæorum concilia habebantur: hodie *Vostiza*, vel *Bostizan*.

18. *In Phoceas.*] Phocæ insulæ parvæ memorantur à Plinio juxta Cretam ante Sammonium promontorium, quo Punicam classem in auxilium Philippi venisse, nec impossibile est, nec admodum verisimile. Longè minùs Phocæam Æolidis (quæ Asiæ civitas) devectos. Fortè in *Phoceas* Græca terminatione dixit Livius pro *in Phoceos*, id est, in portus Phocidis regionis in sinu Corinthiaco. Sed quia variant exemplaria, & in quibusdam legitur *in devaces*, conjicit

Urb. cond. an. 546. Coss. C.Cl. Nerone, & M.Livio II.

Attalum Romanosque audissent; veriti ne ad se iretur, & intra Rhium (fauces eæ sunt Corinthii sinus) opprimerentur.

VIII. Philippus mœrebat quidem & angebatur, quum ad omnia ipse raptim isset, nulli tamen se rei in tempore occurrisse, a & rapientem omnia ex oculis elusisse celeritatem suam fortunam. In concilio autem dissimulans ægritudinem, elato animo disseruit: *testatus Deos hominesque, se* 1 *nullo loco, nec tempore defuisse, quin ubi hostium arma concrepuissent, eo quanta maxima posset celeritate tenderet: sed vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum. Sic ab Opunte Attalum, sic Sulpicium à Chalcide, sic eis ipsis diebus Machanidam è manibus suis elapsum. Sed non semper felicem esse fugam: nec pro difficili id bellum habendum, in quo, si modo congressus cum hostibus sis, viceris. Quod primum esset, confessionem se hostium habere, nequaquam pares esse sibi: brevi & victoriam haud dubiam habiturum, nec meliores eventu eos secum quam spe pugnaturos.* Læti regem socii audierunt. Reddidit inde Achæis Heræam & 2 Triphyliam. 3 Alipheram autem 4 Megalopolitis, 5 quòd suorum fuisse finium satis probabant, restituit. inde navibus acceptis ab Achæis (erant autem tres quadriremes, & biremes totidem) 6 Anticyram trajecit. inde quinqueremibus septem,

INTERPRETATIO.

a *Et celeritatem suam à fortuna delusam, quæ* ipsi *cuncta* jam jam prope *sub oculis* posita, *eriperet*.

NOTÆ.

Gron. legendum, *in Echinades*, quæ sanè insulæ sunt extra sinum. Ait enim Pœnos fuisse in statione apud Ægium ex condicto exspectantes Philippum, sed cum audissent discessisse Romanos & Attalum ab Oreo Eubœæ, veritos *ne ad se iretur* (sic enim omnes, non *in se*) & intra sinus angustias caperentur, transmisisse ex illis claustris in Echinades, inde in Acarnanum portus.

1. *Nullo loco nec tempore defuisse*.] Supple rebus gerendis, occasionibus, opportunitatibus; & sic meliores, contra quam vulgati *nulli loco, nec tempori defuisse*.

2. *Triphyliam*.] *Triphylia* Elidis regio, ex eo dicta quod in unum corpus τρία φῦλα, id est, tres gentes cojerint, Epei, Minyæ, qui eò commigravere, & Elei, Strabone auctore lib. 5. qui addit Minyarum loco ab aliquibus Arcades nominari. In ea fuit *Pylus* Triphyliaca dicta ad Messeniacæ discrimen. Utraque, ni fallor, Nestori paruit: utraque hodie in Moreæ provincia *Belvedere*: atque hæ duæ ab Eliaca diversæ.

3. *Alipheram*.] *Aliphera* Arcadiæ oppidum in Elidis confinio, ad Alpheum amnem, quemadmodum *Heræa*.

4. *Megalopolitis*.] Arcadiæ caput hoc tempore *Megalopolis*, Polybii patria ad Alpheum: nunc *Leontari* Sophiano, Nigro *Londario*.

5. *Quòd suorum fuisse finium satis probabant*.] Rectè Gronov. *suorum finium* interpretatur, suis (Megalopolitarum) finibus comprehensam, Gall. *qu'elle avoit esté de leur territoire*. Sed quis non miretur molestum tanto viro τὸ *quod*; & acceptum pro relativo nominis fœminini, nempe *Alipheræ* cum manifestè sit particula causativa. Significat enim Livius ideo redditam eam urbem Megalopolitis, quia hi sibi alias subjectam, seu contributã fuisse probabant.

6. *Anticyram trajecit*.] Hæc *Anticyra*, vel potiùs *Anticirrha* urbs est maritima Phocidis ad sinum Crissæum, qui pars Corinthiaci: sic dicta quod sit contra Cirrham. Creditur nunc *Scuola* vocari. Alia ejusdem nominis, urbs fuit in insula sinus Oetæi, ubi helleborus seu veratrum na-

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

& lembis viginti amplius, quos ut adjungeret Carthaginiensium classi, miserat in Corinthium sinum; profectus ad [7] Erythras Ætolorum, quæ [8] prope Eupalium sunt, exscensionem fecit. Haud fefellit Ætolos: nam hominum quod aut in agris, aut in propinquis castellis Potidaniæ ac [9] Apolloniæ fuit, in sylvas montesque refugit. Pecora, quæ inter festinationem abigi nequiverant, sunt direpta & in naves compulsa. Cum his cæteraque præda, Nicia prætore Achæorum Ægium misso, quum Corinthum petisset; pedestres inde copias per Bœotiam terra duci jussit. ipse [10] ab Cenchreis præter terram Atticam [11] super Sunium navigans, inter medias prope hostium classes, Chalcidem pervenit. inde, collaudata fide ac virtute, quod neque timor, neque spes flexissent eorum animos; hortatusque [12] in posterum, ut eadem constantia permanerent in societate, si suam quam Oritanorum atque Opuntiorum fortunam mallent; ab Chalcide Oreum navigat, principumque iis, qui fugere capta urbe, quam se Romanis tradere, maluerant, summa rerum & custodia urbis permissa: ipse Demetriadem ab Eubœa, unde primo ad opem ferendam sociis profectus erat, trajecit. [13] Cassandreæ deinde centum navium longarum carinis positis, contractaque ad effectum ejus operis multitudine fabrorum navalium, quia res in Græcia tranquillas & profectio Attali fecerat, & in tempore laborantibus sociis latum ab se auxilium, retro in regnum concessit, ut Dardanis bellum inferret.

NOTÆ.

scitur purgandis noxiis humoribus, cerebrum infestantibus, quod apud Anticirrham Phocensem meliùs temperari credebatur.

7. *Erythras.*] Ætolis à Livio aliisque attribuuntur *Erythræ*: Stephanus Locridi assignat. Hæ non procul Naupacto; quæ urbs Locrorum Ozolarum primum, dein Ætolorum fuit.

8. *Prope Eupalium.*] Plinio *Eupalia*, oppidum fuit Locrorum Ozolarum ad fluvium Amphissum, ut & *Potidania*.

9. *Apolloniæ.*] Hujus Locrensis, seu Phocensis Apolloniæ non meminisse Geographos, nihil mirum: etenim non urbs, sed castellum erat, quod haud procul mari fuisse demonstrat Livii narratio.

10. *Ab Cenchreis.*] Corinthus duobus imminens maribus, duo quoque navalia habuit, Lechæum ad sinum Corinthiacum, quà occidens est; Cenchreas vero ad Saronicum: ubi nomen hodieque servant. Fuere & Cenchreæ in Troade.

11. *Super Sunium.*] Promontorium est Atticæ ex adverso Helenæ insulæ in Ægæum mare prominens, quod ibi Myrtoum cognominatur Prom., nunc Italis *Capo delle Colonne*. Hujus navigationis causâ paratas alias à prioribus naves Philippus conscenderit oportet, nisi à Corinthio mari per medium Isthmum illas traduxit: alioqui diu expectandum fuisset dum hæ Peloponnesum circumnavigarent ab Corinthiaco sinu, ad intimum Saronicum, ubi Cenchreæ.

12. *In posterum ut eadem.*] Hæc & sequentia, licèt in pluribus scriptis desiderentur, (qui tantum habent: *hortatusque oppugnatiorum fortunam mallent*) habentur in uno ex Regis codicibus.

13. *Cassandreæ deinde.*] *Cassandrea* seu *Cassandria* urbs est Macedoniæ ad extremum sinum Thermaicum in Paraxia regione juxta Olynthum & Pallenen, antea *Potidæa* vocabatur, cujus frequens mentio apud Demosthenem, propter Atheniensium bella adversus Philippum Alexandri Magni patrem. Cassander Macedoniæ postea rex, novum nomen imposuit, quod adhuc manet.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, & M. Livio II.

IX. Extremo æstatis ejus, qua hæc in Græcia sunt gesta, quum [1] Q. Fabius Maximus pater legatus ab M. Livio consule Romam ad senatum nunciasset, consulem satis præsidii Galliæ provinciæ credere L. Porcium cum suis legionibus esse; decedere se inde, ac deduci exercitum consularem posse: Patres non M. Livium tantum redire ad urbem, sed collegam quoque ejus C. Claudium jusserunt. Id modo in decreto interfuit, quod M. Livii exercitum reduci, Neronis legiones Annibali oppositas manere in provincia jusserunt. Inter consules ita per literas convenit, ut, quemadmodum uno animo rempublicam gessissent; ita, quanquam ex diversis regionibus convenirent, uno tempore ad urbem accederent. Præneste qui prior venisset, collegam ibi opperiri jussus. Forte ita evenit, ut eodem die ambo Præneste venirent. inde [2] præmisso edicto, ut triduo post frequens senatus [3] ad ædem Bellonæ adesset, omni multitudine obviam effusa, ad urbem accessere. Non salutabant modo universi circumfusi: sed contingere pro se quisque victrices dextras consulum cupientes, alii gratulabantur, alii gratias agebant, quod eorum opera incolumis respublica esset. In senatu quum more omnium imperatorum, expositis rebus ab se gestis, postulassent, ut pro republica fortiter feliciterque administrata, & Diis immortalibus haberetur honos, & ipsis triumphantibus urbem inire liceret: se vero ea quæ postularent, decernere Patres merito Deorum primùm, deinde secundum Deos, consulum responderunt: & supplicatione amborum nomine, & triumpho utrique decreto; inter ipsos, ne quum bellum communi animo gessissent, triumphum separarent, ita convenit: *ut quoniam & in provincia M. Livii res gesta esset, & eo die, quo pugnatum foret,* [a] *ejus forte auspicium fuisset, & exercitus Livianus de-*

INTERPRETATIO.

a. *Ipse auspicatus esset suo jure,* quod ei obvenisset imperium in illum diem.

NOTÆ.

1. *Q. Fabius Maximus:*] Codices melioris notæ adjiciunt: *P. Legatus,* quod primi editores reddiderant, *Prætor*, Sigonius *Pater:* id Gronovio displicet. *Q. Fabium* extrema ætate functum legati ad hæc munere, præsertim cum neque eum urbe exiturum cum Livio Consule fuisse indicet monitum ab eo eidem Livio datum lib. 27. cap. 40. Gudii codex habet: *Cum Q. Fabius maximi filius legatus.* Sed cum duo Fabio maximo alii essent, haud multum refert de majore qui paulo post è vivis exiit, an de minore qui vix pueritiam egressus, intelligas quod hic dicitur, legatum nempe Romam à Livio Consule fuisse.

2. *Præmisso edicto.*] Nempe ex more, quo Imperator, fusis hostibus in urbem rediens, edictum præmittebat, ut conveniret Senatus; nisi major aliquis magistratus in urbe esset: tunc enim a majori magistratu dabatur huic minori magistratui advenienti Senatus.

3. *Ad ædem Bellonæ.*] Quæ extra urbem erat: neque enim intra urbem Senatus habebatur ab iis qui triumphaturi essent, ut scribunt Plut. in Cæsare, & Appian. lib. 2. bell. Civil. Si semel urbem quis ingressus esset, lege cautum erat ne triumphi causâ eam iterum iniret.

ductus Romam venisset, [4] *Neronis de provincia deduci non potuisset; ut M. Livium quadrigis urbem ineuntem milites sequerentur: C. Claudius* [5] *equo sine militibus inveheretur*. Ita consociatus triumphus, quum utrique, tum magis ei, qui quantum merito anteibat, tantum honore collegæ cesserat, gloriam auxit: *illum equitem* ajebant *sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ: & eo die* [6] *cum Asdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra adversus sese in Apulia posita habere Annibal credidisset. Ita unum consulem pro utraque parte Italiæ adversus duos duces, duos imperatores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse. Nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Annibalem: Asdrubalem vero, qua alia re, quam adventu ejus obrutum atque exstinctum esse? Itaque iret alter consul sublimis curru multijugis, si vellet, equis. Uno equo per urbem verum triumphum vehi: Neronemque, etiam si pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore.* Hi sermones spectantium Neronem usque in Capitolium prosecuti sunt. Pecuniæ in ærarium tulerunt [7] α sestertium tricies octoginta millia æris. militibus M. Livius [8] β quinquagenos senos asses divisit: tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, quum ad exercitum redisset. Notatum ea die plura carmina militaribus jocis in C. Claudium, quam in consulem suum jactata. Equites L. Veturium, & Q. Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus: hortatosque esse plebem, ut eos consules in proximum annum crearent. adjecisse [9] equitum prærogativæ auctoritatem consules, postero die in concione, quam forti fidelique duorum præcipue legatorum opera usi essent, commemorantes.

Urb. cond. an. 546. Coss. C. Cl. Nerone, &. M. Liv. II.

X. Quum comitiorum tempus appeteret, & per dictatorem comitia haberi placuisset, C. Claudius consul M. Livium collegam dictatorem dixit:

NOTÆ.

4. *Neronis deduci non potuisset*.] Confecto bello deportabatur ac deducebatur è provincia exercitus victor: quo non deportato nec confecta censebatur provincia. Triumphus autem non facilè decernebatur, nisi ei qui bellum confecisset. Hac de causâ triumphus M. Claudio Marcello negatus, sup. lib. 26. cap. 21. Aliquando tamen ob rerum gestarum magnitudinem aliter Senatui visum, ut nunc in gratiam Neronis, & lib. 31. c. 48. in gratiam L. Furii prætoris.

5. *Equo sine militibus inveheretur*.] Ovatione contentus fuit Claudius Nero; cum triumphus ei pariter & collegæ decretus fuisset: non mediocre moderationis exemplum, de quo Valer. Max. lib. 4. cap. 1.

6 *Cum Asdrubale in Gallia*.] In Umbriâ, quam Galli occupaverant.

7. *Sestertiûm tricies, octoginta millia æris*.] Polyb. *plusquam trecenta talenta* hic numerat, quod esset plus septuagesies bis. Dubitat idcirco Gron. an exciderit littera *L*, & notatum fuerit LXXX. quod est octogies, id est, trecenta triginta tria talenta, viginti minæ. Sestertiûm tricies essent ex Gron. calculo *centum viginti sex talenta* demptis quatuor millibus nummorum: Belgicâ verò pecuniâ septuaginta quinque millia octingenti scutati. Pro octoginta millibus æris, Muret. ex vet. lib. legebat *octingenta millia*.

8. *Quinquagenos senos asses*.] Nostræ monetæ asses circiter 32.

9. *Equitum prærogativæ, &c.*] Licet hoc indicium & adhortatio esset, non suffragium: tamen quasi pro suffragio valere debere consules testati sunt.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Metello.

Livius Quintum Cæcilium magistrum equitum. à M. Livio dictatore creati consules L. Veturius, Quintus Cæcilius. is ipse, qui tum erat magister equitum. Inde prætorum comitia habita. creati C. Servilius, M. Cæcilius Metellus, Tit. Claudius Asellus, Quintus Mamilius Turinus, qui tum ædilis plebis erat. Comitiis perfectis, dictator magistratu abdicato, dimissoque exercitu, in Etruriam provinciam ex senatusconsulto est profectus, ad quæstiones habendas, qui Etruscorum Umbrorumve populi defectionis ab Romanis ad Asdrubalem sub adventum ejus consilia agitassent, quique eum auxiliis, aut commeatu, aut ope aliqua juvissent. Hæc eo anno domi militiæque gesta. Ludi Romani [1] ter toti instaurati ab ædilibus curulibus, Cn. Servilio Cæpione, Ser. Cornelio Lentulo. Item ludi plebeji semel toti instaurati ab ædilibus plebis Manio Pomponio Mathone, & Quinto Mamilio Turino. Tertiodecimo anno Punici belli, L. Veturio Philone, & Quinto Cæcilio Metello consulibus, Brutii ambobus, ut cum Annibale bellum gererent, provincia decreta. Prætores exinde sortiti sunt, M. Cæcilius Metellus urbanam, Q. Mamilius peregrinam, C. Servilius Siciliam, Ti. Claudius Sardiniam. Exercitus ita divisi: consulum alteri, quem C. Claudius prioris anni consul; alteri, quem Q. Claudius proprætor (eæ binę legiones erant) habuisset exercitum: in Etruria duas volonum legiones à C. Terentio proprætore M. Livius proconsul, cui prorogatum in annum imperium erat, acciperet, & Q. Mamilio, [2] ut collegæ jurisdictione tradita, Galliam cum exercitu, cui L. Porcius proprætor præfuerat, obtineret, decretum est: jussusque populari agros Gallorum, qui ad Pœnos sub adventum Asdrubalis defecissent. C. Servilio cum Cannensibus duabus legionibus, sicut C. Mamilius tenuerat, Sicilia tuenda data. Ex Sardinia vetus exercitus, cui A. Hostilius præfuerat, deportatus; novam legionem, quam Ti. Claudius trajiceret secum, consules conscripserunt. Q. Claudio, ut Tarentum; C. Hostilio Tubulo, ut Capuam provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. M. Valerius proconsul, qui tuendæ circa Siciliam maritimæ oræ præfuerat, triginta navibus C. Servilio præbitis, cum cætera omni classe redire ad urbem jussus.

XI. In civitate tanto discrimine belli solicita, quum omnium secundorum adversorumque causas in Deos verterent, multa prodigia nunciabantur. Tarracinæ Jovis ædem, Satrici Matris Matutæ de cœlo tactam. Satricanos haud minus terrebant in ædem Jovis foribus ipsis duo prolapsi angues. Ab Antio nunciatum est, cruentas spicas metentibus visas esse. Cære porcus biceps, & agnus mas idemque fœmina natus erat. Et Albæ duos soles visos referebant: & nocte Fregel-

NOTÆ.

1. *Ter toti instaurati.*] Id est, ter acti ludi Romani à capite ad calcem, & nulla parte rituum omissa; sed sacris cursu, &c. ter repetitis.

2. *Ut Collegæ jurisdictione tradita.*] Hoc jam antea factum vidimus, ut prætor peregrinus urbano jurisdictionem suam mandaret, accepta extra urbem administratione.

lis lucem obortam. Et bos in agro Romano locutus, & ara Neptuni multo sudore manasse in circo Flaminio dicebatur: & ædes Cereris, Salutis, Quirini de cœlo tactę. Prodigia consules hostiis majoribus procurare jussi, & supplicationem unum diem habere. Ea ex senatusconsulto facta. Plus omnibus aut nuntiatis peregre, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum, [1] ignis in æde Vestæ extinctus, cæsaque flagro est Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat, jussu P. Licinii pontificis. Id quanquam nihil portendentibus Deis, cæterùm negligentiâ humanâ acciderat, tamen & hostiis majoribus procurari, & supplicationem ad Vestæ haberi placuit. Priusquam proficiscerentur consules ad bellum, moniti ab senatu sunt, *ut in agros reducendæ plebis curam haberent. Deûm benignitate summotum bellum ab urbe Roma & Latio esse, & posse sine metu in agris habitari. Minime convenire, Siciliæ, quam Italiæ colendæ majorem curam esse.* Sed res haudquaquam erat populo facilis, & liberis cultoribus bello absumptis, & inopia servitiorum, & pecore direpto, villisque dirutis aut incensis. magna tamen pars auctoritate consulum compulsa in agros remigravit. Moverant autem hujusce rei mentionem Placentinorum & Cremonensium legati, querentes agrum suum ab accolis Gallis incursari, ac vastari: magnamque partem colonorum suorum dilapsam esse: & infrequentes se urbes, agrum vastum ac desertum habere. Mamilio prætori mandatum, ut colonias ab hoste tueretur. Consules ex senatusconsulto edixerunt, ut qui cives Cremonenses atque Placentini essent, ante certam diem in colonias reverterentur. principio deinde veris & ipsi ad bellum profecti sunt. Q. Cæcilius consul exercitum ab C. Nerone, L. Veturius ab Q. Claudio proprætore accepit, novisque militibus, quos ipse conscripserat, supplevit. In Consentinum agrum consules exercitum duxerunt, passimque depopulati, quum agmen jam grave præda esset, in saltu angusto, à Brutiis jaculatoribusque Numidis turbati sunt: ita ut non præda tantum, sed armati quoque in periculo fuerint. major tamen tumultus, quam pugna fuit: & pręmissa pręda, incolumes & legiones in loca tuta evasere. Inde in Lucanos profecti. ea sine certamine tota gens in ditionem populi Romani rediit.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio.

XII. Cum Annibale nihil eo anno rei gestum est. nam neque ipse se obtulit [1] in tam recenti vulnere publico privatoque, neque lacessierunt quietum Romani. [a] tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum

INTERPRETATIO.

[a] *Adeo magni momenti existimabant esse solum Annibalem, quamvis omnia* adminicula *ei eriperentur.*

NOTÆ.

1. *Ignis in æde Vestæ extinctus.*] Id vero ingentis prodigii ac piaculi loco, quando Vesta antiquissima Dearum & inter tutelaria Romanorum numina primum fere habebat locum, ejusque templo imperii fata cum Palladio & penatibus contineri credebantur.

1. *In tam recenti vulnere publico privatoque.*] Vulnus publicum cladem exercitus Pœnorum; privatum autem intelligit necem Asdrubalis, qui Annibalis frater germanus.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio.

ruerent, in uno illo duce censebant. Ac nescio an mirabilior adversis quam secundis rebus fuerit. quippe qui, quum & in hostium terra per annos tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret, exercitu non suo civili, sed 2 mixto ex colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope dii essent; ita quodam uno vinculo copulaverit eos, ut nulla nec inter ipsos, nec adversus ducem seditio extiterit, quum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent: quorum inopià, 3 priore Punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Asdrubalis verò exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum, b cedendoque in angulum Brutium cæterà Italià concessum, cui non videatur mirabile nullum motum in castris factum? Nam ad cætera id quoque accesserat, ut ne alendi quidem exercitus, nisi ex Brutio spes esset; qui ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat: tum magnam partem juventutis abstractam à cultu agrorum bellum occupaverat, & mos vitio etiam insitus genti per latrocinia militiam exercendi. c nec ab domo quicquam mittebatur, 4 de Hispania retinenda solicitis, tanquam omnia prospera in Italia essent. In Hispania res quadam ex parte eandem fortunam, quadam longe disparem habebant; eandem, quod prælio victi Carthaginienses duce amisso in ultimam Hispaniæ oram usque ad Oceanum compulsi erant: disparem autem, quod Hispania, non quam Italia modo, sed quam ulla pars terrarum bello reparando aptior erat, 5 locorum hominumque ingeniis. itaque ergo prima Romanis inita provinciarum,

INTERPRETATIO.

b *Cum* ipse Annibal omni *reliquâ Italiâ, abstineret*, eamque Romanis relinqueret, *abscedendo in* exiguam *Brutiorum* regionem, tanquàm in *angulum*.

c *Et nihil ex Africa mittebant* Carthaginienses Annibali, *anxii tantum de servanda Hispania.*

NOTÆ.

2. *Mixto ex colluvione.*] Eandem caussam admirationis affert Polyb. lib. 11. quod exercitus Annibalis non ex Civibus Carthaginiensibus esset; enumeratque varias gentes quæ in exercitu Annibalis, cum Pœnis militabant, Afros, Hispanos, Gallos, Italos, Græcos.

3. *Priore Punico bello.*] Per ea tempora, inter cætera ex inopia & seditione orta mala, Annibal senior ob rem malè gestam in Sardinia cruci affixus fuerat à popularibus in Sicilia; Hanno ejus frater patruelis in Sardinia quoque desertus à suis, actus erat in crucem. Ad caussas non dissimiles referri possunt Asdrubalis, qui patruus, & Amilcaris Barcæ, qui pater Annibalis fuerat, clades in Sardinia Siciliaque.

4. *De Hispania retinenda solicitis, tanquam omnia prospera in Italia essent. In Hispania.*] Ab optimis quibusque hæc absunt præter duo illa verba, *de Hispania*. Loco præpositionis *de*, si retineas alteram præpositionem *in*, nihil erit quod reliqua desideres.

5. *Locorum hominumque ingeniis.*] Hispania mari undique cincta & montibus ac sylvis præ cæteris regionibus distincta. Hispani autem multitudine hoc tempore cæteras gentes fermè superabant teste Cic. ad arma prompti, utpote injuriarum intolerantes; ideoque mobiles.

6 Quæ

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

[6] quæ quidem continentis sint, postrema omnium, nostrâ demum ætate, ductu auspicioque [7] Augusti Cæsaris, perdomita est. Ibi tum Asdrubal Gisgonis, maximus clarissimusque eo bello [8] secundum Barcinos dux, regressus ab Gadibus, rebellandi spem adjuvante Magone Amilcaris filio, delectibus per ulteriorem Hispaniam habitis, ad quinquaginta millia peditum, & quatuor millia & quingentos equites armavit. De equestribus copiis ferme inter auctores convenit: peditum [9] septuaginta millia quidam adducta [10] ad Silpiam urbem scribunt. Ibi super campos patentes duo duces Pœni ea mente, ne detrectarent certamen, consederunt.

XIII. Scipio, quum ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset; neque Romanis legionibus tantæ se parem fore multitudini ratus, [a] ut non in speciem saltem opponerentur barbarorum auxilia; neque in iis tamen tantum virium ponendum, ut mutando fidem, quæ cladis caussa fuisset patri patruoque, magnum momentum facerent: præmisso Silano [1] ad Colcam duodetriginta oppidis regnantem, ut equites peditesque ab eo, quos se per hiemem conscripturum pollicitus erat, acciperet; ipse ab Tarracone profectus, protinus ab sociis, qui accolunt viam, modica contrahendo auxilia, Castulonem pervenit. Eo adducta ab Silano auxilia, tria millia peditum & quingenti equites. inde [2] ad Bæculam urbem

INTERPRETATIO.

a *Nisi Hispani auxiliares, saltem specie tenus, objicerentur Pœnis.*

NOTÆ.

6. *Quæ quidem continentis sint.*] Hoc ad discrimen Siciliæ & Sardiniæ, quæ prius in provinciam redactæ, sed extra continentem.

7. *Augusti Cæsaris.*] Ad ejus usque tempora Astures & Cantabri pristinam libertatem retinuerant.

8. *Secundum Barcinos.*] Hic Gisgonis filius, ex alia familia fuit quam Barcina, ex qua Annibal cum fratribus, Amilcaris Barcæ filiis; post quos inter duces Pœnorum hic primum tenebat locum.

9. *Septuaginta millia quidam adducta.*] In his fuit Polyb. lib. 11. septem Myriadas peditum, & quatuor equitum millia numerans.

10. *Ad Silpiam.*] Polyb. pro *Silpia*, *Elingam* ponit, quæ duo nomina Geographis æquè incognita. Ex narratione utriusque historici apparet Scipioni Tarracone venienti Pœnos ultra Castulonem fuisse obvios; atque ita Asdrubalis Gadibus venientis hunc exercitum citra eandem urbem castrametatum, & ex consequenti hiberna Pœnorum fuisse in Bætica ejusve confinio. Eo autem tractu occurrit *Sitia* prope Obulconem, nec longè à Castulone; à qua non multum etiam distant *Osingi*, atque *Ossigi*: quorum, *Sitia* aliquam literarum affinitatem servat cum Nostri *Silpia*, *Osingi* verò cum *Elinga* Polybii. Utut sit in Beturia, nec longè à Corduba hæc loca fuisse conjicio, quoquo nomine verè dicerentur.

1. *Ad Colcam duodetriginta oppidis regnantem.*] *Colichanta* vocat Polyb. Sed qua in regione Hispaniæ regnaret, non indicat. Si duodeviginti oppidis imperasse diceretur à nostro conjici posset Edetanorum, aut Celtiberorum regem fuisse, quibus utrisque totidem oppida Ptol. assignat.

2. *Ad Bæculam urbem.*] Hæc *Bæcula* alia est ab ea de qua sup. XXVII. 20. Pol. loca indicat περὶ Βαίκυλα. Non videntur aberrare qui circa Beatiam aut Ubedam, in Andalusiæ fine Orientali ad Castellæ novæ limites, ponunt: quidam codices *Beculam* habent.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

progressus omni exercitu civium, sociorum, peditum equitumque quinque & quadraginta millibus. 3 Castra ponentes eo Mago & Masanissa cum omni equitatu aggressi sunt, turbassentque munientes, ni abditi post tumulum, 4 opportune ad id positum, ab Scipione equites, improviso in effusos incurrissent. Hi promptissimum quemque, & proxime vallum, atque in ipsos munitores primum invectum, vixdum prælio inito fuderunt: cum cæteris, qui sub signis atque ordine agminis incesserant, longior & diu ambigua pugna fuit. sed quum ab stationibus primum expeditæ cohortes, deinde ex opere deducti milites, atque arma capere jussi 5 plures & integri fessis, magnumque jam agmen armatorum à castris in prælium rueret, terga haud dubie vertunt Pœni Numidæque. Et primo turmatim abibant, nihil propter pavorem festinationemve confusis ordinibus: dein, postquam acriùs ultimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat; nihil jam ordinum memores, passim qua cuique proximum fuit, in fugam effunduntur. Et quanquam eo prælio, aliquantum & Romanis aucti, & diminuti hostibus animi erant; tamen nunquam per aliquot insequentes dies ab excursionibus equitum levisque armaturæ cessatum est.

XIV. Ubi satis tentatæ per hæc levia certamina vires sunt; prior Asdrubal in aciem copias eduxit: deinde & Romani processere. sed utraque acies pro vallo stetit instructa: & quum ab neutris pugna cœpta esset, jam die ad occasum inclinante, à Pœno prius, deinde ab Romano in castra copiæ reductæ. Hoc idem per dies aliquot factum. prior semper Pœnus copias castris educebat. prior a fessis stando signum receptui dabat. ab neutra parte procursum, telumve missum, aut vox ulla orta. mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienses mixti Afris: cornua socii tenebant: erant autem utrinque Hispani pro cornibus. ante Punicam aciem elephanti castellorum procul speciem visu præbebant. Jam hoc in utrisque castris sermonis erat, ita, ut instructi stetissent, pugnaturos. medias acies Romanum Pœnumque, quos inter belli causa esset, pari robore animorum armorumque 1 concursuros. Scipio ubi hæc obstinatè credita animadver-

INTERPRETATIO.

a *Postquam in pedes usque ad lassitudinem steterant.*

NOTÆ.

3. *Castra ponentes eos.*] Romanos, sociosque.

4. *Opportune ad id oppositum.*] *Opportune situm*, quòd idem est ac opportuno situ, sive qui ad rem commode positus à natura erat. Nec opus est quicquam mutari.

5. *Plures & integri fessis.*] Cum nempe ii qui integri supererant majori numero, quam qui fessi erant, (partim opere munitionis, partim præliando) arma capere jussi, & ex omnibus agmen ingens armatorum rueret in Pœnos, &c. pertinet enim *τὸ rueret*, ad expeditas cohortes, ad milites ex opere deductos, & ad integros fessosque. Intellige ergo *integros plures fessis*, vel *integros simul cum fessis*.

1. *Concursuros.*] Refer ad Romanum Pœnumque: quos utrosque creditum

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

tit, omnia de industria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutavit: tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri equique curati & pransi essent: armatus eques frenatos, instratosque teneret equos. Vixdum satis certa luce, equitatum omnem cum levi armatura in stationes Punicas immisit: inde confestim ipse cum gravi agmine legionum procedit: b præter opinionem destinatam sociorum hostiumque, Romano milite cornibus firmatis, sociis in mediam aciem acceptis. Asdrubal clamore equitum excitatus, ut ex tabernaculo prosiluit, tumultumque ante vallum, & trepidationem suorum, & procul signa legionum fulgentia, plenosque hostium campos vidit; equitatum omnem extemplo in equites emittit. ipse cum peditum agmine castris egreditur. nec ex ordine solito quicquam acie instruenda mutat. Equitum jam diu anceps pugna erat: c nec ipsa per se decerni poterat, quia pulsis (quod propè invicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat. sed ubi jam haud plus quingentos passus acies inter sese aberant, signo receptui dato, Scipio, 2 patefactisque ordinibus, equitatum omnem levemque armaturam in medium acceptam, divisamque in partes duas in subsidiis post cornua locat. Inde ubi 3 incipiendæ jam pugnæ tempus erat, Hispanos (ea media acies fuit) d presso gradu incedere jubet. ipse è dextro cornu (ibi namque præerat) nuncium ad Silanum & Marcium mittit, ut cornu extenderent in sinistram partem, quemadmodum se tendentem ad dextram vidissent: & e cum expeditis peditum equitumque prius pugnam consererent cum hoste, f quam coire inter se mediæ acies possent. Ita diductis cornibus cum ternis peditum cohortibus, ternisque equitum turmis, ad hoc velitibus, citato gradu in hostem ducebant: sequentibus in obliquum aliis. 4 Sinus in medio erat,

INTERPRETATIO.

b *Contra opinionem quam* certa animi *destinatione conceperant tam Romani, quàm Pœni.*

c *Nec poterat equestris pugna jam dubia, per* solos *equites,* qui prælium inceperant, *finiri.*

d *Ingredi passibus lentis.*

e *Assumptis secum ex numero peditum iis qui* minus inito paulo ante certamini immixti, minusque fessi, *magis* cæteris *expediti* ac vegeti *viderentur.*

f *Antequam acies* utrinque *media* committi, & cominus *inter se pugnare possent.*

N O T Æ.

fuerat pugnaturos media in acie sui exercitus. Verùm hic ordo, præter aliorum opinionem, mutatus à Scipione non parum contulit ad victoriam.

2. *Patefactis ordinibus, &c.*] Multa ex hoc facto commoda: & equitibus & leviter armatis, qui pugnæ velut præluserant, datum respirandi, & vires resumendi tempus: firmati præterea idoneis subsidiis Romani & Latini pedites, qui in utroque cornu: Hispani socii, qui in media acie, cohibiti utrinque, ne facilè fidem mutarent, ut factum anteà à Celtiberis; ac denique sinu facto hostes circumventi.

3. *Incipiendæ jam pugnæ.*] Prius equitum & levis armaturæ certamen *pugnæ magis præludium fuerat, quàm decretoria & vera pugna.*

4. *Sinus in medio erat.*] Hic Scipio Asdrubali aliquatenus reddidisse videtur artem qua Annibal usus erat ad Cannas in Romanos. Vide suprà XXII. 47.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

quia segnius Hispanorum signa incedebant, & jam conflixerant cornua; quum, quod roboris in acie hostium erat, Pœni veterani, Afrique nondum ad teli conjectum venissent; neque in cornua, ut adjuvarent pugnantes, discurrere auderent, ne aperirent mediam aciem venienti ex adverso hosti. Cornua ancipiti prælio urgebantur: eques, levisque armatura, & velites, [5] circumductis alis in latera incurrebant; cohortes à fronte urgebant, ut abrumperent cornua à cætera acie.

XV. Et tum ab omni parte haudquaquam par pugna erat, [1] tum quod turba Balearium tyronumque Hispanorum, Romano Latinoque militi objecta erat; & procedente jam die vires etiam deficere Asdrubalis exercitum cœperant, oppressos matutino tumultu, coactosque priusquam cibo corpora firmarent, raptim in aciem exire. Ad id sedulo diem extraxerat Scipio, ut sera pugna esset. nam ab septima demum hora peditum signa cornibus concurrunt. ad medias acies aliquanto seriùs pervenit pugna: ita ut prius æstus à meridiano sole, laborque standi sub armis, & simul fames sitisque corpora afficeret, quam manus cum hoste consererent. Itaque steterunt scutis innixi. nam super cætera elephanti etiam, tumultuoso genere pugnæ equitum velitumque & levis armaturæ consternati, è cornibus in mediam aciem sese intulerant. [2] Fessi igitur corporibus animisque retulere pedem: ordines tamen servantes, haud secus, quam si imperio ducis cederet integra acies. Sed quum eo ipso acriùs, ubi inclinatam sensere rem, victores se undique inveherent: nec facilè impetus sustineri posset; quanquam retinebat, obsistebatque cedentibus Asdrubal, *ab tergo esse colles tutumque receptum*, [a] *si modicè se reciperent*, clamitans; tamen vinceret verecundiam metu ([3] quum proximus quisque hostem cederet)

INTERPRETATIO.

a *Si paulatim ac lentè retrocederent*.

NOTÆ.

5. *Circumductis alis in latera incurrebant*.] Gall. *Les Romains ayant estendu & avancé les ailes de leur armée à droitte & à gauche au dela de leur corps de bataille, prenoient les ennemis en flanc*.

1. *Tum quod turba Balearium*.] Repete ex superiori membro: *haudquaquam par pugna erat*: tum aliis de causis, tum præsertim quod Baleares & Tyrones Hispani oppositi erant veteranis militibus Romanis & Latinis: & præterea quòd Asdrubalis milites fessi erant longiore pugna, quam inire coacti fuerant nondum capto cibo. Participium enim *oppressos* refertur ad *milites* qui in exercitu Asdrubalis. Quidam editi pro *Balearium*, habent *lixarum*: sed prius haud dubiè melius; neque enim solent lixæ permixti militibus ad prælium educi.

2. *Fessi igitur*.] Pœni.

3. *Cum proximus quisque hostem cederet*.] In plerisque editis scriptum reperitur, *caderet*; quà ratione referendum erit ad Romanos, quorum proximi quique hostem cædebant. Sensus tamen & stylus Livianus lectioni membranarum videtur favere, ut sit sensus, Pœnorum eos, qui proximi esse[n]t Romanis, cessisse, & fugiendo impulisse remotiores. Quemadmodum enim dicitur, *prope aliquem*, ita & Livius dicit, *propiùs* & *proxime aliquem*; & ex consequenti, *proximi hostem*. Gall. *Ceux qui estoient les plus proches des ennemis*. Recepta tamen phrasis est proximi quique hosti cederent.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

terga extemplo data, atque in fugam sese omnes effuderunt. Ac primo consistere signa in radicibus collium, ac revocare in ordines militem cœperant; cunctantibus in adversum collem erigere aciem Romanis. deinde ut inferri impigre signa viderunt, integrata fuga, in castra pavidi compelluntur. Nec procul vallo Romanus aberat: cepissetque tanto impetu castra; ni se ex vehementi sole, qualis inter graves imbre nubes effulget, tanta vis aquæ dejecisset, ut vix in castra sua receperint se victores: quosdam etiam religio ceperit, ulterius quicquam eo die conandi. Carthaginienses, quanquam fessos labore ac vulneribus, nox imberque ad necessariam quietem vocabat; tamen quia metus & periculum cessandi non dabat tempus, prima luce oppugnaturis hostibus castra, saxis undique circà ex propinquis vallibus congestis augent vallum; munimento sese, quando in armis parum præsidii foret, defensuri. Sed transitio sociorum, fuga ut tutior morâ videretur, fecit. Principium defectionis ab Attane regulo Turdetanorum factum est. is cum magna popularium manu transfugit. inde duo munita oppida cum præsidiis tradita à præfectis Romano: Et ne latius inclinatis semel ad defectionem animis serperet res, silentio proximæ noctis Asdrubal castra movet.

XVI. Scipio, ut prima luce qui in stationibus erant, retulerunt, profectos hostes; præmisso equitatu signa ferri jubet. adeoque citato agmine ducti sunt, ut si via recta vestigia sequentes issent, haud dubiè assecuturi fuerint. ducibus est creditum, brevius aliud esse iter 1 ad Bætim fluvium, ut transeuntes aggrederentur. Asdrubal, clauso transitu fluminis in Oceanum flectit. & jam inde fugientium modo effusi abibant; idque aliquantum ab legionibus Romanis intervalli fecit. Eques, levisque armatura, nunc ab tergo, nunc ab lateribus occurrendo, fatigabat morabaturque: sed quum ad crebros tumultus signa consisterent, & nunc equestria, nunc cum velitibus auxiliisque peditum prælia consererent, supervenerunt legiones. Inde non jam pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri; donec ipse dux fugæ auctor, in proximos colles cum sex millibus ferme semiermium evasit. cæteri cæsi captique: castra tumultuaria raptim Pœni tumulo edicissimo communierunt: atque inde, cum hostis nequicquam subire iniquo ascensu conatus esset, haud difficulter sese tutati sunt. Sed obsidio in loco nudo atque inopi vix in paucos dies tolerabilis erat. itaque transitiones ad hostes fiebant. Postremo ipse dux

NOTÆ.

1. *Ad Bætim fluvium.*] Inter Hispaniæ flumina è præcipuis est *Bætis*, hodie Arabico vocabulo *Guad-al-quebir*, id est, fluvius magnus: in Tugiensi exoriens saltu, qui nunc *Sierra de Alcarax*, qua Castella nova ad Granatæ Murciæque regnorum terminos sese insinuat: hinc Bæticæ infusus de ipsius nomine dictæ, quæ maxima ex parte in Vandalitiæ nomen transiit, vulgo nunc *Andaluzia*, ab ortu ad occasum amœno alveo & recto prope cursu per Cordubam decurrit, donec paulo supra Hispalim, in austrum deflectens, in Atlanticum tandem se effundat Oceanum.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

navibus acceptis, (nec procul inde aberat mare) nocte relicto exercitu, Gadeis perfugit. Scipio fuga ducis hostium audita, decem millia peditum, mille equites relinquit Silano ad castrorum obsidionem. ipse cum cæteris copiis, 2 septuagesimis castris, protinus caussis regulorum civitatumque cognoscendis, ut præmia ad veram meritorum æstimationem tribui possent, Tarraconem rediit. Post profectionem ejus Masanissa cum Silano clam congressus, ut ad nova consilia gentem quoque suam obedientem haberet, cum paucis popularibus in Africam trajecit; a non tam evidenti eo tempore subitæ mutationis caussa, quam documento post id tempus constantissimæ ad ultimam senectam fidei, ne tum quidem eum sine probabili caussa fecisse. Mago inde remissis ab Asdrubale navibus Gades petit. Cæteri deserti ab ducibus, pars transitione, pars fuga dissipati per proximas civitates sunt. b nulla manus numero aut viribus insignis. Hoc maxime modo ductu atque auspicio P. Scipionis pulsi Hispania Carthaginienses sunt, 3 tertiodecimo anno post bellum initum, quinto postquam P. Scipio provinciam & exercitum accepit. Haud multo post Silanus, debellatum referens, Tarraconem ad Scipionem rediit.

XVII. L. Scipio cum multis nobilibus captivis nuncius receptæ Hispaniæ Romam est missus. & quum cæteri lætitia gloriaque ingenti eam rem vulgò ferrent, 1 unus qui gesserat, inexplebilis virtutis veræque laudis, 2 parvum instar eorum, quæ spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat. jam Africam, magnamque Carthaginem, & in suum decus nomenque velut consumatam ejus belli gloriam spectabat. Itaque præmoliendas ibi ratus jam res, conciliandosque regum gentiumque animos, Syphacem primum regem statuit tentare. Masæsylorum is rex erat. 3 Masæsyli gens affinis Mauris, in regionem Hispaniæ, maxime

INTERPRETATIO.

a *Cujus subita transitionis* ad Romanos *non tam manifesta eo tempore fuit causa, quam eam tunc quoque justam fuisse docuit postea constantia ejus in fide Romanorum usque ad extremam senectutem.*

b *Nullus militum globus:*

a *Et ejus belli gloriam consummatam* velut quid *ad honorem & famam suam necessarium respiciebat.*

NOTÆ.

2. *Septuagesimis castris.*] Dies in itinere consumpsit saltem *septuaginta*, quibus castra mutare seu diversis locis metari oportuit.

3. *Tertio decimo anno.*] Reverà decimus tertius currebat annus secundi belli Punici, sextus imperii huic P. Scipioni delati; qui tamen quintus dicitur post acceptam provinciam, excluso scilicet anno primo, quâ ratione hic idem decimus tertius belli annus, dicendus esset duodecimus post bellum initum, non computato pariter primo.

1. *Unus qui gesserat.*] Solus P. Scipio qui eas res gesserat.

2. *Parvum instar.*] Gallicè, *Il ne comptoit le recouvrement ou la conqueste de toutes les Provinces d'Espagne que pour un eschantillon des grandes choses qu'il avoit conceuës, &c.*

3. *Masæsyli gens.*] Hi populi in Mauritaniæ parte degebant, quam postea Romani Mauritaniam Cæsariensem dixere à Julia Cæsarea urbe, quæ nunc

quâ sita Nova Carthago est, spectant. Fœdus ea tempestate regi cum Carthaginiensibus erat, quod haud gravius ei sanctiusque, quam vulgo barbaris, quibus ex fortuna pendet fides, ratus fore, oratorem ad eum C. Lælium cum donis mittit. Quibus barbarus lætus, & quia res tum prosperæ ubique Romanis, Pœnis in Italia adversæ, in Hispania nullæ jam erant; amicitiam se Romanorum accipere annuit. firmandæ ejus fidem nec dare, nec accipere, nisi cum ipso coram duce Romano. Ita Lælius, in id modo fide ab rege accepta, tutum adventum fore, ad Scipionem rediit. Magnum in omnia momentum Syphax affectanti res Africæ erat; opulentissimus ejus terræ rex, bello jam expertus ipsos Carthaginienses; finibus etiam regni aptè ad Hispaniam, quòd freto exiguo dirimuntur, positis. Dignam itaque rem Scipio ratus, quæ, quoniam non aliter posset, magno periculo peteretur; L. Marcio Tarracone, M. Silano Carthagine Nova, quo 4 pedibus ab Tarracone itineribus magnis ierat, ad præsidium Hispaniæ relictis; ipse cum C. Lælio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus, tranquillo mari plurimum remis, interdum & leni adjuvante vento, in Africam trajecit. Forte ita incidit, ut eo ipso tempore Asdrubal pulsus Hispania septem triremibus portum invectus, anchoris positis terræ applicaret naves, quum conspectæ duæ quinqueremes b haud cuiquam dubio, quin hostium essent, opprimique à pluribus priusquam portum intrarent, possent; nihil aliud quam tumultum ac trepidationem simul militum ac nautarum nequicquam armaque & naves expedientium, fecerunt. percussa enim ex alto vela paulo acriori vento, prius in portum intulerunt quinqueremes, quam Pœni anchoras molirentur. nec ultrà tumultum ciere quisquam in regio portu audebat. Itaque prior in terram Asdrubal, mox Scipio & Lælius egressi, ad regem pergunt.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Cæcilio Met.

XVIII. Magnificumque id Syphaci (nec erat aliter) visum, duorum opulentissimorum ea tempestate duces populorum, uno die suam pacem amicitiamque petentes venisse. Utrumque in hospitium invitat: & quoniam fors eos sub uno tecto esse, atque 1 ad eosdem penates voluisset; contrahere in colloquium dirimendarum simultatum causâ est conatus;

INTERPRETATIO.

b *Nemine dubitante quin, &c.* sive *cum dubium nemini esset:*

NOTÆ.

Tenez. Spectabant in regionem Hispaniæ ubi nova Carthago. Huic nunc ex adverso respondet pars Occidentalis regni Algeriani; ubi regnum *Telensin*; aliàs Tremisen, & in eo *Oran*. Dicuntur affines fuisse Mauris, id est, Mauritaniæ Tingitanæ, inter quam & Numidiam hi populi.

4. *Pedibus.*] τὸ *pedibus* non opponitur hic itineri equestri, sed maritimo. Gall. *par terre:*

1. *Ad eosdem penates.*] Sigon. confidenter quasi ex veteribus libris reponit, *in eodem penate*, quod olim Labeoni visum *penatis* singulariter dici, tradat Festus, qui proportione *Penas* dici posse existimat. Sed nec apud Livium in ullo Codice hæc lectio. Neque eam recipiendam esse probat Gron. observat. IV. 6.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio, & Q. Caecilio Met.

Scipione abnuente, aut privatim sibi ullum cum Pœno odium esse, quod colloquendo finiret: aut de republica se quicquam cum hoste agere injussu senatus posse. Illud magno opere tendente rege, ne alter hospitum exclusus mensâ videretur, ut in animum induceret ad easdem venire epulas, haud abnuit. Cœnatumque simul apud regem est: eodem etiam lecto Scipio atque Asdrubal (quia ita cordi erat regi) 2 accubuerunt. Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut non Syphacem modo, barbarum insuetumque moribus Romanis; sed hostem etiam infestissimum, facunde alloquendo sibi conciliarit; *mirabilioremque sibi eum congressu coram visum præ se ferebat, quam bello rebus gestis. Nec dubitare, quin Syphax, regnumque ejus jam in Romanorum esset potestate. eam artem illi viro ad conciliandos animos esse. Itaque non quomodo Hispaniæ amissæ sint, quærendum magis Carthaginiensibus esse; quam quomodo Africam retineant, cogitandum. Non peregrinabundum, neque circa amœnas oras vagantem tantum ducem Romanum, relicta provinciâ novæ ditionis, 3 relictis exercitibus, duabus navibus in Africam trajecisse, & commisisse sese in hostilem terram, in potestatem regiam, in fidem inexpertam: sed potiundæ Africæ spem affectantem. Hoc eum jam pridem volutare in animo, hoc palam fremere, quod non quemadmodum Annibal in Italia, sic Scipio in Africa bellum gereret.* Scipio fœdere icto cum Syphace, profectus ex Africa, dubiisque & plerunque sævis in alto jactatus ventis, die quarto Novæ Carthaginis portum tenuit.

XIX. Hispaniæ sicut à bello Punico quietæ erant, ita quasdam civitates, propter conscientiam culpæ, metu magis quam fide quietas esse apparebat: quarum maxime insignes & magnitudine & noxa, Illiturgi & Castulo erant. 1 Castulo cum prosperis rebus socii fuissent, post cæsos cum exer-

NOTÆ:

2. *Accubuerint.*] Accumbendi & discumbendi verba ad receptum apud Romanos cibi capiendi morem pertinent: sed horum verborum discrimen non in eo positum fuit quod *accumbere* Deorum esset, *discumbere* autem hominum; quemadmodum Acroni grammatico in Horat. od. 27. lib. 1. visum est. Sed quod *accumbere* referatur ad mensam circa quam, *discumbere* ad lectum in quo cubabant. Itaque in Cœnaculo mensa rotunda atque humilis locabatur: circa mensam vero tres plerunque lecti insternebantur stragula veste, unde triclinii nomen. In tribus porro convivis eodem lecto discumbentibus locus dignissimus medius habebatur qua de re accuratè Lips. antiq. lect. lib. 3. Sed an ejusmodi cœnandi mos apud Mauros & Syphacem receptus esset, quemadmodum apud Romanos, satis, opinor, dubium videri potest. Nam nec apud priscos Romanos accumbendi usum fuisse, sed considere solitos, quemadmodum Lacones, Servius notat, & Isidorus etym. lib. 20. cap. 11.

3. *Relictis exercitibus.*] In optimis rotundiùs, ita: *Relictis exercitibus duobus, in Africam trajecisse sese, in hostilem terram, Regiam infidam, inexpertam.* Exercitus duos intellige tum eum qui Tarracone sub L. Marcio, tum eum qui Carthagine nova sub M. Junio Silano.

1. *Castulo, cum prosperis rebus socii fuissent.*] Sic scripti. *Castulo* pro Castulonensibus.

citibus

citibus Scipiones, defecerant ad Pœnos. Illiturgitani [a] prodendis, qui ex illa clade ad eos perfugerant, interficiendisque, scelus etiam defectioni addiderant. In eos populos primo adventu, quum dubiæ Hispaniæ essent, merito magis quam utiliter sævitum foret; nunc jam tranquillis rebus, quia tempus expetendæ pœnæ videbatur venisse, accitum ab Tarracone L. Marcium cum tertia parte copiarum ad Castulonem oppugnandum mittit: ipse cum cætero exercitu quintis ferme ad Illiturgin castris pervenit. Clausæ erant portæ, omniaque instructa & parata ad oppugnationem arcendam: adeo conscientia, quid se meritos scirent, pro indicto eis bello fuerat. Hinc exhortari milites Scipio orsus est. *Ipsos claudendo portas indicasse Hispanos, quid ut timerent, meriti essent. itaque multo infestioribus animis cum iis, quam cum Carthaginiensibus, bellum gerendum esse. Quippe cum illis prope sine ira de imperio & gloria certari; ab his perfidiæ & crudelitatis & sceleris pœnas expetendas esse. Venisse tempus, quo & nefandam commilitonum necem, & in semetipsos, si eodem fugâ delati forent, instructam fraudem ulciscerentur: & in omne tempus gravi documento sancirent, ne quis unquam Romanum civem, militemve in ulla fortuna opportunum injuriæ duceret.* Ab hac cohortatione ducis incitati, scalas electis per manipulos viris dividunt; partitoque exercitu, ita ut parti alteri Lælius præesset legatus, duobus simul locis ancipiti terrore urbem aggrediuntur. Non dux unus, aut plures principes oppidanos, sed suus ipsorum ex conscientia culpæ metus ad defendendam impigre urbem hortatur. & meminerant, & admonebant alii alios *supplicium ex se, non victoriam peti. Ubi quisque mortem oppeteret, id referre, utrum in pugna & in acie, ubi Mars communis & victum sæpe erigeret, & affligeret victorem; an postmodo cremata & diruta urbe, ante ora captarum conjugum liberorumque, inter verbera & vincula, omnia fœda atque indigna passi exspirarent.* Igitur non militaris modo ætas, aut viri tantum, sed fœminæ puerique supra animi corporisque vires adsunt: propugnantibus tela ministrant, saxa in muros munientibus gerunt. [b] Non libertas solum agebatur, quæ virorum fortium tantum pectora acuit; [1] sed ultima omnium supplicia, & fœda mors ob oculos erat. Accendebantur animi & certamine laboris ac periculi, atque ipso inter se conspectu. Itaque tanto ardore certamen initum est, ut domitor ille totius Hispaniæ exercitus ab unius oppidi juventute sæpe repulsus à muris, haud satis decoro prælio trepidarit. Id ubi vidit Scipio, veritus ne vanis conatibus

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

INTERPRETATIO.

a *Tradendo* hostibus, *aut occidendo eos qui cæso exercitu ad ipsos confugerant.*
b *Non tantum agebatur de libertate.*

NOTÆ.

1. *Sed ultima omnium supplicia.*] Non suum quisque supplicium tantùm, sed propinquorum, amicorum, cunctorum civium communem calamitatem habebant in animo, & quasi ob oculos, atque horrebant.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

suorum, hostibus cresceret animus, & segnior miles fieret; sibi conandum ac partem periculi capessendam esse ratus, increpita ignavia militum, ferri scalas jubet: seipsum, si cæteri cunctentur, ascensurum minatur. Jam subierat haud mediocri periculo mœnia, quum clamor undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus: scalæque multis simul partibus erigi cœptæ. Et ex altera parte Lælius instat. Tum victa oppidanorum vis, dejectisque propugnatoribus occupantur muri. arx etiam ab ea parte, qua inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est.

XX. Transfugæ Afri, qui tum inter auxilia Romana erant, & oppidanis in ea tuenda, unde periculum videbatur, versis, & Romanis subeuntibus qua adire poterant, conspexerunt editissimam urbis partem, quia rupe prealta tegebatur, neque opere ullo munitam, & ab defensoribus vacuam. levium corporum homines, & multa exercitatione pernicium, clavos secum ferreos portantes, qua per inæqualiter eminentia rupis poterant, scandunt. sicubi nimis arduum & [1] leve saxum occurrebat, clavos per modica intervalla figentes, quum velut gradus fecissent; primi insequentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui præirent, in summum evadunt. inde decurrunt cum clamore in urbem jam captam ab Romanis. Tum vero apparuit, ab ira & ab odio urbem oppugnatam esse. nemo capiendi vivos, nemo, parentibus ad direptionem omnibus, prædæ memor est. Trucidant inermes juxta atque armatos, fœminas pariter ac viros: usque ad infantium cædem ira crudelis pervenit. Ignem deinde tectis injiciunt, ac diruunt, quæ incendio absumi nequeant: adeo vestigia quoque urbis extinguere, ac delere memoriam hostium sedis cordi est. Castulonem inde Scipio exercitum ducit. quam urbem non Hispani modò convenæ, sed Punici etiam exercitus è dissipata passim fuga reliquiæ tutabantur. sed adventum Scipionis prævenerat fama cladis Illiturgitanorum, terrorque inde ac desperatio invaserat: & in diversis caussis, quum sibi quisque consultum sine alterius respectu vellet; primo tacita suscipio, deinde aperta discordia secessionem inter Carthaginienses atque Hispanos fecit. His Cerdubellus propalam deditionis auctor. Himilco Punicis auxiliaribus præerat: quos urbemque, clam fide accepta, Romano prodit. Mitior ea victoria fuit. [2] nec tantundem noxæ admissum erat, & aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio.

XXI. [1] Marcius inde in barbaros; si qui nondum perdomiti erant,

NOTÆ.

1. *Leve saxum.*] Quidni *leve saxum*, quod planum sive glabrum significat, opponiturque scabro. Neque obstat Græca origo à voce λεῖος. Certè si per unum *e* scribatur, hoc productum intelligi debet, ut sit idem sensus.

2. *Nec tantundem noxa admissum erat.*] Castulonenses enim tantum ad Pœnos defecerant post cæsos cum exercitibus Scipiones, nec Romanos profugos aut prodiderant aut occiderant.

1. *Marcius inde ad Barbaros redigendos missus.*] Ita legitur in Regio uno, & consentiunt omnes Editi: abest à Put. vox *missus*; nihil tamen occurrit cur delenda videatur. Lipsianus & alii codices

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

sub jus, ditionemque redigendos: Scipio Carthaginem, ad vota solvenda Diis, munusque gladiatorium, quod mortis causa patris patruique paraverat, edendum rediit. 2 Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, a ex quo lanistis comparare mos est, 3 servorum delectu ac liberorum, qui venalem sanguinem habent. Voluntaria omnis & gratuita opera pugnantium fuit. nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitæ genti virtutis ostendendum: alii ipsi professi, se pugnaturos in gratiam ducis: alios æmulatio & certamen, ut provocarent, provocatique haud abnuerent, traxit. quidam quas disceptando controversias finire nequierant aut noluerant, b pacto inter se, ut victorem res sequeretur, ferro decreverunt. Neque obscuri generis homines, sed clari illustresque, Corbis & Orsua patrueles fratres, de principatu civitatis, 4 quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certaturos professi sunt. Corbis major erat ætate. Orsuæ pater princeps proxime fuerat; à fratre majore post mortem ejus principatu accepto. Quum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras; *negatum id* ambo dicere *communibus cognatis: nec alium deorum hominumve, quam Martem se judicem habituros esse*. Roboro major, minor flore ætatis ferox, mortem in certamine, quam ut alter alterius imperio subjiceretur, præoptantes, cum ab tanta rabie dirimi nequirent, insigne spectaculum exercitui præbuère, documentumque, QUANTUM CUPIDITAS imperii malum inter mortales esset. Major usu armorum & astu facile stolidas vires minoris superàvit. Huic gladiatorum spectaculo ludi funebres additi pro copia, & provinciali & castrensi apparatu.

INTERPRETATIO.

a *Quales magistri ludorum gladiatoriorum comparare solent*, & erudire.

b *Inito invicem pacto, ut penes victorem remaneret res* controversa.

NOTÆ.

deficiuntur nomine, *Marcius*; habentque: *deinde in Barbaros, &c. redigendos legatis missis*. Atque huic lectioni favet quod paulo post legitur initio cap. prox. *interim nihilominus res per legatos gerebantur*; unde sequitur plures fuisse legatos, non unum Marcium. Reponit tamen Gronov. posse intelligi legatos ipsi Marcio adjunctos, quem tanquam dignatione principem, solum nominari sufficiat: & reverà quæ sequuntur ad finitam usque obsidionem Astapensem, à Marcio sunt gesta.

2. *Gladiatorium spectaculum*.] Primus hic Scipio patris manibus parentavit commissis gladiatoribus.

3. *Servorum delectu ac liberorum qui &c.*] Pur. cæterique Gallici habent, *servorum qui venalem sanguinem habent*, prætermissis quæ vulgati interserunt, nimirùm *delectu ac liberorum*. Unde facilè cum Gronovio legendum censeo, *servorum quive venalem sanguinem habent*. Sed hinc eadem tamen sententia sequitur, ac ex vulgari lectione: Lanistas nempe in gladiatorios suos ludos adsciscere solitos duo genera hominum, servorum nempe, & eorum, qui, licèt liberi sint, tamen seipsos ac vitam & sanguinem suum pretio addicere non verentur.

4. *Quam Ibem vocabant*.] Num scribendum *Lacibem*? *Lacibis* certè Ptolemæo Turdulorum urbs est, Sansoni hodie, *Torre de la Cevada*, in Andaluzia; neque aliud facilè occurrit urbis in Hispania nomen quod propius ad hanc Ibem accedat, & potuit exteri prima syllaba,

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Caecilio Met.

XXII. Res interim nihilominus ab legatis gerebantur. Marcius superato 1 Baete amni, quem incolae *Certim* appellant, duas opulentas civitates sine certamine in deditionem accipit. 2 Astapa urbs erat, Carthaginiensium semper partis: neque id tam dignum ira erat, quam quod, extra necessitates belli, praecipuum in Romanos gerebant odium. nec urbem, aut situ aut munimento tutam habebant, quae ferociores iis animos faceret: sed ingenia incolarum latrocinio laeta, ut excursiones in finitimum agrum sociorum populi Romani facerent, impulerant; & vagos milites Romanos, lixasque & mercatores exciperent. magnum etiam comitatum, quia paucis parum tutum fuerat, transgredientem fines positis insidiis circumventum iniquo loco interfecerant. Ad hanc urbem oppugnandam quum admotus exercitus esset, oppidani conscientia scelerum, quia nec deditio tuta ad tam infestos videbatur, nec spes moenibus aut armis tuendae salutis erat; facinus in se ac suos foedum ac ferum consciscunt. Locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent. super eum cumulum conjuges ac liberos considere quum jussissent, ligna circa extruunt, fascesque virgultorum conjiciunt. Quinquaginta deinde armatis juvenibus praecipiunt, *ut donec incertus eventus pugnae esset, praesidium eo loco fortunarum suarum, corporumque, quae cariora fortunis essent, servarent. Si rem inclinatam viderent, atque in eo jam esse ut urbs caperetur; scirent omnes, quos euntes in praelium cernerent, mortem in ipsa pugna obituros. Illos se per Deos superos inferosque orare, ut memores libertatis, quae illo die aut morte honesta, aut servitute infami finienda esset, nihil relinquerent, in quod saevire iratus hostis posset. Ferrum ignemque in manibus esse. Amicae ac fideles potius ea, quae peritura essent, absumerent manus, quam insultarent superbo ludibrio hostes.* His adhortationibus execratio dira adjecta, si quem à proposito spes mollitiave animi flexisset. inde concitato agmine patentibus portis ingenti tumultu erumpunt. Neque erat ulla satis firma statio opposita; quia nil minus quam ut egredi moenibus auderent, timeri poterat. perpaucae equitum turmae, levisque armatura repente è castris ad idipsum emissa occurrit. Acrior impetu atque animis, quam compositior ordine ullo pugna fuit. Itaque pulsus eques, qui primus hosti se obtulerat, terrorem intulit levi armaturae. pugnatumque sub ipso vallo foret, ni robur legionum, perexiguo ad instruendum dato.

NOTAE.

1. *Baete amni quem incolae Certim appellant.*] Meliores *Certim*: Regius unus *Cirtem*, alius apud Sigon. *Circem* habet; pro quo apud Steph. est κίρκις: vulgata editio *Circium* praefert: potestque videri ab eadem origine deductum nomen, à qua *Certima*, Celtiberorum oppidum, quod Graccho deditum à nostro memoratur lib. 40.

2. *Astapa urbs*.] Dicitur hodie, ni fallor, *Estepa*, in confinio regni Granatensis & Andaluziae inter Ossunam & amnem, qui vulgò *Xenil*, olim *Singulis*. Eadem censetur cum Ostipone oppido, quod inter libera Baeticae & conventus Astigitani Plin. recenset, memoraturque in Itinerario.

tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, quum cæci furore in vulnera ac ferrum vecordia audaci ruerent. dein vetus miles adversus temerarios impetus pertinax, cæde primorum insequentes suppressit. conatus paulo post ultra inferre pedem: ut neminem cedere, atque obstinatos mori in vestigio quemque suo vidit; patefacta acie (quod ut facere posset, multitudo armatorum facile suppeditabat) cornua hostium amplexus, in orbem pugnantes ad unum omnes occidit. Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

XXIII. Atque hæc tamen hostium iratorum, ac tum maxime [1] dimicantium jure belli in armatos repugnantesque edebantur. fœdior alia in urbe trucidatio erat; quum turbam fœminarum puerorumque imbellem inermemque, cives sui cæderent, & in succensum rogum semianima pleraque injicerent corpora, rivique sanguinis flammam orientem restinguerent: postremo ipsi cæde miseranda suorum fatigati, cum armis medio se incendio injecerunt. Jam cædi perpetratæ victores Romani supervenerunt. ac primo conspectu tam fœdæ rei mirabundi, parumper obstupuerunt. dein quum aurum argentumque cumulo rerum aliarum interfulgens aviditate ingenii humani, rapere ex igne vellent, correpti alii flamma sunt, alii ambusti afflatu vaporis: [a] quum receptus primis, urgente ingenti turba, non esset. Ita Astapa, sine præda militum, ferro ignique absumpta est. Marcius, cæteris ejus regionis metu in deditionem acceptis, victorem exercitum Carthaginem ad Scipionem reduxit. Per eos ipsos dies perfugæ à Gadibus venerunt, pollicentes urbem, Punicumque præsidium, quod in ea urbe esset, & imperatorem præsidii cum classe prodituros esse. Mago ibi ex fuga substiterat, navibusque in Oceano collectis, aliquantum auxiliorum & trans fretum ex Africa ora, & ex proximis Hispaniæ locis per Hannonem præfectum coëgerat. Fide accepta dataque perfugis, & Marcius eò cum expeditis cohortibus, & Lælius cum septem triremibus, & quinquereme una est missus, ut terra marique communi consilio rem gererent.

XXIV. Scipio ipse gravi morbo implicitus, [1] graviore tamen fama, quum ad id quisque quod audierat (INSITA HOMINUM libidine alendi de industria rumores) adjiceret aliquid; provinciam omnem ac maxime longinqua ejs turbavit: apparuitque, quantam excitatura molem vera fuisset clades; quum vanus rumor tantas procellas excivisset. non socii

INTERPRETATIO.

a *Cum proximi* incendio, *sese propter turbam ingentem quæ premebat, inde proripere nequirent.*

NOTÆ.

1. *Dimicantium.*] Romanorum scilicet in Astapenses. Per vocem *hæc* intellige atrocia facta, supplicia, aut quid simile: illud verò *jure belli*, quod ignorant quidam Codices, nec omnino necessarium est, (quandoquidem satis per se intelligitur) nec absurdum videtur.

1. *Graviore tamen fama.*] Gall. *On le faisoit encore plus malade qu'il n'estoit.*

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Caecilio Met.

in fide, non exercitus in officio mansit. Mandonius & Indibilis, quibus (quia regnum sibi Hispaniæ, pulsis inde Carthaginiensibus destinarant animis) [a] nihil pro spe contigerat, concitatis popularibus ([2] Lacetani autem erant) & [3] juventute Celtiberorum excita, [4] agrum Suessitanum [5] Sedetanumque sociorum populi Romani hostiliter depopulati sunt. Civilis alius furor in [6] castris ad Sucronem ortus. Octo ibi millia militum erant; præsidium gentibus, [7] quæ cis Iberum incolunt, impositum. Motæ autem eorum mentes sunt; non tum primum quum de vita imperatoris dubii rumores allati sunt; sed jam ante, licentiâ ex diuturno, ut fit, otio collectâ, & nonnihil, quod in hostico laxius rapto suetis vivere, [8] arctiores in pace res erant. Ac primo sermones tantum occulti ferebantur, si bellum in provincia esset, quid sese inter pacatos facere: si debellatum jam & confecta provincia esset, cur in Italiam non revehi? Flagitatum quoque stipendium, procaciùs, quàm ex more & modestia militari, erat: & [b] ab custodibus probra in circumeuntes vigilias tribunos jacta: & noctu quidam prædatum in agrum circa pacatum ierant: postremò interdiu, ac

INTERPRETATIO.

a *Nihil successerat secundum spem* ab iis conceptam.
b *A vigilibus.*

NOTÆ.

2. *Lacetani autem.*] Occidentalem Cataloniam occupabant hi populi, ubi nunc Diœceses Ilerdensis, Urgellitana, & Solsonensis. Videntur populares fuisse unius è duobus Regulis, de quibus hic agitur; non amborum. Etenim Illergetum defectionis mentio fit cap. 27. & 31. ita ut Illergetibus Lacetani conjungantur cap. 34. eorumque duces memorentur Mandonius & Indibilis. Hinc conjicere est Mandonium in Ilergetibus, Indibilem in Lacetanis regnasse.

3. *Juventute Celtiberorum.*] Hi à Celtis orti, trans Iberum incolebant in parte Aragoniæ occiduæ, & Castellæ Novæ Orientalis, quà hæc ad Septentrionem vergit, ubi nunc pars Turiasonensis, & Seguntini Episcopatuum.

4. *Agrum Suessitanum.*] Est quidem *Suestasium* Caristorum (qui nunc Alabenses) oppidum apud Ptolemæum, quod hodie Florianus parum probabiliter *Sanguessam* esse existimat. Sed caput regionis aut gentis alicujus fuisse, seu tractus, qui inde *Suessitanus* dictus fuerit, haud facile reperias, nec analogia sinit. Fieret enim ex Suestasio Suestasianus. Ego agrum *Vescitanum* puto scribendum. Horum urbs *Osca*. Populus Ilergetum portio, qui Sedetanis proximi intercurrente Ibero; & Lacetanis Sicori & Cingâ divisi. Illergetes itaque maximam complectuntur Orientalis Aragoniæ partem inter Iberum & Pyrenæos.

5. *Sedetanumque.*] Aliàs Hedetani populi, qui in parte Aragoniæ meridionali nonnihil delibabant ex ea regione ubi nunc regnum Valentiæ. Horum sedibus hodie respondent Diœceses Turulensis, & Albarracinensis, cum parte Cæsaraugustanæ.

6. *Castris ad Sucronem.*] Non procul Tagi fontibus supra Valeriam, quæ nunc *Cuenca*, ortus *Sucro* vulgo *Xucar*, sub oppido cognomine in sinum Sucronensem, qui pars Iberici maris, se effundit inter Valentiam & Gandiam.

7. *Quæ cis Iberum incolunt.*] Imò verò trans Iberum Romà & Tarracone venientibus. Posteà tamen hæ gentes Citeriori Hispaniæ à Romanis adscriptæ sunt.

8. *Arctiores in pace res erant.*] Gall. *Ils estoient plus tenus de court durant la paix.*

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Caecilio Met.

propalam sine commeatu ab signis abibant. omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militiæ, aut imperio eorum qui præerant, gerebatur. forma tamen Romanorum castrorum 9 constabat una ex spe, quod tribunos contagione furoris haud expertes seditionis defectionisque rati fore, & jura reddere 10 in principiis sinebant, & signum ab eis petebant, & in stationes ac vigilias in ordinem ibant: & ut vim imperii abstulerant, ita speciem dicto parentium ultro sibi imperantes servabant. Erupit deinde seditio, postquam reprehendere atque improbare tribunos ea, quæ fierent, & conari obviam ire, & propalam abnuere, furoris eorum se futuros socios, senserunt. Fugatis itaque ex principiis, ac paulo post è castris tribunis, ad principes seditionis, gregarios milites, C. Albium Calenum, & Atrium Umbrum, delatum omnium consensu imperium est. qui nequaquam tribuniciis contenti ornamentis, insignia etiam summi imperii, fasces securesque attrectare ausi: neque venit in mentem, suis tergis, suisque cervicibus virgas illas securesque imminere, quas ad metum aliorum præferrent. Mors Scipionis falso credita occæcabat animos: c sub cujus vulgatam mox famam non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello. in eo tumultu & sociis pecunias imperari, & diripi propinquas urbes posse. & turbatis rebus, quum omnia omnes auderent, minus insignia fore quæ ipsi fecissent.

XXV. Quum alios subinde recentes nuncios, non mortis modo, sed etiam funeris expectarent, neque superveniret quisquam, evanesceretque temere ortus rumor; tum primi auctores requiri cœpti. & 1 subtrahente se quoque, ut credidisse potius temere, quam finxisse rem talem videri posset; 2 destituti duces jam sua ipsi insignia, & pro vana imagine imperii quod gererent, veram justamque mox a in se versuram potestatem horrebant. 3 Stupente ita seditione, quum vivere primo, mox etiam

INTERPRETATIO.

c *Post cujus* (mortis) *rumorem sparsum*, seu *statim ac sparsa esset ea fama*.

a *Legitimam potestatem quæ in ipsorum capita mox recasura esset*.

NOTÆ.

9. *Constabat una ex spe.*] Freinshemius *una ex specie*: Gronov. *una ex parte*. Editorum lectio cum proxime sequentibus satis cohæret. Sed Freinshemiana non improbanda.

10. *In principiis.*] *Principia* erant eà parte Castrorum, in qua principes: via nempe quæ post Tribunorum Præfectorumque Tentoria, à dextra porta Castrorum ad lævam ducebat, quæ portæ inde principales dicebantur.

1. *Subtrahente se quoque.*] Ita unius literæ litura hunc locum sententiamque Gron. restituit, cùm anteà legeretur *subtrahentes se quoque*, inexplicabili sensu, qui nunc patet. Sic enim, cùm subtraheret se unusquisque, & auctorem se fuisse negaret rumoris ejus, (vulgati de morte Scipionis), sed tantùm accessisse ad numerum temerè credentium: tum Calenus & Umber seditionis auctores expavescere cœperunt.

2. *Destituti duces.*] Auctores nempe hi seditionis.

3. *Stupente ita seditione.*] Stupentem dicit metaphoricè pro retusâ & quasi hebetatâ.

Urb. Cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Caecilio Met.

valere Scipionem, certi auctores afferrent; tribuni militum septem, ab ipso Scipione missi supervenerunt. Ad quorum primum adventum exasperati animi: mox, ipsis placido sermone permulcentibus notos, cum quibus congressi erant; leniti sunt. circumeuntes enim tentoria primò, deinde in principiis praetorioque, ubi sermones inter se serentium [b] circulos vidissent, alloquebantur: percunctantes magis, quae caussa irae consternationisque subitae foret, quam factum accusantes. Vulgo *stipendium non datum ad diem* jactabatur: *& quum eodem tempore, quo* [4] *scelus Illiturgitanum extitisset, post duorum imperatorum, duorumque exercituum stragem, sua virtute defensum nomen Romanum, ac retenta provincia esset; Illiturgitanos poenam noxa meritam habere, suis factis gratiam qui exsolvat non esse*. Talia querentes *aequa orare*, *seque ea relaturos ad imperatorem*, respondebant. laetari, quod nihil tristius, nec insanabilius esset: & P. Scipionem, Deûm benignitate, & Rempublicam, [5] esse gratiae referendae. Scipionem bellis assuetum, ad seditionum procellas rudem, sollicitum habebat res; ne aut exercitus peccando, aut ipse puniendo, modum excederet. in praesenti aut coepisset, leniter agi placuit; & [c] missi circa stipendiarias civitates exactores, stipendii spem propinquam fecere. Edictum subinde propositum, *ut ad stipendium petendum convenirent Carthaginem*; [d] *seu carptim partes, seu universi mallent*. Tranquillam seditionem jam per se languescentem; repentina quies rebellantium Hispanorum fecit. redierant enim [6] in fines, omisso incoepto, Mandonius & Indibilis; postquam vivere Scipionem allatum est. [7] nec jam erat civis, aut externus, cum quo furorem suum consociarent. Omnia circumspectantes consilia, nihil reliqui habebant, [8] praeter non tutissimum à malis consiliis receptum, ut imperatoris vel justae irae, vel non desperandae clementiae sese committerent. etiam hostibus eum ignovisse, cum quibus ferro dimicasset. Suam seditionem sine vulnere, sine sanguine fuisse: nec ip-

INTERPRETATIO

b *Ubi caetus videbant* in orbem convenientium, & *colloquentium*.

c *Per populos* Romanis subjectos, atque *obnoxios stipendio*.

d *Sive* legiones cohortes, &c. *seorsim*; *sive totus simul exercitus*, &c.

NOTÆ.

4. *Scelus Illiturgitanum*.] Dicit Illiturgitanorum in Romanos proditionem, de qua lib. 27.

5. *Esse gratiae referendae.*] Esse idoneum Scipionem & rempublicam ad mercedem militibus persolvendam. Reipublicae nomine significatur Senatus populusque Romanus: unde nihil mirum ei quasi personae attribui quae propria hominum sunt.

6. *In fines*.] In patriam suam, Lacetaniam, &c.

7. *Nec jam erat*.] Haec & sequentia non ad Mandonium & Indibilem, de quibus proximè sermo; sed ad seditiosos milites Romanos referenda.

8. *Praeter non tutissimum*.] Ita optimi quique Codices, atque in his Regius; optimo sensu: neque enim solet crimen poenitentiâ aboleri. Vulgò legebatur, *praeter unum tutissimum*, quod verum non est: aut *praeter vulgatissimum*, quod, ut vitio careat, certè nihil habet elegantiae.

sam

ſam atrocem, nec atroci pœna dignam: ut ingenia humana ſunt ad ſuam cuique levandam culpam nimio plus facunda. Illa dubitatio erat, ſingulæne cohortes, an univerſi ad ſtipendium petendum irent. 9 inclinavit eo ſententia, quod tutius cenſebant, univerſos ire.

Urb. cond. an. 547. Coſſ. L. Vetur. Phil. & Q. Cæcilio Met.

XXVI. Per eoſdem dies, quibus hæc illi conſultabant, 1 conſilium de iis Carthagini erat: certabant ſententiis, utrum in auctores tantum ſeditionis (erant autem hi numero haud pluſquam quinque & triginta) animadverteretur, an plurium ſupplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis quam ſeditio eſſet. Vicit ſententia lenior, ut unde orta culpa eſſet, ibi pœna conſiſteret: a ad multitudinem caſtigationem ſatis eſſe. Conſilio dimiſſo, ut id actum videretur, expeditio adverſus Mandonium Indibilemque edicitur exercitui, qui Carthagine erat, & cibaria dierum aliquot parare jubentur. tribunis ſeptem, qui & antea Sucronem ad leniendam ſeditionem ierant, obviam exercitui miſſis, quina nomina principum ſeditionis edita ſunt. ut eos per idoneos homines, benigno vultu ac ſermone in hoſpitium invitatos, ſopitoſque vino vincirent. Haud procul jam Carthagine aberant, quum ex obviis 2 auditum, *poſtero die omnem exercitum cum M. Silano in Lacetanos proficiſci*; non metu modo omni, qui tacitus inſidebat animis, liberavit eos, ſed lætitiam ingentem fecit: quòd magis habituri ſolum imperatorem, quam ipſi futuri in poteſtate ejus eſſent. Sub occaſum ſolis urbem ingreſſi ſunt, exercitumque alterum parantem omnia ad iter viderunt. excepti ſermonibus de induſtria compoſitis: lætum opportunumque adventum eorum imperatori eſſe, quod ſub ipſam profectionem alterius exercitus veniſſent, corpora curant. A tribunis ſine ullo tumultu auctores ſeditionis per idoneos homines perducti in hoſpitia, comprehenſi ac vincti ſunt. Vigiliâ quartâ impedimenta exercitus, cujus ſimulabatur iter, proficiſci cœpere. ſub lucem ſigna mota, & ad portam retentum agmen; cuſtodeſque circa omnes portas miſſi, ne quis urbe egrederetur. Vocati deinde ad concionem qui pridie venerant, ferociter in forum ad tribunal imperatoris, ut ultro territuri ſucclamationibus, concurrunt. Simul & imperator in tribunal aſcendit: &

INTERPRETATIO.

a *Sufficere ad multitudinem* in officio continendam, *ſi caſtigatio* aliqua *exerceatur*.

NOTÆ.

9. *Inclinavit eò ſententia.*] Abeſt à melioribus Codicibus adverbium *eò*: idque Gron. probat, quaſi elegantius: mihi particula illa perſpicuam magis ſententiam reddere videtur.

1. *Conſilium de iis Carthagini erat.*] Aliquid apud Carthaginem fieri cum dicebant, utebantur dandi caſu, ut notat Serv. ad 4. Æn. ita Plaut. in Caſina: *Atego aio hoc fieri in Græciâ & Carthagini.* & Liv. lib.31. *Magnam partem rerum palàm Carthagini obverſari dici.*

2. *Auditum, poſtero die, &c. liberavit eos.*] Hoc eſt cum nunciatum eſſet, poſtero die, &c. hoc nuncio audito liberati ſunt metu. *Auditum* pro auditione ſeu re audita, quæ forma, noſtro ſæpe uſurpatur.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Caecilio Met.

reducti armati à portis inermi se concioni ab tergo circumfuderunt. tum omnis ferocia concidit: & ut postea fatebantur, nihil aeque eos terruit, quam praeter spem robur & color imperatoris, quem affectum visuros crediderant: vultusque, qualem ne in acie quidem ajebant meminisse. Sedit tacitus paulisper, donec nunciatum est, deductos in forum auctores seditionis, & parata jam omnia esse.

XXVII. Tum silentio per praeconem facto, ita coepit: *Nunquam mihi defuturam orationem quâ exercitum meum alloquerer, credidi. non quò verba unquam potius quam res exercuerim: sed quia prope à pueritia in castris habitus, assueveram militaribus ingeniis. ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui à patria vestra descistis: an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod Illergetes & Lacetani, optastis aliud, aut sperastis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem, regiae nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspicium & imperium ad* [1] *Umbrum Atrium, & Calenum Albium, detulistis. Negate vos id omnes fecisse, aut factum voluisse, milites: paucorum eum furorem atque amentiam esse. Libenter credam negantibus. nec enim ea sunt commissa,* [a] *quae vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint. Invitus ea tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta tractataque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullum locum in tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea. sic me non solùm adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris en meis (quantum me opinio fefellit?) fama mortis meae non accepta solùm, sed etiam expectata est. non quod ego* [b] *vulgari facinus per omnes velim (equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer: nec me vita juvaret invisa civibus & militibus meis) sed* MULTITUDO OMNIS, *sicut natura maris, per se immobilis est,* [2] *venti & aurae cient, ita aut tranquillum, aut procellae in vobis sunt: & causa atque origo omnis furoris penes auctores est: vos contagione insanistis. Qui mihi ne hodie quidem scire vi-*

INTERPRETATIO.

a *Quae si communia essent toti exercitui.*

b *Nolim tantum crimen in omnes spargi, eoque omnes esse contactos.*

NOTAE.

1. *Umbrum Atrium & Calenum Albium.*] *Atrium* scilicet ex Umbria, & *Albium* Calibus in Campania natum.

2. *Venti & aurae cient.*] Vulgò scriptum erat, *ut venti & aurae cient*: sed ablatâ particulâ *ut*; constat sententia, non moveri scilicet multitudinem, nisi excitetur à seditiosis, quemadmodum nec mare nisi à ventis impellatur. Locum Ciceronis pro Cluentio hic imitatus videri potest Livius; illius verba sic habent: *ut mare, quod suâ naturâ tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari; sic & populum Romanum suâ sponte esse placatum, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus concitari.*

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

demini, quo amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parentesq; ac liberos vestros, quid in Deos sacramenti testes; quid adversus auspicia, sub quibus militatis; quid adversus morem militiæ disciplinamque majorum; quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis. De me ipso taceo. temere potius, quam avide credideritis, denique ego sim, cujus imperii tædere exercitum, minime mirandum sit. patria quid de vobis meruerat, quam cum Mandonio & Indibili consociando consilia prodebatis? Quid populus Romanus, quum imperium ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines privatos detulistis? quum, [c] *eo ipso non contenti, si pro tribunis illos haberetis; fasces imperatoris vestri ad eos, quibus servus, cui imperarent, nunquam fuerat, Romanus exercitus detulistis. In prætorio tetenderunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit, signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali P. Scipionis: lictor apparuit:* [3] *submoto incesserunt: fasces cum securibus prælati sunt. Lapides pluere, &* [4] *fulmina jaci de cælo, & insuetos fœtus animalia edere, vos portenta esse putatis: hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus sine sanguine eorum, qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit.*

XXVIII. *Atque ego (quanquam nullum scelus rationem habet) tamen ut in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim.* [1] *Rhegium, quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit; propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romæ securi percussi sunt. Sed illi primùm, non Atrium Umbrum semilixam,* [2] *nominis etiam abominandi ducem; sed Decium Jubellium tribunum militum secuti sunt: nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis, hostibus populi Romani, se conjunxerunt, vos cum Mandonio atque Indibili consilia communicastis, & arma consociaturi fuistis. Illi, sicut* [3] *Campani Capuam Tuscis veteribus*

INTERPRETATIO.

c *Non contenti eos tribunorum loco constituisse,* (quod ipsum intolerabile erat) *insignibus etiam imperii decorastis.*

NOTÆ.

3. *Submoto incesserunt.*] Vulgares, *summovente eo incesserunt*: *eo* nempe lictore: sed in melioribus est *summoto incesserunt*: quam notabilem loquendi figuram probat Gron. ex Lapide apud Gruterum, *Lucum Deæ Diæ summoto ascenderunt*: eòque spectare videtur quod Plin. scribit lib.8. cap.46. de Api sacro bove Ægyptiorum, *cùm prorupit in cœtus, incedit summoto, grexque puerorum comitatur*. Itaque *summoto incedere magistratum* veteres dicebant, cum hi per turbam à præeuntibus lictoribus submotam irent: *submoto* subintelligitur *populo*, *cœtu*: ita Lactant. lib.6. cap. 1. divin. instit. *Stipati familiarium gregibus, per dimotum populum semper incedant*.

4. *Fulmina jaci.*] Non in eo portentum vertitur, quòd fulmina de cœlo cadant, sed quòd sacra, sanctave loca fulmine tangantur.

1. *Rhegium quondam.*] Huius perfidiæ meminit Epitome lib. 2. Vide & Diodori excerpta lib. 22. Strabon. lib.6. Valer. Max. lib.1. cap.7. Polyb. lib.1.

2. *Nominis etiam abominandi.*] Alludit ad nomen *Atrii*, quasi ab atro derivatum. *Atrum* enim pro funesto dicitur, ut atri dies, atra cupressus.

3. *Campani Capuam Tuscis .... ademptam.*] Imo Samnites Vulturnum urbem quam *Capuam* appellarunt. Vide lib. 4. cap.37. *Tuscorum* nomine intelligit incolas priores, qui Etrusci origine.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

cultoribus ademptam, [4] *Mamertini in Sicilia Messanen, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant: nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro lacessituri bello.* [5] *Sucronemne vos domicilium habituri eratis? ubi si vos decedens confectâ provinciâ imperator relinquerem, Deûm hominumque fidem implorare debebatis: quod nonrediretis ad conjuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meique* [6] *ejeceritis ex animis vestris.* [a] *Viam consilii scelerati, sed non ad ultimum dementis, exequi volo. Mene vivo, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die uno Carthaginem cepi; cum quo* [7] *quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia hominum,* [8] *minoris certe omnes pretii, quam Albius & Atrius sunt, quibus vos subjecistis, Hispaniam provinciam populo Romano erepturi eratis? Amolior & amoveo nomen meum. nihil, ultra creditam mortem meam, à vobis violatus sim. Quid? si ego morerer, mecum expiratura respublica, mecum casurum imperium populi Romani erat? nec istuc Jupiter Optimus Maximus sierit; urbem auspicato Diis auctoribus in æternum conditam fragili huic & mortali corpori* [b] *æqualem esse. Flaminio, Paullo, Graccho, Postumio Albino, M. Marcello, T. Quintio Crispino, C. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam præclaris imperatoribus uno bello absumptis, superstes est populus Romanus, eritque mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus. meo unius funere elata populi Romani esset Respublica? Vos ipsi hic in Hispania, patre & patruo meo, duobus imperatoribus interfectis, Septimum Marcium ducem vobis adversus exultantes recenti victoria Pœnos delegistis: & sic loquor, tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint. M. Silanus, eodem jure, eodem imperio mecum in provinciam*

INTERPRETATIO.

a *Lubet examinare & mente atque oratione prosequi rationem pessimi incœpti.*

b *Æquè caducam esse,* & mecum interituram.

NOTÆ.

4 *Mamertini in Sicilia.*] Narrat lib. I. Polyb. Campanos (qui ex Samnitibus orti) cum sub Agathocle mererent, Messanæ pulchritudine captos, eam urbem specie amicitiæ ingressos, cæsis magnam partem incolis, occupasse. Mamertinorum nomen à Marte, qui eorum lingua Mamers, ut sumpserint, tradit Festus Pomp.

5. *Sucronemne.*] Nomen est non jam fluminis, sed & oppidi paulò supra fluvii Ostia positi. Nunc *Cullera* dici volunt, inter Valentiam & Gandiam. Sed videbatur exercitus ille propiùs fontes Sucronis fl. castrametatus, ibi seditionem movisse.

6. *Ejeceritis ex animo.*] Vulgò *ejeceratis:* quod primâ fronte arridet: verùm elegantiùs tamen aut fortiùs *ejeceritis*, ut habent optimi: est enim concessionis amarulentæ species, quasi dicat, *esto, ejeceritis ex animo.*

7. *Quatuor Imperatores:*] Asdrubalem & Magonem Annibalis fratres: Asdrubalem alium Gisgonis filium, & Hannonem, qui Asdrubali profecto in Italiam successerat.

8. *Minoris certè omnes pretii.*] Vul. lectio est *majoris certè omnes:* quod rectum esset, si ex animi sui sententia Scipio loqueretur: at nunc illa octo hominum millia deprimere vult, ut ostendat nullius eos momenti esse, si cum universis copiis comparentur. Deinde eis ingeniosè exprobrat, quòd in seditione sese indignis subjecerit.

missus, L. Scipio frater meus, C. Lælius legati vindices majestatis imperii deessent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an caussa comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis, [9] arma cum Pœnis contra patriam, contra cives vestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem urbi Romæ imperare velletis?

Urb. Cond. Ann. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcil. Met.

XXIX. *Quam ob noxam patriæ? Coriolanum quondam damnatio injusta, miserum & indignum exilium, [1] ut iret ad oppugnandam patriam, impulit: revocavit tamen à publico parricidio [2] privata pietas. Vos qui dolor, quæ ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis imperatore ægro serius numeratum, satis digna caussa fuit, cur patriæ indiceretis bellum? cur ad Illergetes desciscereitis à populo Romano? cur nihil divinarum humanarumve rerum inviolatum vobis esset? Insanistis profectò milites: nec major in corpus meum vis morbi, quam in vestras mentes invasit. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid speraverint, quid optaverint. [a] Auferat omnia irrita oblivio, si potest: si non, utcumque silentium tegat. Non negaverim, tristem atrocemque vobis visam orationem: quanto creditis facta vestra atrociora esse, quam dicta mea? & me ea quæ fecistis, pati æquum censetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo ferretis? Sed ne ea quidem ipsa ultrà exprobrabuntur. utinam tam facile vos oblivisçamini eorum, quam ego oblivisçar. Itaque quod ad vos universos attinet, si erroris pœnitet, satis superque pœnarum habeo. Albius Calenus, & Atrius Umber, & ceteri nefariæ seditionis auctores, sanguine luent quod admiserunt. Vobis supplicii eorum spectaculum non modo non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens rediit, debet esse. de nullis enim quam de vobis [b] infestiùs, [3] aut inimiciùs consuluerunt.* Vix finem dicendi fecerat, quum ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus, qui coronâ concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit. præconis audita vox citantis nomina damnatorum in consilio. Nudi in medium protrahebantur. & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. deligati ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi, adeo torpentibus metu, qui aderant; ut non modo ferocior vox adversus atrocitatem pœnæ, sed ne gemitus quidem exaudiretur. Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco, citati milites

INTERPRETATIO.

a *Oblivio hæc omnia in irritum deducat & aboleat.*

b *Infestiore animo de rebus vestris consultarunt*, aut *pejus vobis consuluerunt*.

NOTÆ.

9. *Arma contra patriam,*] Sigon. legit, *arma tamen cum Pœnis contra patriam*: alii aliter. Gron. legendū censet, *arma impia in patriam, contra cives vestros ferretis.*

1. *Ut iret ad oppugnandam patriam.*] Put. *ut irata ad oppugnandum*: ex quo auguratur Gron. *ut ab ira ad oppugnandam patriam impulit*. Ego, si quid corrigendum videatur, hanc scripturam antepofuerim, *& ira ad oppugnandam patriam impulit*,

2. *Privata pietas.*] Charitas nempe in matrem, uxorem, liberos.

3. *Aut inimiciùs.*] Ita nonnulli antiquorum: at Sigon. *iniquiùs* Muret. *immitiùs*: haud magno ad sensum discrimine.

Vrb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

nominatim apud tribunos militum, in verba P. Scipionis jurarunt, stipendiumque ad nomen singulis persolutum. Hunc finem exitumque seditio militum cœpta apud Sucronem habuit.

XXX. Per idem tempus ad Bætim fluvium Hanno præfectus Magonis missus Gadibus, cum parvâ manu Afrorum, mercede Hispanos solicitando, ad quatuor millia juvenum armavit. castris deinde exutus ab L. Marcio, maxima parte militum inter tumultum captorum castrorum, quibusdam etiam in fuga amissis, palatos persequente equite, cum paucis ipse effugit. Dum hæc ad Bætim fluvium geruntur, Lælius interim freto in Oceanum evectus, [1] ad Cartejam classe accessit. Urbs ea in ora Oceani sita est, ubi primum è faucibus angustis panditur mare. [2] Gades sine certamine per proditionem recipiendi, ultro qui eam rem pollicerentur, in castra Romana venientibus, spes, sicut antè dictum est, fuerat. sed patefacta immatura proditio est; comprehensosque omnes, Mago Adherbali prætori Carthaginem devehendos tradit. Adherbal conjuratis in quinqueremem impositis, præmissaque ea, quia tardior quam triremis erat, ipse cum octo triremibus modico intervallo sequitur. Jam fretum intrabat quinqueremis, cum Lælius & ipse in quinqueremi è portu Carteja, sequentibus septem triremibus evectus, in Adherbalem ac triremes invehitur, quinqueremem satis credens deprehensam rapido in freto [a] in adversum æstum reciprocari non posse. Pœnus in re subita parumper incertus trepidavit, utrum quinqueremem sequeretur, an in hostes rostra converteret. Ipsa cunctatio facultatem detrectandæ pugnæ ademit. jam enim sub ictu teli erant, & undique instabant hostes. æstus quoque arbitrium moderandi naves ademerat: neque erat navali pugna similis: quippe ubi nihil voluntarium, nihil artis aut consilii esset. Una natura freti, æstusque totius certaminis potens, suis, alienis navibus nequicquam remigio in contrarium tendentes invehebat, ut fugientem videres [3] retro vertice intor-

INTERPRETATIO.

a *Non posse retro converti contra æstum* Oceani.

NOTÆ.

1. *Ad Cartejam.*] Duplicem video in Hispania *Cartejam* annotari à Sansone: alteram Olcadum qui pars Celtiberorum ponuntur, inter Tagum & Sucronem fluvios, ad Occasum Valeriæ, ubi nunc *Horcalada*: ad quam pertinere possunt quæ lib. 21. cap. 5. referuntur: alteram Turdulorum ad fretum Gaditanum, *ubi primùm è faucibus angustis panditur mare*: quod de Oceano si accipias, in cujus ora noster *Cartejam* ponit; tum Carteja eadem erit cum urbe quæ nunc *Tarifa*. Si verò freti eam partem intelligas quæ panditur versus mediterraneum, *Carteia* erit *Algezira*, vel *Gibraltar*, sub Calpe quem Arabes Tarici montem dixere, vulgò *Gebal-TariK*. Atque hæc sententia Plinii ac Ptolemæi descriptione firmari videtur. Melæ descriptio Tarifæ convenit.

2. *Gades.*] De Gadibus Insula, atque urbe Punicæ originis ultra Herculis columnas, quæ Hispaniæ continenti ponte juncta, nunc quoque commercio dives, *Cadiz* appellatur, dictum ad lib. 21.

3. *Retro vertice intortam.*] Num potiùs, *vortice intortam*: vortex enim dicitur de mari sive fluctu in gyrum contorto, quod hic vult, ni fallor, Livius; *vertex* verò de turbine seu vento rotato. Virg. *Et rapidus vorat æquore vortex.*

Urb. cond. ann. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

tàm victricibus illatam: & sequentem, si in contrarium tractum, incidisset maris, fugientis modo sese avertentem. Jam in ipsa pugna hæc quum infesto rostro peteret hostium navem, obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat: illa quum transversa objiceretur hosti, repente intorta in proram circumagebatur. Quum inter triremes, fortuna regente, anceps prælium misceretur; quinqueremis Romana, seu pondere tenacior seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes suppressit, 4 unius prælata impetu lateris alterius remos detersit; cæterasque, quas indepta esset, 5 mulcasset, ni cum reliquis quinque navibus Adherbal velis in Africam transmisisset.

XXXI. Lælius victor Cartejam revectus, auditis quæ acta Gadibus erant, patefactam proditionem, conjuratosque missos Carthaginem; spem ad irritum redactam, 1 qua venissent: nunciis ad L. Marcium missis, nisi terere frustra tempus sedendo ad Gades vellent, redeundum ad imperatorem esse; assentiente Marcio paucos post dies ambo Carthaginem rediere. Ad quorum discessum non respiravit modo Mago, quum terra marique ancipiti metu urgeretur; sed etiam audita rebellione Illergetum, spem recuperandæ Hispaniæ nactus, nuncios Carthaginem mittit ad senatum: qui simul seditionem civilem in castris Romanis, simul defectionem sociorum in majus verbis extollentes, hortarentur, ut auxilia mitterent, quibus traditum à patribus imperium Hispaniæ repeti posset. Mandonius & Indibilis in fines regressi, paulisper dum, quidnam de seditione statueretur, scirent, suspensi quieverunt; si civium errori ignosceretur, non diffidentes sibi quoque ignosci posse; postquam vulgata est atrocitas supplicii, suam quoque noxam pari pœna æstimatam rati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque, quæ ante habuerant, auxiliis, in Sedetanum agrum, ubi principio defectionis stativa habuerant, cum viginti millibus peditum, duobus millibus equitum quingentis, transcenderunt.

XXXII. Scipio 1 cum fide solvendi pariter omnibus noxiis

NOTÆ.

4. *Unius prælata.*] Adherbal præter quinqueremem, quâ vehebantur conjurati Gaditani, in Africam otto triremibus navigabat: ex his in conflictu amisit duas, suppressas seu demersas à Romana quinqueremi, quæ aliam prætereà male habuit; nam *prælata*, id est, prætervecta magno impetu, remos triremis, qui ab uno latere erant, confregit.

5. *Mulcasset.*] Apud Isidorum in Glossis *mulcare* est *pugnis vel calcibus cædere*. Et *commulcare*, est *conculcare*, collidere. Vult itaque Liv. futurum ut quinqueremis Lælii reliquas Adherbalis naves, quotquot adipisci potuisset, laceraret mutilaretque; nisi hic fugâ sibi consuluisset.

1. *Quâ venissent.*] Inanem nempe jam esse spem potiundi Gadibus per proditionem, quâ spe adducti eò venerant.

1. *Cum fide solvendi . . . stipendii.*] *Cum* est conjunctio distinguens, & respondet particulæ *tum*. Sententia est reconciliatos à Scipione animos militum, partim data præstitave fide solvendi omnibus stipendii, partim placido in eos vultu ac sermone. Gron. tamen mavult *Scipio cum fide solvendo pariter omnibus innoxiis noxiisque stipendio, cum*, &c. ut particula *cum* sit præpositio regens nomen *fide*.

Urb. Cond. ann. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

innoxiisque stipendii, tum vultu ac sermone in omnes placato, facile reconciliatis militum animis, priusquam castra ab Carthagine moveret, concione advocata, multis verbis in perfidiam rebellantium regulorum invectus, *nequaquam eodem animo se ire* professus est *ad vindicandum id scelus, quo civilem errorem nuper sanaverit. Tum se haud secus quam viscera secantem sua, cũ gemitu & lachrymis triginta hominum capitibus expiasse octo millium seu imprudentiam, seu noxam: nunc læto & erecto animo ad cædem Illergetum ire. Non enim eos, neque natos in eadem terra, nec ulla secum societate junctos esse;* [2] *eam, quæ sola fuerit, fidei, atque amicitiæ ipsos per scelus rupisse. In exercitu suo se, præterquam quod omnes cives, aut socios, Latinique nominis videat, etiam eo moveri; quod nemo fere sit miles, qui non aut à patruo suo Cn. Scipione, qui primus Romani nominis in eam provinciam venerit, aut à patre consule, aut à se sit ex Italia advectus. Scipionum nomini auspiciisque omnes assuetos, quos secum in patriam ad meritum triumphum deducere velit: quos consulatum petenti, velut si omnium communis agatur honos, affuturos speret.* [a] *Quod ad expeditionem attineat, quæ instet; immemorem esse rerum suarum gestarum, qui id bellum ducat. Magonis hercule, sibi, qui extra orbem terrarum in circumfusam Oceano Insulam cum paucis perfugerit navibus, majorem curam esse, quam Illergetum. quippe illic & ducem Carthaginiensem, & quantumcunque Punicum præsidium esse: hic latrones, latronumque duces. quibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaque urenda, & rapienda pecora, aliqua vis sit; ita in acie ac signis collatis* [3] *nullam esse. magis velocitate ad fugam, quam armis fretos, pugnaturos esse. Itaque non quod ullum inde periculum, aut semen majoris belli videat, ideo se priusquam provincia decedat, opprimendos Illergetes duxisse: sed primum, ne impunita tam scelerata defectio esset; deinde,* [b] *ne quis in provincia simul virtute tanta & facilitate perdomita relictus hostis dici posset. Proinde Deis bene juvantibus sequerentur, non tam ad bellum gerendum (neque enim cum pari hoste certamen esse) quam ad expetendas ab hominibus scelestis pœnas.*

XXXIII. [a] Ab hac oratione dimissos, ad iter se comparare in diem posterum jubet, profectusque, decimis castris pervenit ad Iberum flumen. Inde superato amni, die quarto in conspectu hostium posuit castra. [1] Campus antè

INTERPRETATIO.

a *Quod attinet ad expeditionem* susceptam in Mandonium & Indibilem, *si quis eam habuerit pro bello,* sive si quis existimaverit propriè eam bellum esse dicendum, illum *oblitum esse oportere rerum, quas ipse in Hispania gesserit.*

b *Ne dici possit hostem ullum relictum esse in Provincia, quam tanta fortitudine tantâque pariter felicitate ipse perdomuerit.*

a *Post hunc sermonem ad milites habitum.*

NOTÆ.

2. *Eam.*] Societatem, non ejusdem patriæ, sed amicitiæ, ac datæ fidei nomine, violatam esse ab Illergetibus ipsis.

3. *Nullam esse.*] Nempe vim.

1. *Campus antè.*] Intellige ante castra, sive à fronte castrorum, ut lib. 27. *fluvius ab tergo, antè, circaque, vel ut ripa praeceps oram ejus* (tumuli) *omnem cingebat.* Alias, *Campus autem montibus circumseptus.*

monti-

montibus circa septus erat . in eam vallem Scipio quum pecora rapta pleraque ex hostium agris, propelli ad irritandam feritatem barbarorum jussisset; velites subsidio misit. à quibus ubi per procursationem commissa pugna esset, Lælium cum equitatu impetum ex occulto facere jubet. Mons opportune prominens equitum insidias texit: nec ulla mora pugnæ facta est. Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos prædâ occupatos incurrere. Primo missilibus territavere: deinde emissis levibus telis, quæ irritare magis quam decernere pugnam poterant, gladios nudant, & 2 collato pede res cœpta geri est: ancepsque pedestre certamen erat, nisi equites supervenissent. neque ex adverso tantum illati obvios obtrivere, sed circumvecti etiam quidam per infima clivi ab tergo se, ut plerosque intercluderent, objecere: majorque cædes fuit, quam quantam edere levia per excursiones prælia solent. Ira magis accensa adverso prælio barbaris est, quam imminuti animi. itaque ne perculsi viderentur, prima luce postero die in aciem processere. Non capiebat omnes copias angusta, sicut ante dictum est, vallis: duæ ferme peditum partes, omnis equitatus in aciem descendit. quod reliquum peditum erat, 3 obliquo constituerunt colle. Scipio b pro se esse loci angustias ratus; & quod in arcto pugna Romano aptior quam Hispano militi futura videbatur; & c quod in eum locum detracta hostium acies esset, qui non omnem multitudinem eorum caperet: d novo etiam consilio adjecit animum: equitem nec se posse circumdare cornibus in tam angusto spatio; & hosti quem cum pedite eduxisset, inutilem fore. Itaque imperat Lælio, ut per colles quam occultissimo itinere circumducat equites, segregetque, quantum possit, equestrem à pedestri pugna. Ipse omnia signa peditum in hostes vertit: quatuor cohortes in fronte statuit, quia latius pandere aciem non poterat. Moram pugnandi nullam fecit, ut ipso certamine averteret ab conspectu transeuntium per colles equitum. neque ante circumductos sensere, quam tumultum equestris pugnæ ab tergo accepere. Ita duo diversa prælia erant: duæ peditum acies, duo equitatus per longitudinem campi (quia misceri ex genere utroque prælium angustiæ non patiebantur) pugnabant. Hispanorum,

Urb. cond. ann. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Metel.

INTERPRETATIO.

b *Sibi commodas esse putans angustias.*
c *Eò pertracta hostiles copiæ forent, &c.*
d *Præterea novum ei consilium in mentem venit;* cum videret, *Nec se in arcto adeo spatio posse uti equitatu suo,* ut *latera peditum hinc atque inde tueretur: & hostium* equitatum, *qui jam* unà *cum peditibus* in aciem *ab iis eductus erat, nulli eis usui fore.*

NOTÆ.

2. *Collato pede res cœpta geri est, ancepsque certamen erat.*] Meliores habent, *collato pedestre certamen erat,* prætermissis quæ in medio. Hinc conjicit Gronov. scribendû, *collato pede acre certamen erat.*

3. *Obliquo constituerunt colle.*] Vulgò est, *constiterunt,* sensu parùm diverso. Vult, Hispanorum equitum partem, quam frons aciei non capiebat, locatam in colle, qui ex transverso ferret in prælii locum,

Urb. cond. an. 547. Coſſ. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Metel.

quum neque pedes equiti, nec eques pediti auxilio eſſet; pedes fiduciâ equitis temere commiſſus campo cæderetur, eques circumventus [4] nec peditem à fronte (jam enim ſtratæ pedeſtres copiæ erant) nec ab tergo equitem ſuſtineret, & ipſi quum diu in orbem ſeſe ſtantibus equis defendiſſent, ad unum omnes cæſi ſunt: nec quiſquam peditum equitumque ſuperfuit, qui in valle pugnaverunt. Tertia pars, quæ in colle ad ſpectaculum magis tutum, quam ad partem pugnæ capeſſendam ſteterat, & locum & tempus ad fugiendum habuit. inter eos & reguli ipſi fugerunt, priuſquam tota circumveniretur acies, inter tumultum elapſi.

XXXIV. Caſtra eadem die Hiſpanorum præter cæteram prædam cum tribus ferme millibus hominum capiuntur. Romani ſociique ad mille ducentos eo prælio ceciderunt: vulnerata amplius tria millia hominum. minus cruenta victoria fuiſſet, ſi patentiore campo, & ad fugam capeſſendam facili foret pugnatum. Indibilis abjectis belli conſiliis, nihil tutius afflictis rebus experta fide & clementia Scipionis ratus, [1] Mandonium fratrem ad eum mittit: qui advolutus genibus *fatalem rabiem temporis ejus* accuſat, *quum velut contagione quadam peſtifera, non Illergetes modo & Lacetani, ſed caſtra quoque Romana inſanierint. Suam quidem & fratris, & reliquorum popularium eam conditionem eſſe; ut aut ſi ita videatur,* [a] *reddant ſpiritum P. Scipioni, ab eodem illo acceptum; aut ſervati bis uni debitam vitam pro eo in perpetuum devoveant. Antea* [2] *in cauſa ſua fiduciam ſibi fuiſſe, nondum expertâ clementiâ ejus: nunc contrà, nullam in cauſſa, omnem in miſericordia victoris ſpem repoſitam habere.* Mos vetuſtus erat Romanis, cum quo nec fœdere nec æquis legibus jungerentur amicitiâ, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dediđiſſet: obſides accepti, arma adempta, præſidia urbibus impoſita forent. Scipio multis invectus in præſentem Mandonium, abſentemque Indibilem verbis, *illos quidem meritò periſſe ipſorum maleficio*, ait: *victuros ſuo atque populi Romani beneficio. Cæterùm, ſe neque arma iis adempturum (quippe ea pignora timentium rebellionem eſſe, ſed libera arma relinquere, ſolutoſque metu animos. Neque ſe in obſides innoxios, ſed in ipſos, ſi defecerint, ſæviturum: nec ab inermi, ſed ab armato hoſte pœnas expetiturum. Utranque fortunam expertis permittere ſeſe, utrùm propitios, an iratos habere Romanos mallent.* Ita dimiſſus Mandonius:

INTERPRETATIO.

a *Vitam committant* & ſubjiciant.

NOTÆ.

4. *Nec peditem à fronte.*] Romanum ſcilicet peditatum, qui fuſo Hiſpanico peditatu in equitatum hoſtilem invehebatur.

1. *Mandonium fratrem.*] Alium puto à Mandonio Regulo, cujus antè Livius meminit: cùm enim Mandonius ille in eadem cum Indibili culpa eſſet, non videtur aptior fuiſſe ad mitigandum victorem Scipionem, ut rectè Glar. conjicit: deinde Mandonius prior nullibi frater Indibilis fuiſſe indicatur.

2. *In cauſa ſua.*] In defendendæ ſcilicet patriæ ſuæ ſtudio.

pecunia tantummodo imperata, 3 ex qua stipendium militi præstari posset. Ipse Marcio in ulteriorem Hispaniam præmisso, Silano Tarraconem remisso, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Illergetes pernumerarent, cum expeditis Marcium jam appropinquantem Oceano assequitur. Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Metel.

XXXV. Inchoata res jam antè 1 de Masanissa, aliis atque aliis de caussis dilata erat, quod Numida cum ipso utique congredi Scipione volebat, atque ejus dextrâ fidem sancire. ea tum itineris tam longi ac tam devii caussa Scipioni fuit. Masanissa quum Gadibus esset certior adventare eum à Marcio factus, caussando corrumpi equos inclusos in insula, penuriamque omnium rerum & facere cæteris, & ipsos sentire, ad hoc equitem marcescere desidia; Magonem perpulit, ut se trajicere in continentem ad depopulandos proximos Hispanos agros pateretur. Transgressus, tres principes Numidarum præmittit, ad tempus locumque colloquio statuendum: duos pro obsidibus retineri à Scipione jubet; remisso tertio, qui, quo jussus erat, adduceret Masanissam: cum paucis in colloquium venerunt. Cœperat jam ante Numidam ex fama rerum gestarum admiratio viri: substitueratque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam. cæterùm major præsentis veneratio cœpit: & præterquam quod suapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris; & ætas in medio virium robore, quod plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventæ faciebat. Prope attonitus ipso congressu Numida, *gratias de fratris filio remisso agit. Ex eo tempore* affirmat, *eam se quæsisse occasionem, quam tandem oblatam Deûm immortalium beneficio non omiserit. Cupere se illi populoque Romano operam navare ita, ut nemo unus externus magis enixe adjuverit rem Romanam. Idse, etiamsi jampridem vellet, minus præstare in Hispania, terra aliena atque ignota, potuisse: in qua autem genitus educatusque in spem paterni regni esset, facile præstaturum. Siquidem eundem Scipionem ducem in Africam mittant Romani,* a *satis sperare perbrevis ævi Carthaginem esse.* Lætus eum Scipio vidit audivitque, b quum caput rerum in omni hostium equitatu Masanissam fuisse sciret, & ipse juvenis specimen animi præ se ferret. Fide data acceptaque, profectus retro Tarraconem est. Masanissa permissu

INTERPRETATIO.

a *Omnino credere & augurari non posse diu durare Carthaginem.*
b *Principem omnium in rebus gerendis fuisse inter equites Masanissam.*

NOTÆ.

3. *Ex qua stipendium militi.*] In optimis scriptum est, *ex qua præsidium militi*: inde Gronovio venit in mentem, *ex qua residuum militi* præstari posset, ut subaudiatur *stipendium*, quod adhuc militibus debebatur: sed & *præsidium* de vestibus aliisque militum commodis intelligi nihil vetat.

1. *De Masanissa.*] Conciliando Romanis, quod inchoatum fuerat fratris filio remisso.

Urb. cond. ann. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

Romanorum, ne sine caussa trajecisse in continentem videretur; populatus proximos agros, Gades rediit.

XXXVI. Magoni desperatis in Hispania rebus, in quarum spem seditio primum militaris, deinde defectio Indibilis animos ejus sustulerant, paranti trajicere in Africam, nunciatum ab Carthagine est, jubere senatum, ut classem quam Gadibus haberet, in Italiam trajiceret: conductâ ibi Gallorum ac Ligurum quanta maxima posset juventute, conjungeret se Annibali; neu senescere bellum maximo impetu, majore fortuna cœptum sineret. Ad eam rem & à Carthagine pecunia Magoni advecta est: & ipse quantam potuit à Gaditanis exegit: non ærario modò eorum, sed etiam templis spoliatis, & privatim omnibus coactis aurum argentumq; in publicum conferre. Quum præterveheretur Hispaniæ oram, haud procul Carthagine Nova expositis in terram militibus, proximos depopulatus agros, inde ad urbem classem appulit. ibi quum interdiu milites in navibus tenuisset, nocte in litus expositos ad partem eam muri, qua capta Carthago ab Romanis fuerat, ducit: nec præsidio satis valido urbem teneri ratus, & aliquos oppidanorum ad spem novandi res aliquid moturos. Cæterùm nuncii ex agris trepidi, simul populationem agrestiumque fugam & hostium adventum attulerant: & visa interdiu classis erat, nec sine caussa electam ante urbem stationem apparebat. itaque [1] instructi armatique, intra portam ad stagnum ac mare versam, continebantur. Ubi effusi hostes, [2] mixta inter milites navali turba, ad muros tumultu majore quam vi subjerunt, patefacta repente porta, Romani clamore erumpunt: turbatosque hostes, & ad primum incursum conjectumque telorum aversos, usque ad litus cum multa cæde persequuntur. nec nisi naves litori appulsæ trepidos accepissent, superfuisset pugnæ aut fugæ quisquam. In ipsis quoque trepidatum navibus est, [a] dum, ne hostes cum suis simul irrumperent, trahunt scalas, orasque, & anchoras, ne in moliendo mora esset, præcidunt. multique adnantes navibus, [b] incerto præ tenebris quid aut peterent aut vitarent, fœde interierunt. Postero die quum classis inde retro ad Oceanum, unde venerat, fugisset, [3] ad octingentos ho-

INTERPRETATIO.

a *Cum scalas* ad se in naves *traxissent* Pœni, *ne* in eas simul *cum suis per vim intrarent Romani, rupissentque nautico funes,* quibus ad terram naves religatæ erant, *ne facienda mora esset in avellendis anchoris.*

b *Cum ob tenebras incertum esset.*

NOTÆ.

1. *Instructi armatique.*] Romani, qui apud Carthaginem novam.

2. *Mixtâ inter milites navali turbâ.*] Etsi in scriptorum plerisque habeatur *navalis turba*, quod per epexegesim seu appositionem dici potest; non displicet tamen vulgata lectio intellectu facilior per auferendi casum.

3. *Ad octingentos homines cæsi inter murum litusque.*] Qui diutiùs in terra morati classem assequi non potuerant, hi postero die trucidati. De numero inter omnes constat. Sed illum alii aliter exprimunt. In scriptis aliquibus legitur *ad octingenti*, quod tuetur Gron. exemplis jam antè adductis lib. 10. cap. 17. Verum

fines cæsi inter murum litusque, & ad duo millia armorum inventa. Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Metel.

XXXVII. Mago quum Gadeis repetisset, exclusus inde [1] ad Cimbim (haud procul à Gadibus is locus abest) classe appulsa, mittendis legatis, querendoque quod portæ sibi & socio atque amico clausæ forent, purgantibus iis, multitudinis concursu factum infestæ ob direpta quædam abs conscendentibus naves militibus, ad colloquium [2] Suffetes eorum, qui summus Pœnis est magistratus, cum quæstore elicuit, laceratosque verberibus cruci affigi jussit: inde navibus [3] ad Pityusam insulam, centum millia ferme à continenti (Pœni tum eam incolebant) trajecit: itaque classis bona cum pace accepta est, nec commeatus modo benigne præbiti, sed in supplementum classis juventus armaque data. quorum fiducia Pœnus in Baleares Insulas (quinquaginta inde millia absunt) transmisit. Duæ sunt Baleares, major altera atque opulentior armis virisque: [4] & portum habet, ubi commode hibernaturum se (& jam extremum autumni erat) credebat. cæterum haud secus quam si Romani eam insulam incolerent, hostiliter classi

NOTÆ.

centenarius ibi numerus semper millenarium sequitur; ita ut præpositio *ad* regere videatur *mille* vel *millia*, adjectis centenis: verbi causa hæc loquendi forma, *ad duo millia trecenti*, sic accipi potest, ac si dicas trecenti supra duo millia. Eadem ratione *ad mille quingenti*, dicitur, quasi sit quingenti ultra mille: denique *ad quatuor millia hominum & quingenti*: erunt quingenti & usque ad quatuor millia. Sic non *trecenti*, vel *quingenti* in nominandi casu; sed *mille* vel *millia* in accusativo pendebunt à præeunte particula *ad*. Quod autem quædam membranæ scribunt, *ad octingentos*, parum movere debet. Pleræque numerales tantùm notas habent DCCC. quas librarium aliquem casu non suo reddidisse nominis, mirabitur nemo in his vel tantillum versatus.

1. *Ad Cimbim.*] Alii habent *ad Ambros*, alii ad *Cimbios*, Vossius jubet legi *ad Cuneos*: & Cuneum agrum Mela memorat; & Cunei quoque Lusitaniæ promontorii meminit Plinius lib. 4. c. 22. Cuneumque dici Latinis regionem sacro promontorio adjacentem agnoscit Strabo initio lib. 3. ubi nunc scilicet *Algarbia* regni Portugallici pars Meridionalis. Sed locum hic nominat Livius, non regionem, aut promontorium: & locum Gadibus proximum. Vide an Ambros detorserint Librarii ex *Ebora*: quo nomine castellum in litore ad sinum portûs Gaditani nominat Mela lib. 3. cap. 1. quod nunc *Rota* existimatur: vel *Olitingin*, aut *Onoban* oppida maritima ad sinum, qui inter Bætis atque Anæ ostia interjacet eidem Melæ nominata, mutaverint in *Cimbim* aut *Cimbios*; Onoba quidem Melæ, *Ossenoba Lusturia* Plinio, & Ptolemæo dicta, ultra Bætim eo loco fuisse putatur à Sansone, ubi *las arenas gordas*. At *Olitingis* circa *Higuera*, vel *Palos* fuerit oportet.

2. *Suffetes.*] Ex Hebræo deductum nomen, quâ lingua *Schofet*. שפט Judicem sigificat: Gaditani autem, ex Phœnicia orti non minùs quàm Carthaginenses, communem cum his sermonem Hebraico affinem habebant.

3. *Ad Pityusam.*] Duæ sunt ejus nominis insulæ inter Baleares & continentem Hispaniæ: major, quæ hic Pityusæ nomine intelligenda, *Ebusus*, nunc *Yviça*: minor *Ophiusa*, vulgò *Fermentara*.

4. *Et portum habet.*] Imò portus duos habet Balearis major, quæ vulgò Majorica: ad Palmam, quæ urbs caput insulæ versus Occasum, hodie *Mallorca*: & *Pollentiam* quæ Ortum versus, nunc quoque *Pollença*. De Balearibus dictum lib. 22.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcil. Metello.

occursum est. Fundis nunc plurimum, ita tunc solo eo telo utebantur: nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte, quantum inter alios omnes Baleares excellunt. itaque tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo in propinquantem jam terræ classem effusa est, ut intrare portum non ausi, averterent in altum naves. In minorem inde Balearium insulam trajecerunt, fertilem agro; viris, armisque haud æque validam. Itaque egressi navibus, supra portum loco munito castra locant: ac sine certamine 5 urbe agroque potiti, duobus millibus auxiliarium inde conscriptis, missisque Carthaginem ad hibernandum, a naves subduxerunt. Post Magonis ab Oceani ora discessum, Gaditani Romanis deduntur.

XXXVIII. Hæc in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque gesta. Ipse, L. Lentulo & L. Manlio Acidino provinciâ traditâ, decem navibus Romam rediit. & senatu extra urbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hispania gessisset, disseruit: quoties signis collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset, quas gentes in ditionem populi Romani redegisset: adversus quatuor se imperatores, quatuor victores exercitus in Hispaniam isse: neminem Carthaginiensem in iis terris reliquisse; Ob has res gestas magis tentata est triumphi spes, quam petita pertinaciter: quia neminem ad eam diem triumphasse, 1 qui sine magistratu res gessisset, constabat. Senatu misso, urbem est ingressus, argentique præ se in ærarium tulit 2 quatuordecim millia pondo CCCXLII. & signati argenti magnum numerum. Comitia inde creandis consulibus habuit L. Veturius Philo: centuriæque omnes ingenti favore P. Scipionem consulem dixerunt. collega additur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus. Cæterum comitia majore, quam ulla per id bellum celebrata frequentiâ, proditum memoriæ est. Convenerant undique non suffragandi modo, sed etiam spectandi

INTERPRETATIO.

a *In portum receptas tutâ locarunt in statione.*

NOTÆ.

5. *Urbe agroque.*] Urbs Minoris Balearis *Jamno* dicebatur, hodie *Citadela*.

1. *Qui sine Magistratu res gessisset.*] Pub. Scipio in Hispaniam privatus cum imperio missus fuerat, resque ibi præclarè gesserat; sed sine magistratu: quæ duo diversa erant; neque eodem tempore mandabantur, ut alibi quoque est observatum. Nam Magistratus quidem, ut Consulatus & Prætura, Centuriatis comitiis primùm deferebatur; deinde Provincia cum imperio comitiis Curiatis: & aliquando privatis extra ordinem mandabatur imperium, si tempora Reipublicæ poscerent; sed plerunque prorogabatur Consulibus & Prætoribus, postquàm magistratu abiissent, anno suo scilicet expleto. Hi tunc pro consulibus & pro prætoribus rem gerebant; & provinciam bellumque administrabant. Ex hoc autem genere Q. Publius Philo primus pro consule triumphaverat, prororogato scilicet ex magistratu imperio, sed hoc tempore nondum receptum erat, ut triumphus iis decerneretur, qui privati extra ordinem rem gessissent. Plura hic de his Sigonius.

2. *Quatuordecim millia pondo cccxlii.*] Hoc est librarum Francicarum 386712.

causâ P. Scipionis. concurrebantque & domum frequentes, & in Capitolium ad immolantem eum, quum centum bobus votis in Hispania Jovi sacrificaret: 3 spondebantque animis, sicut Lutatius superius bellum Punicum finisset, ita id quod instaret, P. Cornelium finiturum; atque ut Hispania omni Pœnos expulisset, sic Italia pulsurum esse: Africamque ei, perinde ac debellatum in Italia foret, provinciam destinabant. Prætoria inde comitia habita. creati duo, qui tum ædiles plebis erant, Sp. Lucretius & Cn. Octavius; & ex privatis, Cn. Servilius Cæpio, & L. Æmilius Papus. Quartodecimo anno Punici belli P. Cornelius Scipio & P. Licinius Crassus a ut consulatum inierunt, nominatæ consulibus provinciæ sunt, Sicilia Scipioni extra sortem, concedente collega; quia cura sacrorum pontificem maximum in Italia retinebat: Brutii Crasso. Tum prætoriæ provinciæ in sortem conjectæ. urbana Cn. Servilio obtigit. 4 Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio: 5 Sicilia L. Æmilio: Cn. Octavio Sardinia. Senatus in Capitolio habitus. ita referente P. Scipione, senatusconsultum factum est, ut quos ludos inter seditionem militarem in Hispania vovisset, ex ea pecunia, quam ipse in ærarium detulisset, faceret.

Urb. cond. an. 547. Coss. L. Veturio Phil. & Q. Cæcilio Met.

XXXIX. Tum Saguntinorum legatos in senatum introduxit. Ex eis maximus natu: *Etsi nihil ultra malorum est, Patres conscripti, quam quod passi sumus, ut ad ultimum fidem vobis præstaremus; tamen ea vestra merita imperatorumque vestrorum erga nos fuerunt, ut nos cladium nostrarum non pœniteat. Bellum propter nos suscepistis: susceptum quartum decimum annum tam pertinaciter geritis, ut sæpe ad ultimum discrimen & ipsi veneritis, & populum Carthaginiensem adduxeritis. Quum in Italia tam atrox bellum & Annibalem hostem haberetis, 1 consules cum exercitu in Hispaniam, velut ad colligendas reliquias naufragii nostri misistis. P. & Cn. Corne-*

INTERPRETATIO.

a *Simul ac. Statim atque.*

NOTÆ.

3. *Spondebantque animis.*] Rhen. *despondebant*: sic enim noster lib. 4. *plebem secum trahere, haud dubium consulatum spe ac favore despondentem*. Et Cicero ad Cassium, *exigua est spes reipublicæ, sed quæcunque est, ea despondetur anno consulatûs tui*. Alia tamen hoc loco scriptura. Estque aliud *sibi* vel *alteri aliquid despondere*, quod est promittere, & in nuptiis quoque locum habet: aliud *despondere animo*, vel *animis*, quod contrariâ significatione dicitur, pro diffidere sibi, spem amittere.

4. *Ariminum, (ita Galliam appellabant.)*] Gallia Cispadana, postquàm à Romanis subacta est, ab Arimino, Italiæ propiè dictæ proximâ urbe, *Ariminum* Romanis dicta: non ut ipsa Galliæ nomen amitteret, sed ut Ariminensis Provincia intelligeretur.

5. *Sicilia L. Æmilio.*] At eadem Pub. Scipioni extra sortem assignata. Sed is ex Sicilia in Africam destinabatur.

1. *Consules cum exercitu.*] Non quidem propriè Consules, cujusmodi nullus capto Sagunto missus fuerat in Hispaniam, sed Imperatores pro consulari imperio: qua in re aliquatenus errasse externæ gentis homines Saguntinos à longo exilio in patriam reductos, nihil mirum.

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crass.

lii, ex quo in provinciam venerunt, nullo tempore destiterunt, quæ nobis secunda, quæque adversa hostibus nostris essent, facere. Jam omnium primùm oppidum nobis restituerunt. per omnem Hispaniam cives nostros venundatos, dimissis qui conquirerent, ex servitute in libertatem restituerunt. Quum jam prope esset, ut optabilem ex miserrima fortunam haberemus, P. & Cn. Cornelii imperatores vestri luctuosiùs nobis prope quam vobis perierunt. Tum vero ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem antiquam videbamur: ut iterum periremus, & alterum excidium patriæ videremus. nec ad perniciem nostram Carthaginiensi utique aut duce aut exercitu opus esse: [2] *ab Turdulis nos veterrimis hostibus, qui prioris quoque excidii caussa nobis fuerant, extingui posse. quum ex insperato repentè misistis nobis P. hunc Scipionem: quem, fortunatissimi omnium Saguntinorum videmur, quia consulem declaratum videmus, ac vidisse nos civibus nostris renunciaturi sumus,* [3] *spem omnem salutemque nostram. qui quum plurimas hostium vestrorum cepisset in Hispania urbes, ubique ex captivorum numero* [4] *excretos Saguntinos in patriam remisit. postremò* [5] *Tudertaniam, adeo infestam nobis, ut illa gente incolumi stare Saguntum non posset, ita bello afflixit; ut non modo nobis, (absit verbo invidia) ne posteris quidem timenda nostris esset. Deletam urbem cernimus eorum, quorum in gratiam Saguntum deleverat Annibal. vectigal ex agro eorum capimus, quod nobis non fructu jucundius est, quam ultione. Ob hæc, quibus majora neque sperare, neque optare ab Diis immortalibus poteramus, gratias actum nos decem legatos Saguntinus senatus populusque ad vos misit: simul gratulatum, quod ita res hos annos in Hispania atque Italia gessistis, ut Hispaniam non Ibero amne tenus, sed quà* [6] *terrarum ultimus finis Oceanus, domitam armis habeatis; Italiæ, nisi quatenus vallum castrorum cingit, nihil reliqueritis Pœno. Jovi Optimo Maximo, præsidi Capitolinæ arcis, non grates tantum ob hæc agere jussi sumus, sed donum hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium victoriæ ergo ferre. Id uti permittatis, quæsumus. utque, si vobis ita videtur, quæ nobis imperatores vestri commoda tribuerunt, ea rata atque perpetua auctoritate vestrâ faciatis.* Senatus le-

NOTÆ.

2. *Ab Turdulis.*] Ex melioribus scriptis, in quibus scriptum est *ab Turoulis*, aut *Turgilis*, Gron. facit *ab Turdulis*, qui Bæticæ populi, Turdetanis proximi, fortè & ex illis orti, sub Augusti tempora longè à Sagunto distabant: sive à Romanis, sive sponte suâ, aut bellorum atrocitate pulsi pristinis sedibus suis, in extrema Bæticæ concesserant ad lævam Bætis, ubi nunc pars magna regnorum Hispalensis, & Cordubensis versus meridiem in Andaluzia, vicinoque tractu.

3. *Spem omnem.*] Eum scilicet, qui spes nostra est, in quo reposita spes & salus nostra.

4. *Excretos.*] Vulgò *excerptos*; sed *excreti*, sunt separati ab aliis: ita enim Liv. lib. 9. *Omnem forensem turbam excretam, in quatuor tribus conjecit.*

5. *Turdetaniam.*] Fuere sequentibus temporibus *Turdetani* in Beturia, eaque parte Bæticæ quæ ad Bætis dextram: qua nunc regione Andaluziæ regni Hispalensis, & Cordubensis pars Borealior.

6. *Terrarum ultimus finis Oceanus.*] *Regiones terræ* extremas ad Occidentem designant hi Saguntini: Lusitaniam Gallæciamque. Rhen. *Terrarum ultimas finit Oceanus.*

gas

gatis Saguntinis respondit, *Et dirutum & restitutum Saguntum fidei socialis utrinque servata documentum omnibus gentibus fore. Suos imperatores, rectè & ordine, & ex voluntate senatus fecisse, quod Saguntum restituerint, civesque Saguntinos servitio exemerint: quæque alia eis benigne fecerint, ea senatum ita voluisse fieri. donum permittere ut in Capitolio ponerent.* Locus inde [7] lautiaque legatis præberi jussa, & muneris ergo in singulos dari ne minus [8] dena millia æris. Legationes deinde cæteræ in senatum introductæ, auditæque. Et petentibus Saguntinis, ut quatenus tutò possent, Italiam spectatum irent: duces dati, literæque per oppida missæ, ut Hispanos comiter acciperent. Tum de republica, de exercitibus scribendis, de provinciis, relatum.

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

XL. Quum Africam novam provinciam extra sortem P. Scipioni destinari, homines famâ ferrent; & ipse nulla jam modica gloria contentus, non ad gerendum modo bellum, sed ad finiendum diceret se consulem declaratum esse, *neque aliter id fieri posse, quam si ipse in Africam exercitum transportasset, & acturum se id per populum aperte ferret, si senatus adversaretur:* id consilium haudquaquam primoribus Patrum cum placeret, [1] cæterique per metum aut ambitionem mussarent; Q. Fabius Maximus rogatus sententiam; *Scio*, inquit, *multis vestrûm videri, Patres conscripti, rem actam hodierno die agi, & frustra habiturum orationem, qui tanquam de integra re, de Africa provincia, sententiam dixerit. Ego autem primum illud ignoro, quemadmodum jam certa provincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit, quam nec senatus censuit in hunc annum provinciam esse, nec populus jussit. deinde, si est, consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre, senatum ludibrio habet:* [2] *non senatorem modo, qui de quo consulitur, suo loco dicit sententiam. Atque ego certum habeo, dissentienti mihi ab ista festinatione in Africam trajiciendi, duarum rerum subeundam opinionem esse; unius, insitæ ingenio meo cunctationis; quam metum pigritiamque homines adolescentes sane appellent, dum ne pœniteat, adhuc aliorum speciosiora primo adspectu consilia semper visa, mea usu meliora. alterius, obtrectationis atque invidiæ adversus crescentem in dies gloriam fortissimi consulis. A qua suspicione, si me neque vita acta & mores mei;* [3] *neque dictatura cum quinque consulatibus, tantumque gloriæ belli domique partæ vindicat, ut*

NOTÆ.

7. *Lautiaque legatis*.] Ut *Lauta* & *Lautitia*, ita & *Lautia* à lavando deducta; pro epularum magnificentia dicuntur: præsertim vero pro iis, quæ legatis hospitii causâ dabantur, & muneribus, quibus ii donari solebant. Rationem nominis Fest. affert, quod apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, illique rarò lavabant.

1. *Cæterique.*] Scilicet Patrum.

2. *Non senatorem modò*.] Non solùm unumquemque Senatorem, sed Senatum universum.

3. *Neque dictatura.*] Bis dictator creatus fuerat Fabius maximus: unius tamen dictaturæ duntaxat meminit; quòd alteram non gessisset, sed vitio creatus eâ se abdicasset.

Urb. cond. ann. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

[a] propius fastidium ejus sim, quam desiderium; ætas saltem liberat. quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest, qui ne filio quidem meo æqualis sit? Me dictatorem, quum vigerem adhuc viribus & in cursu maximarum rerũ essem, recusantem nemo aut in senatu, aut ad populum audivit, quo minus insectanti me [4] magistro equitum, quod fando nunquam ante auditum erat, imperium mecum æquaretur. Rebus quam verbis assequi malui, ut qui aliorum judicio mihi comparatus erat, suâ mox confessione me sibi præferret. [5] nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atq; æmulationes, cũ adolescente florentissimo proponam. videlicet ut mihi [6] jam vivendo, non solum rebus gerendis fesso, si huic negata fuerit, Africa provincia decernatur. cum ea gloria, quæ parta est, vivendum atque moriendum est. Vincere ego prohibui Annibalẽ, ut à vobis, quorũ vigent nunc vires, etiam vinci posset.

XLI. *Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum erit, si quum in me ipso nunquam pluris famam hominum, quam rempublicam fecerim; ne tuam quidem gloriam bono publico præponam. quanquam si aut bellum nullum in Italia, aut is hostis esset, ex quo victo nihil gloriæ quæreretur; qui te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul cum bello materiam gloriæ tuæ isse ereptum videri posset. Quum vero Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annum Italiam obsideat, pœnitebit te, P. Corneli, gloriæ tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladium nobis caussa fuit, tu consul Italiâ expuleris, & sicut [1] penes C. Lutatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te hujus fuerit? [2] Nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa major clariorque, quam hæc (modo contingat ut te consule vincamus) futura est. [3] Ab Drepano atq; Eryce detraxisse Amilcarem, quam Italia expulisse Pœnos atque Annibalem, malis? Ne tu quidem, etsi magis partam, quã speratam gloriam amplecteris, Hispania potius quam Italia bello liberata gloriatus fueris.* [a]

INTERPRETATIO.

a Ut magis ego nausea gloriæ, quàm desiderio laborem; & certè senectus ab ea opinione me absolvere deberet.

a Non adeo abjectus adhuc est Annibal, ut qui alibi quàm adversus eum gerere bellum praoptaverit, non videatur potiùs illum metuisse quàm despexisse.

NOTÆ.

4. *Magistro equitum.*] Q. Minucio, de quo lib.22. cap.25. & seqq.

5. *Nedum.*] Gall. *Bien loin, tant s'en faut que.*

6. *Jam vivendo.*] Gall. *Ie suis las, non seulement d'estre dans les emplois, mais encore de vivre.*

1. *Penes C. Lutatium.*] Repete ex Epit. 19. Videndi & Polyb. lib.3. Flor. Auctor de Viris illustr. Corn.Nepos in Amilcare.

2. *Nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus.*] Amilcar Annibalis pater à Lutatio victus, per datas ab hoc pacis leges præsidium Punicum Eryce deduxerat suprà lib.21. cap.10. Sed quid hoc ad Scipionem, cui, si Annibal in Italia maneret, non adversus Amilcarem, sed adversus Asdrubalem Gisgonis futura res erat? Præfertur patri Annibal, ut Scipio, si hunc vincat, major Lutatio videatur.

3. *Ab Drepano.*] Mss. *Ab Drepanis* hod. *Trapani* in Occidentali Siciliæ latere; sed de hoc oppido, deque Eryce dictum suprà.

Nondum is est Annibal, quem non magis timuisse videatur, quam contempsisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad boc accingeris: nec per istos circuitus, ut quum in Africam trajeceris, secuturum te illuc Annibalem speres, potius quam recto hinc itinere, ubi Annibal est, [b] eo bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis? Hoc ET NATURA prius est, tua quum defenderis, aliena ire oppugnatum. Pax ante in Italia quam bellum in Africa sit: & nobis prius decedat timor, quam ultro aliis inferatur. Si utrumque tuo ductu auspicioque fieri potest, Annibale hic victo, illic Carthaginem expugna. si alterutra victoria novis consulibus relinquenda est; prior quum major clariorque, tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem, præterquam quod & in Italia & in Africa duos diversos exercitus alere ærarium non potest; præterquam quod unde classes tueamur, unde commeatibus præbendis sufficiamus, nihil reliqui est; periculi tandem, quantum adeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. Quid, si (quod omnes Dii omen avertant, & dicere etiam reformidat animus, sed quæ acciderunt, accidere possunt) & victor Annibal ire ad urbem pergat; tum demum te consulem ex Africa, sicut Q. Fulvium à Capua, arcessemus? Quid? quod in Africa quoque Mars communis belli erit. Domus tibi tua, pater patruusque, intra triginta dies cum exercitibus cæsi, documento sint; ubi per aliquot annos maximis rebus terra mariq; gerendis amplissimum nomen apud exteras gentes populi Romani vestræque familiæ fecerant. Dies me deficiat, si, reges, imperatoresque, temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suorum, numerare velim. Athenienses, prudentissima civitas, bello domi relicto, auctore æque 4 impigro ac nobili juvene, magna classe in Siciliam transmissa, una navali pugna florentē rempublicam suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto.

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

XLII. *Africa eadem ista, & 1 M. Attilius insigne utriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint. Ne tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conspexeris, [a] ludus & jocus fuisse Hispaniæ tua videbuntur. Quid enim simile? pacato mari præter oram Italiæ Galliæque vectus, Emporias in urbem sociorum classem appulisti: expositos milites, per tutissima omnia, ad socios & amicos populi Romani, Tarraconem duxisti: ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa Iberum exercitus patris patruique tui,*

INTERPRETATIO.

b *Bellum in eam partem defers.* a *Res nullius momenti.*

NOTÆ.

4. *Impigro ac nobili juvene.*] Alcibiade nimirùm: qui tamen bellum ipsum in Sicilia non gessit, etsi ejus auctor fuerat. Verùm id per Demosthenem & Niciam gestum, qui in ea expeditione cum exercitu Atheniensium periere, à Gylippo Lacedæmonio victi.

1. *M. Attilius.*] De M. Attilio Regulo; qui priùs victor à Xantippo Spartano victus, captusque à Carthaginiensibus, apud eos tandem miserè periit. Vide præ cæteris Florum lib. 2. cap. 2. & Valer. Max. lib. 1. cap. 1. num. 17. Auctorem de Viris illustr. cap. 40. & alios.

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

post amissos imperatores, ferociores & calamitate ipsa: dux tumultuarius quidem ille 2 *L. Marcius, & militari suffragio ad tempus lectus; cæterum si nobilitas ac justi honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli par:* [b] *oppugnata per summum ocium Carthago, nullo trium Punicorũ exercituum socios defendente. Cætera, neq; ea elevo, nullo tamen modo Africo bello comparanda; ubi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non civitas socia, non rex amicus, non consistendi usquam locus, non procedendi. Quacumque circumspexeris, hostilia omnia atq; infesta. An Syphaci Numidisque credis? satis sit semel creditum.* NON SEMPER TEMERITAS *est felix:* c *& fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut quũ operæ pretium sit, cum mercede magna fallat. Non hostes patrem patruumq; tuum armis priùs, quã Celtiberi socii fraude circumvenerunt: nec tibi ipsi à Magone & Asdrubale hostium ducibus, quantum ab Indibili & Mandonio in fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes, defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax & Masanissa se, quam Carthaginienses, malunt potentissimos in Africa esse: Carthaginienses, quam quemque alium. Nunc illos æmulatio inter sese; & omnes caussæ certaminum acuunt, quia procul externus metus est. Ostende illis Romana arma, & exercitum alienigenam: jam velut ad commune restinguendum incendium incurrent. Aliter iidem illi Carthaginienses Hispaniam defenderunt: aliter mœnia patriæ, templa Deûm, aras, focos, defendent; quum euntes in prælium pavida prosequetur conjunx, & parvi liberi occursabunt. Quid porro? Si satis confisi Carthaginienses consensu Africæ, fide sociorum regum, mœnibus suis, quum tuo exercitusque tui præsidio nudatam Italiam viderint, ipsi ultro novum exercitum in Italiam aut ex Africa miserint, aut Magonem, quem à Balearibus classe transmissa jam præter oram* 3 *Ligurum Alpinorum vectari constat, Annibali se conjungere jusserint? Nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus, quum Asdrubal in Italiam transcendit: quem tu, qui non solum Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clausurus,* 4 *è manibus tuis in Italiam emisisti. Victum à te dices:* 5 *eò quidem minùs*

INTERPRETATIO.

b *Carthago* nova, licèt uno die capta, tamen præparatis anteà *per ocium* obsidionis instrumentis *impugnata*: *nemine hostium prohibente, &c.*

c *Et fraudulenti homines fidem sibi comparant factis in speciem honestis ac fidelibus, ut posteà faciliùs & majori suâ utilitate decipiant* eos quibus blanditi sunt.

NOTÆ.

2. *L. Marcius.*] Vide l.25.c.37. & seqq.

3. *Ligurum Alpinorum.*] *Ligures* partim trans, partim citra Alpes: horum alii Montani, alii ad oram, alii ad Padum incolebant. Hic Montanos indicat Livius, qui omnium ferocissimi. Hac de re lib.27. cap.39.

4. *E manibus tuis in Italiam emisisti.*] Victus in Hispania Asdrubal, in Italiam valido cum exercitu transgressus erat jussu Carthaginiensium. Qua de re lib.23. cap.27. & lib.27. cap.39.

5. *Eò quidem minùs vellem.*] Gall. *Et c'est pour cela mesme qu' il est plus fascheux & pour le bien de l'Estat, & plus encore pour vostre honneur, que vous luy ayez donné passage, ou du moins que vous l'ayez laissé eschapper pour venir en Italie.*

vellem & id tua, non reipublicæ solùm caussâ, iter datum victo in Italiam esse. Patere nos omnia quæ prospera tibi ac reipublicæ in imperio evenere, tuo consilio assignare: [d] *adversa casibus incertis belli & fortunæ delegare. Quò melior fortiorque es, eo magis talem præsidem sibi patria atque universa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Annibal sit, ibi caput atque arcem hujus belli esse. quippe qui præ te feras, eam tibi caussam trajiciendi in Africam esse, ut Annibalem eò trahas. Sive igitur hic, sive illic, cum Annibale est tibi futura res. Utrùm ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic tuo collegaque exercitu conjuncto?* [6] *ne Claudius quidem & Livius Consules tam recenti exemplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid? Annibalem, utrum tandem extremus angulus agri Brutii frustra jam diu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago & tota socia Africa potentiorem armis virisque faciet? Quod istud consilium est, ibi malle decernere, ubi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo majores, quam ubi duobus exercitibus adversus unum tot prœliis & tam diuturna & gravi militia fessum, pugnandum sit?* [7] *Quam compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille consul profectus in Hispaniam, ut Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex provincia rediit: tu, quum Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras: non quia reipublicæ id utile, sed quia tibi amplum & gloriosum censes esse: sicut quum provincia & exercitu relicto, sine lege, sine senatusconsulto, duabus navibus populi Romani imperator* [8] *fortunam publicam & majestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti. Ego P. Cornelium, Patres conscripti, reipublicæ nobisque, non sibi privatim creatum consulem existimo: exercitusque ad custodiam urbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules, quo terrarum velint, trajiciant.*

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crass.

XLIII. Cum oratione ad tempus parata Fabius, tum auctoritate, & inveterata prudentiæ fama magnam partem senatus, & seniores maxime movisset, pluresque consilium senis quam animum adolescentis ferocem laudarent; Scipio ita locutus fertur: *Et ipse Q. Fabius principio orationis, P. C. commemoravit, in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse. Cujus ego rei non tam ipse ausim tantum virum insimulare, quàm ea suspicio, vitio orationis an rei, haud sane purgata est. Sic enim honores suos & famam rerum gestarum extulit verbis, ad extinguendum invidiæ crimen,*

INTERPRETATIO.

[d] *Belli casibus & fortunæ assignare calamitates, sive in eam rejicere, quæ secùs evenerint.*

NOTÆ.

6. *Ne Claudius.*] C. Claudius Nero & M. Livius juncti Asdrubalem cum exercitu Punico internecione paulo antè ad Metaurum deleto occiderant. lib. 27. cap. 46. seqq.

7. *Quam compar consilium tuum.*] Antiphrasis est; vult enim P. Scipionem patrem, longè aliter & prudentiùs se gessisse erga Annibalem, quam nunc se gerat filius.

8. *Fortunam publicam, & majestatem imperii commisisti.*] Tunc scilicet cum Scipio ad Syphacem trajecit. Suprà cap. 17. & seqq.

Urb. Cond. Ann. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur: & non ab eo, qui, quia super cæteros excellat, 1 *quò me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari nolit, sic senem se* 2 *perfunctum honoribus, & me infra ætatem filii etiam sui posuit; tanquam non longius quam quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extendatur,* 3 *maximaque pars ejus* a *in memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, ut se non cum præsentibus modò, sed cum omnis ævi claris viris comparet. Equidem haud dissimulo, me tuas, Q. Fabi, laudes non assequi solum velle, sed (bona venia tua dixerim:) si possim, etiam exsuperare. Illud nec tibi in me,* 4 *neu mihi in minores natu animi sit, ut nolimus quenquam nostri similem evadere civem. id enim non eorum modo, quibus inviderimus, sed reipublicæ & penè omnis generis humani detrimentum fit. Commemoravit; quantum essem periculi aditurus, si in Africam trajicerem: ut meam quoque, non solum reipublicæ & exercitus vicem, videretur solicitus. Unde hæc repente de me cura exorta? quum pater patruusque meus interfecti, quum duo exercitus eorum prope occidione occisi essent, quum amissæ Hispaniæ, quum quatuor exercitus Pœnorum, quatuor duces omnia metu armisque tenerent, quum quæsitus ad id bellum imperator nemo se ostenderet, præter me, nemo profiteri nomen ausus esset; quum mihi quatuor & viginti annos nato detulisset imperium populus Romanus: quid ita tum nemo ætatem meam, vim hostium, difficultatem belli, patris patruique recentem cladem commemorabat? Utrum major aliqua nunc in Africa calamitas est, quam tunc in Hispania erat? An majores nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melioresque, quam tunc in Hispania fuerunt? An ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit, quam nunc est? An cum Carthaginiensi hoste in Hispania, quam in Africa bellum geri aptius est? Facile est post fusos fugatosque qua-*

INTERPRETATIO.

a *Spectet ac protendatur ad futura sæcula.*

NOTÆ.

1. *Quò me quoque niti non dissimulo.*] Ita in Regio, in aliis *quoque niti non dissimulo*. Gron. mavult. *quo & me niti non dissimulo*. Idem ubique sensus: significat enim Scipio utravis phrasi, se ad eum gloriæ gradum contendere atque eniti, ut non minùs supra reliquos excellat, quàm Q. Fabius.

2. *Perfunctum honoribus.*] Nomen *honoribus*, desideratur in plerisque optimis exemplaribus: subintelligitur tamen nomen aliquod, veluti *officio*, *vitâ*, aut quid simile. Est enim *perfungi*, munus implere, aut aliud quidpiam absolvere, exantlare, *s'acquitter dignement d'une charge, achever, aller jusques au bout de la carriere*: aliquando significat quod nos dicimus, *sortir d'affaires*: Ita Cic. pro domo sua *equidem jam perfunctus sum, jam implevi animos invidorum: ubi perfunctus sum*, intellige *periculo*. Et pro Cluent. *aut quòd se perfunctos jam esse arbitrantur, cùm de reo judicarunt*.

3. *Maximaque pars.*] Repete ex superiori membro; *& quasi non, maxima pars, ejus*, nempè *gloriæ*.

4. *Neu mihi in minores natu.*] Sic vulgò editi, *in minores*: quæ recepta magis loquendi forma. Est enim sensus *erga minores*; sed tamen veteres libri habent *in minoribus*, hoc est, *quantùm ad minores*; non abludente sententiâ. Vide Gronovium in Senecæ 4. natur. quæst.

tuor exercitus Punicos, post tot urbes vi captas, aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia usque ad Occanum, tot regulos, tot sævas gentes, post receptam totam Hispaniam, ita ut vestigium nullum belli reliquum sit, elevare meas res gestas: tam, Hercule, quam si victor ex Africa redierim, ea ipsa elevare quæ nunc retinendi mei caussa, ut terribilia eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse in Africam, negat ullos patere portus. M. Attilium captum in Africa commemorat: [b] *tanquam M. Attilius primo accessu ad Africam offenderit. neque recordatur, illi ipsi tam infelici imperatori patuisse tamen portus Africæ: & 5 res egregias primo anno gessisse: & quantum ad Carthaginienses duces attinet, invictum ad ultimum permansisse. Nihil igitur me isto tu exemplo terrueris: si hoc bello, non priore; si nuper, & non annis ante quadraginta, ista clades accepta foret; qui ego minus in Africam Regulo capto, quam Scipionibus occisis in Hispaniam, trajicerem. Nec feliciùs* [6] *Xantippum Lacedæmonium Carthagini, quam me patriæ meæ sinerem natum esse. cresceretque mihi ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis unius virtute, tantum momenti esse. At etiam Athenienses audiendi sunt, temere in Siciliam, omisso domi bello, transgressi. Cur ergo, quoniam Græcas fabulas enarrare vacat, non Agathoclem potius Syracusanum regem, quum diu Sicilia Punico bello ureretur, transgressum in hanc eandem Africam,* [7] *avertisse eò bellum unde venerat, refert?* Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

XLIV. [a] *Sed quid, ultro metum inferre hosti, & ab se remoto periculo alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus externisque exemplis admonere opus est?* [1] *Majus præsentiusve ullum exemplum esse quam Annibal potest? multum interest, alienos populere fines, an tuos uri, exscindi, videas.* PLUS ANIMI *est inferenti periculum, quam propulsanti. Ad hoc major ignotarum rerum est terror: bona malaque hostium, ex propinquo ingressus fines aspicias. Non speraverat Annibal fore, ut tot in Italia populi ad se deficerent, quot defecerunt post Cannensem cladem: quanto minus quicquam in Africa Carthaginiensibus firmum ac stabile est,* [b] *infidis sociis, gravibus ac*

INTERPRETATIO.

b *Quasi clades M. Attilii contigerit eo statim tempore, quo is in Africam appulit.*

a *Sed quid opus est probare exemplis priscorum temporum, rerumque externarum, quàm utile sit inferre ultro timorem hostibus, & periculo à nobis amoto, illos adducere in discrimen domi suæ; potestne majus aut certius exemplum ejus rei afferri, quàm ipse Annibal?*

b *Qui* Carthaginienses, tum *socii infidi sunt* externis, tum *domini intolerabiles* suis ac subjectis: *præterea nos quamvis à sociis nostris derelicti, &c.*

NOTÆ.

5. *Res egregias primo anno gessisse.*] Ipsum Attilium, cui portus Africæ patuerant.

6. *Xantippum.*] Ducem à Spartanis missum ad Carthaginienses, qui ejus auspiciis Attilium vicerunt.

7. *Avertisse eò bellum unde venerat.*] Bellum averterat, non in Siciliam unde venerat Agathocles, sed in Africam unde bellum venerat.

1. *Majus præsentiusque nullum exemplum esse quàm Annibal potest.*] Horum nihil exhibent maxime sinceri codices, quos Gron. profert, ut nec qui mihi visi sunt quidē hæc valde apposita, sed satis mox insinuātur.

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

superbis dominis: Ad hoc nos etiam deserti ab sociis, viribus nostris, milite Romano, stetimus. c *Carthaginiensi nihil civilis roboris est. mercede paratos milites habent, Afros, Numidasque; levissima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil moræ sit. una & trajecisse me audietis, & ardere bello Africam,* d *& molientem hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem. lætiores, & frequentiores ex Africa expectate nuncios, quam ex Hispania accipiebatis. Has mihi spes subjicit fortuna populi Romani, Dii fœderis ab hoste violati testes, Syphax & Masanissa reges:* 2 *quorum ego fidei ita innitar, ut bene tutus à perfidia sim. Multa quæ nunc ex intervallo non apparent, bellum aperiet. & id est viri & ducis, non deesse fortunæ præbenti se,* 3 *& oblata casu flectere ad consilium. Habebo, Q. Fabi,* 4 *parem, quem das, Annibalem; sed illum potius ego traham, quam ille me retineat. In sua terra cogam pugnare eum, & Carthago potius præmium victoriæ erit, quam semiruta Brutiorum castella. Ne quid interim, dum trajicio, dum expono exercitum in Africa, dum castra ad Carthaginem promoveo, respublica hic detrimenti capiat; quod tu, Q. Fabi, quum victor tota Italia volitaret Annibal, potuisti præstare; hoc vide ne contumeliosum sit, concusso jam & penè fracto Annibale, negare, posse P. Licinium consulem virum fortissimum præstare, qui ne à sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ provinciæ non venit.* e *Si, Hercule, nihilo maturius hoc, quo ego censeo, modo perficeretur bellum; tamen ad dignitatem populi Romani, famamque apud reges gentesque externas pertinebat; non ad defendendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animum esse: nec hoc credi vulgarique, quod Annibal ausus sit, neminem ducem Romanorum audere: & priore Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties Africam ab nostris exercitibus & classibus oppugnatam; nunc quum de Italia certetur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquando vexata tam diu Italia: uratur, evasteturque invicem Africa. Castra Romana potiùs Carthaginis portis immineant, quàm nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli clades, quæ in nos per quatuordecim annos ingruerunt, vertantur. Quæ ad rempublicam pertinent, & bellum quod*

INTERPRETATIO.

c *Populus Carthaginiensis nullas habet proprias vires ex civibus suis qui militent.*

d *Discedentem ex Italia:* vel me *cogentem Annibalem ab Italia discedere.*

e *Quin etiam, si bellum hoc modo, quo ego gerendum puto, non celeriùs perficeretur, attamen, &c.*

NOTÆ.

2. *Quorum ego fidei ita innitar, &c.*] Ita est in optimis Codicibus. Gall. *Je ne me fieray à eux que de bonne sorte, & en prenant mes precautions.*

3. *Et oblata casu flectere ad consilium.*] Gall. *Et adjuster à ses desseins, tourner à son avantage tout ce que le hasard nous presente.*

4. *Parem quem das.*] *Parem* dicit pro adversario sibi opposito: quo sēsu *paria* dicimus *gladiatorū*, & *pares gladiatores*; qui invicē pugnaturi opponūtur, & cōmittuntur.

instat,

instat, & provinciis de quibus agitur. dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad vos pertinens sit, si quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania elevavit, sic & ego contra gloriam ejus eludere, & meam verbis extollere velim. Neutrum faciam, Patres conscripti. &, ¹ *si ulla alia re, modestiâ certe & temperando linguæ adolescens senem vicero. Ita & vixi & res gessi, ut tacitus ea opinione, quam vestra sponte conceptam animis haberetis, facile contentus essem.* Urb. Cond. Ann. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licini Crasso.

XLV. Minus æquis animis auditus est Scipio, quia vulgatum erat, si apud Senatum non obtinuisset, ut provincia Africa sibi decerneretur, ad populum extemplo laturum. Itaque Q. Fulvius, qui consul quater & censor fuerat, postulavit à consule, ut palam in senatu diceret, *permitteretne Patribus, ut de provinciis decernerent? staturusque eo esset quod censuissent, an ad populum laturus?* Quum Scipio respondisset, se quod è republica esset, facturum; tum Fulvius, *Non ego ignarus quid responsurus facturusve esses, quæsivi, quippe quum præ te feras tentare magis, quam consulere senatum, & ni provinciam tibi quam volueris, extemplo decernamus, paratam rogationem habeas. Itaque à vobis, tribuni plebis, postulo,* inquit, ᵃ *ut sententiam mihi ideo non dicenti, quod etsi in meam sententiam discedatur, non sit ratum habiturus consul, auxilio sitis.* Inde altercatio orta, quum consul negaret, æquum esse tribunos intercedere, quo minus ¹ suo quisque loco senator rogatus sententiam diceret; Tribuni ita decreverunt, *Si consul senatui de provinciis permittit, stari eo quod senatus censuerit, placet; nec de ea re ferri ad populum patiemur: si non permittit, qui de ea re sententiam recusabit dicere, auxilio erimus.* Consul diem ad colloquendum cum collega petiit. Postero die permissum senatui est. Provinciæ ita decretæ: alteri consuli Sicilia, & triginta rostratæ naves, quas C. Servilius superiore anno habuisset: permissumque ut in Africam, si id è republica esse censeret, trajiceret. alteri Brutii, & bellum cum Annibale, ² cum eo exercitu, quem

INTERPRETATIO.

ᵃ *Ut* intercessione vestrâ *auxilium mihi feratis recusanti sententiam dicere, quòd videam consulem* Scipionem *non staturum & pariturum esse, quamvis per discessionem facto senatusconsulto plures habeam assentientes.*

NOTÆ.

¹ *Si ulla alia re.*] Plerique manu exaratorum sic habent. Editi *si nulla alia re.* Illud convenientius videtur reliquæ Scipionis orationi, quæ masculos ubique spiritus redolet. Sic insinuat sperare se aliis quoque rebus Fabii gloriam superaturum, sed maximè modestiâ.

¹ *Suo quisque loco senator.*] Abest à plerisque ex melioribus nomen, *Senator*, & rectè, ut ostendit Gronov. quod plurimi in senatu sententiam dicerent, quamvis Senatores non essent. Quò spectat illud lib. 36. *qui Senatores essent; quibusque in Senatu sententiam dicere liceret.*

² *Cum eo exercitu quem L. Veturius, &c.*] Scripti omnes, multique editi hunc locum sic nobis exhibent: *cum eo exercitu quem L. Veturius & Q. Cæcilius sortirentur inter se:* ubi aliquid deesse nemo non videt. Sigon. ex scripto suo cod. in quo legi ait, *Cæcilius habuit;* scribendum censebat, *cum eo exercitu quem L. Veturius aut Q. Cæcilius habuit:*

Urb. cond. an. 548. Coss. Pub. Corn. Scip. & Pub. Lic. Crasso.

L. Veturius, aut Q. Cæcilius: hi & sortirentur inter se, compararentve uter in Brutiis duabus legionibus, quas consul reliquisset, rem gereret: imperiumque in annum prorogaretur, cui ea provincia evenisset. & cæteris præter consules prætoresque, qui exercitibus provinciisque præfuturi erant, prorogata imperia. Q. Cæcilio forte evenit, ut cum consule in Brutiis adversus Annibalem bellum gereret. Ludi deinde Scipionis, magna frequentia & favore spectantium, celebrati. Legati Delphos ad donum ex præda Asdrubalis portandum missi, M. Pomponius Matho, & Q. Catius, tulerunt [3] coronam auream CC. pondo, & simulacra spoliorum, [4] ex mille pondo argenti facta. Scipio, quum ut delectum haberet, neque impetrasset, neque magnopere tetendisset; [b] ut voluntarios ducere sibi milites liceret, tenuit: [c] & quia impensæ negaverat reipublicæ futuram classem, ut quæ ab sociis darentur ad novas fabricandas naves, acciperet. Etruriæ primum populi pro suis quisque facultatibus consulem adjuturos polliciti. [5] Cærites frumentum sociis navalibus commeatumque omnis generis, Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea in vela, [6] Volaterrani interamenta navium & frumentum,

INTERPRETATIO.

b *Obtinuit ut sibi liceret voluntarios secū ducere. Et quoniam affirmaverat futurum ut sumptus in classem necessarii, non essent oneri reipublicæ, obtinuit ut acciperet quæ à sociis conferrentur ad fabricam navium.*

c *Instrumenta ferrea ad arandam terram falces, vasa ad aquam afferendam aut ejiciendam: molas, ad molendum frumentum, sive machinas ad jacienda in hostes saxa ingentia molarum instar.*

N O T Æ.

& L. Veturius & Q. Cæcilius sortirentur. Gron. verò illud *habuit*, censet esse librarii; existimatque subaudiendum esse è proximo, *Quem L. Veturius aut Q. Cæcilius (superiori anno habuisset)*. Ex Put. verò ubi est, *vi sortirentur*, mutatâ unâ litterâ reponendum esse, *hi & sortirentur*.

3. *Coronam auream ducentorum pondo.*] Auri hujus pretium esset apud nos 113000 librarum Francicarum.

4. *Ex mille pondo argenti.*] Gallica æstimatione hodierna, librarum 36000. fuerint.

5. *Cærites, &c.*] Cives urbis *Cære*, quæ nunc *Cerveteri* in Patrimonio S. Petri. *Populonienses*, cives *Populonia*, quæ in vicum versa nomen retinet in principatu Plumbini, vul. *Piombino*. Ut *Volaterra*, vul. *Volterra* in agro Florentino. Hæc & sequentium urbium nomina satis nota ex Decade 1.

6. *Volaterrani interamenta navium.*] Vulgò legebatur *armamenta navium*; sed in omnibus manu exaratis occurrit, *interamenta navium*: quæ ita dicuntur de interiori navium apparatu, ut *superamenta materiarum* ab Vlpiano l. 55. §. 4. *ff. de legatis* 3. Sic Aristophanes in equitibus dixit: εἰς τὰς τρόπεις ἐντεριωνεῖν. Vbi Scholiastes explicat vocem illam ἐντερώνειαν de navium costis, aut lignis transversariis, quibus constant civitates seu alvus navis. Et Pollux l. 2. c. 4. ἐντερώνεια explicat ἐς κοῖλα τῶν νεῶν. Gron. videndum ait, an non potior sit scriptura tertii Palatini codicis: *interamenta navium*: naves enim cerâ & pice oblini solitas nemo nescit. Quod ex Vegetio probatur lib. 5. de re milit. cap. 7. & 15. Ceram Latini, Græci Κηρὸν vocant eam picis cum cera mixturam: hinc apud Ovid. XI. Metam. *Spoliataque tegmine ceræ rima patet*. Vnde ceratæ naves. Quâ itaque ratione Juvenalis posteà dixit, *genua incerare Deorum*; hac noster *inceramenta* vocare potuit ceram pice mixtam, quâ navium rimæ obducuntur.

[7] Aretini triginta millia scutorum, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinquaginta summam pari cujusque generis numero expleturos, secures, rutra, falces, alveolos, molas quantum in quadraginta longas naves opus esset, [8] tritici centum & viginti millia modiûm, & in viaticum decurionibus remigibusque collaturos. [9] Perusini, Clusini, Rusellani abjetem in fabricandas naves, & frumenti magnum numerum. abjete ex publicis sylvis est usus. Umbriæ populi [10] & præter hos Nursini, [11] & Reatini, & Amiternini, Sabinusque omnis ager, milites polliciti. Marsi, Peligni, Marrucinique, multi voluntarii, nomina in classem dederunt. [12] Camertes quum æquo fœdere cum Romanis essent, cohortem armatam sexcentorum hominum miserunt. ✕ Triginta navium carinæ, viginti quinqueremes, decem quadriremes quum essent positæ; ipse ita institit operi, [13] ut die quadragesimo quinto, quam ex sylvis detracta materia erat, naves instructæ armatæque in aquam deductæ sint.

Urb. cond. ann. 548. Coss. Pub. Corn. Scip. & Pub. Lic.

XLVI. Profectus in Siciliam est triginta navibus longis; voluntariorum septem ferme millibus in naves impositis. Et P. Licinius in Brutios ad duos exercitus consulares venit. ex eis eum sibi sumpsit, quem L. Veturius consul habuerat. Metello, ut quibus præfuisset legionibus, iis præesset (facilius cum assuetis imperio rem gesturum ratus) permisit. Et prætores diversi in provincias profecti. Et quia pecunia ad bellum deerat, agri Campani regionem, [1] à fossa Græca ad mare versam, vendere quæstores jussi; indicio quoque permisso, qui ager civis Campani fuisset, ut is publicus populi Romani esset. indici præmium constitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima. Et Cn. Servilio Prætori urbis negotium datum, ut Campani cives, ubi

NOTÆ.

7. *Aretini triginta millia scutorum.*] In scriptis melioribus habetur ∞ ∞ ∞. id est, tria millia scutorum. *Aretini* ab Aretio Tusciæ civitate. Vul. *Arezzo*.

8. *Tritici centum, & viginti millia modiûm.*] Respondent Sextariis Parisiensibus ferme 12000.

9. *Perusini.*] A Perusia civitate Etruriæ ad Tiberim non procul Trasimeno lacu; hod. *Peruggia* in Patrimonio Sancti Petri. Clusini à *Clusio*, vul. *Chiusi* in Territorio Florentino ducatu ad Clanim. Rusellani à *Rusellis*, quarum ruinæ *Roselle* in Territorio Senensi.

10. *Et præter hos Nursini.*] Eorum sententiæ videtur esse Livius, qui Nursiam Sabinis adscribunt: cæterùm Vmbris attribuunt plerique. Hod. *Norcia* in Spoletano ducatu.

11. *Et Reatini.*] A *Reate* urbe Sabinorum, nunc *Rieti*. *Amiternini* ab *Amiterno* in Sabinorum Vestinorumque confinio, nunc *Amiterno* prope *S. Vittorino*.

12. *Camertes quum æquo fœdere.*] *Camerini* oppidi in Vmbria incolæ, hoc tempore non in ditione Romanorum erant, sed fœderati.

13. *Ut die quadragesimo quinto.*] Non minori diligentiâ usi anteà Romani primo Punico bello; nam teste Floro lib. 2. cap. 2. cùm Romani rudes adhuc maris essent, *intra sexagesimum diem quam cæsa sylva fuerat, centum sexaginta navium classis in anchoris stetit; ut non arte facta, sed quodam munere Deorum conversæ in naves atque mutatæ arbores viderentur.*

1. *A fossa Græca ad mare versam.*] Ager ille ultra Vulturnum circa Liternum sive Clanium fluvium fuisse videtur, Trebulam versus & Atellam.

Urb. Cond. ann. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

[2] cuique ex senatusconsulto liceret habitare, ibi habitarent: animadverteretq; in eos, qui alibi habitarent. Eadem æstate Mago Amilcaris filius, ex minore Balearium insula, ubi hibernarat, juventute lectâ in classem impositâ, in Italia triginta ferme rostratis navibus & multis onerariis, duodecim millia peditum, duo ferme equitum trajecit: Genuamque, nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit. inde ad oram Ligurum Alpinorum, si quos ibi motus facere posset, classem appulit, [3] Ingauni (Ligurum ea gens est) bellum ea tempestate gerebant [4] cum Epanteriis montanis. Igitur Pœnus, [5] Savone oppido Alpino præda deposita, & decem longis navibus in statione ad præsidium relictis, cæteris Carthaginem missis ad tuendam maritimam oram, quia fama erat, Scipionem trajecturum esse; ipse societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita, montanos instituit oppugnare. Et crescebat exercitus in dies; ad famam nominis ejus Gallis undique confluentibus. Ea literis cognita Sp. Lucretii, ne frustra Asdrubale cum exercitu deleto biennio ante forent læti, si par aliud inde bellum, duce tantum mutato, oriretur, curam ingentem accenderunt Patribus. Itaque & M. Livium Proconsulem ex Etruria volonum exercitum admovere Ariminum jusserunt, & Cn. Servilio prætori negotium datum, ut si è republica censeret esse, urbanas legiones, [a] cui imperio videretur dato, ex urbe duci juberet. M. Valerius Lævinus Aretium eas legiones duxit. Eisdem diebus naves onerarias Pœnorum ad octoginta, circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciæ præerat, [6] captas, Cælius frumento misso ad Annibalem commeatuque onustas, Valerius prædam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem portantes, tradit. in Bruttiis nihil ferme anno eo memorabile gestum est. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos Pœnosque: nisi quod Punicum exercitum super morbum etiam fames affecit. Propter Junonis Laciniæ templum æstatem Annibal egit. ibique aram condidit, dedicavitque, cum ingenti rerum ab se gestarum titulo; Punicis Græcisque litteris insculpto.

INTERPRETATIO.

[a] *Imperio in eas legiones dato ei, cui dandum ipse censeret.*

NOTÆ.

2. *Cuique ex Senatusconsulto liceret.*] Vide suprà lib. 26. cap. 34.

3. *Ingauni.*] Maritimi sub Alpibus Ligurum populi fuere. *Ingauni*, quorum urbs *Albium Ingaunum*, hodie *Albenga*.

4. *Cum Epanteriis.*] Horum Liguriæ populorum unus, quod sciam meminit Livius. Eos supra Albingaunum oppidum Alpina juga incoluisse ex hoc loco eruit Cluverius. Vide num corruptum videatur nomen, scribendumque sit, *cum Intemeliis*, quorum oppidum *Albium Intemelium*; quorum fines, Merula forte amne ab Ingaunis divisi, regio montana: hodie *Ventimiglia*.

5. *Savone.*] Liguriæ urbs *Savo*, sive *Savona* nomen retinet in ora Genuensi.

6. *Captas, Cælius.*] Nihil in his mutandum: conveniunt enim in eandem lectionem omnes libri, & distinguenda hæc periodus à superiori: postquam enim Livius eas naves ab Octavio captas narravit, adjicit diversas Historicorum duorum veterum, Cœlii & Valerii Antiatis sententias circa usum, in quem destinatæ à Pœnis fuerant hæ classes. Quade re aliud tradebat Cœlius, aliud Valerius.

FINIS LIBRI XXVIII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXIX.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

Ex Sicilia C. Lælius in Africam à Scipione missus, ingentem prædam reportavit: & mandata Masanissæ Scipioni exponit, conquerentis quod nondum exercitum in Africam trajecisset. Bellum in Hispania finitum, victore Romano, quod Indibilis excitaverat, ipse in acie occisus. Mandonius exposcentibus Romanis à suis deditus est. Magoni, 1 qui in Gallia & in Liguribus erat, ex Africa & militum ampla manus missa; & pecuniæ, quibus auxilia conduceret: præceptumque, ut se Annibali jungeret. Scipio à Syracusis in Brutios trajecit, & Locros, pulso Punico præsidio, fugatoque Annibale, recepit. Pax cum Philippo facta est. Idæa mater deportata est Romam à Pessinunte oppido Phrygiæ; carmine in libris Sibyllinis invento, pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset. *tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiæ. Lapis erat, quem* matrem Deûm *incolæ dicebant. 2 Excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, ejus, qui in Hispania perierat, vir optimus à senatu judicatus, adolescens 3 nondum quæstorius: quoniam ita responsum habebat:* ut numen id ab optimo viro reciperetur, consecrareturque. *Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminii legati quererentur, quod pecuniam Proserpinæ abstulerat, & liberos eorum ac conjuges stupraverat. Pleminius in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Quum falsus rumor 4 de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tanquam is luxuriaretur: missis ob hoc legatis à senatu, qui explorarent an ea vera essent; purgatus infamia Scipio in Africam trajecit, senatus permissu. Syphax accepta in matrimonium filia Asdrubalis*

NOTÆ.

1. *Qui in Gallia & Liguribus erat.*] Vulgo *qui in Galliam & Liguriam ierat.*

2. *Excepit.*] Cybeles nimirum statuam domi suæ.

3. *Nondum quæstorius.*] Significat opinor Nasicam nondum fuisse ejus ætatis, qua per leges quæsturam gerere posset: id est, annorum 27.

4. *De P. Scipione.*] Proconsule.

Gisgonis, amicitiæ, quam cum Scipione ipse junxerat, renunciavit. 5 Masanissa, rex Massyliorum, dum pro Carthaginiensibus in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat. quo per bellum sæpe repetito, aliquot præliis à Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: & cum ducentis equitibus exul Scipioni se junxit: & cum eo primo statim bello, Hannonem Amilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio, adventu Asdrubalis & Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsidione Uticæ depulsus, hiberna communivit. Sempronius consul in agro Crotoniensi prospere adversus Annibalem pugnavit. Lustrum à censoribus conditum est. censa sunt civium capita ducenta quindecim millia. Inter censores, Marcum Livium, & Claudium Neronem, notabilis discordia fuit, nam & Claudius Livio collegæ equum ademit, quod à populo damnatus actusque in exilium fuerat; & Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, & quod minime bonâ fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus, extra unam, ærarias reliquit, quod & innocentem se damnassent, & postea consulem censoremque fecissent:

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

I. SCIPIO posteaquàm in Siciliam venit, voluntarios milites ordinavit, centuriavitque: 1 ex iis trecentos juvenes, florentes ætate & virium robore, inermes circa se habebat; ignorantes quem ad usum centuriati, neque armati servarentur. Tum ex totius Siciliæ juniorum numero, principes genere & fortuna trecentos equites, qui secum in Africam trajicerent, legit: diemque iis, qua equis armisque instructi atque ornati adessent, edixit. Gravis ea militia, procul domo, terra marique multos labores magna pericula allatura videbatur: neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat. Ubi dies, quæ dicta erat, advenit, arma equosque ostenderunt. tum Scipio, *renunciari sibi* dixit, *quosdam equites Siculorum tanquam gravem & duram horrere eam militiam. Si qui ita animati essent, malle eos sibi jam tum fateri, quam postmodo querentes, segnes atque inutiles milites reipublicæ esse. Expromerent quid sentirent, cum bona venia se auditurum.* Ubi ex his unus ausus est dicere, *se prorsus, si sibi utrum velit, liberum esset, nolle militare*: tum Scipio ei, *Quoniam igitur, adolescens, quid sentires, non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equumque & cætera instrumenta militiæ, tradas, & tecum hinc extemplo domum ducas, exerceas: 2 docendum cures equo armisque.* Læto conditionem accipienti, unum ex trecentis, quos inermes habebat, tradit, ubi hoc modo exauctoratum equitem cum gratia imperatoris cæteri viderunt; se quisque excusare, & vicarium accipere.

N O T Æ.

5. *Masanissa rex Massyliorum.*] Aliàs *Masæsulorum*; malè: horum enim rex Syphax erat.

1. *Ex iis.*] Ex numero voluntariorum.

2. *Docendum cures equo armisque.*] Intelligit docendum equo armisque equestribus uti. Eodem loquendi genere usus est Cic. in epistolis scribens ad Pætum.

Ita trecentis Siculis Romani equites substituti, sine publica impensa. Docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt: quia edictum imperatoris erat, *ipsum militaturum*, *qui ita non fecisset*. Egregiam hanc alam equitum evasisse ferunt, multisque præliis rempublicam adjuvisse. Legiones inde quum inspiceret, plurimorum stipendiorum ex iis milites delegit; maxime qui sub duce Marcello militaverant: quos quum optima disciplina institutos credebat, tum etiam ab longa Syracusarum obsidione peritissimos esse urbium oppugnandarum. nihil enim parvum, sed Carthaginis jam excidia agitabat animo. Inde exercitum per oppida dispertit: frumentum Siculorum civitatibus imperat: [3] ex Italia advecto parcit: veteres naves reficit, & cum iis C. Lælium in Africam prædatum mittit. novas [4] Panormi subducit, quia ex viridi materia factæ erant, ut in sicco hibernarent. Præparatis omnibus ad bellum, Syracusas nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas, venit. [a] Græci res, à quibusdam Italici generis, eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus, concessas sibi ab senatu repetebant. Omnium primum ratus, tueri publicam fidem, partim edicto, partim judiciis etiam in [5] pertinaces ad obtinendam injuriam redditis, suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantum ea res, sed omnibus Siciliæ populis grata fuit: eoque [6] enixiùs ad bellum adjuverunt. Eadem æstate in Hispania coortum ingens bellum conciente [7] Illergete Indibili nulla alia de caussa, quam per admirationem Scipionis contemptu imperatorum aliorum orto. *Eum superesse unum ducem Romanis, cæteris ab Annibale interfectis*, rebatur. *eo nec in Hispania cæsis Scipionibus alium quem mitterent, habuisse: & posteaquam in Italia gravius bellum urgeret*,

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso.

INTERPRETATIO.

a *Siculi*, Græcæ originis, *res sibi concessas à Senatu repetebant à nonnullis Italicis* hominibus, *qui* per vim *occupatas per vim* quoque *retinebant*.

NOTÆ.

3. *Ex Italia advecto parcit.*] *Advecto*, supple *frumento*; quod à proxima periodo repetendum.

4. *Panormi subducit.*] Vult ex alto deductas novas naves, atque in portu Panormitano locatas fuisse, ut per hiemem siccarentur. Erat autem Panormus jam tum urbs ex Siciliæ primariis. Nunc *Palermo*.

5. *In pertinaces ad obtinendam injuriam.*] Italicos intelligit, qui in facta incolis injuria pertinaciter perseverabant. Ita Cic. pro Quint. *Ut omnes intelligant non ad mendacium obtinendum, sed ad verum probandum, auctoritatem adjuvare*.

6. *Enixiùs ad bellum adjuverunt.*] Sic meliùs, quam ut vulgo, *enixiùs bellum adjuverunt*. Persona enim adjuvatur, non res. Ut proximè apud Cic. pro Quint. item pro Archia. *Qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem, literis adjuvarentur*, &c.

7. *Illergete Indibili.*] Hic Indibilis frater Mandonii dicitur, cumque ad Scipionem pacis petendæ causa delegasse narratur lib. 28. cap. 34. Populares eorum Lacetani nominantur, quos ad bellum ambo concitaverant eod. lib. cap. 24. Unde igitur nunc Indibilis Illergetum regulus? Conjicere licet eos neutri horum populorum in totum imperasse, sed parti utriusque, quà hæ gentes duæ interfluente fermè Sicori dirimebantur.

Urb. cond. an. 548. Coss. P. Corn. Scip. & P. Licin. Crasso,

adversus Annibalem eum arcessitum. præterquam quod nomina tantum ducum in Hispania Romani haberent, exercitum quoque inde veterem deductum. Trepida omnia, [8] ut inconditam turbam tyronum, esse. numquam talem occasionem liberandæ Hispaniæ fore. Servitum ad eam diem aut Carthaginiensibus aut Romanis; nec invicem his aut illis, sed interdum utrisque simul. pulsos ab Romanis Carthaginienses, ab Hispanis, si consentirent, pelli Romanos posse. ut ab omni externo imperio soluta in perpetuum Hispania in patrios rediret mores ritusque. Hæc aliaque dicendo, non populares modo, sed Ausetanos quoque vicinam gentem concitat, & alios finitimos sibi atque illis populos. itaque intra paucos dies triginta millia peditum, quatuor ferme equitum in Sedetanum agrum, quo edictum erat, convenerunt.

II. Romani quoque imperatores, L. Lentulus & L. Manlius Acidinus, ne glisceret, prima negligendo, bellum; junctis & ipsi exercitibus per agrum Ausitanum, ([a] hostico, tanquam pacato, clementer ductis militibus), ad sedem hostium pervenere. trium millium spatio procul à castris eorum posuerunt castra. Primo per legatos nequicquam tentatum, ut discederetur ab armis, dein quum in pabulatores Romanos impetus repente ab equitibus Hispanis factus esset, summisso ab statione Romana equitatu, prælium equestre fuit; haud sane memorando in partem ullam eventu. Sole oriente postero die armati instructique omnes mille ferme passus procul castris Romanis aciem ostendêre. Medii Ausetani erant: cornua dextrum Ilergetes, lævum ignobiles tenebant Hispani populi. Inter cornua & mediam aciem intervalla patentia satis latè fecerant; qua equitatum, ubi tempus esset, emitterent. Et Romani more suo exercitum quum instruxissent, [1] id modo hostium imitati sunt, ut inter legiones & ipsi patentes equiti relinquerent vias. Cæterum Lentulus ei parti usum equitis fore ratus, quæ prior [2] in dehiscentem intervallis hostium aciem equites emisisset; Ser. Cornelio tribuno militum imperat, equites per patentes in hostium acie vias [b] permittere equos jubeat: ipse cœpta parum prospere pedestri pugna, tantum moratus, dum cedenti duodecimæ legioni, quæ in lævo cornu adversus Ilergetes locata erat; [c] tertiam decimam legionem ex subsidiis in primam

INTERPRETATIO.

a *Per hostilem terram, perinde ac si pacifica esset.*

b *Equitibus imperet, ut laxatis habenis equos impellant.*

c *Ex secunda acie in primam ducit legionem decimam tertiam ad firmandum cornu sinistrum.*

NOTÆ.

8. *Ut inconditam turbam.*] *Ut*, pro *velut*, *tanquam*.

1. *Id modo hostium imitati sunt.*] An non Romani recepto usu intervalla patentia relinquebant inter legiones? Id tamen antea vidimus. Relinquebant illi quidem: sed minora; nunc autem majora, & instar viarum.

2. *In dehiscentem intervallis.*] Vult ex suarum copiarum intervallis in eam partem hostilis exercitus, quæ paribus intervallis, seu viis apertis hiabat.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

aciem firmamentum ducit. Posteaquàm æquata ibi pugna est, ad L. Manlium inter prima signa hortantem, ac subsidia quibus res postulabat locis inducentem, venit. indicat tuta ab lævo cornu esse: jam missum ab se Cornelium Servium procella equestri hostes circumfusurum. Vix hæc dicta dederat, quum Romani equites in medios invecti hostes, simul pedestres acies turbarunt, simul equitibus Hispanorum viam immitendi equos clauserunt. Itaque omissa pugna equestri, ad pedestrem Hispani descenderunt. Romani imperatores, ut turbatos hostium ordines & trepidationem pavoremque, & fluctuantia viderunt signa, hortantur, orant milites, *instent perculsis, nec restitui aciem patiantur*. non sustinuissent tam infestum impetum barbari, ni regulus ipse Indibilis, cum equitibus ad pedes degressus, ante prima signa peditum se objecisset. Ibi aliquandiu atrox pugna stetit. tandem postquam ii, qui circa regem d semineceem restantem, deinde pilo terræ affixum, pugnabant, obruti telis occubuerunt; tum fugâ passim cœpta: plures cæsi, quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat, & quia perculsis acriter institerunt Romani. nec ante abscessum est, quam castris quoque exuerunt hostem. 3 Tredecim millia Hispanorum cæsa eo die, octingenti ferme capti. Romanorum sociorumque paulo amplius ducenti, maxime in lævo cornu ceciderunt. Pulsi castris Hispani aut qui ex prælio effugerant, sparsi primo per agros, deinde in suas quisque civitates redierunt.

III. Tum à Mandonio evocati in concilium, conquestique ibi clades suas, increpitis auctoribus belli, legatos mittendos ad arma tradenda, deditionemque faciendam censuerunt. Quibus culpam in auctorem belli Indibilem cæterosque principes, quorum plerique in acie cecidissent, conferentibus, tradentibusque arma & dedentibus sese, responsum est: *In deditionem ita accipi eos, si Mandonium cæterosque belli concitatores tradidissent vivos: sin minus; exercitus se in agrum Illergetum Ausetanorumque, & deinceps aliorum populorum ducturos*. Hæc dicta legatis, renunciataque in concilium. Ibi Mandonius, cæterique principes comprehensi & traditi ad supplicium. Hispaniæ populis reddita pax: stipendium ejus anni duplex, & 1 frumentum sex mensium imperatum, sagaque & togæ exercitui, & obsides ab triginta ferme populis accepti. Ita Hispaniæ rebellantis tumultu haud magno motu intra paucos dies concito & compresso, in Africam omnis terror versus. C. Lælius nocte 2 ad Hipponem Regium cum accessisset, luce prima ad populandum agrum, sub

INTERPRETATIO.

d *Qui pene exanimatus adhuc resistebat.*

NOTÆ.

3. *Tredecim millia Hispanorum cæsa.*] In Put. aliisque legitur *Decem tria millia Hispanorum*.

1. *Frumentum sex mensium.*] Put. *sex mensum*. Quomodo Ovid. non semel: notatque Priscianus sic aliàs usurpatum.

2. *Ad Hipponem regium.*] In Numidia fuit: nunc in regno Algeriensi, ejusque parte Orientali. Ex Hippone Hipponam fecere, ut ex Narbone Narbonam. Ex

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso,

signis milites sociosque navales duxit. Omnibus, pacis modo incuriose agentibus, magna clades illata: nunciique trepidi Carthaginem terrore ingenti complevere, classem Romanam, Scipionemque imperatorem (& fama fuerat jam in Siciliam transgressum) advenisse. Nec quot naves vidissent, nec quanta manus agros popularetur, satis gnari, omnia in majus metu augente, accipiebant. itaque primo terror pavorque, deinde mœstitia animos incessit: *tantum fortunam mutasse, ut qui modò ipsi exercitum ante mœnia Romana habuissent victores, stratisque tot hostium exercitibus, omnes Italiæ populos aut vi aut voluntate in deditionem accepissent; ii, verso Marte, Africæ populationes & obsidionem Carthaginis visuri forent: nequaquam pari ad patienda ea robore, ac Romani fuissent. Illis Romanam plebem, illis Latium juventutem præbuisse; majorem semper frequentioremque pro tot cæsis exercitibus subolescentem. Cæterùm suam plebem, imbellem in urbe, imbellem in agris esse. mercede parari auxilia* [3] *ex Afris, gente in omnem auram spei mobili atque infida. Jam reges, Syphacem post colloquium cum Scipione alienatum: Masanissam aperta defectione, infestissimum hostem, nihil usquam spei, nihil auxilii esse. Nec Magonem ex Gallia movere tumultus quicquam, nec conjungere sese Annibali: & Annibalem ipsum jam & fama senescere, & viribus.*

IV. In hæc deflenda prolapsos ab recenti nuncio animos, rursus terror instans revocavit ad consultandum, quonam modo obviam præsentibus periculis iretur. Delectus raptim in urbe agrisque haberi placet, mittere ad conducenda Afrorum auxilia, munire urbem, frumentum convehere, tela, arma parare, instruere naves, ac mittere ad Hipponem adversus Romanam classem. Jam hæc agentibus nuncius tandem venit, Lælium, non Scipionem, copiasque, quantæ ad incursiones agrorum satis sint, transvectas, [1] summæ belli molem adhuc in Sicilia esse. Ita respiratum, mittique ad Syphacem legationes, aliosque regulos, firmandæ societatis caussa, cœptæ. Ad Philippum quoque missi, qui [2] ducenta argenti talenta pollicerentur, ut in Siciliam aut Italiam trajiceret. Missi [3] ad duos imperatores in Italiam, ut omni terrore Scipionem retinerent; ad Magonem non legati modo, sed vigintiquinque naves longæ, sex millia peditum, octingenti equites, septem elephanti, ad hoc magna pecunia ad

N O T Æ.

corrupte hodie *Bona* Arabum more, qui litera *p* destituti, pro ea *b*, vel *f* pronunciant.

3. *Ex Afris*.] Carthaginienses quidem ipsi in Africa: sed inspecta origine Syri, & sic diversi lingua moribusque ab indigenis Africæ.

1 *Summæ belli molem*.] Ita ex optimo libro legit Gron. plerique tamen habent. *summam belli molem*: utrum malueris, haud multum, opinor, refert. *Summa* enim dicitur pro capite rerum, sive pro eo quod præcipuum est in unaquaque re. Gall. *le capital, le principal*: at verò *moles*, est quod pondus ingens & momentum habet, *le gros*.

2. *Ducenta argenti talenta*.] Respondet hæc summa ducentis octoginta nostratium librar. in millibus.

3. *Ad duos imperatores*.] Annibalem & Magonem.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

conducenda auxilia, quibus fretus propius urbem Romanam exercitum admoveret, conjungeretque se Annibali. Hæc Carthagine parabant agitabantque. ad Lælium prædas ingentes ex agro inermi ac nudo præsidiis agentem, Masanissa fama Romanæ classis excitus, cum equitibus paucis venit. *Is segniter rem agi ab Scipione questus, quod tum non jam exercitum in Africam trajecisset, perculsis Carthaginiensibus, Syphace impedito finitimis bellis,* 4 *quem incertum hærere; si spatium ad sua ut velit componenda detur, nihil sincera fide cum Romanis acturum.* 5 *Hortaretur, ac stimularet Scipionem ne cessaret, se, quanquam regno pulsus esset, cum haud contemnendis copiis affuturum peditum equitumque: nec ipsi Lælio morandum in Africa esse. classem credere profectam à Carthagine, cum qua absente Scipione non satis tutum esset contrahi certamen.*

V. Ab hoc sermone dimisso Masanissa, Lælius postero die naves prædà onustas ab Hippone solvit, revectusque in Siciliam, mandata Masanissæ Scipioni exposuit. Eisdem ferme diebus naves, quæ ab Carthagine ad Magonem missæ erant; inter Albigaunos Ligures, Genuamque accesserunt. In iis locis tum forte Mago tenebat classem: qui legatorum auditis verbis, jubentium exercitus quam maximos comparare; extemplo Gallorum & Ligurum (namque utriusque gentis ingens ibi multitudo erat) concilium habuit. *& missum se ad eos vindicandos in libertatem* ait; *&, ut ipsi cernant, mitti sibi ab domo præsidia: sed quantis viribus, quanto exercitu id bellum geratur, in eorum potestate esse. Duos exercitus Romanos, unum in Gallia, alterum in Etruria esse. satis scire, Sp. Lucretium se cum M. Livio juncturum. multa millia ipsis etiam armanda esse, ut duobus ducibus, duobus exercitibus Romanis resistatur.* Galli, *summam ad id suam voluntatem esse,* dicere; *sed quum una castra Romana intra fines, altera* 1 *in finitima terra Etruria propè in conspectu habeant; si palàm fiat auxiliis adjutum ab sese Pœnum, extemplo infestos utrinque exercitus in agrum suum incursuros. ea ab Gallis desideraret, quibus occultè adjuvari posset. Liguribus, quod procul agro urbibusque eorum castra Romana sint, libera consilia esse. illos armare juventutem, & capessere pro parte bellum æquum esse.* Ligures haud abnuere; tempus modo duorum mensium petere ad delectus habendos. Interim Mago milites, Gallis dimissis, clam per agros eorum mercede conducere. commeatus quoque omnis generis

NOTÆ.

4. *Quem incertum hærere.*] Emendatio est Gronovii, ex eo deducta quod in plurimis Codicibus habetur: *quem incertum habere.* Sententia esset adhuc Syphacem ambiguum esse. Gall. *que Syphax estoit encore irresolu.* Verùm *si detur ei tempus stabiliendi res suas, mala fide usurum erga Romanos.* Vulgata lectio autem est: *quem certum haberet; si spatium, &c.* Ea planum habet sensum: est enim quasi diceret Masinissa: *se pro comperto habere Syphacem, si ei spatium daretur, &c.*

5. *Hortaretur.*] Nempe Lælius.

1. *In finitima terra Etruria.*] Non minus finitima Liguriæ Etruria quàm Galliæ Cisalpinæ. Sed in ea parte Etruriæ, quæ ad Apenninum Gallis propior, erat cum exercitu M. Livius proconsul.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

occulte ad eum à Gallicis populis mittebantur. M. Livius exercitum volonum ex Etruria in Galliam traducit; junctusque Lucretio, [2] si se Mago ex Liguribus propius urbem moveat, obviam ire parat; si Pœnus sub angulo Alpium quietus se contineat, & ipse in eadem regione circa Ariminum, Italiæ præsidio futurus.

VI. Post reditum ex Africa C. Lælii, & Scipione stimulato Masanissæ adhortationibus, & militibus prædam ex hostium terra cernentibus totâ classe efferri, accensis ad trajiciendum quam primum, intervenit majori minor cogitatio, Locros urbem recipiendi, quæ sub defectionem Italiæ desciverat & ipsa ad Pœnos. Spes autem [1] affectandæ ejus rei ex minima re affulsit: latrociniis magis quam justo bello in Brutiis gerebantur res; principio ab Numidis facto; & Brutiis, non societate magis Punica, quam suopte ingenio congruentibus in eum morem. Postremo Romani quoque jam contagione quadam, rapto gaudentes, quantum per duces licebat, excursiones in hostium agros facere. Ab iis egressi quidam urbe Locrenses circumventi, Rhegiumque abstracti fuerant. in eo captivorum numero fabri quidam fuere, assueti fortè apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere. Ii cogniti ab Locrensium principibus, qui pulsi ab adversa factione, quæ Annibali Locros tradiderat, Rhegium se contulerant, quum cætera percunctantibus ([2] ut mos est iis qui diu absunt) quæ domi agerentur, exposuissent; spem fecerunt, si redempti ac remissi forent, arcem se iis tradituros. ibi se habitare, [a] fidemque sibi rerum omnium inter Carthaginienses esse. Itaque [3] ut qui simul desiderio patriæ angerentur, simul cupiditate inimicos ulciscendi arderent, redemptis extemplo iis remissisque, quum ordinem agendæ rei composuissent, [4] signaque quæ procul edita observarent; ipsi ad Scipionem Syracusas profecti, apud quem pars exulum erat, referentes ibi promissa captivorum, [b] quum spem ab effectu haud abhorrentem consuli fecissent; tribuni militum cum iis M. Sergius & P. Matienus missi, jussique ab Rhegio tria millia militum Locros ducere. & Q. Pleminio proprætori scriptum, ut rei agendæ adesset. Profecti ab Rhegio, scalas [c] ad editam altitudinem arcis fabricatas portantes, media ferme nocte ex eo loco, unde convenerat, signum dedere proditori-

INTERPRETATIO.

a *Affirmabant hi fabri, Pœnos fidem ipsis habere de omnibus rebus.*

b *Cum Scipioni spem dedissent, quam sequuturus non improbabiliter affectus videbatur.*

c *Respondentem arcis altitudini, quæ prædicta & indicata fuerat à fabris.*

NOTÆ.

2. *Si se Mago ex Liguribus propius urbem moveat.*] Aliàs *si Mago propius urbem moveat*, absolutè absque pronomine *se*. *Propius urbem* eadem forma ac *prope urbem*.

1. *Affectandæ ejus rei.*] Censet Gron. delendum esse illud *rei*, & subintelligendum esse *urbis*, scilicet Locrorum.

2. *Ut mos est iis qui diu absunt.*] In plerisque scriptis legitur, *ut mos est qui diu absunt*: quod cur Gronovio magis arrideat haud *satis perspicio*.

3. *Ut qui.*] Locrensium nempe Principes, exulantes apud Rhegium.

4. *Signaque.*] Repete *composuissent*; id est, de signis convenissent.

bus arcis. qui parati intentique, & ipsi scalas ad idipsum factas cum demisissent, pluribusque simul locis scandentes accepissent; priusquam clamor oriretur, in vigiles Pœnorum, ut in nullo tali metu sopitos, impetus est factus. quorum gemitus primo morientium exauditus; deinde subita consternatio ex somno, & tumultus, quum caussa ignoraretur; postremo certior res, aliis excitantibus alios. jamque ad arma pro se quisque vocabat: [5] hostes in arce esse, & cædi vigiles. oppressique forent Romani, nequaquam numero pares, [d] ni clamor ab iis, qui extra arcem erant, sublatus, incertum unde accidisset (omnia vana augente nocturno tumultu) fecisset. Itaque velut plena jam hostium arce territi Pœni, omisso certamine, in alteram arcem (duæ sunt haud multum inter se distantes) confugiunt. Oppidani urbem habebant; victoribus præmium in medio positam. Ex arcibus duabus præliis quotidie levibus certabatur. Q. Pleminius Romano, Amilcar Punico præsidio præerat: & arcessentes ex propinquis locis subsidia, copias augebant. Ipse postremo veniebat Annibal. nec sustinuissent Romani, nisi Locrensium multitudo exacerbata superbiâ atque avaritiâ Pœnorum, ad Romanos inclinasset.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

VII. Scipioni ut nunciatum est, in majore discrimine Locris rem verti, ipsumq; Annibalem adventare; ne præsidium etiam periclitaretur [a] haud facili inde receptu, & ipse à Messana, L. Scipione fratre in præsidio ibi relicto, [1] quum primum æstu fretum inclinatum est, naves mari secundo misit; Et Annibal [2] à Butroto amni (haud procul is ab urbe Locris est) nuncio præmisso, ut sui luce prima summa vi prælium cum Romanis ac Locrensibus consererent, dum ipse, aversis omnibus in eum tumultum, ab tergo urbem incautam aggrederetur; ubi luce cœptam invenit pugnam, ipse nec in arcem se includere, [b] turbâ locum arctum impediturus, voluit: neque scalas, quibus scanderent muros, attulerat: sarcinis in acervum conjectis, quum haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus Numidis circumequitabat urbem, dum scalæ, quæque alia ad oppugnandum opus erant, parantur; ad visendum quâ maxime parte aggrederetur. progressus ad murum, [c] scorpione icto,

INTERPRETATIO.

d *Nisi tumultus nocturnus, omnia vana multiplicans incertum Pœnis fecisset unde provenisset clamor.*

a *Ita ut non facile inde recedere posset, seque* in tutum locum *recipere.*

b Veritus *ne arci* nimis *arcta incommodo esset*, si eam majori quam par esset numero defensorum opplevisset.

c *Cum is qui proximus illi erat scorpionis ictu vulneratus fuisset.* Ipse Scipio *perterrefactus, &c.*

NOTÆ.

5. *Hostes in arce esse.*] Supple *dicebat quisque.*

1. *Quum primum fretum æstu inclinatum est.*] Gall. *Aussi-tost que la marée fut basse dans le destroit.*

2. *A Butroto.*] Exiguus in Brutiis fluvius, in sinum Locrensem paulò supra Locros defluens, vulgo *Novito* in ulteriori Calabria, ut Barrius testatur.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

qui proximus eum forte steterat; territus inde tam periculoso casu, receptui canere quum jussisset, castra procul ab ictu teli communiit. Classis Romana à Messana Locros d aliquot horis die superante accessit: expositi omnes è navibus, & ante occasum solis, urbem ingressi sunt. Postero die cœpta ex arce à Pœnis pugna: & Annibal jam scalis, aliisque omnibus ad oppugnationem paratis, subibat muros, quum repente in eum nihil minus quam tale quicquam timentem, patefactâ portâ erumpunt Romani. e ad ducentos improvidos cum invasissent, occiduut. cæteros Annibal, ut consulem adesse sensit, in castra recipit: nuncioque misso ad eos, qui in arce erant; ut sibimetipsis consulerent, nocte motis castris abiit. Et qui in arce erant, igni injecto tectis, quæ tenebant, ut vis tumultus hostem moraretur, agmen suorum, fugæ simili cursu, ante noctem assecuti sunt.

VIII. Scipio ut & arcem relictam ab hostibus & vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses, graviter ob defectionem incusavit: de auctoribus supplicium sumpsit, bonaque eorum alterius factionis principibus, ob egregiam fidem adversus Romanos, concessit. publice nec dare, nec eripere se quicquam Locrensibus, dixit, *Romam mitterent legatos: quam senatus æquum censuisset, eam fortunam habituros. Illud satis scire, etsi male de populo Romano meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quam sub amicis Carthaginiensibus fuerint*. Ipse Q. Pleminio legato præsidioque quod arcem ceperat, ad tuendam urbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam trajecit. Ita superbe & crudeliter habiti Locrenses à Carthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant, ut modicas injurias non æquo modo animo pati, sed prope lubenti possent. verum enimvero tantum Pleminius Amilcarem præsidii præfectum, tantum præsidiarii milites Rom. Pœnos scelere atque avaritia superaverunt, ut non armis, sed vitiis videretur certari. nihil omnium, quæ inopi invisas opes potentioris faciunt, prætermissum in oppidanos est ab duce aut à militibus: in corpora ipsorum, in liberos, in conjuges infandæ contumeliæ editæ. Nam avaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit: nec alia modo templa violata; sed Proserpinæ etiam, intacti omni ætate, thesauri; a præterquam quod à Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias retulit, spoliati dicebantur. Ergo sicut ante regiæ naves laceratæ naufragiis nihil in terram integri, præter sacram pecuniam Deæ, quam asportabant, extulerant: tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem objecit, atque inter se ducem in ducem, militem in militem rabie hostili vertit.

IX. Summæ rei Pleminius præerat: militum pars sub eo, quam ipse

INTERPRETATIO.

d *Cum diurnæ aliquot horæ superessent.*

e Romani *impressione factâ occiderunt incautos ferè ducentos è Pœnis.*

a *Nisi quod ferebatur eos raptos à Pyrrho, qui tamen sacrificiis expiatoriis accuratè factis, reposuerat spolia per sacrilegium rapta.*

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

ab Regio abduxerat, pars sub tribunis erat. Rapto poculo argenteo ex oppidani domo Pleminii miles fugiens, sequentibus quorum erat, obvius forte Sergio & Matieno tribunis militum fuit. cui quum jussu tribunorum ademptum poculum esset; jurgium inde & clamor, pugna postremo orta inter Pleminii milites, tribunorumque; [a] ut suis quisque opportunus advenerat, multitudine simul ac tumultu crescente. Victi Pleminii milites, quum ad Pleminium cruorem ac vulnera ostentantes non sine vociferatione atque indignatione concurrissent, probra in eum ipsum jactata in jurgiis referentes; accensus ira domo sese proripuit, vocatosque tribunos nudari, ac virgas expediri jubet. Dum spoliandis iis (repugnabant enim, [1] militumque implorabant auxilium) tempus teritur; repente milites feroces recenti victoria, ex omnibus locis, velut adversus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt; & quum violata jam virgis corpora tribunorum vidissent, tum verò in multo impotentiorem subito rabiem accensi, sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt. tum ipsum, [b] ab suis interceptum & seclusum, hostiliter lacerant, & prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. His Messanam nunciatis, Scipio post paucos dies Locros [2] hexeri advectus, quum caussam Pleminii & tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictoque in ejusdem loci præsidio, tribunis sontibus judicatis, & in vincula conjectis, ut Romam ad senatum mitterentur, Messanam atque inde Syracusas redit. Pleminius impotens iræ, neglectam ab Scipione & nimis leviter latam suam injuriam, ratus; nec quenquam æstimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem ejus patiendo sensisset: tribunos attrahi ad se jussit; laceratosque omnibus, quæ pati corpus ullum potest, suppliciis interfecit: nec satiatus vivorum pœna, insepultos projecit. Simili crudelitate & in Locrensium principes est usus, quos ad conquerendas injurias ad P. Scipionem profectos audivit. & quæ antea per libidinem atque avaritiam fœda exempla in socios ediderat; tunc ab ira multiplicia edere: [c] infamiæ atque invidiæ non sibi modo, sed etiam imperatori esse.

X. Jam comitiorum appetebat tempus, quum P. Licinii consulis literæ

INTERPRETATIO.

a *Prout unusquisque opportune occurrebat iis qui earundem partium erant.*

b Pleminium, *quem à suis* militibus *distraxerant, & abduxerant.*

c *Non tantùm* ad proprium, *sed ad consulis etiam dedecus & opprobrium* pertinentia.

NOTÆ.

1. *Militumque implorabant auxilium.*] Alii cum Rhen. *militumque fidem implorabant*. Put. *militumque implorabant*. Unde Gronov. correxit, *militemque implorabant*. Sed hæc tanti non sunt.

2. *Hexeri advectus*.] Dicitur *hexeres*, vel *hexeris*, pro navigio quod sex ordinibus remorum agitur, ut trieres seu triremis, pro trium ordinum navi.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

Romæ allatæ, *se, exercitumque suum* [1] *gravi morbo afflictari;* [2] *nec sisti potuisse, ni eadem vis mali, aut gravior etiam, in hostes ingruisset. Itaque quoniam ipse venire ad comitia non posset, si ita Patribus videretur, se Q. Cæcilium Metellum dictatorem comitiorum caussa dicturum: exercitum Q. Cæcilii dimitti, è republica esse. Nam neque usum ejus ullum in præsentia esse, quum Annibal jam in hiberna suos receperit: & tanta incesserit in ea castra vis morbi, ut nisi mature dimittantur, nemo omnium superfuturus videatur.* ea consuli à Patribus facienda, ut è republica fideque sua duceret, permissa. Civitatem eo tempore [3] repens religio invaserat, invento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum, inspectis. *Quandoque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si* [4] *mater Idæa* [5] *à Pessinunte Romam advecta foret.* Id carmen ab decemviris inventum eo magis Patres movit, quod & legati, qui donum Delphos portaverant, referebant; & [6] sacrificantes ipsos Pythio Apollini litavisse, & responsum oraculo editum, *majorem multo victoriam, quam cujus ex spoliis dona portarent, adesse populo Romano.* In ejusdem spei summam conferebant P. Scipionis velut præsagientem animum de fine belli, quod depoposcisset provinciam Africam. Itaque [a] quò maturiùs [7] fatis, ominibus oraculisque portendentis sese victoriæ compotes fierent, id cogitare, quæ ratio transportandæ Romam Deæ esset.

XI. Nullas dum in Asia civitates socias habebat populus Romanus: tā-

INTERPRETATIO.

a *Ut celeriùs potirentur victoria, quæ se ostendebat per fata; omina & oracula.*

NOTÆ.

1. *Gravi morbo afflictari.*] Quidam è melioribus scriptum habent *adfectari*. Unus *gravi morbo affectum*, quod malim.

2. *Nec sisti potuisse.*] Intelligi posse videtur *morbum*, cujus antea mentio. Sed aliud suadent quæ sequuntur; neque enim gravior morbus hostium sisteret morbum Romanorum. Igitur *sisti potuisse* ita hìc accipi debet, ut lib. 4. cap. 12. ut sit non potuisse salvum esse, & consistere exercitum. Gall. *Il n'y avoit pas moyen de subsister.*

3. *Repens religio.*] Alias *recens*.

4. *Mater Idæa.*] Cybele, aliter Ops, Rhea, Tellus, Mater Deorum dicebatur; aut etiam Magna Mater, quod Dii ex hominibus facti ac Terrâ orti essent. Cognominabatur autem Idæa, ab Ida monte Phrygiæ minoris, sive Troadis; qui Paridis Judicio cognitus, quo in monte Cybelem Phryges speciali cultu venerabantur.

5. *A Pessinunte.*] Urbs Galatiæ Asiaticæ ad fines magne phrygiæ, amnemque Sangarium, nunc *Possene* in Natolia.

6. *Sacrificantes ipsos.*] Nullibi sic legitur; sed *sacrificantibus ipsis Pythio Apollini lata fuisse*, ubi deesse videtur *exta*, quod addunt vulgares editiones.

7. *Fatis, ominibus.*] Ita scribendum *ominibus*, pro *omnibus*, censet Gronov. quem vide observ. 4. cap. 15. *fata* hìc significant libros Sibyllinos; *Omina* lapideum imbrem; *Oracula* responsum Apollinis Pythii.

men

men memores, [1] Æsculapium quoque [2] ex Græcia, quondam haud dum ullo fœdere sociata, valetudinis populi caussa arcessitum, & jam eum Attalo rege propter commune adversus Philippum bellum cœptam amicitiam esse; facturum eum quæ possit, populi Romani caussa: legatos ad eum decernunt, M. Valerium Lævinum, qui bis consul fuerat, ac res in Græcia gesserat, M. Cæcilium Metellum prætorium, Ser. Sulpicium Galbam ædilitium, duos quæstorios, C. Tremellium Flaccum, & M. Valerium Faltonem. His quinque naves quinqueremes, ut ex dignitate populi Romani adirent eas terras, ad quas concilianda majestas nomini Romano esset; decernunt. Legati Asiam petentes protinus [3] Delphos quum ascendissent, oraculum adierunt, consulentes, [a] ad quod negotium domo missi essent, perficiendi ejus quam sibi spem populoque Romano portenderet. Responsum esse ferunt, *Per Attalum regem compotes ejus fore quod peterent. quum Romam Deam devexissent, tum curarent, ut eam qui vir optimus Romæ esset, hospitio exciperet.* [4] Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrumque iis lapidem, quem matrem Deûm incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportare Romam jussit. Præmissus ab legatis M. Valerius Falto, nunciavit, *Deam apportari: quærendum virum optimum in civitate esse, qui eam rite hospitio exciperet.* Q. Cæcilius Metellus dictator ab consule in Bruttiis comitiorum caussa dictus, exercitusque ejus dimissus: magister equitum L. Veturius Philo. Comitia per dictatorem habita. Consules facti M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus ab-

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

INTERPRETATIO.

a *Quærentes quam spem daret exequendæ ejus rei ob quam Romani legati erant.*

NOTÆ.

1. *Æsculapium.*] Vide lib. 10. cap. 47. quemadmodum autem aliorum Deorum nomina pluribus tributa leguntur, ita & Æsculapii qui Græcis ἀσκληπιός, tribus præsertim Medicinæ arte præstantibus, quos Cic. recenset lib. 3. de nat. Deor. Primus cæteris notior, & Apollinis filius fuit: ex illo nati feruntur Podalirius & Machaon, eadem arte insignes tempore belli Trojani: quos tamen Apollinis filios eo sensu appellatos verisimile est, quo Medicorum filios Græci vocant ipsos Medicos.

2. *Ex Græcia.*] Nempe ab *Epidauro* Peloponnesi civitate, in Argia, ad sinum Saronicum: nunc Nigro *Pigiada*, Pineto *Æsculapio*; nisi potius servato veteri nomine *Epidauro*. Inde advectum Anguem sub Æsculapii nomine, indicat noster extremo lib. 10. memorat Epitome xi. cujus Supplementum vide cap. 12. Diversa hæc urbs ab *Epidauro Limera*, quæ in Laconia ad ingressum sinus Argolici, postea *Monembasia*, hodie corruptè *Malvasia*, itemque ab *Epidauro* Illyrici, nunc *Ragusa*.

3. *Delphos cum ascendissent.*] Reg. *cum escendissent*; eodem sensu. Etenim Delphi loco edito ad Parnassum erant.

4. *Pergamum.*] Urbs Asiæ minoris fuit Pergamus vel Pergamum. Ptol. majori Mysiæ ascribit. Erat in confinio minoris Phrygiæ. Clarissima hujus Asiæ civitas teste Plinio; postquam Philetærus ejusque successores Asiæ reges sedem in ea fixerunt. Eam intermeabat Selinus amnis, præfluebat Cetius, profusus Pindaso monte; nec procul fluit Caicus ex Teuthrania ortus: quam regionem Mysi antiquitus tenuere. Vocatur hodie *Bargam*. Ibi inventus est membranarum usus, quas ideo chartas Pergamenas appellamus. Natus ibi postea Galenus Medicus. Aliud fuere *Pergama* arx Trojæ urbis.

Urb. Cond. an. 548. Coss. P. Cornel. Scip. & P. Licin. Crasso.

sens, quum provinciam Græciam haberet. Prætores inde creati, Ti. Claudius Nero, M. Marcius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pomponius Matho. Comitiis peractis, dictator se magistratu abdicavit. Ludi Romani ter, plebeji septies instaurati. Curules erant ædiles Cn. & L. Cornelii Lentuli. Lucius Hispaniam provinciam habebat: absens creatus, absens eum honorem gessit. Ti. Claudius Asellus, & M. Junius Pennus plebeji ædiles fuerunt. Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, septimo decimo anno postquam à patre ejus primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat. Et flamen Martialis eo anno est mortuus M. Æmilius Regillus.

Urb. Cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

XII. Neglectæ eo biennio res in Græciâ erant. itaque Philippus Ætolos, desertos ab Romanis, cui uni fidebant auxilio, quibus voluit conditionibus ad petendam & paciscendam subegit pacem. quod nisi omni vi perficere maturasset, bellantem eum cum Ætolis P. Sempronius proconsul, successor imperii missus Sulpicio, cum decem millibus peditum, & mille equitibus, & triginta quinque rostratis navibus (haud parvum momentum ad opem ferendam sociis) oppressisset. Vix dum pace facta nuncius regi venit, Romanos 1 Dyrrhachium venisse: 2 Parthinosque & propinquas alias gentes motas esse ad spem novandi res: 3 Dimallumque oppugnari. 4 Eo se verterant Romani ab Ætolorum, quo missi erant, auxilio: irati, quod sine auctoritate sua adversus fœdus cum rege pacem fecissent. Ea quum audisset Philippus, ne qui motus major in finitimis gentibus populisque oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit: quo Sempronius se receperat; misso Lætorio legato cum parte copiarum, & quindecim navibus in Ætoliam, & ad visendas res, pacemque, si posset,

NOTÆ.

1. *Dyrrachium.*] Taulantiorum caput fuit, Illyrici in Occidentali Macedonia populi ad oram Hadriatici maris. Anteà *Epidamnus* dicebatur. Nunc Italis *Durazzo*, in Albania: nostris *Duras*.

2. *Parthinosque.*] Iidem cum Parthiæis fuere, ni fallor, *Parthini*, ad Aoum fluvium, Eordæis, Elymiotis ac Dassaretiis vicini, in ea quoque parte Macedoniæ, quæ Illyrico finitima, nunc *Albania* vocatur.

3. *Dimallumque oppugnari.*] In Illyrico ad fines Macedoniæ fuit *Dimallum*, ut ex Polybio colligitur, cui *Dimala* est lib. 3. ubi à Demetrio Illyriorum rege munitam fuisse ait sub adventum Æmilii Consulis. Sunt qui *Delminium* putent, quæ Dalmatarum ad Drinum amnem urbs mediterranea fuit haud procul Epidauro, & hodie *Dumno* vocatur, teste Jo. Lucio. Verùm ex Livii narratione videtur *Dimallum* propius Dyrrhachium & Apolloniam fuisse.

4. *Eo se averterant Romani ab Ætolorum, quo missi erant auxilio: irati, &c.*] Planus omnino sensus: sed non ex verbis Livii. Scriptorum optimi habent *eos verterant auxilio, irati* alii aliter. Cod. reg. habebat disertè *auxilia*. Unde conjiciebat Gron. scribendum, *Dimallumque oppugnari, eo se verterant auxilia; irati:* ut *auxilia*, dicantur pro *auxiliarii*, & intelligantur Romani, ad quos referatur τὸ *irati*, figuratâ Syntaxi, cujus obvia exempla. Sic Tacitus 1. Histor. *Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc corporibus & placatis animis, quod eos à Nerone Alexandriam præmissos, &c.* Et apud nostrum lib. 38. *Uti quæ servitia Tyranni liberassent .... ante diem certum abirent; qui ibi mansissent eos prehendendi jus esset.*

Urb. Cond. an. 549. Coss. M. Corn. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

turbandam. Philippus agros Apolloniatium vastavit, & ad urbem admotis copiis, potestatem pugnæ Romano fecit. quem posteaquam quietum muros tantummodo tueri vidit, nec satis fidens viribus ut urbem oppugnaret, & cum Romanis quoque, sicut cum Ætolis, cupiens pacem, si posset; sin minus, inducias facere: nihil ultra irritatis novo certamine odiis, in regnum se recepit. Per idem tempus tædio diutini belli Epirotæ, tentata prius Romanorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misêre; satis confidere conventuram eam affirmantes, si ad colloquium cum P. Sempronio imperatore Romano venisset. Facile impetratum (neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus) ut in Epirum transiret. [5] Phœnice urbs est Epiri: ibi prius collocutus rex cum Eropo, & Darda, & Philippo Epirotarum prætoribus, postea cum P. Sempronio congreditur. Affuit colloquio & Amynander [6] Athamanum rex, & magistratus alii Epirotarum, & Acarnanum. Primus Philippus prætor verba fecit, & petiit simul ab rege, & ab imperatore Romano, ut finem belli facerent, darentque eam Epirotis veniam. P. Sempronius conditiones pacis dixit, ut Parthini, & Dimallum, & [7] Bargulum, [8] & Eugenium, Romanorum essent. [9] Atintania, si missis Romam legatis ab senatu impetrasset, Macedoni accederet. [a] In eas conditiones quum pax conveniret, ab rege fœderi adscripti, Prusia Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ: ab Romanis, Ilienses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses. Hæc conscripta consignataque sunt, & in duos menses induciæ factæ, donec Romam mitterentur legati, ut populus in has conditiones pacem juberet. jusseruntque omnes tribus: quia verso in Africam bello, omnibus aliis in præsentia levari bellis volebant. P. Sempronius pace facta, ad consulatum Romam decessit.

XIII. M. Cornelio, P. Sempronio consulibus (quintusdecimus is

INTERPRETATIO.

a *Sub hisce conditionibus.*

NOTÆ.

5. *Phœnice.*] Epiri urbs fuit in Chaonia regione, medio fermè itinere inter Onchesmum oppidum maritimum & Acroceraunios montes, qui nunc *Chimera*.

6. *Athamanum rex.*] *Athamania* regiuncula in Epiro, ultra Acheloum tamen: unde Athamanes Ætoliæ ascribuntur à Plinio.

7. *Bargulum.*] Vide an sit *Pyrgus* ad ostia Genusii fluvii. Hæc sanè omnia in Illyrici & Macedoniæ confinio fuisse oportet, non ità procul Dyrrhachio, circa Parthinos & Apolloniam.

8. *Eugenium.*] Ignotum Geographis nomen. Fortè *Leusinium* Dalmatiæ oppidum, Antonino memoratum: aut *Æginium* potiùs, quod oppidum fuit Tymphæorum, qui Atintanibus ad Ortum, in confinio Epiri & Macedoniæ occiduæ.

9. *Atintania si missis Romam legatis, ab Senatu impetrasset, &c.*] Sic Put. aliique ex optimis, optimè: præ quibus nullius momenti habenda Sigonianorum codicum menda. Erat autem *Atintania* Regiuncula in Epiri & Macedoniæ Illyricæ, sive Occidentalis finibus, circa Celydini fontes, sub Acroceraunis montibus.

Urb. Cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

annus Punici belli erat) provinciæ, Cornelio Etruria cum vetere exercitu, Sempronio Brutii, ut novas scriberet legiones, decretæ. Prætoribus, M. Marcio urbana, L. Scribonio Liboni peregrina, & eidem Gallia, M. Pomponio Mathoni Sicilia, Ti. Claudio Neroni Sardinia evenit. P. Scipioni cum eo exercitu, cum ea classe, quam habebat, prorogatum in annum imperium est. item P. Licinio, ut Brutios cum duabus legionibus obtineret; quoad eum in provincia cum imperio morari consuli è republica visum esset. Et M. Livio, & Sp. Lucretio cum binis legionibus, quibus adversus Magonem Galliæ præsidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octavio, ut eum Sardiniam, legionemque Ti. Claudio tradidisset, ipse navibus longis quadraginta maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio prætori in Sicilia Cannensis exercitus duæ legiones decretæ. T. Quintius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam, proprætores, sicut priore anno, cum vetere uterque præsidio obtinerent. De Hispaniæ imperio, quos in eam provinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum proconsules, sicut priore anno tenuissent, obtinere eas provincias jusserunt. Consules delectum habere instituerunt, & ad novas scribendas in Bruttos legiones, & cæterorum (ita enim jussi ab senatu erant) exercituum supplementum.

XIV. Quanquam nondum aperte Africa provincia decreta erat (occultantibus id, credo, Patribus, 1 ne præsciscerent Carthaginienses) tamen in eam spem erecta civitas erat, in Africa eo anno debellatum iri; finemque bello Punico adesse. 2 « Impleverat ea res superstitionum animos: pronique & ad nuncianda, & ad credenda prodigia erant: eò plura vulgabantur, *Duos soles visos:* 3 *& nocte interluxisse:* & 4 *facem Setiæ ab ortu Solis ad occidentem porrigi visam. Tarracinæ portam, Ana-*

NOTÆ.

1. *Ne præsciscerent Carthaginienses.*] Pro *præscirent*; frequentativum pro primitivo; quemadmodum persentisco, pro persentio: ita Virgil. 4. Georg. *Continuoque animos vulgi & trepidantia bello corda licet longè præsciscere.* Vulg. hic, *ne rescirent.*

2. *Impleverat superstitionum.*] Sic scriptum in optimis. Ut *plenus rimarum.*

3. *Et nocte interluxisse.*] Significat inter tenebras obortam lucem, ita ut caligo nocturna brevi fulgore interrumperetur: & quod Gronov. negat correctione opus esse, neque legendum *internoctu luxisse*, mihi satis probatur: tum quod non ita dicatur *internoctu*, quemadmodum *interdiu*; sed huic voci *interdiu* opponi soleat *noctu* vel *nocte*: ut apud nostrum sæpius: veluti lib. 30. *nocte an interdiu opportuniores insidianti essent:* tum quod exemplaria & editi habeant *nocte*. Cæterùm censet idem Gronov. ipsum vocabulum *interdiu*, compositum non esse ex *inter*, & *dies*; quod mihi quoque persuasum. Sic & vocem *interdius* (ex quo resecta ultima littera fit *interdiu*) eadem formâ dici, qua *nudius tertius*, *nudius quartus*: quæ ita dicuntur, pro *nunc dius est*, vel *dies est tertius*: sic *interdiu*, quasi *interim*, vel *interea dum dius est*, vel *dies est*, ut hæc in unam vocem coaluerint, nec declinationem recipiant.

4. *Facem Setiæ.*] De Setia colonia in Volscis, antea diximus. Sed nonnulli libri habent *facem stellæ*, non incommodo sensu. Nec necesse omnino est designari locum ubi fax illa apparuerit.

Urb. Cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

gnia & portam & multis locis murum, de cælo tactum. In æde Junonis Sospitæ Lanuvii cum horrendo fragore strepitum editum. Eorum procurandorum caussa diem unum supplicatio fuit: & novendiale sacrum, quod de cœlo lapidatum esset, factum. Eo accessit consultatio de Matre Idæa accipienda. quam præterquam quod M. Valerius, unus ex legatis, prægressus actutum in Italia fore nunciaverat; recens nuncius aderat, Tarracinæ jam esse. Haud parvæ rei judicium senatum tenebat, qui vir optimus in civitate esset. VERAM CERTE victoriam ejus rei sibi quisque mallet, quam ulla imperia, honoresve suffragio seu Patrum, seu plebis delatos. P. Scipionem, [5] Cneii filium, ejus qui in Hispania ceciderat, adolescentem [6] nondum quæstorium, judicaverunt in tota civitate [7] virum optimum esse. id quibus virtutibus inducti ita judicarint, [a] sicut proditum à proximis memoriæ temporum illorum scriptoribus, libens posteris traderem; ita meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam ire jussus obviam Deæ: isque eam de nave accipere, & in terram elatam tradere ferendam matronis. Postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessit, sicut erat jussus, in salum nave evectus, ab sacerdotibus Deam accepit, extulitque in terram, Matronæ primores civitatis, inter quas [8] unius Claudiæ Quintæ insigne est nomen, accepere: cui dubia (ut traditur) antea fama, clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus, succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa civitate obviam, thuribulis ante januas positis, qua præferebatur, atque incenso thure, precantibus, ut volens propitiaque urbem Romanam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in palatio, pertulere Deam [9] pridie

INTERPRETATIO.

a *Quemadmodum, si scriptum esset à priscis Auctoribus, qui memoria illius ætatis maximè vicini fuere, libenter perscriberem: ita conjecturas meas nolim obtrudere.*

NOTÆ.

5. *Cnei filium.*] Hic P. *Scipio* cognomento *Nasica* Eloquentiâ, Juris scientiâ & Sapientiâ excelluit, atque ob mores omnino amabiles *Corculum* dictus est teste Cicerone in Bruto.

6. *Nondum quæstorium.*] Vide supra de ætate quæstoriâ.

7. *Virum optimum esse.*] Non pauci calamo exaratorum oculis subjiciunt, *virum bonum optimum esse.* Hinc Gronov. scribendum conjicit, *virum bonorum optimum esse*, astruitque veteris lapidis auctoritate. *Honc. oinom. ploerumei. co sentiont. duonorum. optimom. fuisse, virom*, quod posterior ætatis sic scripserit: *Hunc unum plurimi consentiunt bonorum optimũ fuisse.*

8. *Unius Claudia Quinta.*] Aliàs perperam *Claudia Quintia.* Est enim *Quinta* prænomen, etsi posteriori loco scribatur, quæ inversio Livio, & Tacito familiaris. Hujus *Claudia* meminit Sveton. in Tiberio cap. 2. aitque navem ab ea, cum sacris Matris Deûm Idææ obhærentem Tiberino vado, extractam, cum propalam precata esset, ut ita demum sequeretur; si sibi pudicitia constaret. Rem totam fusè describit Ovid. 4. Fastor. à versu 152. & D. quoque August. 10. de civitate Dei, cap. 16.

9. *Pridie Idus Aprilis.*] In fastis Romanis apud Cedrenum, atque ex Ovid. 4. Fastorum constat *Megalesia* Matris Deûm nonis Aprilis celebrata fuisse, non pridie Idus; licet hoc die perlatam fuisse

Urb. Cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

idus Aprilis, isque dies festus fuit. populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniumque, & ludi fuere, [10] *Megalesia* appellata.

XV. Quum de supplemento legionum, quæ in provinciis erant, ageretur; tempus esse, à quibusdam senatoribus subjectum est, quæ dubiis in rebus utcumque tolerata essent, ea dempto jam tandem Deûm benignitate metu, non ultra pati. Erectis exspectatione Patribus, [a] subjecerunt: colonias Latinas duodecim, quæ Q. Fabio & Q. Fulvio consulibus abnuissent milites dare, eas annum jam ferme sextum vacationem militiæ, quasi honoris & beneficii caussa habere: quum interim boni, obedientesque socii, pro fide atque obsequio imperii Romani, continuis omnium annorum delectibus exhausti essent. [b] Sub hanc vocem non memoria magis Patribus renovata rei prope jam obliteratæ, quam ira irritata est. itaque [c] nihil prius referre consules passi, decreverunt, *ut consules magistratus, [1] denosque principes, Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carseolis, Sora, Suessa, Setia, Circeis, Narnia, Interamna,* (eæ namque coloniæ in ea caussa erant) *Romam excirent: iis imperarent, quantum quæque earum coloniarum militum plurimum dedisset populo Romano, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum darent, & equites centenos vicenos. si qua eum numerum equitum explere non posset, pro equite uno tres pedites liceret dare: pedites, equitesque quam locupletissimi*

INTERPRETATIO.

a *Addidere, proposuere.*
b *Post hæc dicta.*
c *Igitur* Senatores *non passi ut Consules quidquam anteà referrent.*

NOTÆ.

in ædem Victoriæ Palatinæ Livius dicat. Id confirmari videtur testimonio Spartiani qui Caracallam octavo Idus Aprilis ipsis Megalentibus interfectum memorat: quanquam octavus Idus non in nonas incidit, sed in postridie nonas: longe minus hæc quadrabunt si vetus aliud Calendarium sequamur, descriptum ex marmore quod est in ædibus Maffejorum Romæ, editumque à Manutiis, & ab Benedicto Aria Montano; cui simile est à Goltzio datum. Ibi enim ludi Matris magnæ conjiciuntur in quartum diem Aprilis, id est, pridie nonas, & quinque sequentibus diebus repetuntur. Utut sit, potest mendum irrepsisse in Livium ut scripserit, *pridie Idus*, cum scribendum fuisset, *pridie nonas*; potuit etiam fieri, ut in alium Diem translata fuerint. Celebrabatur autem magna pompa & conviviis hoc festum, fiebantque Ludi Scenici.

10. *Megalesia appellata.*] Diversa sunt *Megalesia* à Magnis ludis, qui & Romani; de quibus anteà: quamvis *Megalesia*, à nomine Græco μέγαλος deducta videantur, quod significat *magnum*. Horum institutionem & nominis causam Cic. notat in Oratione de Arusp. resp. *Megalensium ludorum tanta religio est, ut ex ultimis terris arcessita in hac urbe consederit. Qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso & appetita religio externa, & Matris Magnæ nomine suscepta declaretur.* Sunt tamen qui à templo ejus Deæ, quod Pessinunte fuerat & *Megalesion* dicebatur, deducant.

1. *Denosque Principes.*] In Curiis municipiorum Decem Primi inter decuriones præcipuæ dignationis erant, de quibus in tit. Cod. de domesticis & protectoribus: Græcè δεκάπρωτοι. Infra hoc ipso capite vocantur Primores Coloniarum.

Urb. Cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

legerentur, mitterenturque, ubicunque extra Italiam supplemento opus esset. Si qui ex iis recusarent, retineri ejus coloniæ magistratus, legatosque placere: neque, si postularent, senatum dari, priusquam imperata fecissent. stipendium præterea iis coloniis d *in millia æris, asses singulos, imperari, exigique quot annis: censumque in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data. dari autem placere eandem, quam populo Romano: deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent.* Ex hoc senatusconsulto accitis Romam magistratibus, primoribusque earum coloniarum, consules quum militem stipendiumque imperassent, alii aliis magis recusare ac reclamare. *negare tantum militum effici posse:* e *vix, si simplum ex formula imperetur, enixuros. Orare, atque obsecrare, ut sibi senatum adire ac deprecari liceret. nihil se, quare perire merito deberent, admisisse: sed si pereundum etiam foret: neque suum delictum, neque iram populi Romani, ut plus militum darent, quam haberent, posse efficere.* Consules obstinati manere legatos Romæ jubent; magistratus ire domos ad delectus habendos, nisi summâ militum, quæ imperata esset, Romam adductâ, [2] neminem iis senatum daturum. Ita præcisa spe senatum adeundi deprecandique, delectus in iis duodecim coloniis, per longam vacationem numero juniorum aucto, haud difficulter est perfectus.

XVI. Altera itidem res, prope æque longo neglecta silentio, relata à M. Valerio Lævino est; qui privatis collatas pecunias, se ac M. Claudio consulibus, reddi tandem æquum esse dixit, *nec mirari quemquam debere, in publica obligata fide suam præcipuam curam esse. Nam præterquam quod aliquid propriè ad consulem ejus anni, quo collatæ pecuniæ essent, pertineret: etiam se auctorem ita conferendi fuisse;* [1] *inopi ærario, nec plebe ad tributum sufficiente.* Grata ea Patribus admonitio fuit: jussisque referre consulibus, decreverunt, [2] *ut tribus pensionibus ea pecunia solveretur: primam præsentem ii qui tum essent, duas tertii & quinti consules numerarent.* Omnes deinde alias curas una occupavit, postquam [3] Locrensium clades, quæ ignoratæ ad eam diem fuerant, legatorum adventu vulgatæ sunt. nec tam Q. Pleminii scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio aut negligentia

INTERPRETATIO.

d *Ut qui mille asses in bonis haberent assem unum præstarent stipendii nomine.*

e *Et si non plus militum quam prius exigatur, secundum formulam antea præscriptam vix à se, quantumcunque nitantur, eum numerum confici posse.*

NOTÆ.

2. *Neminem iis Senatum daturum.*] Consules dicunt *neminem Senatum daturum*, ut ostendant se nolle ad Senatum illos deducere, introducere in *Senatum*. Gall. *Qu'ils ne leur donneroient pas audience dans le Senat.*

1. *Inopi ærario.*] Pleríque libri, *inopia ærarii*, id est, ob inopiam ærarii.

2. *Ut tribus pensionibus.*] Gall. *qu'on payast en trois termes l'argent qui estoit deu; dont le premier payement seroit fait contant par les Consuls qui estoient alors, & que ceux qui seroient Consuls dans trois & dans cinq ans feroient les deux autres payemens.*

3. *Locrensium clades.*] Calamitates significat Locrensibus illatas à Pleminio Præfecto & Romanis militibus.

Urb. Cond. an. 547. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

iras hominum irritavit. Decem legati Locrensium obliti squallore & sordibus, in comitio sedentibus consulibus, velamenta supplicum, 4 ramos oleæ (ut Græcis mos est) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. 5 Quærentibus consulibus, Locrenses se dixerunt esse, *ea passos à Q. Pleminio legato, Romanisque militibus, quæ pati ne Carthaginienses quidem velit populus Romanus. Rogare, ut sibi Patres adeundi, deplorandique ærumnas suas potestatem facerent.*

XVII. Senatu dato, maximus natu ex iis: *Scio*, inquit, *quanti æstimentur nostræ apud vos querelæ, Patres Conscripti, plurimum in eo momenti esse, si probe sciatis, & quomodo proditi Locri Annibali sint, & quomodo pulso Annibalis præsidio, restituti in ditionem vestram. quippe si & culpa defectionis procul à publico consilio absit, & reditum in vestram ditionem appareat, non voluntate solùm, sed ope etiam ac virtute nostra; magis indignemini, bonis ac fidelibus sociis tam atroces atque indignas injurias ab legato vestro militibusque fieri. Sed ego causam utriusque defectionis nostræ in alius tempus differendam arbitror esse duarum rerum gratiâ: unius, ut coram P. Scipione, (qui Locros recepit, omnium nobis recte perperamque factorum testis), agatur: alterius, quod qualescumque sumus, tamen hæc quæ passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dissimulare, Patres Conscripti, nos, quum præsidium Punicum in arce nostra haberemus, multa fœda, indigna, & à præfecto præsidii Amilcare, & ab Numidis Afrisque passos esse. 1 Sed quid illa sunt, collata cum iis, quæ hodie patimur? Cum bona venia, quæso, audiatis, Patres Conscripti, id quod invitus dicam. a In discrimine est nunc humanum omne genus, utrum vos, an Carthaginienses principes orbis terrarum videat: si ex iis, quæ Locrenses aut ab illis passi sumus, aut à vestro præsidio nunc quum maxime patimur, æstimandum Romanum ac Punicum imperium sit; nemo non illos sibi quam vos dominos præoptet. Et tamen videte quemadmodum Locrenses in vos animati sint. Quum à Carthaginiensibus injurias tanto minores acciperemus, ad vestrum imperatorem confugimus: quum à vestro præsidio plusquam hostilia patiamur, nusquam alio quam ad vos querelas detulimus. Aut vos respicietis perditas res nostras, Patres Conscripti; aut ne ab Diis quidem immortalibus quod precemur, quicquam superest. Q. Pleminius legatus missus est cum præsidio ad recipiendos à Carthaginiensibus Locros, & cum eodem ibi relictus est præsidio. In hoc legato vestro* (DANT

INTERPRETATIO.

a *Omnes homines ambigunt, de eo nunc dubitant: utrùm, laborant in discernendo an vos* Romani, an *Pœnos habituri sint dominos.*

NOTÆ.

4. *Ramos oleæ.*] *Oleæ* Pacis & misericordiæ symbolum, unde apud Virgilium: *Paciferaque manu ramum prætendit olivæ.* *Velamenta* dicebantur infulæ quibus supplices utebantur ad commiserationem movendam.

5. *Quærentibus Consulibus.*] Supple quinam essent, & quid petituri venissent.

1. *Sed quid illa sunt, &c.*] Vult ea vix ullius momenti esse, si comparentur cum iis, &c.

ENIM

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

ENIM ANIMUM *ad loquendum libere ultimæ miseriæ) nec hominis quicquam est, Patres Conscripti, præter figuram & speciem, neque Romani civis, 2 præter habitum vestitumque & sonum Latinæ linguæ. Pestis, ac bellua immanis, 3 quales fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ut perniciem navigantium circumsedisse fabulæ ferunt. At si scelus, libidinemque, & avaritiam solus ipse exercere in socios vestros satis haberet, unam profundam quidem voraginem 4 tamen patientiâ nostrâ expleremus. nunc omnes centuriones militesque vestros (adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse voluit) 5 Pleminios fecit: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, constuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum. Quotidie capitur urbs nostra, quotidie diripitur: dies noctesque omnia passim mulierum puerorumque, qui rapiuntur atque asportantur, ploratibus sonant. Miretur qui sciat, quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos qui faciunt, nondum tantarum injuriarum satietas ceperit. Neque ego exsequi possum, nec vobis operæ est audire singula, quæ passi sumus. communiter omnia complectar. Nego domum ullam Locris, nego quemquam hominem expertem injuriæ esse: nego ullum genus sceleris, libidinis, avaritiæ superesse, quod in ullo, qui pati potuerit, prætermissum sit. Vix ratio iniri potest; uter casus civitatis sit destabilior; quum hostes bello urbem cepere, an quum exitiabilis tyrannus vi atque armis oppressit. Omnia, quæ captæ urbes patiuntur, passi sumus, 6 & cum maxime patimur, Patres Conscripti: omnia quæ crudelissimi atque importunissimi tyranni scelera in oppressos cives edunt, Pleminius in nos, liberosque nostros, & conjuges, edidit.*

XVIII. *Unum est, de quo nominatim, & nos queri religio infixa animis cogat, & vos audire & exsolvere rempublicam vestra religione, si ita vobis videbitur, velimus, Patres Conscripti. Vidimus enim cum quanta cæremonia non vestros solum colatis Deos, sed etiam externos accipiatis. Fanum est apud nos Proserpinæ, de cujus sanctitate templi credo aliquam famam ad vos pervenisse Pyrrhi bello: 1 qui cum ex Sicilia rediens Locros*

NOTÆ.

2. *Præter habitum vestitumque.*] Rhen. delet *vestitumque*, quasi idem sit cum habitu, & frustra res eadem duobus vocabulis exprimatur. Videtur tamen aliquid esse discriminis inter ea duo nomina: *habitus* formam seu speciem corporis magis significat, ut apud Plautum, *qualis habitus oris*. Ideoque nihil mirum, si alibi quoque Livius hæc duo tanquam nonnihil diversa usurpavit, veluti lib. 28. *corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco*: & lib. 30. *quibus non lingua, non mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non causa militandi eadem esset*.

3. *Quales fretum quondam.*] Indicat Scyllam & Charybdim.

4. *Tamen patientiâ nostrâ expleremus.*] τὸ *tamen*, intelligendum aliquid indicat præter id quod exprimitur, veluti; quamvis difficile ac propè impossibile sit adeò insatiabilem avaritiam satiare, ac tanquam voraginem explere, expleremus nihilominus.

5. *Pleminios fecit.*] Improbitate sibi omnino pares.

6. *Et cum maximè patimur.*] Hæc meliorum scriptura; vulgaris tamen, & *nunc cum maximè patimur*, id est, *vel maxime*.

1. *Qui cum ex Sicilia rediens.*] De hoc Pyrrhi naufragio, præter Plut. videndus Valer. Max. lib. 1. cap. 1. num. 21. In Siciliam autem profectus erat à Sici-

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

classe præterveheretur, inter alia fœda, quæ propter fidem erga vos in civitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ, intactos ad eam diem, spoliavit: atque ita pecunia in naves imposita, ipse terrâ est profectus. Quid ergo evenit, Patres Conscripti? Classis postero die fœdissima tempestate lacerata omnesque naves, quæ sacram pecuniam habuerunt, in litora nostra ejectæ sunt. Qua tanta clade edoctus tandem Deos esse superbissimus rex, pecuniam omnem conquisitam in thesauros Proserpinæ referri jussit. nec tamen illi unquam postea prosperi quicquam evenit, pulsusque Italiâ, [2] ignobili atque inhonesta morte, temere nocte ingressus Argos, occubuit. Hæc quum audisset legatus vester, tribunique militum, & mille alia, quæ non augendæ religionis caussa, sed præsentis Deæ numine sæpe comperta nobis majoribusque nostris, referebantur: ausi sunt nihilominus sacrilegas admovere manus intactis illis thesauris & nefanda præda seipsos, ac domos contaminare suas, & milites vestros. [3] quibus per vos fidemque vestram P. C. priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quicquam rei gesseritis; ne quod piaculum commiserunt, non suo solùm sanguine sed etiam publica clade luant. Quanquam ne nunc quidem P. C. aut in ducibus aut in militibus vestris cessat ira Deæ. Aliquoties jam inter se signis collatis concurrerunt. dux alterius partis Pleminius, alterius duo tribuni militum erant: non acrius cum Carthaginiensibus, quam ipsi inter se ferro dimicaverunt. præbuissentque occasionem furore suo Locros recipiendi Annibali, ni accitus à nobis Scipio intervenisset. At, Hercule, milites contactos sacrilegio furor agitat: in ducibus ipsis puniendis nullum Deæ numen apparuit? Immo ibi præsens maxime fuit. Virgis cæsi tribuni ab legato sunt. Legatus deinde insidiis tribunorum interceptus, præterquam quod toto corpore laceratus, naso quoque auribusque decisis exsanguis est relictus: ß recreatus deinde legatus ex vulneribus, tribunos militum in vincula conjectos, dein verberaos, servilibusque omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit: mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has Dea pœnas à templi sui spoliatoribus habet: nec ante desinet omnibus eos agitare furiis, quam reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Majores quondam nostri, gravi Crotoniensium bello, quia extra urbem templum est, transferre in urbem eam pecuniam voluerunt. noctu audita ex delubro vox est, abstinerent manus: Deam sua templa

NOTÆ.

lis in auxilium vocatus adversus Carthaginienses: multisque civitatibus subactis, Rex appellatus, regnumque Insulæ filio Heleno velut avitum destinabat. Hic enim Lanassa natus erat Agathoclis filiâ, ut Justin. narrat lib. 23. cap. 3.

2. *Ignobili atque inhonesta morte.*] Pyrrhus cum Antigonum in Macedonia vicisset hortante Cleonymo Lacedæmonum rege, Spartam obsedit, sed frustra. tum Argivis in duas divisis factiones, altera Antigonum, altera Pyrrhum advocante, Argos venit cæso à Spartanis in itinere filio natu maximo Ptolemæo. Urbem ingressus, cum Antigono noctu in urbe conflixit: ubi fortiter dimicans, saxo ictus occubuit, prostratus ab anicula Argivi cujusdam matre, cum quo Pyrrhus congrediebatur. Vide Plut.

3. *Quibus per vos fidemque vestram.*] Ita Sigon. vulneratum locum restituit. Vide tamen. Gron. hic.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

defensuram. *Quia movendi inde thesauros incussa erat religio, muro circumdare templum voluerunt. ad aliquantum jam altitudinis excitata erant mœnia, quum subito collapsa ruina sunt. Sed & nunc, & sæpe alias Dea suam sedem, suumque templum aut tutata est, aut à violatoribus gravia piacula exegit. nostras injurias, nec potest, nec possit alius ulcisci, quam vos, Patres conscripti. Ad vos, vestramque fidem supplices confugimus. nihil nostra interest, utrum sub illo præsidio Locros esse sinatis: an irato Annibali & Pœnis ad supplicium dedatis. Non postulamus, ut extemplo nobis, ut de absente, ut indicta caussa credatis: Veniat, coram ipse audiat, ipse diluat. Si quicquam sceleris, quod homo in homines edere potest, in nos prætermisit; non recusamus, quin & nos, omnia eadem iterum, si pati possumus, patiamur, & ille omni divino humanoque liberetur scelere.*

XIX. Hæc quum ab legatis dicta essent, quæsissetque ab iis Q. Fabius, detulissentne eas querelas ad P. Scipionem, responderunt: *missos legatos esse, sed eum belli apparatu occupatum esse: & in Africam aut jam trajecisse, aut intra paucos dies trajecturum.* [a] *Et legati gratia quanta esset apud imperatorem, expertos esse: quum inter eum & tribunos cognita caussa, tribunos in vincula conjecerit: legatum æque sontem, aut magis etiam,* [b] *in ea potestate reliquerit.* Jussis excedere [1] è templo legatis, non Pleminius modo, sed etiam Scipio principum orationibus lacerari. ante omnes Q. Fabius, natum eum ad corrumpendam disciplinam militarem, arguere. *Sic & in Hispania plus prope per seditionem militum, quam bello amisisum. externo & regio more & indulgere licentiæ militum, & sævire in eos.* Sententiam deinde æque trucem orationi adjecit. *Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere, & ex vinculis caussam dicere: ac si vera forent, quæ Locrenses quererentur, in carcere necari, bonaque ejus publicari. P. Scipionem, quod de provincia decessisset injussu senatus, revocari: agique cum tribunis plebis, ut de imperio ejus abrogando ferrent ad populum. Locrensibus coram senatum respondere, Quas injurias sibi factas quererentur, eas neque senatum neque populum Romanum factas velle. Viros bonos, sociosque & amicos eos appellari: liberos, conjuges, quæque alia erepta essent, restitui: pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset, conquiri, duplamque pecuniam in thesauros reponi: & sacrum piaculare fieri, ita ut prius ad collegium pontificum referretur,* [c] *quod sacri thesauri moti violati essent; quæ piacula quibus Diis, quibus hostiis, fieri placeret. Milites qui Locris essent omnes in Siciliam transportari: quatuor cohortes sociorum Latini nominis in præsidium Locros adduci.* [2] Perrogari eo die sen-

INTERPRETATIO.

a *Et se experimento didicisse quanto favore Scipio Pleminium prosequeretur.*

b *In munere legati seu Præfecti.*

c *Ita ut inquireretur à Pontificum collegio quibus sacrificiis, qui Dii, & quibus victimis placandi viderentur, eò quod thesauri Proserpinæ sacri asportati essent & temerati.*

NOTÆ.

1. *E templo.*] Nonnisi in templo & loco augurato Senatus habebatur.

2. *Perrogari, &c.*] Gall. *On ne pût pas achever d'opiner.*

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

tentiæ accensis studiis pro Scipione & adversus Scipionem non potuere 2 Præter Pleminii facinus, Locrensiumque cladem, ipsius etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur, 3 *cum pallio crepidisque inambulare* 4 *in gymnasio*, 5 *libellis etiam palæstræque operam dare: æque segniter molliterque cohortem totam Syracusarum amœnitate frui: Carthaginem atque Annibalem excidisse de memoria: exercitum omnem licentia corruptum, qualis Sucrone in Hispania fuerit, qualis nunc Locris, sociis magis quam hosti metuendum.*

XX. Hæc quanquam partim vera, 1 partim mixta, eoque similia veris jactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia: qui de cæteris Maximo assensus, de Scipionis caussa dissensit. *Qui enim convenire, quem modo civitas juvenem admodum,* 2 *unum recuperandæ Hispaniæ delegerit ducem, quem recepta ab hostibus Hispania ad imponendum Punico bello finem creaverit consulem, spe destinaverit Annibalem ex Italia detracturum, Africam subacturum; eum repente, tanquam Q. Pleminium, indicta caussa prope damnatum, ex provincia revocari? quum ea, quæ in se nefarie facta Locrenses quererentur, ne præsente quidem Scipione facta dicerent; neque aliud quam patientia, aut pudor, quod legato pepercisset, insimulari possit? Sibi placere, M. Pomponium prætorem, cui Sicilia provincia forte evenisset triduo proximo in provinciam proficisci: consules, decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum prætore mitterent, & duos tribunos plebei, atque ædilem. cum eo consilio prætorem cognoscere, si ea quæ Locrenses facta quererentur, jussu aut voluntate P. Scipionis facta essent, ut eum de provincia decedere juberent. Si P. Scipio jam in Africam trajecisset, tribuni plebis atque ædilis, cum duobus legatis, quos maxime prætor idoneos censuisset, in Africam proficiscerentur: tribuni atque ædilis, qui reducerent inde Scipionem: legati, qui exercitui præessent, donec novus imperator ad eum exercitum venisset. Sin M. Pomponius & decem legati comperissent, neque jussu, neque voluntate P. Scipionis ea facta esse, ut ad exercitum Scipio maneret, bellumque ut proposuisset, gereret.* Hoc facto senatusconsulto cum tribunis plebis actum est, aut compararent inter se, aut

NOTÆ.

3. *Cum pallio crepidisque.*] Id est, ornatu Græco, ut Siculis origine Græcis placeret; quod in exteros studium damnavit postea Tiberius in Germanico. Vide A. Gell. 13. 10.

4. *In Gymnasio.*] Græcis loca ubi corpora exercentur Gymnasia vocabantur; quod nudi ferè in iis certarent. Unde postea nomen ad ludos literarios translatum.

5. *Libellis etiam, &c.*] Recte notat Godel. non intelligi *supplices libellos*: hos enim tractare Magistratui nequaquam indecorum: sed minutos libros qui promercales essent. Adjicit apud Siculos hoc Bibliopolarum genus contemptui fuisse, irrisumque ab illis fuisse Hermodorum quemdam, quod libros Platonis venditare solitus esset, quasi pro mercibus verba importaret. Verùm certius videtur, non tam Siculis hæc studia despectui fuisse, quam Romanis; qui hoc adhuc tempore nihil nisi arma, & bellum spirarent.

1. *Partim mixta.*] Ex veris nimirum & falsis, & sic verisimilia, propter admixta scilicet vera.

2. *Unum recuperanda Hispania delegerit Ducem.*] In optimis est *delegarit*, nec vitiatur vox *unum*. Est autem *delegare*, rem committere, mandare.

forte legerent, qui duo cum prætore ac legatis irent. Ad collegium pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ [3] tacta, violata, elataque inde essent. Tribuni plebis cum prætore & decem legatis profecti, M. Claudius Marcellus, & M. Cincius Alimentus: iis ædilis plebis datus, quem si aut in Sicilia prætori dicto audiens non esset Scipio, aut jam in Africam trajecisset, [4] comprehendere tribuni juberent, ac jure sacrosanctæ potestatis reducerent. Prius Locros ire, quam Messanam consilium erat.

Vrb. Cond. ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

XXI. Cæterum duplex fama est, quod ad Pleminium attinet, alii auditis quæ Romæ acta essent, in exilium Neapolim euntem, forte in Q. Metellum unum ex legatis incidisse, & ab eo Rhegium vi retractum tradunt: alii ab ipso Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitum missum, qui Q. Pleminium in catenas, & cum eo seditionis principes, conjicerent. Ii omnes, seu antè Scipionis, seu tum prætoris jussu traditi in custodiam Rheginis. Prætor legatique Locros profecti, primam, sicut mandatum erat, religionis curam habuere. omnem enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquisitam, cum ea, quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, [a] ac piaculare sacrum fecerunt. tum vocatos ad concionem milites, prætor signa extra urbem efferre jubet, castraque in campo locat, cum gravi edicto, *Si quis miles* [b] *aut in urbe restitisset, aut secum extulisset quod suum non esset; Locrensibus se permittere, ut quod sui quisque cognosceret, prehenderet. si quid non compareret, repeteret. Ante omnia, libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui. non levi defuncturum pœna, qui non restituisset*. Locrensium deinde concionem habuit, atque *iis libertatem legesque suas populum Romanum senatumque restituere* dixit. *Si quis Pleminium* [c] *aliumve quem accusare vellet, Rhegium se sequeretur. Si de Scipione publice queri vellent, ea quæ Locris nefarie in Deos hominesque facta essent, jussu aut voluntate P. Scipionis facta esse, legatos mitterent Messanam: ibi* [1] *se cum consilio cogniturum*. Locrenses prætori legatisque, & senatui ac populo Romano, gratias egere: *se ad Pleminium accusandum ituros. Scipionem, quanquam parum injuriis civitatis suæ doluerit, eum esse virum*,

INTERPRETATIO.

a *Sacrificium ad sacrilegium expiandum.*
b *Moratus esset, intra urbem* Locros.
c *Aut aliquem alium.*

NOTÆ.

3. *Tacta, violata.*] Sacram pecuniam vel contingere nefas. Hac igitur de re tanquam de sacrilegio expiando Pontifices consuluntur.

4. *Comprehendere Tribuni juberent.*] In veteri libro *prehendere* quæ propria vox & solemnis in ejusmodi rebus. Cæterùm Ædilis plebis per se prehensionem seu prehendendi jus non habebat: Sed si Tribunis videretur, ipse velut eorum adjutor, ac minister, jubetur prehendere.

1. *Se cum consilio cogniturum.*] En extraordinaria potestas Prætori urbano data, inquirendi unà cum Tribunis plebis extra Italiam, adversus belli ducem sacrilegii causâ &c.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

quem amicum sibi quam inimicum malint esse. pro certo se habere, neque jussu neque voluntate P. Scipionis tot tam nefanda commissa:[2] *sed aut Pleminio nimium, aut sibi parum creditum.* NATURA INSITUM *quibusdam esse, ut magis peccari nolint, quam satis animi ad vindicanda peccata habeant.* Et prætori & consilio haud mediocre onus demptum erat de Scipione cognoscendi. Pleminium, & ad duo & triginta homines cum eo damnaverunt, atque in catenis Romam miserunt: ipsi ad Scipionem profecti sunt, ut ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant [d] de cultu ac desidia imperatoris, solutaque militiæ disciplina, comperta oculis perferrent Romam.

XXII. Venientibus eis Syracusas, Scipio res, non verba ad purgandum sese paravit. exercitum omnem eo convenire, classem expediri jussit, tanquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginiensibus esset. Quo die venerunt, hospitio comiter acceptis, postero die terrestrem navalemque exercitus non instructos modo, sed [1] hos decurrentes, classem in portu, simulacrum & ipsam edentem navalis pugnæ, ostendit: tum circa armamentaria & horrea aliumque belli apparatum visendum prætor legatique ducti. Tantaque admiratio singularum universarumque rerum incussa, ut satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci Carthaginiensem populum, aut nullo alio posse: juberentque, quod Dii bene verterent, trajicere, & spei conceptæ, quo die illum omnes centuriæ priorem consulem dixissent, primo quoque tempore compotem populum Romanum facere: adeoque lætis inde animis profecti sunt, tanquam victoriam, non belli magnificum apparatum nunciaturi Romam essent. Pleminius, quique in eadem caussa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carcerem conditi, ac primo producti ad populum ab tribunis, apud præoccupatos Locrensium clade animos, nullum misericordiæ locum habuerunt. postea, quum sæpius producerentur, [a] jam senescente invidia, molliebantur iræ: & ipsa deformitas Pleminii, memoriaque absentis Scipionis, favorem ad vulgum conciliabat. Mortuus tamen prius in vinculis est, quam judicium de eo populi perficeretur. Hunc Pleminium Clodius Licinius in libro tertio rerum Romanarum refert, ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem. patefacto dein scelere,

INTERPRETATIO.

d *De habitu & vestitu ad Græcum morem.*

a *Cum odium tempore exolevisset, atque imminutum esset.*

NOTÆ.

2. *Aut Pleminio nimium.*] Ajunt Locrenses in eo tantùm aliquatenùs peccasse Scipionem, quod majorem Pleminio, quàm sibi (Locrensibus) fidem habuisset.

1. *Hos decurrentes ostendit.*] Gall. *Il leur fit voir l'armée de terre, qui marchoit en bataille:* aut, *il fit devant eux la reveuë de l'armée, il luy fit faire l'exercice en leur presence.*

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

[2] delegatum in Tullianum ex S. C. De Scipione nusquam, nisi in senatu actum. ubi omnes legatique & tribuni, classem eam, exercitum, ducemque verbis extollentes, effecerunt, ut senatus censeret, *primo quoque tempore in Africam trajiciendum*; Scipionique permitteretur, *ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia essent, ipse legeret, quos in Africam secum trajiceret, quos provinciæ relinqueret præsidio*.

XXIII. Dum hæc apud Romanos geruntur, Carthaginienses quoque quum [a] speculis per promontoria omnia positis, percunctantes paventesque ad singulos nuncios, solicitam hiemem egissent, haud parvum & ipsi tuendæ Africæ momentum adjecerunt societate Syphacis Regis, cujus maxime fiducia trajecturum in Africam Romanum crediderant. Erat Asdrubali Gisgonis filio, non hospitium modo cum rege, de quo ante dictum est, quum ex Hispania forte in idem tempus Scipio atque Asdrubal convenerunt: sed mentio quoque inchoata affinitatis, ut rex duceret filiam Asdrubalis. Ad eam rem consumandam, tempusque nuptiis statuendum (jam enim & nubilis erat virgo,) profectus Asdrubal, ut accensum cupiditate (& sunt [b] ante omnes Numidæ barbaros effusi in Venerem) sensit, virginem ab Carthagine arcessit, maturatque nuptias: & inter aliam gratulationem, ut publicum quoque fœdus privato adjiceretur, societas inter populum Carthaginiensem regemque data ultro citroque fide, *eosdem amicos inimicosque habituros*, jurejurando affirmatur. Cæterum Asdrubal, memor & cum Scipione initæ regi societatis, & quam vana & mutabilia barbarorum ingenia essent: veritus, ne, si trajiceret in Africam Scipio, parvum vinculum eæ nuptiæ essent; dum accensum recenti amore Numidam habet, perpellit, blanditiis quoque puellæ adhibitis, ut legatos in Siciliam ad Scipionem mittat, per quos moneat eum, *Ne prioribus suis promissis fretus in Africam trajiciat. Se & nuptiis, civis Carthaginiensis filiæ Asdrubalis, quem viderit apud se in hospitio, & publico etiam fœdere cum populo Carthaginiensi junctum. Hortari primum; ut procul ab Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Carthaginiensibus gerant, ne sibi intersse certaminibus eorum, armaque aut hæc, aut illa, abnuentem alteram societatem, sequi necesse sit. Si non abstineat Africa Scipio, & Carthagini exercitum admoveat; sibi necessarium fore, & pro terra Africa, in qua & ipse sit genitus, & pro patria conjugis suæ,* [1] *proque parente ac penatibus, dimicare.*

XXIV. Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi, Syracusis eum convenerunt. Scipio quanquam magno momento rerum in Africa ge-

INTERPRETATIO.

a *Per loca in mare eminentia constituti turribus speculatoriis locatisq; speculatoribus.*
b *Numidæ plusquam reliqui barbari.*

NOTÆ.

2. *Delegatum in Tullianum.*] De carcere Tulliano in quem missus tandem Pleminius, dictum antè.

1. *Proque parente.*] Asdrubalem indicat uxoris patrem, aut si malis, Syphacis ipsius. *Socer* enim Patris, ut *Socrus* Matris nomine compellari plerunque solent.

Urb. cond. ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

rendarum, magnaque spe destitutus erat, legatis properè, priusquam res vulgaretur, remissis in Africam, literas dat ad regem: quibus etiam atque etiam monet eum, *Ne jura hospitii secum, neu cum populo Romano initæ societatis, neu fas, fidem, dextras, Deos testes atque arbitros conventorum fallat*. Cæterùm, quando neque celari adventus Numidarum poterat (vagari enim in urbe, obversatique prætorio erant) &, si sileretur quid petentes venissent, periculum erat, ne vera eo ipso quod celarentur, sua sponte magis emanarent,[1] timorque in exercitum incideret, ne simul cum rege & Carthaginiensibus foret bellandum, [a] avertit à vero falsis præoccupando mentes hominum. Et vocatis ad concionem militibus, *Non ultra esse cunctandum* ait. *Instare, ut in Africam quam primum trajiciat, socios reges. Masanissam prius ipsum ad Lælium venisse, querentem, quod cunctando tempus tereretur. nunc Syphacem mittere legatos,* [b] *idem admirantem, quæ tam diuturnæ moræ sit causa, postulantemque, ut aut trajiciatur tandem in Africam exercitus: aut si mutata consilia sint, certior fiat, ut ipse sibi ac regno suo possit consulere. Itaque jam satis omnibus instructis apparatisque, & re jam non ultra recipiente cunctationem, in animo sibi esse, Lilybæum classe traducta, eodemque omnibus peditum equitumque copiis contractis,* [c] *quæ prima dies cursum navibus daret, Deis bene juvantibus, in Africam trajicere*. Literas ad M. Pomponium mittit, ut, si ei videretur, Lilybæum veniret: communiter consulerent, quas legiones potissimum, & quantum militum numerum in Africam trajiceret. item circum oram omnem maritimam misit, ut naves onerariæ comprehensæ Lilybæum omnes traherentur. Quicquid militum naviumque in Sicilia erat, quum Lilybæum convenissent, & nec urbs multitudinem hominum, nec portus naves caperet, tantus omnibus ardor erat in Africam trajiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia. præcipue qui superabant ex Cannensi exercitu mi-

INTERPRETATIO.

a Militum animos ab eo quod reverà nunciatum erat, abduxit, atque alio vertit, præoccupatis iis per falsum rumorem.

b *Cum eandem ob causam stuperet.*

c *Ea die qua prima navigationem permitteret.*

NOTÆ.

1. *Timorque in exercitum incideret.*] Ita malim cum editis & Regio uno: etsi in plurimis inveniatur scriptum, *timorque in exercitu incederet:* quæ loquendi figura personis magis quam rebus accommodata, non sine audaciori metaphora huc videtur trahi posse. Nec verò adductis à Gronov. testimoniis satis firmatur. Hæc enim ad verbum *incessendi*, referri possunt; eò magis quod cum accusativo junguntur, non ut hic cum ablativo & præpositione, veluti lib. 25. *tanta Religio civitatem incessit*; & lib. 28. *timor deinde oppidanos incessit, ne si hostis urbem intrasset*. At *timorem incidere* eodem modo dici potest, quò *milites in portas vel portis incidere* dicuntur sæpe apud nostrum: ut apud eundem lib. 21. *Sagunti ruina vestris capitibus incident* Plaut. Men. *ei de repente tantus morbus incidit*. Cic. de Fato propriè loquitur cum ait: *saxum in spelunca in crura ejus incidit*. In Oratore verò: *quorum ætas in eorum tempora quos nominavi incidit*. Et alibi: *Casus incidisse multis viris fortissimis*. Et, *incidere civitati aliquid mali. Incidere in judicio quæstionem*.

lites

Urb. cond. ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

lites, illo, non alio duce credebant navatâ reipublicæ operâ finire se militiam ignominiosam posse. Et Scipio minime id genus militum aspernabatur: ut qui neque ad Cannas ignavia eorum cladem acceptam sciret, neque ullos æque veteres milites in exercitu Romano esse, expertosque non variis præliis modo, sed urbibus etiam oppugnandis. Quinta & sexta Cannenses erant legiones. eas se trajecturum in Africam quum dixisset, singulos milites inspexit: relictisque, quos non idoneos credebat, in locum eorum subjecit, quos secum ex Italia adduxerat; supplevitque ita eas legiones, ut singulæ sena millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites: sociorum item Latini nominis pedites equitesque de exercitu Cannensi legit.

XXV. Quantum militum in Africam transportatum sit, [a] non parvo numero inter auctores discrepat. Alibi decem millia peditum, duo millia & ducentos equites; alibi [1] sedecim millia peditum, mille & sexcentos equites; alibi parte plus dimidia rem auctam, quinque & triginta millia peditum equitumque in naves [2] imposita invenio. quidam non adjecere numerum: inter quos me ipse in re dubia poni malim. Cœlius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui [b] videretur. Milites ut in naves ordine ac sine tumultu conscenderent, ipse eam sibi curam sumpsit. nauticos C. Lælius, qui classis præfectus erat, in navibus, ante conscendere coactos, continuit. Commeatus imponendi M. Pomponio prætori cura data, quinque & quadraginta dierum cibaria, è quibus quindecim dierum cocta, imposita. Ut omnes jam in navibus erant, scaphas circummisit, ut ex navibus, gubernatoresque & magistri navium, & bini milites, in forum convenirent ad imperia accipienda. Posteaquam convenerunt, primum ab iis [3] quæsivit, si aquam hominibus, jumentisque in totidem dies, quot frumentum, imposuissent. Ubi responderunt, aquam dierum quinque & quadraginta in navibus esse; tum edixit militibus, ut silentium quieti nautis sine certamine ad ministeria exsequenda bene obedientes præstarent. cum viginti rostratis se ac L. Scipionem ab dextro cornu, [4] lævum totidem rostratas, & C. Lælium præfectum classis

INTERPRETATIO.

a *Non exigua inter scriptores dissensio est quantum ad numerum.*
b *Scipio.*

NOTÆ.

1. *Sedecim millia.*] Eum hic numerum referunt plerique scripti, quem & Appianus in Libyco edidit.

2. *Imposita invenio.*] Nusquam ferè in nostris verbum *invenio*: & potest intelligi *scribitur*, vel *refertur*; aut pro *alibi*, legi *alii*, subintellecto quod in fine periodi est, *adjecere*, vel *edidere numerum*.

3. *Quæsivit si aquam.*] Pro *quæsivit an*, sive *utrùm*.

4. *Lævum totidem rostratas, & C. Lælium.*] Hoc, tanquam elegantius, ex MSS. non paucis reponit Gronov. planius tamen quod est in aliis, & vulgatis. *ab lævo totidem rostratis C. Lælium, &c.*

Urb. Cond. ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

cum M. Porcio Catone (quæstor tum is erat) onerariis futurum præsidio. Lumina in navibus singula rostratæ, bina onerariæ haberent: in prætoria nave insigne nocturnum trium luminum fore. [5] Emporia ut peterent, gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eoque abundans omnium copia rerum est regio, & imbelles (quod plerunque in ubere agro evenit) barbari sunt: priusque, quam Carthagini subveniretur, opprimi videbantur posse. Iis editis imperiis, redire ad naves jussi: & postero die Diis bene juvantibus signo dato solvere naves.

XXVI. Multæ classes Romanæ è Sicilia, atque ipso illo portu profectæ erant. Cæterum non eo bello solum (nec id mirum: prædatum enim tantummodo pleræque classes ierant) sed ne priore quidem ulla profectio tanti spectaculi fuit. quanquam si magnitudine classis æstimaretur, & bini consules cum binis exercitibus ante trajecerant: [1] & prope totidem rostratæ in illis classibus fuerant, quot onerariis Scipio tum trajiciebat. nam [2] præter quinquaginta longas naves, quadringentis fermè onerariis exercitum transvexit. Sed & bellum bello, secundum priore ut atrocius Romanis videretur, quum quod in Italia bellabatur, tum ingentes strages tot exercituum simul cæsis ducibus effecerant. & Scipio dux partim factis fortibus, partim suapte [3] fortuna quadam ingentis ad incrementa gloriæ celebratus converterat animos: simul & mens ipsa trajiciendi, [4] nulli ante eo bello duci tentata, quod ad Annibalem detrahendum ex Italia, transferendumque & finiendum in Africa bel-

NOTÆ.

5. *Emporia peterent.*] De *Emporiis* Pœnorum ad Syrtim minorem accipiendus hic mihi locus videtur, quorum infrà mentio lib. 34. Scipio quidem eò non appulit. Sed potuit vel aliò nolens deferri, vel mentem aut nunc aliam simulare, aut mutasse in progressu. Vide cap. 27.

1. *Et propè totidem rostrata in illis classibus fuerant.*] Primo Punico bello consules M. Manlius Longus, & M. Atilius Regulus iterum, trecentarum triginta navium classe, ex Sicilia in Africam hominum fermè centum quadraginta millia trajecerant, u. c. an. 497. cum Amilcarem & Hannonem trecentarum sexaginta Punicarum navium duces, vicissent, centum quinquaginta hominum millia secum vehentes, ut Polybius, atque Orosius testantur.

2. *Præter quinquaginta longas naves, quadringentis ferè onerariis.*] *Longas naves*, dicit *rostratas*. Gall. *Armées en guerre*. At *oneraria* fuere, ad convehenda onera, & deferendos commeatus rotundioris formæ, & altiores.

3. *Fortuna quadam ingentis ad incrementa gloria celebratur.*] Refer τὸ *ingentis* ad τὸ *gloria*: ait enim Scipionem clarum habitum fuisse, quod aliquo velut fato natus videretur ad augendam magis ac magis, atque ad summum quasi culmen perducendam gloriam bellicam, quam ingentem admodum jam sibi pepererat.

4. *Nulli antè eo bello duci tentata, quod ad Annibalem detrahendum ex Italia.*] Variat scriptura. Optimi sic habent: *Mens ipsa trajiciendi, nulli ante eo bello duci, trahendum ex Sicilia, & finiendum in Africa bellum se transire vulgaverat.* Alias: *Vulgatum erat.* Unde auguratur Gron. *Simul & mens ipsa trajiciendi, nulli ante eo bello duci, trahendus Annibal ex Italia, transferendumque & finiendum in Africa bellum, vulgata erat.* Argutè sanè, sed audacter. Illud *eo bello*, non abs te adjectum ab auctore propter Atiliū aliosq; qui priore Punico bello trajecerant in Africā.

lum, se transire vulgaverat. Concurrerat ad spectaculum in portum omnis turba; a non habitantium modo Lilybæi sed legationum omnium ex Sicilia: quæ & ad prosequendum Scipionem officii caussa convenerant, & prætorem provinciæ M. Pomponium secutæ fuerant. ad hoc legiones, quæ in Sicilia relinquebantur, ad prosequendos commilitones processerant. nec classis modo prospectantibus è terra, sed terra etiam omnis circa referta turbâ spectaculo navigantibus erat.

Urb. cond. ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

XXVII. Ubi illuxit, Scipio è prætoria nave, silentio per præconem facto, 1 *Dii Deæque*, inquit, *qui maria terrasque colitis, vos precor quæsoque; uti quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, sociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium auspiciumque terra, mari, amnibusque sequuntur,* 2 *bene verruncent: eaque vos omnia bene juvetis: bonis auctibus* 3 *auxitis: salvos incolumesque victis perduellibus victores, spoliis decoratos, præda onustos triumphantesque, mecum domos reduces sistatis: inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis. quæque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, ea ut mihi populoque Romano in civitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis*. Secundum eas preces, cruda exta, cæsâ victimâ, uti mos, 4 in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi. Vento secundo vehementi satis profecti, celeriter è conspectu terræ ablati sunt: & à meridie nebula cœpit, ita ut vix concursus navium inter se vitarent. lenior ventus in alto factus. noctem insequentem eadem caligo obtinuit: sole orto est discussa, & addita vis vento. Jam terram cernebant. haud ita multo post gubernator Scipioni ait, non plus quinque millia passuum

INTERPRETATIO.

a *Non solum eorum qui domicilium habebant apud Lilybaum.*

NOTÆ.

1. *Dii Deaque*, inquit, *maria terrasque, qui colitis*.] Sapit Hannonis Plautini invocationem in Pœnulo, initio act. 5. ubi: *Deos Deasque veneror, qui hanc urbem colunt*. Aut Virgilianum illud: *Dique, Deaque omnes, studium quibus arva tueri*. Cæterùm an legas, *Divi Divaque qui maria*, &c. ut in quibusdam libris legitur, an *Dii Deaque*, parum meo judicio refert.

2. *Bene verruncent*,] Sic Rhenanus ex Spirensi Cod. cui congruit Put. Lectionem probat non sine plausu Gron. Est autem vetus verbum, quo idem significat ac *vertant*, auctore Nonio Marcello c.2. num. 895. qui eam in rem Comicos veteres laudat: Accium Æneadis aut Decio scribentem: *Te sancte venerans precibus invicte invoce; portenta ut populo patria verruncant bene*: & Pacuvium Peribœa: *Precor veniam, petens ut qua egi, ago, axim, verruncent bene*. Eadem ratione dicebant veteres *averruncare*, pro *avertere*, ex Varr. lib.6. de Ling. Lat. & Nonio ibidem nu. 49. ubi citatur Lucilius l. 26. à Cicerone quoque laudatus: *Dii maluerint meliora, atque amentiam averruncassint meam*. Reg. tamen unus, aliiq; Libri hic, loco verbi *verruncent*, scribunt *verrunte*: quod facile Librariis excidere potuit pro *vertunto*.

3. *Auxitis.... faxitis*.] Vetustè, pro *augeatis.... faciatis*.

4. *In mare porricit*.] Verbum est sacrum & solenne, quo usus quoque Virgil. *extaque salsos porriciam in fluctus*: quod perperam mutatum à quibusdam in *projiciam* observat Macrob. Saturnal. lib.3. cap. 2.

Urb. Cond. Ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

Africam abesse, [5] Mercurii promontorium se cernere. si jubeat eo dirigi, jam in portu fore omnem classem. Scipio ut in conspectu terra fuit, precatus Deos, uti bono reipublicæ suoque, Africam viderit; dare vela, & alium infra navibus accessum petere jubet. Vento eodem ferebantur. cæterum nebula sub idem ferme tempus, quo pridie, exorta, conspectum terræ ademit, [6] & ventus premente nebula cecidit. Nox deinde incertiora omnia fecit. itaque anchoras, ne aut inter se concurrerent naves, aut terræ inferrentur, jecere. Ubi illuxit, ventus idem coortus, nebula disjecta, aperuit omnia Africæ litora. Scipio quod esset proximum promontorium percunctatus, quum [7] Pulchri promontorium id vocari audisset; *Placet omen*, inquit, *huc dirigite naves*. Eò classis decurrit: copiæ omnes in terram expositæ sunt. Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse, permultis Græcis Latinisque auctoribus credidi. Cœlius unus, præterquam quod non mersas fluctibus naves, cæteros omnes [8] cœlestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad [9] insulam Ægimurum, inde ægrè correctum cursum exponit. & prope obrutis navibus, injussu imperatoris scaphis haud secus quam

N O T Æ.

5. *Mercurii promontorium.*] Græcis Hermæa, versus Lilybæum Siciliæ maximè prominens, ad sinus Carthaginiensis ingressum. Hodie *Capo Bon*.

6. *Et ventus premente nebula cecidit.*] Sigon. non ventum premente nebulâ sed nebulam premente vento cecidisse vult: rationem addit quod dicatur *ventus idem coortus, nebulâ disjecta, aperuisse omnia*. Idcirco legendum censet, *& vento premente nebula cecidit*. Gron. contrà negat se scire, quid hic sit *nebulam cadere*. Et cum in optimis libris legatur *ventus* in nominandi casu, nihil mutandum contendit, probatque sæpe dixisse veteres *ventum cadere*: in his Virg. 1. Georg. *quo signo caderent austri*. Ovid. 8. Metam. *Cadit Eurus, & humida surgunt nubila.* Plin. 2. histor. natur. cap. 47. *Omnes venti vicibus suis spirant majore ex parte, ut contrarius desinenti incipiat. Cum proximi cadentibus surgunt à lævo latere dextrum, ut Sol, ambiunt*. Dubium ergo esse nemini potest quin venti ut oriri & incipere, ita cadere ac desinere rectà dicantur. Quod itaque Livius subdit ventus idem *coortus* nebulâ disjectâ: ideo *coortum* vult Gronov. *disjectâ nebulâ*, quia coeunte & constante nebula ceciderat. Mihi non tam indicari videtur causa orientis aut desinentis, seu venti, seu nebulæ; quàm effectus. Itaque *premente nebula*; idem est, ni fallor, ac, *cum nebula*, quæ exorta fuerat, *terram occuparet*, seu terræ incumberet, desiisse ventum spirare: deinde orta luce exortum cum ea ventum ad Africæ litora propiùs impulisse naves, & loca ostendisse navigantibus Romanis, cum dissipata nebula esset.

7. *Pulchri promontorium.*] Hujus Africæ promontorii meminit Polyb. lib. 3. ubi de fœderibus inter Romanos & Pœnos initis; quibus cautum fuerat ne Romanis eorumve sociis liceret ultra id promontorium navigare. Sed Polyb. loquitur in secundo casu τοῦ Καλοῦ ἀκρωτηρίου, Pulchri promontorii: ita ut ambiguum relinquat *Pulchri*, an *Pulchrum promontorium* dicendum sit. Fuit non procul Vtica, & Carthagini ad Septentrionem: fortè ubi nunc *Ras al Gibera*; nisi potius *Ras al Kebir*, id est, Arabicè caput seu promontorium magnum.

8. *Cœlestes maritimosque terrores.*] Cœlestium terrorum nomine fulgura, tonitrua & fulmina indicat; imbrem etiam, & grandinem: terrorum autem maritimorum nomine designat fluctus ventis agitatos.

9. *Insulam Ægimurum*,] In Africo mari exigua erat insula *Ægimurus*, inter

naufragos milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

XXVIII. Expositis copiis Romani castra in proximis tumulis metantur. Jam non in maritimos modo agros conspectu primum classis, dein tumultu egredientium in terram, pavor terrorque pervenerat, sed in ipsas urbes. neque enim hominum modo turba, mulierum puerorumque agminibus immixta, omnes passim compleverat vias, sed pecora quoque præ se agrestes agebant: relinqui subito Africam diceres. Urbibus vero ipsis majorem quam quem secum attulerant, terrorem inferebant. præcipue Carthaginis prope ut captæ tumultus fuit. Nam post M. Atilium Regulum & L. Manlium consules, [1] annis prope quinquaginta, nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos factæ erant: raptisque quæ obvia fors fecerat, prius recursum semper ad naves, quam clamor agrestes conciret, fuerat. eo major tum fuga pavorque in urbe fuit. Et, Hercule, neque exercitus domi validus, neque dux quem opponerent, erat. Asdrubal Gisgonis filius genere, fama, divitiis, [2] regia tum etiam affinitate, longe primus civitatis erat: sed eum ab illo ipso Scipione aliquot præliis fusum, pulsumque in Hispania meminerant: nec magis ducem duci parem, quam tumultuarium exercitum suum Romano exercitui esse. Itaque velut si urbem extemplo aggressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum: portæque raptim clausæ, & armati in muris, vigiliæque & stationes dispositæ, ac nocte insequenti vigilatum est. Postero die quingenti equites speculatum ad mare, turbandosque egredientes ex navibus missi; in stationes Romanorum inciderunt. jam enim Scipio classe Uticam missa, ipse haud ita multum progressus à mari, tumulos proximos ceperat, equites & in stationibus locis idoneis posuerat, & per agros miserat prædatum.

XXIX. Ii cum Carthaginiensi equitatu prælium quum commisissent, paucos in ipso certamine, plerosque fugientes persequuti (in quibus præfectum quoque Hannonem, nobilem juvenem) occiderunt. Scipio non agros

NOTÆ.

Siciliam & Africam, sed huic propior: 230. stadiis à Carthagine ex Anton. in Itiner. hoc est millibus passuum paulo amplius 28. Ad eam insulam navali pugna insigni victi sub finem primi Punici belli Carthaginienses à Romanis, duce M. Fab. Buteone cos. Fallor aut ea est quæ nunc *Zinbala*, potiùs quàm, ut vulgò interpretantur, *Galata*, Tabracæ opposita. Nam præterquam quod minor à veteribus describitur Ægimurus, quam quæ nunc *Galata* vocatur: inter antiqua nomina insularum, quæ circum Africam, memoratur à Plinio jam tum *Galata*: ac deinde seorsim describitur *Ægimurus*, aut certe *Ægimuri*. *Contra Carthaginis sinum*, inquit, *duo Ægimori à re, scopuli veriùs quàm insulæ*. Quod vero, ait, *à re* dictas innuit humàni cultus expertes fuisse, solisque capris habitatas: quasi nomen Græcum compositum ex αἰγὸς & μοῖραν, ejus pecoris sedem ac velut portionem significaret.

1. *Annis prope quinquaginta.*] A Consulatu Marci Atilii Reguli 2. & L. Manli Vulsonis, quo tempore Romani exercitus in Africa visi, ad hoc tempus, de quo nunc agitur, anni numerantur duo supra quinquaginta. Illi enim Consules fuere anno u. c. 497.

2. *Regia tum etiam affinitate.*] Filiam enim Sophonisbam Asdrubal paulo ante in matrimonium dederat Syphaci Numidarum Regi, ut vidimus.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.


modo circà vastavit, sed 1 urbem etiam proximam Afrorum satis opulentam cepit. ubi præter cætera quæ extemplo in naves onerarias imposita, missaque in Siciliam erant, octo millia liberorum capitum servorumq; sunt capta. 2 Lætissimus tamen Romanis in principio rerum gerendarum adventus Masinissæ fuit. quem quidam cum ducentis haud amplius equitibus, plerique cum duûm millium equitatu tradunt venisse. Cæterum quum longe maximus omnium ætatis suæ regum hic fuerit, plurimumq; rem Romanam juverit: operæ pretium videtur excedere paululum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno. Militanti pro Carthaginiensibus in Hispania, pater ei moritur. 3 Galæ nomen erat.

N O T Æ.

1. *Urbem etiam proximam.*] Appianus in Libyco *Locam* vocant. Eadem fortè quæ *Ilica* Ptolem. facilè enim inter scribendum exteruntur vocales, aut cum aliis commutantur. Appianus idem magnam fuisse urbem dicit & cives quamvis in deditionem acceptos à Scipione, à militibus eo invito necatos, ut ne mulieribus quidem aut pueris parceretur: hac re indignatum Scipionem, paucos, qui cladi superfuerant, liberos abire jussisse, militibus prædam ademisse, tribus factionis ejus auctoribus supplicio affectis.

2. *Lætissimus tamen Romanis.*] In libris quibusdam melioris notæ, pro *Romanis*, legitur *omnis*: ex quo Gron. quærit nunquid *omnibus* scribendum sit; an potiùs *lætissimi tamen ominis*.

3. *Gala nomen erat.*] Quo planior tota hæc Masinissæ historia fiat, haud absurdum erit ejus Regis familiam brevi stemmate delineare



Regnum ad 4 fratrem regis Oesalcem, pergrandem natu (mos ita apud Numidas est) pervenit. haud multo post, Oesalce quoque mortuo, major ex duobus filiis ejus Capusa, puero admodum altero, paternum imperium accepit. Cæterum quum magis jure gentis, quam auctoritate inter suos aut viribus, obtineret regnum; extitit quidam, Mezetulus nomine, a non alienus sanguine regibus, familiæ semper inimicæ, ac de imperio varia fortuna cum iis, 5 qui tum obtinebant, certantis. Is concitatis popularibus, apud quos b invidiâ regum magnę auctoritatis erat, castris palam positis, descendere regem in aciem, ac dimicare de regno coëgit. in eo prælio Capusa cum multis principum cecidit, 6 gens Massyliorum omnis in ditionem imperiumque Mezetuli concessit. regio tamen nomine abstinuit: contentusque nomine modico tutoris, puerum Lacumacen, qui stirpis regię superat, regem appellat. Carthaginiensem nobilem fœminam,

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

INTERPRETATIO.

a *Ex eadem stirpe ex qua Reges; sed ex familia quæ semper Regibus adversa fuerat.*

b *In quibus magnam obtinebat auctoritatem ex odio* Popularium *in Reges.*

NOTÆ.

4. *Fratrem regis Oesalcem.*] Vulgo hic *Desalcem* legunt: sed pluribus locis in plerisque manu exaratis scribitur *Oesalces*: videturque idem nomen ac *Isalces* apud Silium Italicum, & *Isalaca* apud nostrum lib.23. ubi sic appellatur Præfectus Gætulorum.

5. *Qui tum obtinebant.*] Supple *imperium*, quod repetendum ex membro proximo; ut sit, *qui tunc regnabant*.

6. *Gens Massyliorum.*] Sic legendum monet Sigon. non *Masæsylorum* ut vulgò. Hi quippe in ditione Syphacis erant; illi postea Masinissæ paruerunt, ut priùs Galæ ipsius patri. Et *Masæsylos* quidem Ptol. ponit in Mauritaniæ Cæsariensis parte Occidentali, meridiem versus; tanquam exiguam gentem, & mediterraneam. Verùm Strabo à fluvio *Molocath* (qui Plin. Mulucha) Masæsylos ad oram locat per sex propemodum millia stadiorum, hoc est, 700. circiter passuum millia. Eorum certè fines porrigit ad *Tritum* promontorium, à quo deinde *Massalibyes*, vel potiùs (ut ex membranis emendat Casaubonus) *Massylii*. *Tritum* autem promontorium in extremo ad occasum Numidico sinu, inter Saldas & Igilgili (nunc *Bugia*, & *Gigeri*) circa Audi flùminis ostia fuisse, suadet spatium à Strabone designatum, etiamsi aliquantùm coarctaretur. Hinc itaque Massylii Tabracam usque, ni fallor, protensi fuerunt: à Zeugitana seu Africa propria Rubricato ferme fluvio sejuncti; vel Tusca, quem Plinius limitem constituit inter Numidiam sui temporis, & Zeugitanam. Ex his colligi potest in e regione Africæ h bitasse *Massylios*, in qua postea sub imperio Romano *Mauritania Sitifensis* ex parte & *Numidia*, nunc pars Orientalis regni *Bugiæ*, & regnum *Constantinæ*: at *Masæsylos Mauritaniæ Cæsariensis* magnam partem obtinuisse, ubi nunc regna *Telensinum* & *Algeriense* proprie dictum, ac pars occidua regni *Bugiani*. Quanquam, si verum amamus, harum Gentium & Provinciarum limites, nec à veteribus, nec ab hujus ævi scriptoribus satis accuratè distinctos habemus: idque ea, opinor, de causa, quod & Mauris & Afris immixti Numidæ, minùs certis finibus habitaverint. Certe intra terminos Massylis assignatos, ubi post Numidia nova, fuit haud dudie *Cirtha*, Syphacis Masæsylorum regia sedes.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

7 sororis filiam Annibalis, quę proximę Oesalci regi nupta fuerat, matrimonio sibi jungit, spe Carthaginiensium societatis: & cum Syphace hospitium vetustum legatis missis renovat; omnia ea auxilia prǫparans adversus Masinissam.

XXX. Et Masinissa, audita morte patrui, dein nece fratris patruelis, ex Hispania in Mauritaniam (Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat) trajicit. ab eo supplex infimis precibus auxilium itineri, quoniam bello non poterat, quatuor millia Maurorum impetravit. Cum iis, pręmisso nuncio ad paternos suosque amicos, quum ad fines regni pervenisset, quingenti ferme Numidę ad eum convenerunt. Igitur Mauris inde, sicut convenerat, retro ad regem remissis, quanquam aliquanto minor spe multitudo, nec cum qua tantam rem aggredi satis auderet, conveniret; ratus agendo ac moliendo, vires quoque ad agendum aliquid collecturum, proficiscenti ad Syphacem, Lacumaci reguload [1] Thapsum occurrit. [2] Trepidum agmen quum in urbem refugisset, urbem Masinissa primo impetu capit, & ex regiis alios tradentes se recepit, alios vim parantes occidit. pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Syphacem, quo primùm intenderant iter, pervenerunt. Fama hujus modicæ rei in principio rerum prospere actæ, convertit ad Masinissam Numidas. affluebantque undique ex agris vicisque veteres milites Galæ, & invitabant juvenem ad recuperandum paternum regnum. Numero militum aliquantum Mezetulus superabat. nam & ipse eum exercitum, quo Capusam vicerat, & ex receptis post cædem regis aliquot habebat: & puer Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat: quindecim millia peditum Mezetulo, decem millia equitum erant. Quibuscum Masinissa, nequaquam tantum peditum equitumve habens, acie conflixit. vicit tamen & veterum militum virtus, & prudentia inter Romana & Punica arma exercitati ducis. Regulus cum tutore & exigua Masæsylorum manu in Carthaginiensem agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno Masinissa, quia sibi adversus Syphacem haud paulo majorem restare dimicationem cernebat, optimum ratus cum fratre patruele gratiam reconciliare, missis qui & puero spem facerent, si in fidem Masinissæ sese permisisset, futurum in eodem honore, quo apud Galam Oesalces quondam fuisset: & qui Mezetulo, præter impunitatem, sua omnia cum fide restitui sponderent:

N O T Æ.

7. *Sororis filiam Annibalis.*] Gallicè, *Niece d'Annibal du costé d'une sœur.*

1. *Thapsum.*] Africæ urbs maritima fuit Thapsus, in Bizacio, è regione Syrtis minoris, non procul Hadrumetto, hodie *El Madia* Arabibus, Christianis *Africa*, in regno Tunetano. Sed mirum videri potest non modo Lacumacen Massyliorum regulum in hanc urbem (quæ extra ejus regni fines) refugisse velut fidam; sed eam urbem à Masinissa (cui cum Lacumace tantum res erat) captam esse. Num Thapsum, urbis clarioris nomen scripsere pro minùs cognitæ urbis nomine, sive ea Thebesta fuit, sive Tubusuptus, aut loci alterius nomen.

2. *Trepidum agmen.*] Lacumacis nempe.

3 ambo præoptantes exilio modicam domi fortunam (omnia, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agentibus) ad sese perduxit.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

XXXI. Asdrubal tum forte quum hæc gerebantur, apud Syphacem erat. qui, 1 Numidæ haud sane multum ad se pertinere credenti, utrùm penes Lacumacen, an Masinissam regnum Massyliorum esset: *falli eum magnopere ait, si Masinissam eisdem contentum fore, quibus patrem Galam, aut patruum ejus Oesalcem, credat. multo majorem indolem in eo animi ingeniique esse, quam in ullo gentis ejus unquam fuisse. Sæpe eum in Hispania raræ inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibusque: & Syphacem & Carthaginienses,* 2 *nisi orientem illum ignem oppressissent, ingenti mox incendio, cum jam nullam opem ferre possent, arsuros. Adhuc teneras & fragiles ejus vires esse,* a *vixdum coalescens foventis regnum.* Instando stimulandoque pervincit, ut exercitum ad fines Massyliorum admoveat: atque in agro, de quo sæpe cum Gala non verbis modo disceptatum, sed etiam armis certatum fuerat, tanquam haud dubie juris sui, castra locet: b si quis arceat, quod maxime opus sit, acie dimicaturus: sin per metum agro cedatur, in medium regnum eundum. aut sine certamine concessuros in ditionem ejus Massylios, aut nequaquam pares futuros armis. His vocibus incitatus Syphax, Masinissæ bellum infert; & primo certamine Massylios fundit fugatque. Masinissa cum paucis equitibus ex acie in montem (3 *Balbum* incolæ vocant) perfugit. familiæ aliquot 4 cum mapalibus pecoribusque suis (5 ea pecunia illis est) persecuti sunt regem: cætera Massyliorum multitudo in ditionem Syphacis concessit.

INTERPRETATIO.

a *Qui regnum* Massyliorum nondum satis firmatum, & cujus *partes nondum satis inter se cohærebant*, ægrè *tueretur ac retineret*.

b *Si Masinissa* armis *se opposuerit*, *quod* Syphaci *maximè utile esset*, &c.

NOTÆ.

3. *Ambo præoptantes*, &c.] Significat *puerum*, *regium Lacumacem*, *ejusque tutorem Mezetulum*.

1. *Numidæ*.] Syphaci Numidiæ Regi.

2. *Nisi orientem illum ignem oppressissent*.] *Oppressissent*, pro opprimerent. Certè non ad præteritum refertur, sed ad futurum.

3. *Balbum incolæ vocant*.] Putarem esse *Audum* partemve *Audi* montis, quem Ptol. nominat in Africa, & quem tabulæ exhibent in Numidiæ regione meridionali, non procul Lamoesa, citra fluvium Ampsagam; Zamæ (quæ Numidiæ regia) ad Septentrionem: verùm ex sequentibus apparet minùs à mari dissitum fuisse hunc montem Balbum.

4. *Mapalibus*.] Nomen Punicum est, quo significantur Tuguria. *Magalia* quoque dicuntur quæ Isid. lib. 14 orig. ait ædificia fuisse Numidarum agrestium, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sint, sive rotunda in modum furnorum. Ad it *Magalia* dicta, quasi *Magaria*: quia *Magar* Punici novam villam dicunt.

5. *Ea pecunia illis*.] Nomine *Pecuniæ* latè sumpto non solùm numerata pecunia, sed omnes res tam solidæ quàm mobiles, & tam corpora quam jura continentur, teste Hermogeniano Jurisconsulto lege 222. Digest. de Verbor. signif. Id autem præsertim apud Numidas obtinebat, quorum divitiæ in pecoribus: à quibus pascendas *Nomades* Græcis appellati.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

Quem ceperant exules montem, herbidus aquosusque est: & quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque, carne ac lacte vescentium, abunde sufficiebat alimentis. Inde nocturnis primo ac furtivis incursionibus, deinde aperto latrocinio, infesta omnia circa esse: [6] maxime uri Carthaginiensis ager, quia & plus prædæ quam inter Numidas, & latrocinium tutius erat. jamque [c] adeò licenter eludebant, ut ad mare devectam prædam venderent mercatoribus, appellentibus naves ad idipsum; pluresque, quam justo sæpe in bello, Carthaginiensium caderent, caperenturque. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, [7] intentumque & ipsum ad reliquias belli persequendas instigabant. sed vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consectari.

XXXII. Bocchar ex præfectis regiis, vir acer & impiger ad id delectus. ei data quatuor millia peditum, duo equitum; præmiorumque ingentium spe oneratus, si caput Masinissæ retulisset, aut vivum (id vero inæstimabile gaudium fore) cepisset; palatos incurioseque agentes improviso adortus, pecorum hominumque ingenti multitudine à præsidio armatorum exclusa, Masinissam ipsum cum paucis in verticem montis compellit. Inde, prope ut jam debellato, nec præda modo pecorum hominumque captorum missa ad regem, sed copiis etiam, [a] ut aliquanto majoribus quam pro reliquiis belli, remissis, cum quingentis haud amplius peditibus ducentisque equitibus, degressum jugis Masinissam persecutus in valle arcta, faucibus utrinque obsessis, inclusit. ibi ingens cædes Massyliorum facta. Masinissa cum quinquaginta haud amplius equitibus per anfractus montis ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit tamen vestigia Bocchar: adeptusque eum patentibus prope Clupeam urbem campis, ita circumvenit, ut præter quatuor equites, omnes ad unum interfecerit. cum iis ipsum quoque Masinissam saucium propè è manibus inter tumultum amisit. [1] in conspectu erant fugientes; ala equitum dispersa toto campo, quibusdam,

INTERPRETATIO.

c *Tanta licentiâ vagabantur irrisis* Carthaginiensibus.

a *Utpote cum copiæ paulò majores essent, quàm exigere videbantur belli reliquia*, sive *quàm opus esset ad conficiendum bellum quod restabat*.

NOTÆ.

6. *Maximè uri Carthaginiensis ager.*] Scripti habent *maximè juris Carthaginiensis ager*; qui scilicet erat in Carthaginiensium ditione.

7. *Intentumque & ipsum.*] Sic meliùs ex Sigonii libro, quam quod vulgo editi, *infensumque*. In pluribus scriptis est *intensumque*. Hinc Gronovii conjectura, *incensumque*.

1. *In conspectu erant fugientes. &c.*] Legitur vulgo: *In conspectu erant fugientis, ala equitum dispersa lato campo, quibusdam ut occurrerent per obliqua tendentibus quacumque hostis flectebat*: loco ultimæ hujus clausulæ plurimi scripti habent: *quinque hostes sequebatur*: quod Gron. sequitur, expuncta vulgata lectione, quæ tamen idoneo sensu non caret. Sed ille ad posteriorem scripturam superiora aptavit, idonea interpretatione: vult enim in conspectu Boccharis fuisse Masinissam & quatuor equites cum eo

ut occurrerent, per obliqua tendentibus, quinque hostes sequebatur. amnis ingens fugientes accepit (neque enim cunctanter, ut quos major metus urgeret, immiserant equos) raptique gurgite, [2] & in obliquum prælati. duobus in conspectu hostium in prærapidum gurgitem haustis, ipse periisse creditus. at duo reliqui equites cum eo inter virgulta ulterioris ripæ emerserunt. Is finis Bocchari sequendi fuit; nec ingredi flumen auso, nec habere credenti se jam quem sequeretur. Inde vanus auctor absumpti Masinissæ ad regem redit; missique qui Carthaginem gaudium ingens nunciarent: totaque Africa fama mortis Masinissæ repleta, varie animos affecit. Masinissa in spelunca occulta quum herbis curaret vulnus, duorum equitum latrocinio per dies aliquot vixit. ubi primum ducta cicatrix, patique posse visa jactationem, audacia ingenti pergit ire ad regnum repetendum, atque in ipso itinere, haud plus quadraginta equitibus collectis, quum in Massylios palam jam quis esset ferens venisset, tantum motum, quum favore pristino, tum gaudio insperato, quod quem periisse crediderant, incolumem cernebant, fecit: ut intra paucos dies sex millia peditum armatorum, quatuor equitum, ad eum convenirent: jamque non in possessione modo paterni regni esset, sed etiam socios Carthaginiensium populos, Masæsylorumque fines (id Syphacis regnum erat) vastaret. inde irritato ad bellum Syphace, [3] inter Cirtham [4] Hipponemque in jugis opportunorum ad omnia montium consedit.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

XXXIII. Majorem igitur eam rem Syphax ratus, quam ut per præfectos ageret; cum filio juvene (nomen Verminæ erat) parte exercitus missa, imperat, ut circumducto agmine, in se intentum hostem ab tergo invadat. Nocte profectus Vermina, qui ex occulto aggressurus erat: Syphax autem interdiu aperto itinere, ut qui signis collatis acie dimicaturus esset, movit castra. Ubi tempus visum est, quo pervenisse jam circummissi videri poterant, & ipse leni clivo ferente ad hostem, quum multitudine fretus, tum præparatis ab tergo insidiis, per adversum montem erectam aciem

NOTÆ.

fugientes: alam vero ducentorum equitum à Bocchare immissam sic toto campo dispersam fuisse, ut equitum persequentium Masinissam quidam per obliqua tenderent, quò iis qui in diversa loca fugiebant occurrerent, & sic ala tota quinque homines sequeretur.

2. *Et in obliquum prælati*.] Vult Masinissam, ejusque comites quinque, cum directo nisu amnem tranare cuperent, vi gurgitis abreptos, & transverso amne præter ripam oppositam aliquantum ultra Numidas insequentes delatos.

3. *Inter Cirtham*.] Regia Numidiæ fuit, ut dictum, Cirtha, non procul mari: post divisum Imperium, Romani *Constantinam* dixere. Arabibus nunc *Constina* est, Regni sui caput. Quod tamen Algeriano conjunctum.

4. *Hipponemque*.] Duplex fuit hujus nominis oppidum. *Hippo Regius* Augustini Episcopatu postea nobilis, in Numidia, de quo hic sermo, Incolis teste Marmoglio *Beled'el Vgneb*, Christianis *Bona*: & Hippo diarrhytos cognomine, seu *dilutus* propter aquarum irrigua, in Africa propria versus Uticam: unde sinus Hipponensis. Oppidum nunc vocari ajunt, *Biserta Vecchia* Italis.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempronio Tudit.

ducit. Masinissa fiducia maxime loci, quo multo æquiore pugnaturus erat: & ipse dirigit suos. Atrox prælium & diu anceps fuit; loco & virtute militum Masinissam, multitudine, quæ nimio major erat, Syphacem juvante. Ea multitudo divisa, quum pars à fronte urgeret, pars à tergo se circumfudisset, victoriam haud dubiam Syphaci dedit: & ne effugium quidem patebat; hinc à fronte, hinc à tergo inclusis. Itaque cæteri pedites equitesque, cæsi aut capti. ducentos ferme equites Masinissa circa se conglobatos, divisosque turmatim in tres partes, erumpere jubet; [a] loco prędicto, in quem ex dissipata convenirent fuga. Ipse qua intenderat, inter media tela hostium evasit. [1] duę turmę hęsere: altera metu dedita hosti; pertinacior in repugnando telis obruta & confixa est. Verminam prope vestigiis instantem, in alia atque alia flectendo itinera, eludens, tędio & desperatione tandem fessum, absistere sequendo coëgit. ipse cum sexaginta equitibus [2] ad minorem Syrtim pervenit. Ibi cum conscientia egregia sępe repetiti regni paterni, [3] inter Punica Emporia, [4] gentemque Garamantum, omne tempus, usque ad C. Lęlii, classisque Romanę adventum in Africam, consumpsit. Hęc animum inclinant, ut cum modico potius, quam cum magno pręsidio equitum ad Scipionem quoque postea venisse Masinissam credam: quippe illa regnantis multitudo, hęc paucitas exulis fortunę conveniens est.

XXXIV. Carthaginienses alâ equitum cum pręfecto amissâ, alio equitatu

INTERPRETATIO.

a *Cum eis locum indicasset quo omnes convenirent post fugam in diversas partes directam.*

NOTÆ.

1. *Duæ turmæ hæsere.*] Id est, sequi non potuere fugientem Masinissam: harum duarum altera sese hostibus dedidit, altera ad extremum pugnando periit, cum tertiá quæ sexaginta equitum erat effugit Masinissa.

2. *Ad minorem Syrtim.*] *Syrtium* nomine intelliguntur vadosa & scopulosa maria. Sunt autem inter Africam propriam & Cyrenaicam Syrtes duæ, sive sinus. Minor Africæ propior inter Byzacenam provinciam, & Tripolitanam, nunc Gallis *Golfe de Capes*: Major altera à Tripolitana in Cyrenaicam vergens, Italis *Golfo di Sidra*, ut Baudrannus observat. Communi nomine vocantur, *le Secche di Barbaria* Italis, Hispanis eodem sensu, *los Baxos de Barberia*.

3. *Inter Punica Emporia.*] Emporia vocant oram minoris Syrtis ubi Pœni commercium agitabant, & cujus uberrimus ager.

4. *Gentemque Garamantum.*] Horum in Put. aliisque melioribus mentio nulla: eorum loco substituit Gronov. *Syrtimque*, vel *Leptimque*. Colb. unus habet alius. *Inter Punica Emporia gentemque, C. Lælii Classisque Romanæ in Africam adventum, consumpsit.* Et pro *consumpsit* auguratur Gronov. *consenuit*, id est, se cum tædio sustentavit. *Emporia* Liv. 34. 62. vocari ait eam regionem quæ orta est minoris Syrtis, ejusque civitas *Leptis*, (parva scilicet) in Byzacena. Nunc Europæis *Monaster*. At *Garamantes* populi fuere Libyæ interioris ultra Africam propriam, à Gætulis ad Æthiopas trans Atrum seu Nigrum montem. Eorum Caput *Garama*; eo tractu, ni fallor, ubi nunc *Berdoa* in regione quæ hodie *Biledulgerid*.

per novum delectum comparato, Hannonem Amilcaris filium præficiunt. Asdrubalem subinde ac Syphacem per literas nunciosque, postremo etiam per legatos, arcessunt: Asdrubalem opem ferre prope circumsessæ patriæ jubent; Syphacem orant, ut Carthagini, ut universæ Africæ subveniat. Ad Uticam tum castra Scipio, ferme mille passus ab urbe, habebat: translata à mari, ubi paucos dies stativa conjuncta classi fuerant. Hanno nequaquam satis valido, non modo ad lacessendum hostem, sed ne ad tuendos quidem à populationibus agros, equitatu accepto, id omnium primum egit, ut per conquisitionem numerum equitum augeret. Nec aliarum gentium aspernatus, maxime tamen Numidas (id longe primum equitum in Africa est genus) conducit. Jam ad quatuor millia equitum habebat, [1] quum Saleram nomine urbem occupavit; quindecim ferme millia ab Romanis castris. Quod ubi Scipioni relatum est, [2] γ *æstiva sub tectis equitatus? Sint*, inquit, *vel plures, dum talem ducem habeant*. eoque minus cessandum ratus, quò illi segnius rem agerent: Masinissam cum equitatu præmissum portis obequitare, atque hostem ad pugnam elicere, jubet. ubi omnis multitudo se effudisset, graviorque jam in certamine esset, quam ut facile sustineri posset; cedere paulatim: se in tempore pugnæ [3] obventurum. Tantum moratus, quantum satis temporis [4] prægresso visum ad eliciendos hostes, cum Romano equitatu secutus, tegentibus tumulis, qui peropportune circa viæ flexus oppositi erant, occultus processit. Masinissa, ex composito, nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo, cum timoris simulatio audaciam hosti faceret, insequentem temere eliciebat. Nondum omnes egressi erant, varieque dux fatigabatur: alios vino & somno graves arma capere, & frenare equos cogendo, aliis, ne sparsi, & inconditi sine ordine, sine signis, omnibus portis excurrerent, obsistendo. Primo incaute se evehentes Masinissa excipiebat: mox plures simul conferti portâ effusi, æquaverant certamen: postremo jam omnis equitatus prælio quum adesset, sustineri ultra nequivêre. Non tamen effusâ fugâ Masinissa, sed cedendo sensim, impetus eorum excipiebat: donec ad tumulos tegentes Romanum equitatum pertraxit. Inde exorti

Vrb. Cond. ann. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

N O T Æ.

1. *Quum Saleram.*] Optimæ membranæ *Salæcam*. Videtur eadem esse quam *Locha* vocat Appianus, qui eam urbem tradit non ab Hannone, sed à Syphace captam. Quo loco fuerit, difficile dictu: id tantum habemus ex Livio quindecim milliaribus abfuisse à Castris Scipionis, quæ non procul à Pulchri promontorio.

2. *Æstiva sub tectis equitatus?*] Interrogatio est Scipionis cum admiratione conjuncta, qua in Asdrubalem ludit quod æstivo tempore equitatum in urbe ac sub tectis haberet. Id quippe summæ est indulgentiæ, vel potiùs neglectæ disciplinæ. *τὸ agere* ignorant membranæ meliores, cum quibus rectè Gron. legit; *quod ubi Scipioni relatum est. Æstiva sub tectis equitatus?* Supple *agit*? (inquit) *sint vel plures* nempe equites, *dum talem Ducem habeant*.

3. *Obventurum.*] Pro *occursurum*. Nec tamen displicet vulgaris lectio, *in tempore pugnæ venturum*.

4. *Prægresso.*] Nempe *Masinissa*.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

equites, & ipsi integris viribus, & recentibus equis, Hannoni Afrisque pugnando ac sequendo fessis se circumfudere: & Masinissa flexis subito equis in pugnam rediit. Mille ferme qui primi agminis fuerant, ut quibus haud facilis receptus fuit, cum ipso duce Hannone interclusi atque interfecti sunt. cæteros ducis præcipue territos cæde, effuse fugientes per tria millia passuum victores secuti, ad duo præterea millia equitum, aut ceperunt, aut occiderunt. inter eos satis constabat, non minus ducentos Carthaginiensium equites fuisse; & divitiis quosdam & genere illustres.

XXXV. Eodem forte quo hæc gesta sunt die, naves quæ prædam in Siciliam vexerant, cum commeatu rediere: velut ominatæ, ad prædam alteram repetendam sese venisse. 1 Duos eodem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus præliis interfectos, non omnes auctores sunt: veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Cœlius quidem & Valerius, captum etiam Hannonem tradunt. Scipio, præfectos equitesque pro ut cujusque opera fuerat, ante omnes Masinissam, insignibus donis donat. & firmo præsidio Saleræ imposito, ipse cum cætero exercitu profectus, non agris modo quacumque incedebat populatis, sed urbibus etiam quibusdam vicisque expugnatis, late fuso terrore belli, septimo die quam profectus erat, magnam vim hominum, & pecoris, & omnis generis prædæ trahens, in castra redit; gravesque iterum hostium spoliis naves dimittit. Inde, omissis expeditionibus parvis populationibusque, ad oppugnandam Uticam omnes belli vires convertit: eam deinde si cepisset, sedem ad cætera exsequenda habiturus. Simul & à classe navales socii, qua ex parte urbs mari alluitur; simul & terrestris exercitus, ab imminente prope ipsis mœnibus tumulo est admotus. Tormenta machinasque & advexerat secum, & ex Sicilia missa cum commeatibus erant: 2 & nova in armamentario multis talium operum artificibus de industria inclusis, fiebant. a Uticensibus tanta undique mole circumsessis in Carthaginiensi populo; Carthaginiensibus in Asdrubale ita, si is movisset Syphacem, spes omnis erat. sed, desiderio indigentium auxilii, tardius cuncta movebantur. Asdrubal intentissima conquisitione quum ad triginta millia peditum, tria equitum confecisset; non tamen ante adventum Syphacis castra propius hostem movere est ausus. Syphax cum quinquaginta millibus

INTERPRETATIO.

a. *Omnem spem Uticenses repositam habebant in Carthaginiensibus; hi vero in Asdrubale, dummodo hic ad partes suas Syphacem traxisset; sed cuncta lentiùs procedebant, quàm cuperent qui auxilio egebant*, tam Uticenses, quàm Carthaginienses.

NOTÆ.

1. ***Duos eodem nomine.***] Horum Ducum Appianus unum quidem Hannonem; sed alterum Magonem appellat.

2. ***Et nova.***] Refer ad *tormenta*; aut etiam ad tormenta simul & machinas.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

peditum, decem equitum, advenit: confestimque motis ab Carthagine castris, haud procul Utica, munitionibusque Romanis, consedit. Quorum adventus [b] hoc tamen momenti fecit, ut Scipio, quum quadraginta ferme dies nequicquam omnia experiens obsedisset Uticam, abscederet inde irrito incœpto. jam enim hiems instabat. Castra hiberna in promontorio, [1] quod tenui jugo continenti adhærens in aliquantum maris spatium extenditur, communit: uno vallo [3] *& navalium castra* amplectitur. jugo medio legionum castris impositis [4] litus ad septentrionem versum subductæ naves navalesque socii tenebant; meridianam vallem ad alterum litus devexam equitatus. Hæc in Africa usque ad extremum autumni gesta.

XXXVI. Præter convectum undique ex populatis circa agris frumentum, commeatusque ex Sicilia atque Italia advectos, Cn. Octavius proprætor ex Sardinia ab Ti. Claudio prætore, cujus ea provincia erat, ingentem vim frumenti advexit, horreaque non solum, quæ jam facta erant, repleta, sed nova ædificata. Vestimenta exercitui deerant. id mandatum Octavio ut cum prætore ageret, si quid ex ea provincia comparari ac mitti posset. ea quoque haud segniter curata res. Mille ducentæ togæ brevi spatio, duodecim millia tunicarum missa. Æstate ea, qua hæc in Africa gesta sunt, P. Sempronius consul, cui Brutii provincia erat, in agro Crotoniensi cum Annibale in ipso itinere tumultuario prælio conflixit. agminibus magis quam acie pugnatum est. Romani pulsi, & tumultu verius quam pugna mille & ducenti de exercitu consulis interfecti: in castra trepide reditum. Neque oppugnare tamen ea hostes ausi. cæterum silentio proximæ noctis profectus inde consul, præmisso nuncio ad P. Licinium proconsulem, ut suas legiones admoveret, copias conjunxit. ita duo duces, duo exercitus ad Annibalem redierunt. nec mora dimicandi facta est: quum consuli duplicatæ vires, Pœno recens victoria [1] animo esset. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit: in subsidiis locatæ P. Licinii legiones. Consul principio pugnæ [2] ædem Fortunæ Primigeniæ vovit,

INTERPRETATIO.

b *In hoc saltem profuit* Carthaginiensibus.

NOTÆ.

3. *Et Navalium castra*.] Melius forte ex Pet. *Et navalia & castra*.

4. *Litus ad Septentrionem*.] Meliorum Codicum plerique pro *litus* scribunt *latus*; sed omittunt duas illas voces *devexam equitatus*. Quia tamen videtur aliquid desiderari, conjicit Gronov. satis verisimiliter *auxilia & equitatus*.

1. *Animo esset*.] Vulgo *animos faceret*: sensu non diverso. Dicitur autem non ineleganter *animo esse* eadem loquendi formâ ac *cordi esse*. Ita Plautus in mercatore, *tantus cum cura meo error est animo*.

2. *Ædem Fortunæ Primigeniæ*.] *Primigenia* in genere dicuntur ex Isid. quæ aliunde originem non trahunt. Fortunam à Romanis ita dictam vult Plutarch. quòd Romæ urbi initia ortus sui suggesserit, vel quòd omnium rerum quasi principium sit. Dio. lib. 42. quod moneat meminisse à quibus majoribus ortus quisque sit. Fuit hæc Fortunæ Primigeniæ ædes in regione Fori Romani circa Capitolium. Aliud posteà templum sub eo nomine dedicatum in monte Quirinali Livius scribit lib. 34. cap. 53.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

si eo die hostes fudisset: composque ejus voti fuit. Fusi ac fugati Pœni: supra quatuor millia armatorum cæsa: paulo minus trecenti vivi capti: & equi quadraginta, & undecim militaria signa. Perculsus adverso prælio Annibal, Crotonem exercitum abduxit. Eodem tempore M. Cornelius consul, altera parte Italiæ, non tam armis quam judiciorum terrore Etruriam continet; totam ferme ad Magonem, ac per eum ad spem novandi res versam. a Eas quæstiones ex senatusconsulto minime ambitiose habuit. multique nobiles Etrusci, qui aut ipsi ierant, aut miserant ad Magonem de populorum suorum defectione, primo præsentes condemnati; postea, conscientia sibimetipsi exilium consciscentes, quum absentes damnati essent, corporibus subtractis, bona tantum, quæ publicari poterant, b pignoranda pœnæ præbebant.

XXXVII. Dum hæc consules diversis regionibus agunt, censores interim Romæ M. Livius & C. Claudius a senatum recitaverunt. Princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus. notati septem: nemo tamen, qui sella curuli sedisset. b Sarta tecta acriter, & cum summa fide exegerunt. viam è foro Boario ad Veneris, & 1 circa foros publicos, & ædem Matris magnæ in palatio faciendam locaverunt. 2 vectigal etiam novum ex salaria annona statuerunt. 3 sextante sal & Romæ, & per totam Italiam erat. Romæ pretio eodem, pluris c in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locaverunt. d id vectigal commentum alterum ex censoribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo judicio quondam damnatus esset: & in pretio salis maxime oneratas 4 tribus, quarum operâ damnatus erat, credebant. inde *Salinatori* Livio inditum cognomen.

INTERPRETATIO.

a *Inquisivit de his* novandarum rerum consiliis *absque nimia, vel asperitate, vel personarum acceptione.*

b *Relinquebant capienda & vendenda in pœnam.*

a *Senatum recensuerunt.*

b *Sacrarum ædium refectionem à mancipibus exactè fieri acerrimè curarunt.*

c *In minoribus civitatibus & municipiis.*

d Facilè in animum inducebant cives M. Livium, *qui unus è Censoribus erat, vectigal illud invenisse ex ira in populum.*

NOTÆ.

1. *Circa foros publicos.*] Discrimen est inter *foros*, & *fora*: in neutro enim genere loca sunt in quibus jus dicitur, aut quò res venales deferuntur: masculino genere propriè quidem spatia in navibus teste Nonio sive (ut explicat Isidorus) tabulata navium quæ sternuntur; dicta ab eo quod incessus ferant, vel foris emineant, de quibus Virgil. *Laxantque foros.* Gall. *le Tillac.* Et generaliter loca aperta ac patentia. Unde gladiatores *foros facere* dicuntur, cum longo sectantur circuitu. Hic sumi videntur pro tabernis, quæ in foro Romano.

2. *Vectigal ex salaria annona.*] Ancus Martius Rex Salinarium vectigal primus apud Romanos instituerat, teste Plinio lib. 31. cap. 7. id exactis Regibus sublatum, nunc M. Livius in censura sua restituit, unde ei cognomen inditum.

3. *Sextante.*] Si assem uncialem ponamus, quales ex Fabii commento videntur circa hæc tempora facti, sextans duos asses nostros hodiernos aliquot denariolis superaverit.

4. *Tribus.*] Tribuum nempe rusticarum magnam partem.

Lustrum

Urb. cond. an. 549. Cosſ. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

Luſtrum conditum ſerius, quia per provincias dimiſerunt cenſores, ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique eſſet, referretur numerus. Cenſa cum iis [5] ducenta decem quatuor millia hominum. condidit luſtrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde coloniarum (quod nunquam antea factum erat) deferentibus ipſarum coloniarum cenſoribus, cenſum acceperunt: ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent. Equitum deinde cenſus agi cœptus eſt: & ambo fortè cenſores equum publicum habebant. Quum ad tribum Polliam ventum eſt, in qua M. Livii nomen erat, & præco cunctaretur citare ipſum cenſorem; Cita, inquit Nero, M. Livium. & ſive ex reſidua & vetere ſimultate, ſive intempeſtiva jactatione ſeveritatis inflatus, Livium, quia populi judicio eſſet damnatus, [6] equum vendere juſſit. item M. Livius quum [7] ad tribum Narnienſem & nomen collegæ ventum eſt: vendere equum C. Claudium juſſit; duarum rerum cauſa: unius, quod falſum adverſus ſe teſtimonium dixiſſet; alterius quod non ſincera fide ſecum in gratiam rediſſet. [8] Itaque ibi fœdum certamen, inquinandi famam alterius cum ſuæ famæ damno, factum eſt. Exitu cenſuræ quum in leges juraſſet C. Claudius, & in ærarium eſcendiſſet, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde M. Livius in ærarium venit, & præter Mæciam tribum, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condemnatum aut conſulem aut cenſorem feciſſet; populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus ærarios reliquit; quod & innocentem ſe condemnaſſent, & condemnatum conſulem & cenſorem feciſſent: neque inficiari poſſent, aut judicio ſemel, aut comitiis bis ab ſe peccatum eſse. Inter quatuor & triginta tribus, & C. Claudium ærarium fore. quod ſi exemplum haberet bis eundem ærarium relinquendi, C. Claudium nominatim ſe inter ærarios fuiſse relicturum. [e] Pravum certamen notarum inter cenſores: caſtigatio inconſtantiæ populi cenſoria, & gravitate temporum illorum digna. In invidia cenſores quum eſsent, creſcendi ex his ratus eſse occaſionem, Cn. Bæbius tribunus plebis diem ad populum utrique dixit. Ea res de

INTERPRETATIO.

e Quod invicem ſeſe notarunt Cenſores, ut uterque famam alterius inquinavit, fœdum fuit certamen. Quod Livius inconſtantiam populi notavit, id verè Cenſorium, dignumque gravitate illorum temporum.

NOTÆ.

5. *Ducenta decem quatuor millia.*] Ita membranæ non paucæ: malim tamen cum Epitome *ducenta quindecim millia*.

6. *Equum vendere juſſit.*] Quaſi indignum equeſtri ordine.

7. *Ad Tribum Narnienſem.*] Sic præferunt Scripti & veteres Editiones; atque ita ſcribendum monet Sigon. in Schol. ad lib. 6. licet alibi *Arnienſem* appellaverit; ut vulgo hic legitur.

8. *Itaque ibi fœdum.*] Præſtat hæc vulgaris lectio ſcripturæ membranarum, in quibus eſt; *neque fœdum certamen*. Non diſplicet tamen Gronovii conjectura, *æquè fœdum certamen, &c.*

consensu Patrum discussa est, ne postea obnoxia populari auræ censurâ esset.

Urb. cond. an. 549. Coss. M. Cornel. Cethego, & P. Sempron. Tudit.

XXXVIII. Eadem æstate in Bruttiis, [1] Clampetia a consule vi capta, Consentia & Pandosia, & ignobiles aliæ civitates, voluntate in ditionem venerunt. Et quum comitiorum jam appeteret tempus, Cornelium potius ex Etruria, ubi nihil belli erat, Romam acciri placuit. Is consules Cn. Servilium Cæpionem, & C. Servilium Geminum creavit. Inde prætoria comitia habita. creati Cn. Cornelius Lentulus, P. Quintilius Varus, P. Ælius Pætus, P. Villius Tappulus. Hi duo quum ædiles plebis essent, prætores creati sunt. Consul comitiis perfectis, ad exercitum in Etruriam rediit. Sacerdotes eo anno mortui, atque in locum eorum suffecti, Tib. Veturius Philo flamen Martialis, in locum M. Æmilii Regilli, qui priore anno mortuus erat, creatus inauguratusque: & in M. Pomponii Mathonis auguris & decemviri locum creati, decemvir M. Aurelius Cotta, augur Tib. Sempronius Gracchus admodum adolescens; quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat. Quadrigæ aureæ eo anno in Capitolio positæ ab ædilibus curulibus, C. Livio, & M. Servilio Gemino. Et ludi Romani biduum instaurati. [2] Item per biduum plebeji, ab ædilibus P. Ælio, P. Villio: & Jovis epulum fuit, ludorum caussa.

NOTÆ.

1. *Clampetia à Consule vi capta.*] Corruptus est haud dubiè hic locus. Vulgò editur, *Jam Petilia à Consule vi capta:* ex scriptis, Put. præfert *Clampetia devicasta:* alii *Clampetia Cosa devicta*: sed *Cosa* Tuscorum non Brutiorum urbs fuit. Itaque ex diversis lectionibus conflata est quæ in textu habetur non malè. Porro *Clampetia* in Brutiis est ad mare Ausonium, Melæ & Plinio memorata: hodie *l'Amantea* Calabriæ citerioris, diversa à *Lametia*, sive *Lampetia*, quæ in eadem regione Brutiorum ad Lameti fluvii ostia; unde sinus Lametinus.

2. *Item per biduum.*] Licet scriptorum nonnulli habeant *idem*, Regius unus *iterum*: tamen alii cum Sigonio scribunt *item*, quod & sensus exigit.

FINIS LIBRI XXIX.

TITI LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
LIBER XXX.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

IN Africa Scipio Carthaginienses, & eundem Syphacem Numidarum regem, Asdrubalemque pluribus præliis vicit, adjuvante Masinissa; binaque hostium castra expugnavit: in quibus quadraginta millia hominum ferro igniqne consumpta sunt. Syphacem per C. Lælium & Masinissam cepit. Masinissa Sophonisbam uxorem Syphacis, filiam Asdrubalis captam, statim adamat: & nuptiis factis uxorem habuit: castigatusque à Scipione, venenum ei misit. quo hausto illa decessit. Effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Charthaginienses in desperationem acti, in auxilium publicæ salutis Annibalem ex Italia revocarent. isque anno decimosexto discedens, in Africam trajecit, tentavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: & quum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. Pax Carthaginiensibus data est petentibus. Annibal Gisgonem, pacem dissuadentem, manu sua detraxit, excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit. Mago, qui bello in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus reverteretur, ex vulnere mortuus est. Masinissæ regnum restitutum est. Reversus in urbem Scipio, amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator a pileatus secutus est. Scipio Africanus*(incertum militari prius favore, an populari aura ita cognominatus) primus certe hic imperator victæ à se nomine gentis nobilitatus est.*

INTERPRETATIO.

a *Pileo caput opertus*, quasi in libertatem vindicatus à Scipione.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil. Gem.

CN. Servilius Cæpio, & 1 C. Servilius Geminus Consules (sextus decimus is annus belli Punici erat) quum de republica belloque & provinciis ad senatum retulissent, censuerunt Patres, ut consules inter se compararent, sortirenturve, uter Brutios adversus Annibalem, uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet. cui Brutii evenissent, exercitum à P. Sempronio Consule acciperet. P. Sempronius (ei quoque enim proconsuli imperium in annum prorogabatur) P. Licinio succederet: is Romam reverteretur, bello quoque bonus habitus, * ad cætera, quibus nemo ea tempestate instructior civis habebatur, congestis omnibus humanis à natura fortunaque bonis. Nobilis idem ac dives erat: forma viribusque corporis excellebat. Facundissimus habebatur; seu caussa oranda, seu in senatu & ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset: juris pontificii peritissimus. Super hæc, bellicæ quoque laudes consulatûs compotem fecerant. 2 Quod in Brutiis provincia, idem in Etruria ac Liguribus decretum. M. Cornelius novo consuli tradere exercitum jussus; ipse prorogato imperio Galliam provinciam obtinet cum legionibus iis, quas prætor L. Scribonius priore anno habuisset. Sortiti deinde provincias: Cæpioni Brutii, Servilio Gemino Etruria evenit. Tum prætorum provinciæ in sortem conjectæ. Jurisdictionem urbanam Pætus Ælius, Sardiniam Cn. Lentulus, Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus (sub Lucretio Spurio eæ fuerant) Quintilius Varus est sortitus. Et Lucretio prorogatum imperium, ut Genuam oppidum à Magone Pœno dirutum exædificaret. P. Scipioni non temporis, sed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium est: decretumque, ut supplicatio fieret: quod is in Africam provinciam trajecisset, ut ea res salutaris populo ipsique duci atque exercitui esset.

II. In Siciliam tria millia militum sunt scripta. &, quia quod roboris ea provincia habuerat, in Africam transvectum fuerat; ne qua classis ex Africa trajiceret, quadraginta navibus custodiri placuerat Siciliæ

INTERPRETATIO.

* *Prater*, vel *ultra dotes alias* quibus ornatus erat.

NOTÆ.

1. *C. Servilius Geminus.*] Gemini cognomen ignorant plerique veterum librorum & tabulæ Capitolinæ: quod Sigonio placet, quoniam Servilii cognomento *Gemini*, Patricii fuerunt. Hic autem, teste ipso Livio, Ædilis plebis fuerat, itemque Tribunus plebis; ac præterea plebeji consulis locum obtinet; utpotè conjunctus cum Cæpione, quo cognomine qui distinguebantur Servilii, gentis erant Patriciæ. Hoc autem tempore alterum duorum Consulum ex plebe fieri oportebat.

2. *In Brutiis provincia.*] Appositione dictum pro in regione Brutiorum. Sensus est: quod decretum fuerat de exercitu qui in Brutiis erat tradendo consuli cui ea provincia eveniret, idem decretum esse ut exercitus qui in Etruria & Liguria fuerat, alteri consuli traderetur.

maritimam oram. Tredecim novas naves Villius secum in Siciliam duxit: cæteræ in Sicilia veteres refectæ. Huic classi M. Pomponius prioris anni prætor prorogato imperio præpositus, novos milites ex Italia advectos in naves imposuit. Parem navium numerum Cn. Octavio Prætori item prioris anni, cum pari jure imperii ad tuendam Sardiniæ oram Patres decreverunt. Lentulus prætor duo millia militum dare in naves jussus. Et Italiæ ora, quia incertum erat, quo missuri classem Carthaginienses forent (videbantur autem quicquid nudatum præsidiis esset petituri) M. Marcio Prætori prioris anni cum totidem navibus tuenda data est. tria millia militum in eam classem ex decreto Patrum consules scripserunt, & duas legiones urbanas ad incerta belli. Hispaniæ cum exercitibus imperioque veteribus imperatoribus, Lentulo & L. Manlio Acidino decretæ. Viginti omnino legionibus, & centum sexaginta navibus longis res Romana eo anno gesta. Prætores in provincias ire jussi. Consulibus imperatum, priusquam ab urbe proficiscerentur, Ludos Magnos facerent, 1 quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vovisset, si eodem statu respublica staret. Et novas religiones excitabant in animis hominum prodigia ex pluribus locis nunciata. Aurum in Capitolio corvi non lacerasse tantum rostris crediti, sed etiam edisse. Mures Antii coronam auream arrosere. Circa Capuam omnem agrum locustarum vis ingens, ita ut unde advenissent, parum constaret, complevit. Equuleus Reate cum quinque pedibus natus. Anagniæ sparsi primum ignes cœlo, dein fax ingens arsit. Frusinone arcus solem tenui linea amplexus: circulum deinde ipsum major solis orbis extrinsecus inclusit. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit. Consulum alteri primam hostiam immolanti, caput jecinoris defuit. Ea prodigia majoribus hostiis procurata. editi à collegio pontificum Dii quibus sacrificaretur.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil. Gem.

III. Iis transactis, consules prætoresque in provincias profecti. omnibus tamen (velut eam sortitis) Africæ cura erat. seu quia ibi summam rerum bellique verti cernebant: seu ut Scipioni gratificarentur, in quem tum omnis versa civitas erat. Itaque non ex Sardinia tantùm, sicut antè dictum est, sed ex Sicilia quoque & Hispania vestimenta, frumentumque, & arma etiam ex Sicilia, & omne genus commeatus eò portabantur. Nec Scipio ullo tempore hiemis belli opera remiserat, a quæ multa simul undique eum circumstabant. Uticam obsidebat. castra in conspectu

INTERPRETATIO.

a *Quæ opera ipsi diversa, & magno numero incumbebant ex omni parte.*

NOTÆ.

1. *Quos T. Manlius.*] Voti fuerant hi Ludi anno secundo hujus belli Punici, nullo certo annorum numero iis celebrandis designato: eos fecerat T. Manlius anno undecimo ejusdem belli, similesque ludos in quinquennium voverat: idcirco jussi Consules eos nunc edere, nec tamen editi sunt, nisi anno sequenti.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Serv. Cæp. & C. Servil. Gem.

Asdrubalis erant. b Carthaginienses deduxerant naves, classem paratam instructamque ad commeatus intercipiendos habebant. Inter hæc, ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat: si forte eum satietas 1 amoris in uxore ex multa copia cepisset. Ab Syphace magis pacis cum Carthaginiensibus 2 conditiones, ut Romani Africa, Pœni Italia excederent, quam si bellaretur, spes ulla desciturum afferebatur. Hæc per nuncios magis equidem acta crediderim, & ita 3 pars major auctores sunt; quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad colloquium venisse. Primo eas conditiones Imperator Romanus vix auribus admisit: postea, ut causa probabilis suis commeandi foret in castra hostium, mollius eadem illa abnuere, ac spem facere, sæpius ultro citroque agitantibus rem conventuram. Hibernacula Carthaginiensium, congestâ temere ex agris materiâ exædificata, lignea ferme tota erant. Numidæ præcipue arundine textis storeaque pars maxima tectis, passim nullo ordine, quidam, ut sine imperio occupatis locis, extra fossam etiam vallumque habitabant. Hæc relata Scipioni spem fecerant, castra hostium per occasionem incendendi.

IV. Cum legatis, quos mitteret ad Syphacem, 1 calonum loco primos ordines spectatæ virtutis atque prudentiæ servili habitu mittebat; qui a dum in colloquio legati essent, vagi per castra alius alia, aditus exitusque omnes, situm formamque & universorum castrorum, & partium, 2 quà Pœni, quà Numidæ haberent, quantum intervalli inter Asdrubalis ac regia castra esset, specularentur: moremque simul noscerent stationum, vigiliarumque: nocte, an interdiu opportuniores insidianti essent. & inter crebra colloquia, b alii atque alii de industria,

INTERPRETATIO.

b *E navalibus eductas naves Pœni in mare propulerant.*

a *Quo tempore* legati Scipionis *colloquebantur* cum Syphace.

b *Datâ operâ mittebantur nunc hi, nunc illi.*

NOTÆ.

1. *Amoris in uxore.*] Mavult Sigonius *in uxorem*: scripti tamen exhibent *in uxore*, atque ita loquitur Ovid. lib. 4. Metam. *Venerisq; modum sibi fecit in illa.*

2. *Conditiones.*] Supple ex sequenti, *afferebantur*, seu nunciabantur.

3. *Pars major auctores sunt.*] Hæc vis est nominis collectivi, ut cum plurali numero jungatur: idem enim est ac si diceret: *veteres historici, pro majori parte, ita produnt.*

1. *Calonum loco primos ordines.*] Centuriones, primorum Ordinum ductores, mittebat, habitu Calonum, seu Lixarum; nempè duos primipilos seu triariorum primarios ductores, duos ex principum, totidemque ex hastatorum centurionibus primos: qui scilicet primum ordinis cujusque manipulum ducebant. Vulgò *primi ordinis*; quod ferri posset, si adderetur aut intelligeretur *sui*: vel *cujusque*, ut essent primi ordinis sui, vel primi cujusque ordinis.

2. *Quà Pœni, quà Numidæ haberent.*] Num melius, ut in quibusdam libris, *quas Pœni, quas Numidæ haberent*, id est, obtinerent, occuparent: ut referatur ad *partes*, sive Regiones diversorum Castrorum: aliàqui si retineantur particulæ *quà*, sumendum erit verbum *haberent*, pro habitarent, seu castra metarentur.

quo pluribus omnia nota essent, mittebantur. Quum sæpius agitata re certiorem spem pacis in dies & Syphaci & Carthaginiensibus c per eum faceret; legati Romani vetitos se 3 reverti ad imperatorem ajunt, nisi certum responsum detur. Proinde seu ipsi staret jam sententia, seu consulendus Asdrubal & Carthaginienses essent, consuleret. Tempus esse, aut pacem componi, aut bellum naviter fieri. Dum consulitur Asdrubal ab Syphace, ab Asdrubale Carthaginienses; & speculatores omnia visendi, & Scipio ad comparanda ea, quæ in rem erant, tempus habuit. & ex mentione ac spe pacis, negligentia, ut fit, apud Pœnos, Numidamque orta cavendi ne quid hostile interim paterentur. Tandem relatum responsum quibusdam (quia nimis cupere Romanus pacem videbatur) iniquis per occasionem adjectis: quæ peropportune, cupienti tollere inducias Scipioni, caussam præbuere. ac nuncio regis, quum relaturum se ad consilium dixisset, postero die respondit, *Se uno frustra tendente, nulli alii pacem placuisse. Renunciaret igitur, nullam aliam spem pacis, quam relictis Carthaginiensibus, Syphaci cum Romanis esse.* Ita tollit inducias, ut liberâ fide incœpta exsequeretur: deductisque navibus, & jam veris principium erat, machinas tormentaque, velut à mari aggressurus Uticam, imponit. Duo millia militum ad capiendum, quem antea tenuerat, tumulum super Uticam mittit: simul ut ab eo quod parabat, in alterius rei curam converteret hostium animos: simul ne qua quum ipse ad Syphacem Asdrubalemque profectus esset, eruptio ex urbe & impetus in castra sua relicta cum levi præsidio fieret.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Serv. Cæp. & C. Servil. Gem.

V. His præparatis, advocatoque consilio, edicere exploratoribus jussis, quæ comperta afferrent, 1 Masinissaque, cui omnia hostium nota erant; postremo quid ipse pararet in proximam noctem, proponit. Tribunis edicit, ut ubi 2 prætorio dimisso signa concinuissent, extemplo educerent castris legiones. Ita, ut imperaverat, signa sub occasum solis efferri sunt cœpta. ad primam ferme vigiliam agmen explicaverunt; media nocte, septem enim millia itineris erant, modico gradu ad castra hostium perventum. Ibi Scipio partem copiarum Lælio, Masinissamque ac Numidas attribuit: & castra Syphacis invadere, ignesque conjicere jubet. Singulos deinde separatim, Lælium ac Masinissam seductos obtestatur, *ut quantum nox*

INTERPRETATIO.

c *Per Syphacem*, quo cum colloquia fiebant.
2 *Dimissis* sub noctem *iis qui in tentorio ejus essent*.

NOTÆ.

3. *Reverti ad Imperatorem.*] Vulgò ex Rhen. *reverti ab Imperatore Romano*: sed prius retinent scripti: quod Polyb. ita explicat, ut Scipio non absolutè vetuerit Legatos ad se reverti, sed ut jusserit tamdiu expectare Legatos, & apud Syphacem manere, donec certum responsum accepissent. Hàc ratione otium erat Legatis & Centurionibus, (qui cum illis missi) castra hostium contemplandi: & nihilominus Scipio speciem præbebat cupientis pacem;, ut recte Gron. notat.

1. *Masinissaque.*] Refer ad superius nomen *advocato*.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Serv. Cæp. & C. Servil. Gem.

providentiæ adimat, tantum diligentiâ expleant, curaque. Se Asdrubalem Punicaque castra aggressurum. Cæterùm non ante cœpturum, quam ignem in regis castris conspexisset. Neque ea res morata diu est. nam ut * proximis casis injectus ignis hæsit, extemplo proxima quæque, & deinceps continua amplexus, totis se passim dissipavit castris. Et trepidatio quidem, quanta necesse erat, in nocturno effuso tam late incendio, orta est: cæterum fortuitum, non hostilem ac bellicum ignem rati esse, sine armis ad restinguendum incendium effusi, in armatos incidere hostes, maxime Numidas, ab Masinissa notitia regiorum castrorum ad exitus itinerum idoneis locis dispositos. Multos in ipsis cubilibus semisomnos hausit flamma: multi in præcipiti fuga, ruentes super alios alii, in angustiis portarum obtriti sunt.

VI. Relucentem flammam primo vigiles Carthaginiensium, deinde excitati alii nocturno tumultu quum conspexissent, ab eodem errore credere & ipsi sua sponte incendium ortum. a & clamor, inter cædem & vulnera sublatus, an ex trepidatione nocturna esset, confusus, sensum veri adimebat. Igitur pro se quisque inermes, ut quibus nihil hostile suspectum esset, omnibus portis, qua cuique proximum erat, ea modo, quæ restinguendo igni forent, portantes, in agmen Romanum ruebant. Quibus cæsis omnibus, præterquam hostili odio, etiam ne quis nuncius effugeret, extemplo Scipio neglectas, ut in tali tumultu, portas invadit. ignibusque 1 in proxima tecta conjectis, effusa flamma primo veluti sparsa pluribus locis reluxit: dein per continua serpens, uno repente omnia incendio hausit. Ambusti homines jumentaque; fœda primum fugâ, dein strage obruerant itinera portarum. Quos non oppresserat ignis, ferro absumpti: binaque castra clade unâ deleta. Duces tamen ambo, & ex tot millibus armatorum duo millia peditum, & quingenti equites semiermes, magna pars saucii, afflatique incendio, effugerunt. Cæsa aut hausta flammis quadraginta millia hominum sunt, capta supra quinque millia: multi Carthaginiensium nobiles, undecim senatores, signa militaria centum septuaginta quatuor, equi Numidici, supra duo millia septingenti, elephanti sex capti: octo flamma ferroque absumpti, magnaque vis armorum capta. Ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit.

VII. Asdrubal ex fuga cum paucis 1 Afrorum urbem proximam petierat: eoque omnes qui supererant, vestigia ducis sequentes, se contulerant.

INTERPRETATIO.

a *Cum incertum esset an clamor ex cæde atque vulneribus, an terrore nocturno ortus ac sublatus esset: hinc fiebat ne veram cognoscerent causam.*

NOTÆ.

1. *In proxima tecta.*] In tecta Castrorum Asdrubalis hibernorum, quæ sibi Scipio sumpserat incendenda, ubi castra Syphacis ardere vidisset.

1. *Afrorum urbem.*] Nomen urbis illius nec Polyb. refert. Appian. Ἄδαν vocat. Fuerit fortè *Bendena* Ptolemæi: quamvis hæc longiùs à pugnæ loco.

metu

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

metu deinde, ne dederetur Scipioni, urbe excessit. Mox eodem patentibus portis Romani accepti: nec quicquam hostile, quia voluntate concesserant in ditionem, factum. duæ subinde urbes captæ direptæque. ea præda, & quæ castris incensis ex igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo millium ferme inde spatio loco communito consedit. Asdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur. quo tantus primo terror est allatus, ut omissa Utica Carthaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum. Senatum itaque [2] Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt. Ibi tribus dictis sententiis, una de pace legatos ad Scipionem decernebat: altera Annibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocabat: tertia [3] Romanæ in adversis rebus constantiæ erat; reparandum exercitum, Syphacemque orandum, ne bello absisteret, censebat. Hæc sententia, quia Asdrubal præsens, Barcinæque omnes factionis bellum malebant, vicit. inde delectus in urbe agrisque haberi cœptus, & ad Syphacem legati missi, summa ope & ipsum reparantem bellum: quum uxor non jam ut antè blanditiis satis potentibus ad animum amantis, sed precibus & misericordia valuisset; plena lachrymarum obtestans, ne patrem suum patriamque proderet: iisdemque flammis Carthaginem, quibus castra conflagrassent, absumi sineret. Spem quoque opportune oblatam afferebant legati: quatuor millia Celtiberorum circa [4] urbem nomine Obbam, ab conquisitoribus suis conducta in Hispania, egregiæ juventutis, sibi occurrisse: & Asdrubalem propediem affore cum manu haudquaquam contemnenda. Igitur non benigne modo legatis respondit, sed ostendit etiam multitudinem Numidarum agrestium, quibus per eosdem dies arma equosque dedisset, & omnem juventutem affirmat exciturum ex regno. Scire incendio, non prœlio cladem acceptam. eum bello inferiorem esse, qui armis vincatur. Hæc legatis responsa. Et post dies paucos rursus Asdrubal & Syphax copias junxerunt. is omnis exercitus fuit triginta ferme millium armatorum.

NOTÆ.

2. *Suffetes*.] Apud Festum *Sufes* dicitur Consul lingua Pœnorum: De Syriaca, seu Hebraïca nominis origine antea dixi.

3. *Romana in adversis rebus constantia*.] Non Pœnorum, aut Numidarum animis conveniebat, qui natura leves; sed Romanorum, quorum nota constantia in adversis.

4. *Urbem nomine Obbam*.] Ita legitur in omnibus scriptis, *vulgo Olbam* Polybius *Abbam* vocat; melius, ni fallor. Non multùm differt nomine *Thabba* Ptolemæi, cui videtur respondere hodie *Thebessa*. Utut sit, ad hanc urbem se contulerat Syphax post nocturnam cladem, auctoribus Appiano & Polybio: quod cùm ita sit, mirum videtur à legatis Carthaginiensibus Syphaci nunciatum quatuor millium Celtiberorum circa urbem illam adventum; cum potiùs id Legati à Syphace, qui prior eò venerat, accipere debuerint. Sed potuere eò momento quo legati ad Regem veniebant, advenire ex Hispania & maritimis Africæ locis hæ Celtiberorum copiæ, nondum allato ad Regem nuntio.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

VIII. Scipionem, [a] velut debellato jam, quod ad Syphacem Carthaginiensesque attineret, Uticæ oppugnandæ intentum, jamque machinas admoventem muris, avertit fama redintegrati belli: modicisque præsidiis ad speciem modo obsidionis terra marique relictis, ipse cum robore exercitus ire ad hostes pergit. Primo in tumulo, quatuor ferme millia distante ab castris regiis, consedit: postero die cum equitatu in Magnos (ita vocant) campos, subjectos ei tumulo, degressus, succedendo ad stationes hostium, lacessendoque levibus prœliis, diem absumpsit: & per insequens biduum tumultuosis hinc atque illinc excursionibus invicem, nihil dictu satis dignum fecerunt. quarto die utrinque in aciem descensum est. [1] Romanus principes post hastatorum prima signa, in subsidiis triarios constituit: equitatum Italicum ab dextro cornu, ab lævo Numidas Masinissamque opposuit. Syphax Asdrubalque Numidicis adversus Italicum equitatum, Carthaginiensibus contra Masinissam locatis; [2] Celtiberos mediam aciem in adversa signa legionum accepere. ita instructi concurrunt. Primo impetu simul utraque cornua, & Numidæ & Carthaginienses pulsi. nam neque Numidæ, maxima pars agrestes, Romanum equitatum, neque [3] Carthaginienses, & ipse novus miles, Masinissam recenti super cætera victoria terribilem, sustinuere. Nudata utrinque cornibus Celtiberum acies stabat: quod nec in fuga salus ulla ostendebatur locis ignotis, neque spes veniæ ab Scipione erat; quem bene meritum de se & gente sua, mercenariis armis in Africam oppugnatum venissent. Igitur circumfusis undique hostibus, alii super alios cadentes obstinati moriebantur: omnibusque in eos versis, aliquantum ad fugam temporis Syphax & Asdrubal præceperunt. Fatigatos cæde diutius, quam pugna, victores nox oppressit.

IX. Postero die Scipio Lælium Masinissamque, cum omni Romano & Numidico equitatu expeditisque militum, ad persequendos Syphacem atque Asdrubalem mittit. ipse cum robore exercitus, urbes circa omnes, quæ Carthaginiensium ditionis erant, partim spe, partim metu, partim vi subegit. [1] Carthagini quidem erat ingens terror, & circum-

INTERPRETATIO.

a *Tanquam finito bello:*

NOTÆ.

1. *Romanus Principes.*] Congruunt in hanc lectionem scripti. Congruit & mos Romanus instruendæ aciei, ut *Principes* post *hastatos* locarentur, atque ante *Triarios*, qua de re lib. 8. cap. 8

2. *Celtiberos mediam aciem.*] Vulgo *in mediam aciem:* sed delent præpositio *in* Codices meliores; dicuntur autem *Celtiberi media acies*, per epexegesin sive appositionem. *Accepere* autem refertur ad Syphacem Asdrubalemque, qui contra legiones Romanas Celtiberos locarunt.

3. *Carthaginienses, & ipse novus miles.*] Variatio numeri non inelegans, pro *& ipsi novi milites.*

1. *Carthagini quidem erat ingens terror.*] Tyriorum Phœnicum coloniam fuisse Carthaginem nulli dubium esse potest: quod tamen à Didone conditum vulgò circumfertur, dubitatione non caret; estque verisimilius longe ante ejus

ferentem arma Scipionem omnibus finitimis raptim perdomitis, ipſam Carthaginem repente aggreſsurum credebant. Itaque & muri reficiebantur propugnaculiſque armabantur: & pro ſe quiſque, quæ diutinæ obſidioni tolerandæ ſunt, ex agris convehebat. Rara mentio eſt pacis, frequentior legatorum ad Annibalem arceſsendum mittendorum; pars maxima claſsem, quæ ad commeatus excipiendos parata erat, mittere jubent ad opprimendam ſtationem navium, ad Uticam incaute agentem: forſitan etiam navalia caſtra relicta cum levi præſidio oppreſsuros, in hoc conſilium

Urb. Cond. an. 550. Coſſ. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

N O T Æ.

ætatem Phœnices ea coluiſſe loca, quod Appianus obſervat, Didonem memorans Tyro Carthaginem veniſſe à Phœnicibus conditam annis quinquaginta ante excidium Trojanum: quos & paulo poſt bellum Trojanum Strabo lib. 1. ultra Columnas Herculis progreſſos, eò colonias deduxiſse ſcribit. Trecentis autem, ut minimùm, annis juniorem fuiſse Didonem Joſephus ex monumentis Phœnicum notat lib. 1. contra Appionem: ita ut Dido Carthaginem non condiderit, ſed inſtauraverit, vel auxerit. Ejus verum nomen fuit *Carthada*, quod Phœnicum lingua ſignificat civitatem novam, teſte Solino. Ex קרתא חדתא *Cartha-hadtha*, Latinis *Carthada*, factum Græcorum Καρχηδών, permutato θ in χ Siculorum more, Latinum *Carthago*. ab eadem eſt origine, mutato *d* in *g*, eadem ratione qua Hiſpani ex *Delphino*, formarunt *Golphin*: & Galli *ronger*, ex *rodere* Latino. Apud Plautum in Pœnulo חדרי ענק *Chadre-anaK* dicta legitur, id eſt, *ſedes Anacæorum*, quæ potentiſſima gens apud Phœnices, ſeu Chananæos. De quorum nomine robuſtis & fortibus viris generale inditum nomen. Ambitus urbis idem fuit qui Babylonis, ſtadiorum nempe 360. latitudo in Auſtrali ſaltem parte nonniſi 25. ſtadiorum, arctantibus Euripis duobus. Murorum altitudo 40. cubitos æquabat: latitudo 22. auctore Diodoro lib. 32. adeo ut quondam & potentiſſima, & maxima totius orbis civitas haberetur, apud Suidam. Initio belli Punici ſeptingenta civium millia, & trecentas per Africam urbes ſub ſua ditione habuiſse dicitur à Strabone. Tres Carthaginis partes fuere, Cothon, Megara, & Byrſa. *Cothon* portus fuit muro cinctus, parte unâ rotundâ; altera quadrangulâ. Strabo Inſulam fuiſse *ait* rotundam, Euripo circumdatam, utrinque habente in orbem navalia. Hinc *Cothones* appellati videntur portus in mari interiores, arte & manu facti, ex Feſto & Servio. *Byrſa* circa mediam urbem arx fuit, paulò magis ad meridiem vergens, quam cingebat murus triplex, altus 30. cubitos. In vertice templum habebat Æſculapii, tantæ capacitatis, ut Byrſa à Scipione captâ, in eo delituerint per ſeptem dies hominum millia quinquaginta. *Byrſa* nomen quod Corium ſignificat Græce, videtur cauſam dediſse fabulæ de Corio in tenuiſſimas partes diſsecto, quo emptus à Didone locus ad condendam urbem, ampliaretur. Verum nomen fuiſse videtur *Boſra*, quod Hæbræis eſt munimentum. *Megara*, vel potius *Megaria*, quod Pœnorum lingua villam ſignificat, pars Carthaginis tertia, Byrſam undique cingebat. Vulgò *Magalia* Latini dixerunt. Hinc Cornel. Nepos apud Servium. Carthago antea ſpeciem habuit duplicis oppidi, quaſi aliud amplecteretur, cujus interior pars *Byrſa* dicebatur, exterior *Magalia*. Diruta primùm fuit à Romanis duce Scipione Africano Juniore: poſtea deductis colonis à Julio Cæſare Dictatore reſtituta, eodem tempore, quo Corinthus: tandem everſa ab Arabibus, prorſus jacet in ruinis, ex quibus crevit Tunetum. Portus ejus dicitur nunc *Marcia*, ut volunt; mons autem, qui hac urbe cingebatur, hodie ab Africanis *Almenara* vocatur, & à Chriſtianis *Roca de Maſtinaces*. Nominum veſtigia ſervant, Carthaginis quidem locus adhuc *Cartin* appellatus, Byrſæ verò *BerſaK*.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C.Servil.

maxime inclinant: legatos tamen ad Annibalem mittendos censent. quippe 2 classi, ut feliciſſime gerantur res, parte aliqua levari Uticæ obſidionem: Carthaginem ipſam qui tueantur, neque imperatorem alium quam Annibalem, neque exercitum alium quam Annibalis ſupereſſe. Deductæ ergo poſtero die naves, ſimul & legati in Italiam profecti, raptimque omnia ſtimulante fortuna agebantur: & in quo quiſque ceſſaſſet, prodi ab ſe ſalutem omnium rebatur. Scipio gravem jam ſpoliis multarum urbium exercitum trahens, captivis aliaque præda in vetera caſtra ad Uticam miſſis, jam in Carthaginem intentus, occupat relictum fuga cuſtodum 3 Tuneta: abeſt ab Carthagine 4 quindecim millia ferme paſſuum, locus quum operibus, tum ſuapte natura tutus, & qui & ab Carthagine conſpici, & præbere ipſe proſpectum quum ad urbem, tum ad circumfuſum mare urbi poſſet.

X. Inde quum maxime vallum Romani jacerent, conſpecta claſſis hoſtium eſt, Uticam Carthagine petens. Igitur, omiſſo opere, pronunciatum iter, 1 ſignaque raptim ferri ſunt cœpta: ne naves in terram & obſidionem verſæ, ac minime navali prœlio aptæ opprimerentur. Quî enim reſtitiſſent agili & nautico inſtrumento aptæ & armatæ claſſi, naves tormenta machinaſque portantes; & aut in onerariarum uſum verſæ, aut ita pulſæ ad muros, ut, pro aggere ac pontibus, præbere aſcenſus poſſent? Itaque 2 Scipio, 3 contra quam in navali certamine ſolet, roſtratis, quæ

N O T Æ.

2. *Claſſi, ut feliciſſimè.*] Vulgò Claſſibus; Gallici omnes *claſſi*, in ablativo tamen; ut lib. 4. cap. 34. *Claſſi quoque ad Fidenas pugnatum.*

3. *Tuneta.*] *Tunes*, aliis *Tunetum*: Plinio *Tunicenſe oppidum*. Urbs eſt Africæ ad meridiem Carthaginis, quindecim ab ea milliaribus, ex ipſo Livio mox, hodie *Tunis*, regni ſui caput, ſub Clientela Turcarum, piraticâ infamis.

4. *Quindecim millia ferme paſſuum.*] Sic legitur in omnibus Gallicis, quod Sigon. ex Polybio conficit. male itaque correxerat Rhen. cum *duodecim millia* ſcriberet.

1. *Signaque raptim ferri ſunt cœpta.*] Raptim ſane eundum fuit, ut Tuneto exercitus Uticam perveniret ante Carthaginienſem claſſem, cum Carthago in medio ſit. Nec video quâ ratione intra diem unum tantum itineris conficere potuerit exercitus: neceſſe eſt ut Scipio cum Equitatu approperaverit ordinandæ ad Uticam pugnæ.

2. *Scipio poſtquam ventum eſt.*] Deeſt in quibuſdam illud *ventum eſt*: habetur tamen in uno regio, & mihi neceſſarium videtur. Non enim apud Tuneta, ſed ubi ad caſtra Cornelii Scipionis prope Uticam *ventum* eſt, hæc geri potuere.

3. *Contrà quàm in navali certamine.*] Ita haud dubie legendum. Reverà enim roſtratæ in prima acie ex more collocabantur, ut primam in hoſtes impreſſionem facerent, eſſentque præſidio aliis navibus: quod & ratio monet, & Thucydidis, Polybii, ipſiuſque Livii auctoritate probat Gronov. ſed contra conſuetum uſum Scipio nunc roſtratas rejicit in poſtremam aciem, quod numero navium impar eſſet Pœnis, ad pugnam aperto mari committendam, neque ſatis habebat temporis ad eas quæ aderant inſtruendas. Sic itaque oppoſitis in fronte onerariis atque inter ſe injecto velut ponte colligatis, & inter eas procurrentibus in hoſtem ſpeculatoriis minoribus navigiis, roſtratas ſervavit: & fortaſſe iis uſus eſt ad longinqua tela tormentis mittenda.

præsidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram; onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit: easque ipsas, ne in tumultu pugnæ turbari ordines possent, malis antennisque de nave in navem trajectis, ac validis funibus velut uno inter se vinculo illigatis, comprehendit: tabulasque superinstravit, ut pervius in totum navium ordo esset: & sub ipsis pontibus intervalla fecit, qua procurrere speculatoriæ naves in hostem, ac tuto recipi possent. His raptim pro tempore instructis, mille ferme delecti propugnatores onerariis imponuntur: telorum maxime missilium, ut, quamvis longo certamine, sufficerent, vis ingens congeritur. Ita parati atque intenti hostium adventum opperiebantur. Carthaginienses, qui, si maturassent, omnia permixta turbâ trepidantium primo impetu oppressissent; perculsi terrestribus cladibus, atque inde ne in mari quidem, ubi ipsi plus poterant, [4] satis fidentes, die segni navigatione absumpto, sub occasum solis in portum ([5] Ruscinona Afri vocant) classe appulere. postero die sub ortum solis instruxere ab alto naves, veluti ad justum prælium navale, & tanquam exituris contrà Romanis. Quum diu stetissent, postquam nihil moveri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias aggrediuntur. Erat res minime certamini navali similis, proxime speciem muros oppugnantium navium. altitudine aliquantum onerariæ superabant: ex rostratis Pœni vana pleraque (utpote supino jactu) tela in superiorem locum mittebant: gravior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus erat. Speculatoriæ naves ac levia ipsa navigia, quæ sub constratis pontium per intervalla excurrebant, primo ipso tantum impetu ac magnitudine rostratarum obruebantur: deinde & propugnatoribus quoque incommodæ erant, quod permixtæ cum hostium navibus inhibere sæpe tela cogebant; metu ne ambiguo ictu suis inciderent: postremo asseres ferreo unco præfixi (harpagonas vocat miles) ex Punicis navibus injici in Romanas cœpti. Quos quum neque ipsos, neque catenas, quibus suspensi injiciebantur, incidere possent; [6] ut quæque retro inhibita rostrata onerariam hærentem unco traheret, scindi videres vincula, quibus alias aliis innexa erat, [7] seriemque aliam simul plurium navium trahi. Hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes, & vix tran-

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

NOTÆ.

4. *Satis fidentes.*] Dicimus *fidere alicui*, non *fidere in aliquo*: sed hic subintelligitur pronomen *sibi*; ut scilicet Carthaginienses sibi, etiam in mari, *diffiderent*.

5. *Ruscinona.*] Ruscinonæ hujus non meminere Geographi. Fuit tamen hic locus, ut hinc apparet, inter Carthaginem & Vticam, forte ubi nunc *Marsa*, quod nomen Arabibus portum significat. Ab hoc loco videtur *Ruscino* Sardonum urbs in Galliæ Hispaniæque confinio nomen sumpsisse.

6. *Ut quæque retro inhibita.*] Ut inhibere aliquando à nostro dicitur pro adhibere; ita inhibita pro adhibita, sive admota onerariæ rostrata: *retro* autem dicit, ut ostendat à puppe injectos Harpagones in proras onerariarum.

7. *Seriemque aliam.*] Intellige naves ex ordine cohærentes, cum iis quæ in primo ordine connexæ invicem erant.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

silіendi secundum ordinem navium spatium propugnatoribus datum est. Sex ferme onerariæ puppibus abstractæ Carthaginem sunt. major quam pro re lætitia, sed eo gratior, quod inter assiduas clades ac lachrymas unum quantumcunque ex insperato gaudium affulserat; cum eo, ut appareret haud procul exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum à præfectis suarum navium foret, & Scipio in tempore subvenisset.

XI. Per eosdem forte dies quum Lælius & Masinissa quintodecimo ferme die in Numidiam pervenissent; Massylii, regnum paternum Masinissæ, læti, ut ad regem diu desideratum, concessere. Syphax, pulsis inde præfectis præsidiisque suis, vetere se continebat regno; neutiquam quieturus. Stimulabant ægrum amore, uxor socerque: & ita viris equisque abundabat, ut subjectæ oculis regni per multos florentis annos vires, etiam minus barbaro atque impotenti animo [1] spiritus possent facere. Igitur omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis, equos, arma, tela dividit. equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondam ab Romanis centurionibus didicerat, distribuit. Exercitu haud minore, quam quem priùs habuerat, cæterùm omni propè novo atque incondito, ire ad hostes pergit. Et castris in propinquo positis, primo pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi: inde jaculis summoti recurrere ad suos: inde excursiones invicem fieri, & quum pulsos indignatio accenderet, plures subire. quod irritamentum certaminum equestrium est, [a] quum aut vincentibus spes, aut pulsis ira aggregat suos. Ita tum à paucis prælio accenso, [2] omnem utrinque postremo equitatum certaminis studium effudit. ac dum [b] sincerum equestre prælium erat, multitudo Masæsylorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat: deinde, ut pedes Romanus, [3] repentino per turmas suas viam dantes incursu, stabilem aciem fecit, absterruitque effuse invehentem sese hostem; primo barbari [c] segnius permittere equos, deinde stare ac prope turbari novo genere pugnæ:

INTERPRETATIO.

a *Cum ad equites utriusque partis alii earundem partium se adjungunt; sive ex spe plenioris victoriæ, si victores fuerint; sive ex dolore, si victi fuerint.*

b *Pugna mere equestris & inter solos equites,* non admixtis peditibus.

c *Lentius equos impellebant.*

NOTÆ.

1. *Spiritus possent facere.*] Gall. *Luy enfler le cœur.*

2. *Omnem utrinque postremo equitatum.*] Duæ hic sunt lectiones: melior, meo judicio, quæ in textu habetur ex optimis Codicibus; alia vulgaris *omnem utrinque postremo exercitum, certaminis studium effudit, ac dum equestre prælium erat,* quæ & ipsa admitti potest: etsi enim initio res inter equites agebatur; intervenere etiam postea pedites, & sic universus exercitus paulatim in certamen venit.

3. *Repentino per turmas suas viam dantes intercursu.*] Gall. *Les Fantassins* (de Scipion.) *s'estant tout à coup fait chemin pour attaquer les ennemis, à travers leur propre Cavalerie, qui s'estoit ouverte pour leur donner passage.*

postremo: non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere, [d] peditis præsidio audentem. Jam signa quoque legionum appropinquabant. tum vero Masæsyli non modo primum impetum, sed ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt: tantum seu memoria priorum cladium, seu præsens terror valuit.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

XII. Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis; [1] si pudore, si periculo suo fugam sistere posset; equo graviter icto effusus opprimitur, capiturque: & vivus (lætum ante omnes Masinissæ præbiturus spectaculum) [2] ad Lælium pertrahitur. Cirtha caput regni Syphacis erat: eo se ingens hominum contulit vis. Cædes in eo prælio minor quam victoria fuit, quia equestri tantummodo prælio certatum fuerat. non plus quinque millia occisa, minus [3] dimidium ejus hominum captum est; impetu in castra facto, quo perculsa rege amisso multitudo se contulerat. Masinissa *sibi quidem*, dicere, *nihil esse in præsentia pulchrius, quam victorem, recuperatum tanto post intervallo patrium invisere regnum: sed tam secundis, quam adversis rebus non dari spatium ad cessandum. Si se Lælius cum equitatu vinctoque Syphace Cirtham præcedere sinat; trepida omnia metu se oppressurum: Lælium cum peditibus subsequi modicis itineribus posse*. Assentiente Lælio prægressus Cirtham evocari ad colloquium principes Cirthensium jubet. sed apud ignaros regis casus, neque quæ acta essent promendo, nec minis, nec suadendo, ante valuit, quam [4] rex vinctus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum tam fœdum comploratio orta: & partim pavore mœnia sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud victorem quærentium patefactæ portæ. Et Masinissa præsidio circa portas opportunaque mœnium dimisso, ne cui fugæ pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit equo. Intranti vestibulum in ipso limine Sophonisba uxor Syphacis, filia Asdrubalis Pœni occurrit: & quum in medio agmine armatorum Masinissam insignem, quum armis, tum cætero habitu, conspexisset; regem esse (id quod erat) rata, genibus advoluta ejus: *Omnia quidem*, inquit, *ut posses in nos, Dii tibi dederunt, virtusque & felicitas tua. Sed si captivæ apud dominum vitæ necisque suæ vocem supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere dextram, precor quæsoque per majestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus;*

INTERPRETATIO.

d *Equites Romanos qui audaciores facti erant peditum ope.*

NOTÆ.

1. *Si pudore*.] Intellige ut tentaret, num posset fugientes milites suos sistere, vel pudore, vel proprio suo periculo.

2. *Ad Lælium pertrahitur*.] Major est vis verbi *pertrahitur*, quod Sigonius habet cum melioribus membranis, quam verbi *attrahitur*, quod occurrit in plerisque editis. Significat enim omnino & ad finem usque trahere, quæ significatio est verbi perducere: nisi quod *pertrahere* violentiam indicat.

3. *Dimidium ejus hominum*.] *Ejus* sup. *numeri*.

4. *Rex vinctus*.] Syphax.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

perque gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit; per hujusce regiæ Deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc miserunt; hanc veniam supplici des, ut ipse quodcumque fert animus, de captiva statuas, neque me in cujusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire sinas. Si nihil aliud quam Syphacis uxor fuissem: tamen Numidæ atque in eadem mecum Africa geniti, quam alienigenæ & externi fidem experiri mallem. Quid Carthaginiensi ab Romano, quid filiæ Asdrubalis timendum sit, vides. Si nulla alia re potes, morte me ut vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque. Forma erat insignis & florentissima ætas. itaque 5 quum modo dextram amplectens, in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blandicias oratio esset, quàm preces; non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed (ut est genus Numidarum in Venerem præceps;) amore captivæ victor captus, datâ dexterâ in id quod petebatur obligandæ fidei, in regiam concedit. Institit deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem præstaret. quod quum expedire non posset; ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium. Nuptias in eum ipsum diem repente parari jubet, ne quid relinqueret integri aut Lælio, aut ipsi Scipioni, consulendi velut in captivam, quæ Masinissæ jam nupta foret. Factis nuptiis, supervenit Lælius: & a adeo non dissimulavit improbare se factum, ut primo etiam cum Syphace & cæteris captivis detractam eam toro geniali mittere ad Scipionem conatus sit. victus deinde precibus Masinissæ orantis, ut arbitrium, utrius regum duorum fortunæ accessio Sophonisba esset, ad Scipionem reijceret; misso Syphace & captivis, cæteras urbes Numidiæ, quæ præsidiis regiis tenebantur, adjuvante Masinissa recepit.

XIII. Syphacem in castra adduci, quum esset nunciatum, omnis velut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. Præcedebat ipse vinctus, sequebatur grex nobilium Numidarum. Tum quantum quisque plurimum posset, magnitudini Syphacis famæque gentis victoriam suam augendo, addebat: *illum esse regem, cujus tantum majestati duo potentissimi in terris tribuerint populi, Romanus Carthaginiensisque, ut Scipio imperator suus ad amicitiam ejus petendam, relicta provincia Hispania exercituque, duabus quinqueremibus in Africam navigaverit: Asdrubal, Pœnorum imperator, non ipse modo ad eum in regnum venerit, sed etiam filiam ei nuptum dederit. Habuisse eum tempore uno in potestate duos imperatores Pœnum Romanumque. Sicut ab Diis immortalibus pars utraque hostiis mactandis pacem petisset, ita ab eo utrinque pariter amicitiam petitam. Jam tantas*

INTERPRETATIO.

a *Non tantum non dissimulavit sibi improbari id quod actum erat à Masinissa.*

NOTÆ.

5. *Quum modo dextram amplectens.*] Subscribo Gronovio scribendum suspicanti, *modo genua, modo dextram.*

habuisse

habuisse opes, ut Masinissam regno pulsum eo redegerit; ut vita ejus, famâ mortis, & latebris, ferarum modo in sylvis rapto viventis, tegeretur. His sermonibus circumstantium celebratus rex, in prætorium ad Scipionem est perductus. Movit & Scipionem, quum fortuna pristina viri præsenti fortunæ collata: tum recordatio hospitii dextræque datæ & fœderis publice ac privatim juncti. Eadem hæc & Syphaci animum dederunt in alloquendo victore. nam quum Scipio, quid sibi voluisset, quæreret, qui non societatem solum abnuisset Romanam, sed ultro bellum intulisset: tum ille, *peccasse quidem sese, atque insanisse fatebatur: sed non tum demum, quum arma adversus populum Romanum cepisset; exitum sui furoris fuisse, non principium. Tunc se insanisse, tum hospitia privata & publica fœdera omnia ex animo ejecisse, quum Carthaginiensem matronam domum accceperit. Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam: illam furiam pestemque omnibus delinimentis animum suum avertisse atque alienasse: nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit. Perdito tamen atque afflicto sibi hoc in miseriis solatii esse, quod in omnium hominum inimicissimi sibi domum ac penates eandem pestem ac furiam transisse videat. neque prudentiorem, neque constantiorem Masinissam quam Syphacem esse, etiam juventa incautiorem. certe stultius illum atque intemperantius eam quam se duxisse.*

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

XIV. Hæc non hostili modo odio, [1] sed amoris etiam stimulis, amatam apud æmulum cernens, quum dixisset; non mediocri cura [2] Scipionis animum pepulit. & fidem criminibus, [3] raptæ prope inter arma nuptiæ neque consulto neque exspectato Lælio, faciebant: tamque præceps festinatio, ut quo die [4] captam hostem vidisset, eodem matrimonio junctam acciperet, & ad penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. eo fœdiora hæc videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania juvenem [5] nullius forma pepulerat captivæ. Hæc secum volutanti Lælius ac Masinissa supervenerunt; quos quum pariter ambo & benigno vultu excepisset, & egregiis laudibus frequenti prætorio celebrasset; abductum in secretum Masinissam sic alloquitur: *Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona, & principio in Hispania ad jungendam mecum amicitiam venisse, & postea in Africa teipsum, spesque omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendas tibi visus sim, qua ego æque atque temperantia & continentia li-*

NOTÆ.

1. *Amoris etiam stimulis.*] Ex maritali scilicet Zelotypia.

2. *Scipionis animum pepulit.*] Vide num potiùs *perculit*.

3. *Raptæ prope inter arma nuptiæ.*] Vulgò. *factæ prope inter arma nuptiæ*: sed elegantius longè, quod habent optimi manuscripti, *raptæ*: non tantum quod, ut observat Gron. raptum dicitur quidquid raptim fit: sed etiam quod innuitur raptus uxoris alienæ, specie Nuptiarum à Masinissa usurpatus.

4. *Captam hostem vidisset.*] In vulgatis scriptum est *captam Reginam*. Nec dubitandum quin hostis fœmininum genus recipiat; quemadmodum *Civis*, cæteraque in *is* finita quæ ad homines solos propriè pertinent, ex regula Prisciani 5.

5. *Nullius forma pepulerat captivæ.*] Vide lib. 26. cap. 50.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

bidnum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adjecisse velim. NON EST, NON, *(mihi crede) tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculum, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. qui eas sua temperantia frenavit ac domuit, næ multo majus decus, majoremque victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus. Quæ me absente strenue ac fortiter fecisti, libenter & commemoravi, & memini. cætera teipsum reputare tecum, quam, me dicente, erubescere malo. Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est. Itaque ipse, conjunx, regnum, ager, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani est: & regem, conjugemque ejus, etiamsi non civis Carthaginiensis esset, etiamsi non patrem ejus imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus populique Romani de ea judicium atque arbitrium esse: quæ regem nobis socium alienasse, atque in arma egisse præcipitem dicatur. Vince animum. cave deformes multa bona uno vitio, & tot meritorum gratiam* [6] *majore culpa, quam caussa culpæ est, corrumpas.*

XV. Masinissæ hæc audienti, non rubor solum suffusus: sed lachrymæ etiam obortæ: & quum, se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset, orassetque eum, ut quantum res sineret, fidei suæ temere obstrictæ consuleret, promisisse enim sese in nullius potestatem eam traditurum, ex prætorio in tabernaculum suum confusus concessit. Ibi arbitris remotis, [1] quum crebro suspiritu, [2] & gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset; ingenti ad postremum edito gemitu, fidum è servis vocat, sub cujus custodia [3] regio more ad incerta fortunæ venenum erat; & mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam jubet, ac simul nunciare: *Masinissam libenter primam ei fidem præstaturum fuisse, quam vir uxori debuerit. Quoniam arbitrium ejus, qui possint, adimant; secundam fidem præstare, ne viva in potestatem Romanorum veniat. Memor patris imperatoris, patriæque & duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret.* Hunc nuncium ac simul venenum ferens minister, quum ad Sophonisbam venisset, *Accipio*, inquit, *nu-*

NOTÆ.

6. *Majore culpâ, quam caussa culpæ est.*] Gall. *Par une faute plus grande & plus considerable, que n'est la cause qui la fait commettre.*

1. *Quum crebro suspiritu & gemitu.*] Vulgo legitur, *cum crebro suspirio*. Optimi tamen, cum Regio habent *suspiritu*. Quæ vox, licet rarior, non tamen aliis auctoribus est incognita. Plaut. in Mercat. *Simul enicato suspiritus.*

2. *Et gemitu ..... ingenti ad postremum edito gemitu.*] Suspicatur Gron. prius illud, *& gemitu*, ascititium esse, quod tam propè sequatur eadem vox: sed has, verè dicam, minutias, velut Historiæ gravitate minus dignas, spernit ubique Livius, vocesque easdem bis, terve in eadem pagina repetere non veretur. Hic verò post crebros gemitus, ingentem tandem ac cæteris majorem gemitum adjicere, quasi finem doloris, vel debuit, vel certè absque ullo vitio potuit Masinissa, & noster memorare.

3. *Regio more.*] Inutile Mithridati ex hoc more perfugium ad venenum fecit longa assuetudo, vel præparata adversus veneni vim diutino antidoti usu viscera.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

ptiale munus, nec ingratum, si nihil majus vir uxori præstare potuit. Hoc tamen nuncia; melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem. non locuta est ferocius, quàm acceptum poculum nullo trepidationis signo dato impavide hausit. Quod ubi nunciatum est Scipioni, ne quid æger animi ferox juvenis gravius consuleret, accitum eum extemplo nunc solatus; nunc 4 quod temeritatem temeritate alia luerit; tristioremque rem quam necesse fuerit, fecerit, leniter castigat. Postero die, ut à præsenti motu averteret animum ejus, in tribunal ascendit: & concionem advocari jussit. Ibi Masinissam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Addit verbis honorem, *Neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse; quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus Romanus ducat.* Lælium deinde, & ipsum collaudatum, aurea corona donat. & alii militares viri, prout à quoque navata opera erat, donati. His honoribus mollitus regis animus, erectusque in spem propinquam, sublato Syphace, omnis Numidiæ potiundæ.

XVI. Scipio C. Lælio cum Syphace, aliisque captivis Romam misso, cum quibus & Masinissæ legati profecti sunt, ipse ad Tuneta rursum castra refert: & quæ munimenta inchoaverat, permunit. Carthaginienses, non brevi solum, sed prope vano gaudio, ab satis prospera in præsens oppugnatione classis perfusi, post famam capti Syphacis, in quo plus prope, quam in Asdrubale atque exercitu suo spei reposuerant, perculsi, jam nullo auctore belli ultra audito, oratores ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes: id erat sanctius apud illos consilium, maximaque ad ipsum senatum regendum vis. Qui ubi in castra Romana & prætorium pervenerunt, 1 more adulantium (accepto, credo, ritu 2 ex ea regione, ex qua oriundi erant) procubuerunt. Conveniens oratio humili adulationi fuit, non culpam purgantium, sed transferentium initium culpæ 3 in Annibalem, impotentiæque ejus fautores. Veniam civitati petebant,

NOTÆ.

4. *Quod temeritatem temeritate alia luerit.*] Quod existimaverat se posse imprudenter festinatas cum Sophonisba nuptias, imprudentiori facto, eadem veneno interemptâ, diluere.

1. *More adulantium.*] Jam ostensum est *adulandi* verbum, quod hic in omnibus scriptis occurrit, accipi de iis qui ad pedes procumbunt, qui & adorare dicuntur.

2. *Ex ea regione ex qua oriundi erant.*] Ex Phœnicia, ubi ejusmodi mos prostrato corpore venerandi, ut & in reliquo Oriente.

3. *In Annibalem, impòtentiaque ejus fautores.*] Hæc recepta lectio sententiam satis probabilem habet: sumitur enim *impotentia* pro vitio ejus, qui sui compos non est, sed iracundiæ aut effrenatæ ambitioni paret, seque ultra modum effert. maluerim tamen cum Put. Codice scribere *in Annibalem, potentiaque ejus fautores.* Quamvis eadem significatione accipi possit, quod in vulgatis scriptum est, si duabus vocibus scribatur; *in potentiaque ejus fautores.*

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

civium temeritate 4 bis jam ante eversæ, incolumi futuræ iterum hostium beneficio. *Imperium ex victis hostibus populum Romanum, non perniciem petere. Paratis obedienter servire, quæ vellet, imperaret.* Scipio, *& venisse ea spe in Africam se*, ait, *& spem suam prospero belli eventu auctam; victoriam se, non pacem, domum reportaturum esse: tamen quum victoriam prope in manibus habeat, pacem non abnuere, ut omnes sciant, populum Romanum & suscipere juste bella, & finire. Leges pacis se has dicere. Captivos* a *& perfugas, & fugitivos restituant: exercitus ex Italia & Gallia deducant: Hispania abstineant: insulis omnibus, quæ inter Italiam & Africam sunt, discedant: naves longas, præter viginti, omnes tradant: tritici quingenta, hordei trecenta millia modiûm.* Pecuniæ summam quantam imperaverit, parum convenit. alibi 5 quinque millia talentûm, alibi 6 quinque millia pondo argenti, alibi duplex stipendium militibus imperatum invenio. *His conditionibus*, inquit, *placeatne pax, triduum ad consultandum dabitur. Si placuerit, mecum inducias facite, Romam ad senatum mittite legatos.* Ita dimissi Carthaginienses, nullas recusandas conditiones pacis quum censuissent (quippe qui moram temporis quærerent, dum Annibal in Africam trajiceret) legatos alios ad Scipionem, ut inducias facerent, alios Romam ad pacem petendam mittunt; ducentes paucos in speciem captivos, perfugasque & fugitivos, quo impetrabilior pax esset.

XVII. Multis ante diebus Lælius, cum Syphace primoribusque Numidarum captivis, Romam venit: quæque in Africa gesta essent, omnia exposuit ordine Patribus, ingenti omnium & in præsens lætitia, & in futurum spe. Consulti inde Patres Regem in custodiam 1 Albam mittendum censuerunt: Lælium retinendum, donec legati Carthaginienses venirent. Supplicatio in quatriduum decreta est. P. Ælius prætor senatu misso, & concione inde advocata, cum C. Lælio in Rostra escendit. Ibi vero audientes, fusos Carthaginiensium exercitus devictum & captum ingentis nominis regem, Numidiam omnem egregia victoria peragratam; tacitum continere gaudium non poterant, quin clamoribus, quibusque aliis multitudo solet, lætitiam immodicam significarent. Itaque prætor extemplo edixit, *Uti æditui ædes sacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi, salutandi-*

INTERPRETATIO.

a *Milites Romanos qui ad Pœnos transfugerant, & servos qui à dominis suis ad eosdem aufugerant.*

NOTÆ.

4. *Bis jam ante eversa.*] Res Carthaginiensium perditæ, & ad exitium, vel certè ad summum discrimen adductæ primo Punico bello fuerant; jam iterum quasi eversa dicitur, quamvis nondùm obsessa urbs: verum Civitas hic, non pro urbe tantum sumitur, sed pro populo ac ditione.

5. *Quinque millia talentum.*] Gallicè, *Douze millions de livres.*

6. *Quinque millia pondo argenti.*] Gall. *Cent quatre-vints mille livres.*

1. *Albam.*] Non Albam Longam, quæ jamdiu nulla erat: sed *Albam Fucentis* in Marsis: ubi captivi majoris nominis in custodia habiti.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

que Deos agendique grates per totum diem populo potestas fieret. Postero die legatos Masinissæ in senatum introduxit. *Gratulati primum senatui sunt, quod P. Scipio prospere res in Africa gessisset: deinde gratias egerunt, quod Masinissam non appellasset modo regem, sed fecisset, restituendo in paternum regnum: in quo post Syphacem sublatum, si ita Patribus visum esset, sine metu & certamine esset regnaturus. Deinde quod collaudatum pro concione, amplissimis decorasset donis: quibus ne indignus esset, & dedisse operam Masinissam, & porro daturum esse. Petere, ut regium nomen, cateraque Scipionis beneficia & munera, senatus decreto confirmaret: & nisi molestum esset, illud quoque petere Masinissam, ut Numidas captivos, qui Romæ in custodia essent, remitterent.* [2] *Id sibi amplum apud populares futurum esse.* Ad ea responsum legatis: *Rerum gestarum in Africa prospere, communem sibi cum rege gratulationem esse. Scipionem recte atque ordine videri fecisse, quod eum regem appellaverit: & quicquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ, ea Patres comprobare atque laudare.* Munera, quæ legati ferrent regi decreverunt: sagula purpurea duo cum fibulis, & [a] lato clavo tunicis: & equos duo phaleratos: bina [3] equestria arma cum loricis: & tabernacula, militaremque supellectilem, [4] qualem præberi consuli mos esset. Hæc regi prætor mittere jussus. legatis in singulos dona [5] ne minus [b] quinûm millium, comitibus eorum [6] millium æris: & vestimenta bina legatis, singula comitibus, Numidisque; qui ex custodia emissi redderentur regi. ad hoc [7] ædes liberæ, [8] loca lautia legatis decreta.

INTERPRETATIO.

a *Tunicis Senatoriis.*

NOTÆ.

2. *Id sibi amplum.*] Gall. *Que cela luy seroit fort honorable & fort avantageux parmy ceux de sa nation.*

3. *Equestria arma cum Loricis.*] Num Loricæ inter Equestria arma, ut earum mentio seorsim fuerit facienda è certè cum equitum alii leviùs, alii graviùs armati sint, potuere levium equitum arma loricis carere. Ideoque hæ fuerunt exprimendæ, ut pateret de quo armatorum genere auctor intelligeret.

4. *Qualem præberi consuli mos est.*] Solebant Magistratus vasis argenteis, annulisque aureis publicè præbitis instrui, auctore Valerio Maximo & Cicerone Verr. 6. His præter Tabernacula Plut. adjicit lectos, indumenta & numerosum apparatum, servosque. Eam in rem Augustus Proconsulibus ad mulos & tabernacula quæ publice locari solebant, certam pecuniam constituit, apud Svet. cap. 36. sub posterioribus Imperatoribus dabantur salarium, & vestes, cumque his muli, equi, muliones, coqui, aliaque, quæ depositâ administratione redderent. Cic. id quod publicè eo nomine dabatur Magistratibus *Vasarii* nomine appellavit, Orat. in Pison. Vide Lampridium in Alexandro Severo, & Justiniani legem unic. de off. Præf. præt. Africæ.

5. *Ne minùs quinûm millium.*] Si ponamus æreos asses unciales quales tempore hujus belli Punici, respondebit hæc summa libris fermè 290. nostratibus.

6. *Millium æris.*] Mille asses ejusdem ponderis exiguum quid libras Francicas 58. excedent.

7. *Ædes liberæ.*] Ædes Liberæ dicuntur, quæ vacuæ traduntur, gratis habitandæ.

8. *Loca.*] Sive sedes; Vigenereus interpretabatur hortos deambulandi ac privatim spatiandi causa attributos. Gall. *Des jardinages & autres lieux pour se*

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

XVIII. Eadem æstate, qua hæc decreta Romæ, & in Africa gesta sunt, P. Quintilius Varus prætor, & M. Cornelius proconsul, in agro Insubrium Gallorum cum Magone Pœno signis collatis pugnarunt. Prætoris legiones in prima acie fuerunt; Cornelius suas in subsidiis tenuit; ipse ad prima signa equo advectus: proque duobus cornibus prætor ac proconsul milites ad inferenda in hostes signa summa vi hortabantur. Posteaquam nihil commovebant, tum Cornelio Quintilius: a *Lentior, ut vides, fit pugna, & induratus præter spem resistendo hostium timor: ac ne vertat in audaciam, periculum est. γ Equestrem procellam excitemus oportet, si turbare ac statu movere volumus. Itaque vel tu ad prima signa prælium sustine, ego inducam in pugnam equites: vel ego hîc in prima acie rem geram, tu quatuor legionum equites in hostem emitte.* b Utram vellet prætor muneris partem proconsule accipiente, Quintilius prætor cum filio, cui *Marco* prænomen erat, impigro juvene, ad equites pergit: jussosque ascendere in equos, repente in hostem emittit. Tumultum equestrem auxit clamor ab legionibus additus: nec stetisset hostium acies, ni Mago ad primum equitum motum paratos elephantos extemplo in prælium induxisset. Ad quorum stridorem odoremque & adspectum territi equi, vanum equestre auxilium fecerunt. c & ut permixtus, ubi cuspide uti & cominus gladio posset, roboris majoris Romanus eques erat; ita in ablatum paventibus procul equis melius ex intervallo Numidæ jaculabantur. Simul & peditum legio

INTERPRETATIO.

a *Milites ad pugnam segniores solito fiunt, ut cernis, & hostes ultra spem suam resistendo duriores ad certandum evadunt, firmiores effecti adversus timorem: estque metuendum ne is in audaciam vertatur.*

b *Cum Proconsul* M. Cornelius *dixisset se ex duobus* quæ proponebantur, *suscepturum id quod* à se suscipi *vellet* Quintilius Varus *Prætor.*

c *Et quamvis equites Romani, si permiscerentur Numidis, ita ut commodè pugnare possent, tum hastis, tum ensibus, fortiores erant; ita Numidæ prævalebant, cum eminus jacula sua emittere poterant in Romanos remotos, quos nempe equi ab Elephantis territi procul abstulerant.*

NOTÆ.

mettre à leur aise en particulier. Marcellus Donatus meliùs, ni fallor, accipit pro Locis in Theatro ad spectandum honoris causâ attributis. Huc facit quod Sueton. scribit in Aug. cap. 44. vetuisse illum, *Legatos liberarum sociarumque gentium in Orchestra considere*: quod posteà tamen jus exterarum gentium legatis vel restitutum, vel salvum mansit. Refert sanè Tacitus lib. 13. Frisiorum Legatos, cum Pompeii theatrum ingressi, quosdam advertissent cultu externo in sedibus Senatorum, audissentque earum gentium Legatis quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, id honoris datum; exclamasse, nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse: & ita inter Patres consedisse tempore Neronis. Quod Suetonius refert ad Claudium Imperatorem, aitque cap. 25. eum Germanorum Legatis in Orchestra sedere permisisse, simplicitate eorum & fiducia motum, quod in popularia deducti (hoc est, in gradus Theatri, in quibus sedens populus spectare solebat.) Cum animadvertissent Parthos & Armenios sedentes in Senatu, (sive inter Senatores) ad eadem loca sponte transierant. Massiliensibus quoque locus spectaculorum in Senatu datus memoratur à Justino lib. 42.

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

duodecima, magna ex parte cæsa, pudore magis quam viribus tenebat locum: nec diutiùs tenuisset, ni ex subsidiis tertiadecima legio in primam aciem inducta, [1] prælium dubium excepisset, [2] Magoque ex subsidiis Gallos integræ legioni opposuisset. Quibus haud magno certamine fusis, hastati legionis undecimæ conglobant sese, atque elephantos, jam etiam peditum aciem turbantes, invadunt. [d] in quos cum pila confertos conjecissent, nullo ferme frustra emisso, omnes retro in aciem suorum averterunt: quatuor gravati vulneribus corruerunt. Tum prima commota hostium acies, simul omnibus peditibus, ut aversos videre elephantos, [e] ad augendum pavorem ac tumultum effusis. sed donec stetit ante signa Mago, gradum sensim referentes ordines, tenorem pugnæ servabant; postquam [3] femine transfixo cadentem, auferrique ex prælio prope exsanguem videre: extemplo in fugam omnes versi. ad quinque millia hostium eo die cæsa, & signa militaria duo & viginti capta. Nec Romanis incruenta victoria fuit. duo millia & trecenti de exercitu prætoris, pars multo maxima ex legione duodecima amissi. inde & tribuni militum duo, M. Cosconius, & M. Menius: tertiædecimæ quoque legionis, quæ postremo prælio affuerat, Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna cecidit, & duo & viginti ferme equites illustres obtriti ab elephantis cum centurionibus aliquot perierunt: & longius certamen fuisset, ni vulnere ducis concessa victoria esset.

XIX. Mago proximæ noctis silentio profectus, [a] quantum pati viæ per vulnus poterat, itineribus extentis, ad mare in Ligures Ingaunos pervenit. ibi cum legati ab Carthagine paucis ante diebus [1] in sinum Gallicum appulsis navibus adierunt, jubentes primo quoque tempore in Africam trajicere.

INTERPRETATIO.

d *Qui Elephanti cùm conferti essent, & in eos pila conjecissent milites* 11. *legionis; adeo ut nullum pilum frustra jaceretur; eos compulerunt in aciem Pœnorum suorum refugere.*

e *Omnes* Romani *pedites, cum sese effunderent*, ut perculsis tum elephantis, tum hostibus *terrorem magis ac magis adderent.*

a *Propere & magnis itineribus quantum* accelerare & *viam conficere sinebat vulnus* in prælio acceptum.

NOTÆ.

1. *Prælium dubium excepisset.*] Hæc communis lectio cum nihil excusandum habeat, aut explicandum, mihi magis placet, quam quod ex quibusdam Codicibus subjicit Gron. *prælium dubium expetisset*: quasi prælium *expetere*, sit *capessere*. Tritum quidem est *pœnas expetere*. Non ita pugnam seu prælium expetere eo sensu.

2. *Magoque ex subsidiis Gallos integræ Legioni opposuisset.*] Assentior omnino Gron. scribenti, *Mago quoque ex subsidiis Gallos integræ Legioni opposuit*: non enim ideo duodecima legio locum tenuit, quod Mago Gallos opposuisset decimæ tertiæ Legioni; sed quod Legio tertia decima in primam aciem, cum reliquiis duodecimæ successisset; atque idcirco Mago ipse quoque, è subsidiis suis Gallos evocavit adversus integram Legionem decimam tertiam.

3. *Femine transfixo.*] *Femen* propriè femoris pars interior: ut apud Svetonium in Tito, *equo quadam acie sub feminibus amisso*.

1. *In sinum Gallicum.*] Mediterranei maris ea pars quæ ab extrema Liguria, in Hispaniam, secundum oram Galliæ,

Urb. Cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

idem & fratrem ejus Annibalem (nam ad eum quoque isse legâtos eâdem jubentes) facturum. Non in eo esse Carthaginiensium res, ut Galliam atque Italiam armis obtineant. Mago, non imperio modo senatus periculoque patriæ motus, sed metuens etiam, ne victor hostis [b] moranti instaret, Liguresque ipsi relinqui Italiam à Pœnis cernentes, ad eos quorum mox in potestate futuri essent, deficerent; simul sperans leniorem in navigatione, quam in via jactationem, vulneris fore, & curationi omnia commodiora: impositis copiis in naves, profectus, vixdum superatâ Sardiniâ, ex vulnere moritur: naves quoque aliquot Pœnorum disjectæ in alto à classe Romana, quæ circa Sardiniam erat, capiuntur. Hæc terra marique in parte Italiæ, quæ jacet ad Alpes, gesta. Consul C. Servilius, nullâ memorabili re in provincia Etruria & Gallia, (quoniam eò quoque processerat) gestâ, patre C. Servilio, & C. Lutatio patruo ex servitute post XVI. annum receptis, qui ad vicum [2] Tanetum à Boiis capti fuerant; hinc patre [3] hinc Catulo [4] lateri circumdatis, privato magis quam publico decore insignis Romam rediit. Latum ad populum est, *ne C. Servilio fraudi esset, quod patre, qui sella curuli sedisset, vivo, quum id ignoraret, tribunus plebis atque ædilis plebis fuisset, [5] contra quam sanctum legibus erat*. Hac rogatione perlata, in provinciam rediit. Ad C. Servilium consulem, qui in Brutiis erat, Consentia, [6] Uffugum, [7] Vergæ, [8] Besidiæ, [9] Hetriculum, [10] Sypheum, [11] Argentanum, Clampetia,

INTERPRETATIO.

b *Ne Romani eum, si* diutiùs *moraretur*, in Italia *urgerent*, atque opprimerent.

NOTÆ.

Narbonensis protenditur *sinus Gallicus*, veteribus dictus: nunc *Golfe de Lion*: tempestatibus admodum obnoxius.

2. *Tanetum*.] Vicus est Longobardiæ Cispadanæ in Ducatu Parmensi, ad ortum urbis Parmæ: vulgò *Tanedo*.

3. *Catulo*.] Lutatii cognomen. Aliàs *patruo*.

4. *Lateri circumdatis*.] Ita Princeps Codex Put. quo loquendi genere usus etiam postea Q. Curtius lib. 4. *in duo cornua diviserat peditem, utrinque lateri equite circumdato*

5. *Contra quàm sanctum legibus erat*.] Parum refert *sanctum* dicas, an *sancitum*. Sed minus liquet qua lege vetaretur filius Civis Romani, qui Curulem Magistratum gessisset, eo adhuc superstite Plebejum gerere Magistratum: quasi injuria patri fieret, si eo vivo, etiam apud hostes, filius à paterna dignitate quodammodo degeneraret.

6. *Uffugum*.] Hæc omnia oppida in ea Brutiorum parte fuere, ubi nunc Calabria citerior, Neapolitani regni provincia. *Uffugum* videtur ævo sequiore detortum in *Uffugianum*. Unde Holstenius non improbabili conjecturâ putat eo loco fuisse ubi nunc *Faggiano*, haud procul oppido Sancti Marci, potius quàm quod Barrius censebat, ubi *Montalto*.

7. *Verga*.] Oppidum Mediterraneum; postea *Vergianum*: nunc *Rogiano*.

8. *Besidia*.] Apud eosdem Brutios fuit: *Besidianum*, Antonino; vulgari nunc vocabulo *Bisignano*, ad dextram Crathis fluvii ripam: oppidum Episcopale, Principatus quoque titulo clarum.

9. *Hetriculum*.] Sex millibus fuit à Bisignano ad Occidentem hibernum, in eâdem Calabriæ parte, vulgò *Latarico*, ex Barrii & Holstenii sententia.

10. *Sypheum*.] Dici volunt hodie *Castro Villare* quinto milliari à Cassano occasum versus. Holst. fortè *Montalto*.

11. *Argentanum*.] Holstenio est *Ar-*

multique

multique [12] alii ignobiles populi, [c] senescere Punicum bellum cernentes, defecere. Idem consul cum Annibale in agro Crotoniensi acie conflixit. Obscura ejus pugnæ fama est. Valerius Antias, quinque millia hostium cæsa ait. [d] quæ tanta res est, ut aut impudenter ficta sit, aut negligenter prætermissa. Nihil certe ultra rei in Italia ab Annibale gestum. nam ad eum quoque legati ab Carthagine, vocantes in Africam, iis forte diebus quibus ad Magonem, venerunt. Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

XX. Frendens gemensque ac vix lachrymis temperans, dicitur legatorum verba audisse. postea quam edita sunt mandata: *Jam non perplexe*, inquit, *sed palam revocant, qui, vetando supplementum & pecuniam mitti, jampridem retrahebant. Vicit ergo Annibalem, non populus Romanus toties cæsus fugatusque, sed senatus Carthaginiensis obtrectatione atque invidia. neque hac deformitate reditus mei tam P. Scipio exsultabit atque efferet sese, quam Hanno, qui domum nostram, quando alia re non potuit, ruina Carthaginis oppressit.* Jam hoc ipsum præsagiens animo præparaverat antè naves. Itaque inutili militum turbâ præsidii specie in oppida Brutii agri, quæ pauca, magis metu, quam fide continebantur, dimissa: quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit: multis Italici generis (quia [a] in Africam secuturos abnuentes, concesserant in Junonis Laciniæ delubrum, inviolatum ad eam diem) in templo ipso fœde interfectis. Raro quemquam alium patriam exilii caussa relinquentem, magis mœstum abisse ferunt, quam Annibalem hostium terra excedentem. Respexisse sæpe Italiæ litora, Deos hominesque accusantem, [1] in se quoque ac suum ipsius caput execratum, *Quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset. Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui consul hostem in Italia Pœnum non vidisset. se centum millibus armatorum ad Trasimenum & Cannas cæsis, circa Casilinum, Cumasque & Nolam consenuisse.* Hæc accusans, querensque, ex diutina possessione Italiæ detractus.

XXI. Romam per eosdem dies, & Magonem & Annibalem profectos

INTERPRETATIO.

c *Cum viderent languescere bellum ex parte Pœnorum.*

d *Quæ res tanti est momenti, ut si à* vero abhorreat *magna impudentia sit eam finxisse: aut* si verè gesta fuit, *valde negligenter in historiâ versati fuerint qui eam non retulerunt historici.*

a *Quoniam, cum recusarent* Annibalem *in Africam* sequi, &c.

NOTÆ.

gentina prope Montalto, medio itinere inter Consentiam & oppidum *San Marco*; ubi sedes Episcopalis.

12. *Alique ignobiles populi.*] Nomine *populorum* intelliguntur hic oppida etiam minora.

1. *In se quoque.... execratum.*] Ex scriptis sic legendum videtur; cum vulgò editi habeant, *& se quoque*: etsi enim rectè dicatur *aliquem*, ut detestari, ita & *execrari*: nihilominus tamen aliquando execrari in aliquem, vel alicui, auctores usurpant; ut noster lib. 39. de eod. Annibale loquens, *execratus deinde in caput Regnumque Prusiæ.* Et lib. 10. de P. Decio, *Hac execratus in se hostesque.* Et Cicero 2. de nat. Deor. ex Ennio, *cui quod in me est, execrabor hoc, quo lucet quidquid est.* Est enim execrari idem ac malè precari.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Serv. Cæp. & C.Servil.

allatum est. cujus a duplicis gratulationis minuit lætitiam, & quod parum duces in retinendis iis (quum id mandatum ab senatu esset) aut animi, aut virium habuisse videbantur, & quod soliciti erant, omni belli mole in unum ducem exercitumque inclinata, quo evasura esset res. Per eosdem dies legati Saguntini venerunt, comprehensos cum pecunia adducentes Carthaginienses, qui ad conducenda auxilia in Hispaniam trajecissent. 1 ducentum & quinquaginta auri, 2 octingenta pondo argenti in vestibulo curiæ posuerunt. Hominibus acceptis, & in carcerem conditis, auro argentoque reddito, gratiæ legatis actæ: atque insuper munera data ad naves, quibus in Hispaniam reverterentur. Mentio deinde ab senioribus facta est; 3 SEGNIUS HOMINES *bona quam mala sentire. Transitu in Italiam Annibalis, quantum terroris pavorisq; injecisset, sese meminisse.* 4 *quas deinde clades, quos luctus incidisse? Visa castra hostium è muris urbis: quæ vota singulorum, universorumque fuisse? quoties in conciliis voces, manus ad cœlum porrigentium, auditas?* 5 *En unquam ille dies futurus esset, quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent? Dedisse tandem id Deos sextodecimo demum anno: nec esse qui Diis grates agendas censeant. Adeo ne advenientem quidem gratiam homines benigne accipere, nedum ut præterita satis memores sint.* Conclamatum deinde ex omni parte curiæ est, uti referret P. Ælius prætor: decretumque, ut quinque dies circa omnia pulvinaria supplicaretur, victimæque majores immolarentur centum viginti. Jam dimisso Lælio, legatisque Masinis-

INTERPRETATIO.

a *Duarum rerum gratulatione dignarum.*

NOTÆ.

1. *Ducentum & quinquaginta auri.*] Sic habent manu exarati contra editos, in quibus legitur *ducenta*. Dicitur autem *ducentum pondo* subaudito nomine *librarum*; & pondo hic pro pondere sumitur: cujus constructionis plurima exempla ex Livio, aliisque profert Gron. lib. 1. cap. 7. de pecunia vetere. Ut ex nostro lib. 28. *Legati Delphos missi tulerunt coronam ducentum pondo*. Post Varronem lib. 2. de vita populi Romani. Qui lib. 4. ejusdem operis scribit: *Itaque retulit auri pondo mille octingentum septuaginta quinque*. Porro *ducenta quinquaginta* librarum auri millia, nobis essent *Cent quarante mille livres*.

2. *Octingenta pondo argenti.*] Huic summæ fermè respondent apud nos 28800. *livres*.

3. *Segnius homines.*] Significat minùs vehementer affici ac tangi nos beneficiis quàm injuriis. Eodem sensu, quo dicitur apud Horat. de art. poët.

Segnius irritant animos demissa per aurem
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

4. *Quas deinde clades.*] Obscuriorem facit hunc locum obliqua & suspensa per infinitivum oratio historicis usitata. Vult auctor exprimere quæ clades, qui luctus inciderint post Annibalis in Italiam ingressum.

5. *En unquam.*] Formula vehementer optantium per interrogationem, ut apud Virgilium.

En unquam patrios longo post tempore fines
Mirabor?

Et noster lib. 9. *En unquam futurum ut congredi armatis cum hoste liceat*. Significat idem ac, *an unquam*, vel *nunquamne*; sed majori emphasi: particula enim *en* denotat vehementer optari præsentiam rei incertæ, sed desideratæ admodum.

ſæ, quum Carthaginienſium legatos de pace ad ſenatum venientes Puteolis viſos, inde terra venturos allatum eſſet; revocari C. Lælium placuit, ut coram eo de pace ageretur. Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienſes Romam adduxit: quibus vetitis ingredi urbem, hoſpitium [6] in villa publica, ſenatus ad ædem Bellonæ datus eſt.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

XXII. Orationem eandem ferme, quam apud Scipionem, habuerunt: culpam omnem belli à publico conſilio in Annibalem vertentes. *Eum injuſſu ſenatus non Alpes modo, ſed Iberum quoque tranſgreſſum: nec Romanis ſolum, ſed ante etiam Saguntinis, privato conſilio bellum intulíſse. Senatui ac populo Carthaginienſi, ſi quis verè æſtimet, fœdus ad eum diem inviolatum eſſe eum Romanis. Itaque nihil aliud ſibi mandatum eſſe uti peterent, quam ut in ea pace quæ poſtremo cum conſule Lutatiò facta eſſet, manere liceret.* Quum, [1] more tradito, Patribus poteſtatem interrogandi, ſi quis quid vellet, legatos prætor feciſſet; ſenioreſque qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminiſſe per ætatem (etenim omnes ferme juvenes erant) dicerent legati; conclamatum ex omni parte curiæ eſt, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipſi non meminiſſent.

XXIII. Emotis deinde curia legatis, ſententiæ interrogari cœptæ. M. Livius *C. Servilium conſulem, qui propior eſſet, arceſſendum, ut coram eo de pace ageretur,* cenſebat. *quum de re majore quàm quanta ea eſſet, conſultatio incidere non poſset; non videri ſibi abſente conſulum altero, ambobuſve, eam rem agi, ſatis ex dignitate populi Romani eſſe.* Q. Metellus, qui triennio ante conſul, dictatorque fuerat, *Quum P. Scipio cædendo exercitus, agros populando, in eam neceſſitatem compulíſset hoſtes, ut ſupplices pacem peterent; & nemo omnium verius exiſtimare poſset, qua mente ea pax peteretur, quam is, qui ante portas Carthaginis bellum gereret; nullius alterius conſilio, quam Scipionis accipiendam, abnuendamve pacem eſse.* M. Valerius Lævinus, qui bis conſul fuerat, *Speculatores, non legatos veniſse arguebat: jubendoſque eos Italia excedere, & cuſtodes cum iis uſque ad naves mittendos: Scipionique ſcribendum,* [2] *ne bellum remitteret.* Lælius Fulviuſque adjecerunt: *Et Scipionem in eo poſitam habuíſse ſpem pacis, ſi Annibal & Mago Italia non revocarentur. Omnia ſimulaturos Carthaginienſes,*

N O T Æ.

6. *In villâ publicâ.*] Fuit ea villa publica in Campo Martio, qui ad extrema uſque tempora extra urbem, ut & Ædes Bellonæ, in quâ Senatus habebatur, redeuntibus re benè geſtâ & Triumphum ambientibus Conſulibus, aliiſque Magiſtratibus. Excluſi ergo Pomœrio Legati Carthaginienſium, non tamen hoſpitio.

1. *More tradito.*] Moribus Romanis licebat Senatori in Sententia dicenda, de quacumque re vellet, & quantùm vellet verba facere. Hinc Catonis conſueta ſententiæ cujuſque velut appendix, delendam eſſe Carthaginem. Similis hic libertatis ſpecies indicatur in jure publicè interrogandi exterarum gentium legatos ad Senatum populumque Romanum miſſos.

2. *Ne bellum remitteret.*] Volebant ut Scipio bellum acriter proſequeretur, nec quicquam remitteret de vi qua illud gerere cœperat. Gall. *qu'il pourſuivît ſa pointe, qu'il continuaſt de faire fortement*

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Serv. Cæp. & C. Servil.

a *duces eos exercitusque expectantes. deinde,* b *quamvis recentium fœderum & Deorum omnium oblitos, bellum gesturos.* Eo magis in Lævini sententiam discessum. Legati pace infecta, ac prope sine responso, dimissi.

XXIV. Per eos dis Cn. Servilius consul haud dubius quin pacatæ Italiæ penes se gloria esset, velut pulsum ab se Annibalem persequens, in Siciliam, inde in Africam transiturus, trajecit. Quod ubi Romæ vulgatum est, primo censuerunt Patres, ut prætor scriberet consuli, Senatum æquum censere in Italiam reverti eum. deinde quum prætor, spreturum eum literas suas diceret; dictator ad idipsum creatus P. Sulpicius, pro jure majoris imperii consulem in Italiam revocavit: reliquum anni, cum M. Servilio magistro equitum, circumeundis Italiæ urbibus, quæ bello alienatæ fuerant, noscendisque singularum caussis, consumpsit. Per induciarum tempus, & ex Sardinia ab Lentulo prætore centum onerariæ naves, cum commeatu & viginti rostratarum præsidio, & ab hoste & ab tempestatibus mari tuto, in Africam transmiserunt. Cn. Octavio ducentis onerariis, triginta longis navibus ex Sicilia trajicienti, non eadem fortuna fuit. In conspectum ferme Africæ prospero cursu vectum, primo destituit ventus, deinde versus in Africum turbavit, ac passim naves disjecit. ipse cum rostratis, per adversos fluctus ingenti remigum labore enixus, 1 Apollinis promontorium tenuit. onerariæ pars maxima ad Ægimurum (insula ea sinum ab alto claudit, in quo sita Carthago est, triginta ferme millia ab urbe) aliæ adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatę sunt. Omnia in conspectu Carthaginis erant. itaque ex tota urbe in forum concursum est. Magistratus Senatum vocare, populus in curię vestibulo fremere, ne tanta ex oculis manibusque amitteretur pręda. Quum quidam pacis petitę, alii induciarum (nedum enim dies exierat) fidem opponerent; permixto pene senatus populique concilio, consensum est, ut classe quinquaginta navium Asdrubal Ægimurum trajiceret: inde per litora portusque dispersas Romanas naves colligeret. Desertę fuga nautarum, primum ab Ægimuro, dein ab Aquis onerarię, Carthaginem puppibus tractę sunt.

XXV. Nondum reverterant ab Roma legati, neque sciebatur quę senatus Romani de bello, aut pace sententia esset, necdum induciarum dies exierat: eo indigniorem injuriam ratus Scipio, ab iis qui petiissent pacem & inducias, & spem pacis & fidem induciarum violatam esse; legatos Carthaginem, M. Bębium, L. Sergium, L. Fabium, extemplo misit. qui quum multitudinis concursu prope violati essent, nec reditum

INTERPRETATIO.

a *Dum expectarent Annibalem & Magonem.*

b *Immemores fœderum quantumcumque recentia essent.*

NOTÆ.

La guerre aux Carthaginois sans rien relascher de la vigueur avec laquelle il avoit commencé de les attaquer.

1. *Apollinis Promontorium.*] Africæ terræ pars in mare prominens versus Septentrionem ultra Uticam, hodie *Rasamilara*, vel *Rasalgbera* Arabibus. Eo itaque ægrè appulit Cn. Octavius.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

tutiorem futurum cernerent; petierunt à magiſtratibus, quorum auxilio vis prohibita erat, ut naves mitterent, quæ ſe proſequerentur. Datæ triremes duæ, quum [1] ad Bagradam flumen perveniſſent, unde caſtra Romana conſpiciebantur, Carthaginem rediere. Claſſis Punica ad Uticam ſtationem habebat. ex ea tres quadriremes, ſeu clam miſſo à Carthagine nuncio uti fieret, ſeu Aſdrubale, qui claſſi præerat, ſine publica fraude auſo facinus, [2] quinqueremem Romanam ſuperantem promontorium ex alto repente aggreſſæ ſunt, ſed neque roſtro ferire celeritate ſubter labentem poterant, neque tranſilire armati ex humilioribus in altiorem navem: & defendebatur egregie, quoad tela ſuppeditarunt. quibus deficientibus, quum jam nulla alia res eam, quam propinquitas terræ multitudoque à caſtris in litus effuſa tueri potuiſſet concitatam remis quanto maximo impetu poterant; [3] in terram quum immiſiſſent, navis tantum jactura facta, incolumes ipſi evaſerunt. Ita alio ſuper aliud ſcelere quum haud dubie induciæ ruptæ eſſent, Lælius Fulviuſque ab Roma cum legatis Carthaginienſibus ſupervenerunt. quibus Scipio, *Etſi non induciarum modo fides à Carthaginienſibus, ſed etiam jus gentium in legatis violatum eſſet; tamen ſe nihil nec inſtitutis populi Romani nec ſuis moribus indignum in iis facturum eſſe*, quum dixiſſet, legatis dimiſſis bellum parabat. [4] Annibali jam terræ appropinquanti, juſſus è nauticis aſcendere in malum, ut ſpecularetur quam tenerent regionem, quum dixiſſet, ſepulchrum dirutum proram ſpectare, [5] abominatus, pretervehi juſſo gubernatore [6] ad Leptim appulit claſſem, atque ibi copias expoſuit.

XXVI. Hæc eo anno in Africa geſta. Inſequentia excedunt in eum annum, quo M. Servilius Geminus qui tum magiſter equitum erat, & Tib. Claudius Nero, conſules facti ſunt. Cæterum exitu ſuperioris anni quum legati ſociarum urbium ex Græcia queſti eſſent, vaſtatos agros ab regiis præſidiis, profectoſque in Macedoniam legatos ad res repetendas, non admiſſos ad Philippum regem; ſimul nunciaſſent, quatuor millia militum cum Sopatro duce trajecta in Africam dici, ut eſſent Carthaginienſibus præſidio, & pecuniæ aliquantum unà miſſum; legatos ad regem, qui hæc adverſus fœdus facta videri Patribus nunciarent; mittendos cenſuit ſenatus. Miſſi C. Terentius Varro, C. Mamilius, M. Aurelius. iis tres quinqueremes datæ. Annus inſignis incēdio in-

N O T Æ.

1. *Ad Bagradam.*] Polybius Μάκαρα appellat fluvium. Appianus ait id accidiſſe ad Apollinis Promontorium, & ſic non procul Utica. Hoc flumen hodie *Megrada* Marmolio; *Magrida*, Leoni. Ex Libya interiore, per Africam propriè dictam, in Africum mare & ſinum Carthaginienſem fluit inter Vticam & Carthaginem.

2. *Quinqueremem Romanam ſuperantem promontorium.*] Qua vecti prius fuerant legati Scipionis Carthaginem atque inde in Romana caſtra reverſi. Promontorium autem intellige Apollinis.

3. *In terram quam immiſiſſent.*] Gall. *ils échoüerent volontairement; en ſorte que le vaiſſeau fut perdu, mais tout l'équipage ſe ſauva.*

4. *Annibali jam terra.*] Refer ad verbum *dixiſſet*, quod mox ſequitur: alias *Annibale jam terras appropinquante.*

5. *Abominatus.*] Malum omen ex loci nomine.

6. *Ad Leptim.*] Parvam ſcilicet, de qua ſupra.

Urb. cond. an. 550. Coss. Cn. Servil. Cæp. & C. Servil.

genti, quo 1 clivus Publicius ad solum exustus est, & aquarum magnitudine; sed annonæ vilitas fuit: præterquam quod pace omnis Italia erat aperta, etiam quod magnam vim frumenti ex Hispania missam M. Valerius Falto, & M. Fabius Buteo ædiles curules a 2 quaternis æris vicatim populo descripserunt. Eodem anno Q. Fabius Maximus moritur exactæ ætatis; siquidem verum est, augurem duos & sexaginta annos fuisse, quod quidam auctores sunt. Vir certe fuit dignus tanto cognomine, 3 vel si novum ab eo inciperet. Superavit paternos honores, avitos æquavit. Pluribus victoriis, & majoribus præliis avus insignis Rullus; sed omnia æquare unus hostis Annibal potest. Cautior tamen quam promptior hic habitus fuit: & sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat; sic nihil certius est, quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait. Augur in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus filius: in ejusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba. Ludi Romani diem unum, plebeji ter toti instaurati ab ædilibus, M. Sextio Sabino, & C. Tremellio Flacco. ii ambo prætores facti, & cum iis C. Livius Salinator, & C. Aurelius Cotta. Comitia ejus anni, utrum C. Servilius consul habuerit, an (quia eum res in Etruria tenuerint, quæstiones ex senatusconsulto de conjurationibus principum habentem,) dictator ab eo dictus P. Sulpicius, incertum ut sit, diversi auctores faciunt.

INTERPRETATIO.

a *Universo populo frumentum distribuerunt per vicos, quatuor assibus in singulos modios.*

NOTÆ.

1. *Clivus Publicius.*] Fuit *Clivus Publicus* seu *Publicius* in regione Montis Quirinalis, quæ postea Via lata: fuit & Clivus Publicii in regione Aventini, nominaturque à Victore in tertia decima regione urbis, inter templum Isidis & ædem Herculis & Sylvani.

2. *Quaternis æris.*] Apud Romanos asses adhuc, ni fallor, unciales erant: sic itaque æstimari poterunt hi quaterni asses, nostratibus totidem cum dimidio fere.

3. *Vel si novum ab eo inciperet.*] Hic Fabius Cunctator, qui & Verrucosus; non primus ex sua gente Maximi cognomen tulit; sed Quintus Fabius Rullianus ipsius avus, sic appellatus in censura cum P. Decio gesta anno 459. quod omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecisset, quas urbanas appellavit, ne humillimorum in manu comitia essent. Et Romæ M. Valerius Volusus Dictator anno 260. id cognominis primus meruerat, ob plebem Patribus reconciliatam. Cunctatoris verò effigiem hanc habemus ex nummis.



Urb. cond. an. 551. Coss. M. Servil. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

XXVII. Principio insequentis anni, M. Servilius, Tib. Claudius, senatu in Capitolium vocato, de provinciis retulerunt. Italiam atque Africam in sortem conjici. Africam ambo cupientes, volebant. cæterum M. Metello maxime annitente, neque data, neque negata est Africa. Consules jussi cum tribunis plebis agere, ut si iis videretur, populum rogarent quem vellet in Africa bellum gerere. Omnes tribus P. Scipionem jusserunt. nihilominus consules provinciam Africam ([1] ita enim senatus decreverat) in sortem conjecerunt. Ti. Claudio Africa evenit, ut quinquaginta navium classem, omnes quinqueremes, in Africam trajiceret, [2] parique imperio cum Scipione imperator esset. M. Servilius Etruriam sortitus. in eadem provincia & C. Servilio prorogatum imperium, si consulem manere ad urbem senatui placuisset. Prætores, M. Sextius Galliam est sortitus, ut duas legiones provinciamque traderet ei P. Quintilius Varus; C. Livius Brutios cum duabus legionibus, quibus P. Sempronius proconsul priore anno præfuerat; Cn. Tremellius Siciliam, ut ab P. Villio Tappulo Prætore prioris anni provinciam & duas legiones acciperet; Villius proprætor viginti navibus longis, militibus mille, oram Siciliæ tutaretur: inde M. Pomponius, viginti navibus reliquis, mille & quingentos milites Romam deportaret. C. Aurelio Cottæ urbana evenit. Cæteris ita, uti quisque obtinebant provincias exercitusque, prorogata imperia. Sexdecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est. Et ut placatis Diis omnia inciperent agerentque, ludos quos M. Claudio Marcello, T. Quintio Consulibus, T. Manlius dictator, quasque hostias majores voverat, si per quinquennium illud respublica eodem statu fuisset, ut eos ludos consules priusquam ad bellum proficiscerentur, facerent: Ludi in circo per quatriduum facti: hostiæque, quibus votæ erant Diis, cæsæ.

XXVIII. Inter hæc simul spes, simul cura in dies crescebat: nec satis certum constare apud animum poterat, utrum gaudio dignum esset, Annibalem, post sextum decimum annum ex Italia discedentem, vacuam possessionem ejus reliquisse populo Romano, an magis metuendum, quod incolumi exercitu in Africam transisset. *Locum, nimirum, non periculum mutatum, cujus tantæ dimicationis vatem, qui nuper decessisset, Q. Fabium haud frustra canere solitum; graviorem in sua terra futurum hostem Annibalem, quam in aliena fuisset. nec Scipioni aut cum Syphace inconditæ barbariæ rege,*[1] *cui Statorius semilixa ducere exercitus solitus sit, aut cum socero ejus*

NOTÆ.

1. *Ita enim Senatus decreverat.*] Mirum contra Plebiscitum ex Senatus auctoritate quodammodo factum, aliquid à Senatu postea cum effectu decretum: cum jam diu auctores quidem legum & rerum gerendarum Patres essent: verum apud populum deinde plenior esset rerum potestas.

2. *Parique imperio.*] Par igitur Proconsulis imperium imperio Consulis.

1. *Cui Statorius semilixa ducere exercitus solitus sit.*] Ex variis lectionibus mihi hæc optima videtur, ut indicetur Q. *Statorius* Centurio qui Syphacis milites ad morem Romanum instruxerat. Vulgo legitur. *Qui statarios semilixas* quasi

Urb.cond. an. 551. Coss. M. Servil.Gem. & Ti. Clau. Nerone.

Asdrubale, fugacissimo duce, rem futuram, aut tumultuariis exercitibus, ex agrestium semiermi turba subito collectis: sed cum Annibale, prope nato in prætorio patris fortissimi ducis, alito atque educato inter arma puero quondam milite, vix dum juvene imperatore. 1 qui senex vincendo factus, Hispanias, Gallias, Italiam, ab Alpibus ad fretum monumentis ingentium rerum complesset, 2 ducere a exercitum æqualem stipendiis suis, duratum omnium rerum patientia, quas vix fides fiat homines passos: perfusum millies cruore Romano: exuvias non militum tantum, 3 sed etiam imperatorum portantem. Multos occursuros Scipioni in acie, qui prætores, qui imperatores Romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque insignes coronis, pervagatos capta castra, captas urbes Romanas. Non esse hodie tot fasces magistratibus populi Romani, quot captos ex cæde imperatorum præferre posset Annibal. Has formidines agitando animis, ipsi curas & metus augebant etiam, quod assuessent per aliquot annos bellum ante oculos aliis atque aliis in Italiæ partibus lenta spe, in nullum propinquum debellandi finem gerere, erexerant omnium animos Scipio & Annibal velut ad supremum certamen comparati duces. Ii quoque quibus ingens erat in Scipione fiducia, & victoriæ spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, 4 eo curæ intentioris erant. Haud dispar habitus animorum Carthaginiensibus erat. quos, modo petisse pacem, intuentes Annibalem ac rerum gestarum ejus magnitudine, pœnitebat: modo, quum respicerent bis sese acie victos, Syphacem captum, pulsos Hispania, pulsos Italia, atque ea omnia unius virtute & consilio Scipionis facta, velut fatalem eum ducem in exitium suum natum, horrebant.

XXIX. Jam Adrumetum venerat Annibal. unde ad reficiendum ex jactatione maritima militem, paucis diebus sumptis, excitus, pavidis nunciis

INTERPRETATIO.

a *Exercitum veteranum qui sequutus esset Annibalem, ab eo tempore, quò is militare cœpisset, quique induratus sit patientiâ malorum omnium quæ vix credibile est ab hominibus ullis tolerari potuisse.*

NOTÆ.

designentur pedites Numidæ, qui *statarii* dicuntur comparati cum equitibus *semilixæ*, eo quod, nec peditum more armati essent, nec ordines servarent, ut vidimus lib. 24. cap. 48. fatente ipso Syphace.

2. *Ducere exercitum.*] Vult Gron. *duceret*, utpote quod regatur à præcedente relativo *qui*; sed cum nec scripti, nec editi consentiant, nihil videtur mutandum. Infinitivus enim *ducere* potest pendere ex eo quod suprà dictum est, *Fabium haud frustra canere solitum graviorem in sua terra futurum Annibalem:*

3. *Sed etiam Imperatorum.*] Flaminii nempe, Pauli, Marcelli, quorum in acie cæsorum corpora spoliaverant Pœni.

4. *Eo curæ intentioris erant.*] Codex Regius, *eò curæ intentiores erant*; quod planè congrueret si initio periodi scriptum esset *iis quoque* &c. sed ibi scriptum video, *licet enim ii quoque*: Quamvis itaque plerique manuscripti habeant. *eo curas intentiores*, sine τῶ *erant* standum videtur receptæ in editis scriptioni *eo curæ intentioris erant.*

omnia

Vrb. Cond. aun. 551. Coll. M. Servil. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

omnia circa Carthaginem obtineri armis, afferentium, magnis itineribus Zamam contendit.[1] Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest. inde præmissi speculatores, quum excepti à custodibus Romanis deducti ad Scipionem essent; traditos eos tribunis militum, jussosque omisso metu visere omnia, per castra, qua vellent circumduci jussit: percunctatusque, satin[2] per commodum omnia explorassent, datis qui prosequerentur, retro ad Annibalem dimisit. Annibal nihil quidem eorum quæ nunciabantur (nam & Masinissam cum sex millibus peditum, quatuor equitum venisse, eo ipso forte die, afferebant) læto animo audivit; maxime hostis fiducia, quæ non de nihilo profecto[3] concepta est, perculsus. Itaque, quanquam & ipse caussa belli ejus erat, & adventu suo turbaverat & pactas inducias, & spem fœderum; tamen, si integer, quam si victus peteret pacem, æquiora impetrari posse ratus, nuncium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret. Id utrum sua sponte fecerit, an publico consilio; neutrum cur affirmem habeo. Valerius Antias, primo prælio victum eum à Scipione, quo duodecim millia armatorum in acie sunt cæsa, mille & septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. Cæterum Scipio quum colloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces[4] castra protulerunt, ut coire ex propinquo possent. Scipio[5] haud procul Nadagara urbe, tum ad cætera loco opportuno, tum quod aquatio intra teli conjectum erat, consedit. Annibal tumulum à quatuor millibus inde, tutum commodumque alioqui, nisi quod longinquæ aquationis erat, cepit. ibi in medio locus conspectus undique, ne quid insidiarum esset, delectus.

XXX. Summotis pari spatio armatis, cum singulis interpretibus congressi sunt, non suæ modo ætatis maximi duces, sed omnis ante se memoriæ,

N O T Æ.

1. ***Zama quinque dierum.***] Distabat ab Adrumeto 300. millibus ex Æmilio Probo, à Carthagine quinque dierum itinere, id est, 100. milliaribus: unde diversam fuisse apparet ab *Azama* Ptolemæi quæ in Cirtesiis, estque eadem cum *Zama* Strabonis, qui Masæsylis attribuit, Jubæque Junioris postea Regiam fuisse ait, quo defuncto à Romanis dirutam ait. Hæc certè non Africæ propriæ, sed Numidiæ fuit, longiusque aberat à Carthagine. Plinius inter libera Africæ oppida lib. 5. cap. 4. recenset Zamenses. *Zamora* hodie dicitur apud Marmolium in Africæ descriptione.

2. ***Per commodum.***] Gall. *tout à loisir*.

3. ***Concepta est.***] M vult Gronov. *concepta esset*: est enim, inquit, cogitatio Annibalis, non affirmatio Livii; quod unde habeat non video: à scriptis plerisque abest verbum, quo & carere sententia potest.

4. ***Castra protulerunt.***] Gall. *Ils s'approcherent; ils avancerent leur camp l'un & l'autre.*

5. ***Haud procul Nadagara.***] Ptolemæo & Antonino hæc urbs *Naraggara* vocatur; Polybio corruptè, ut videtur, Μάργαρον. Fuit autem *Naraggara*, seu *Narangara*, Ptolemæi in Africâ propriè dictâ, circa Rubricatum fluvium: ex Antonino in Numidiæ confinio fuisse videtur inter Bagradam & Ampsagam fluvios. Volunt adhuc nomen retinere in Regno Constantinæ. In tabulis Mercatoris legitur *Macara* hoc tractu, longius à mari & Carthagine.

Urb. cond. ann. 551. Coss. M. Servil. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares. Paulisper alter alterius conspectu, admiratione mutuâ propè attoniti conticuere. Tum Annibal prior, *Si hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties propè in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem; lætor te mihi sorte potissimum datum à quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui tot de Romanis ducibus victoriam Dii dedissent, tibi cessisse: teque huic bello, vestris priùs quam nostris cladibus insigni, finem imposuisse. 1 Hoc quoque ludibrium fortunæ casus ediderit, ut cum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primùm Romano imperatore signa contulerim; ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam. 2 Optimum quidem fuerat, eam patribus nostris mentem datam ab diis esse, ut & vos Italiæ & nos Africæ imperio contenti essemus: neque enim ne vobis quidem Sicilia, atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tam egregiis amissis ducibus. Sed,* PRÆTERITA MAGIS *reprehendi possunt, quam corrigi. Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus; nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed & vos in portis vestris propè ac mœnibus signa armaque hostium vidistis, & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis; in meliore vestra fortuna de pace agitur: agimus ii, quorum & maxime interest pacem esse, & qui quodcumque egerimus, ratum civitates nostræ habituræ sint. animo tantum nobis opus est non abhorrente à quietis consiliis. Quod ad me attinet; jam ætas, senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum; jam secundæ, jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quàm fortunam malim. Tuam & adolescentiam, & perpetuam felicitatem ferociora utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo. a Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum, ad Cannas, id tu hodie es. Vix dum militari ætate imperio accepto omnia audacissime incipientem nusquam fefellit fortuna. Patris & patrui persecutus mortem, ab calamitate vestræ domus decus insigne virtutis pietatisque eximiæ cepisti; amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsis; consul creatus, quum cæteris tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in*

INTERPRETATIO.

a *Non facilè dubios rerum eventus considerare solet, qui nunquam expertus est adversam fortunam.*

NOTÆ.

1. *Hoc quoque ludibrium fortunæ casus ediderit.*] In variis lectionibus hæc recepta potest optima videri: quanquam Gronovio probatur magis scriptura Put. *Hoc quoque ludibrium casûs ediderit fortuna*: ita ut *casûs* accipiatur in genitivo; quam in rem plurima congerit exempla, in quibus Ciceronis 8. ad Atticum ep. 1. *quencumque fors tulerit casum*. Regius præfert, *hoc quoque ludibrium casus ediderit & fortuna*.

2. *Optimum quidem fuerat eam patribus nostris mentem datam.*] Hinc incipit Annibalis oratio apud Polyb.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem horâ captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum jam annum hærentem in possessione Italiæ, detraxisti. Potest victoriam malle, quam pacem, animus. Novi vobis spiritus magnos magis quam utiles, & mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus, bonam quoque mentem darent Dii; non ea solum quæ evenissent, sed etiam ea, quæ evenire possent, reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modo castris inter Anienem atque urbem vestram positis, ac jam prope scandentem mœnia Romæ videras: hic cernis, [3] duobus fortissimis viris fratribus clarissimis imperatoribus orbatum, ante mœnia prope obsessæ patriæ, [b] *quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem.* MAXIME CUIQUE *fortunæ minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax: nobis petentibus magis necessaria, quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem, in unius horæ dederis discrimen. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem, propone animo. Utrinque ferrum, corpora humana erunt, nusquam minus quam in bello* [4] *eventus respondent. Non tantum ad id quod data pace jam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adjeceris, quantum ademeris, si quid adversi eveniat. Simul parta ac sperata decora unius horæ fortuna evertere potest.* [c] *Omnia in pace jungenda tuæ potestatis sunt, P. Corneli: tunc ea habenda fortuna erit, quam Dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altiùs elatus erat, eò fœdiùs corruit. Est quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis: sed forsitan* [d] *non indigni simus,* [5] *qui nobismetipsis mulctam irrogemus. Non recusamus, quin omnia, propter quæ bellum initum est, vestra sint: Sicilia, Sardinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari. Carthaginienses, inclusi Africæ litoribus, vos (quando ita Diis placuit) externa etiam terra marique videamus regentes imperia. Haud negave-*

INTERPRETATIO.

b *Me deprecantem ea* mala, *quæ vestræ civitati per me antea impenderunt*,

c *Cum agitur de ineunda pace, cuncta in tuo sunt arbitrio.*

d Cum *non mereamini pacem iis* etiam *conditionibus* obtinere, *quæ priùs proposita sunt, meliores tamen poscere audetis.*

NOTÆ.

3. *Duobus fortissimis viris fratribus.*] Asdrubale & Magone. Amiserat quidem etiam Hannonem tertium fratrem; sed is fortè inter Duces seu Imperatores non habebatur.

4. *Eventus respondent.*] Subintellige *spei*, seu expectationi.

5. *Qui nobismetipsis mulctam irrogemus.*] Non adeo contemnendæ sunt res Pœnorum, inquit Annibal; ut non aliquatenus digni videamur, qui pacem obtineamus, saltem nos ipsos mulctando.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Ti. Clau. Nerone.

rim, propter non nimis sincere petitam aut expectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem. multùm per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet, Scipio. Vestri quoque (ut audio) Patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Annibal peto pacem: qui neque peterem nisi utilem crederem: & propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petii. & quemadmodum, quia à me bellum cœptum est, ne quem ejus pœniteret, [6] *quoad ipsi invidere Dei, præstiti: ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat.*

XXXI. Adversus hæc imperator Romanus in hanc fere sententiam respondit. *Non me fallebat, Annibal, adventus tui spe Carthaginienses & præsentem induciarum fidem, & spem pacis turbasse. neque tu id sane dissimulas, qui* [1] *de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea, quæ jampridem in nostra potestate sunt. Cæterum, sicut tibi curæ est, sentire cives tuos, quanto per te onere leventur: sic mihi laborandum est, ne quæ tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis præmia perfidiæ habeant. Indigni, quibus eadem pateat conditio, ut etiam prosit vobis fraus, petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum. & tunc Mamertinorum sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac justa induerunt arma. Vos lacessisse, & tu ipse fateris, & Dii testes sunt:* [a] *qui & illius belli exitum secundum jus fasque dederunt; & hujus dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis meminit, & vim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, subjecta esse mille casibus scio. Cæterum, quemadmodum superbe & violenter me faterer facere, si priusquam in Africam trajecissem, te tuâ voluntate cedentem Italiâ & imposito in naves exercitu ipsum venientem ad pacem petendam aspernarer: sic nunc, quum* [2] *propè manu consertâ restitantem ac tergiversantem in Africam attraxerim,* [b] *nulla sum tibi* [3] *ve-*

INTERPRETATIO.

a Felicem Romanis *illius belli finem tribuerunt, juxta id* quod justitia postulabat.

b *Nullo pudore teneor* ad concedendum *tibi* quicquam.

NOTÆ.

6. *Quoad ipsi invidere Dii.*] Effeci ne Charthaginiensium ullus haberet quod quereretur de bello à me inchoato, donec Dii ipsi inceptis & fortunæ meæ invidere cœperunt.

1. *De conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas.*] Veluti ut naves longas maxima ex parte traderent Carthaginienses, ut triticum, hordeum, & pecuniam, quæ imperaretur, præstarent: quæ conditiones anteà dictæ fuerant.

2. *Prope manu conserta.*] Manum conferere propriè est dimicare. Trahitur tamen hæc loquendi forma ad vindicationem, quæ olim in re præsenti per quandam certaminis imaginem fiebat: quò pertinet illud Ennii, hæc duo certandi genera opponentis, verum, in bello, & mimicum in foro, *non ex jure manu consertum, sed mage ferro rem repetunt.* Ad forense certamen respicere videtur Scipio, cum ait se propè manu conserta in Africam attraxisse Annibalem, idque indicant participia *restitantem*, ac *tergiversantem*, quorum hoc totum ex foro est.

3. *Verecundia obstrictus.*] Nomen verecundiæ non tantum pudorem & modestiam significat, sed aliquando sumitur etiam pro quadam reverentiæ specie: ut cum Brutus apud Ciceronem dixit, *nihil existimatio Civium valet, nihil po-*

recundiâ obstrictus. *Proinde si quid ad ea*, 4 *in qua tum pax conventura videbatur* 5 (*quæ sint*, *nosti*:) *multæ navium cum commeatu per inducias expugnatarum*, *legatorum violatorum adjicitur*; *est quod referam ad consilium*. *Sin illa quoque gravia videntur*, *bellum parate*, *quoniam pacem pati non potuistis*. Ita infecta pace, ex colloquio ad suos quum se recepissent; 6 frustra verba jactata renunciant. armis decernendum esse, habendamque eam fortunam, quam Dii dedissent. Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Claud. Nerone

XXXII. In castra ut est ventum, pronunciant ambo, *Arma expedirent milites*, *animosque ad supremum certamen*, *non in unum diem*, *sed in perpetuum*, *si felicitas adesset*, *victores*. *Roma an Carthago jura gentibus darent*, *ante crastinam noctem scituros*. *neque enim Africam*, *aut Italiam*, *sed* 1 *orbem terrarum victoriæ præmium fore*; a *par periculum præmio*, *quibus adversæ pugnæ fortuna fuisset*. Nam neque Romanis effugium ullum patebat in aliena ignotaque terra: & Carthagini 2 supremo auxilio effuso adesse videbatur præsens excidium. Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longe clarissimi duces, duo fortissimi exercitus; multa ante parta decora aut cumulaturi eo die, aut eversuri. Anceps igitur spes & metus miscebant animos: contemplantibusque, modo suam, modo hostium aciem, quum oculis magis quam ratione pensarent vires, simul læta, simul tristia obversabantur. quæ ipsis sua sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hortando subjiciunt. Pœnus, *sedecim annorum in terra Italia res gestas*, *tot duces Romanos*, *tot exercitus occidione occisos*; & sua cuique decora, ubi ad insignem alicujus pugnæ memoriâ militem venerat, referebat. Scipio, *Hispanias*, &c.

INTERPRETATIO.

a *Et contra iis qui victi essent imminere discrimen æquale præmio*, *quod victores consequuturi essent*.

NOTÆ.

steritatis verecundia: & apud eumdem scriptum est lib. de Amicitia, *maximum ornamentum amicitiæ tollit*, *qui ex ea tollit verecundiam*.

4. *In qua tum pax conventura videbatur*.] Variantibus Lectionibus, licet præpositio *in* desideretur in plerisque scriptis, ea tamen in uno ex Regiis occurrit, nec absque illa stare posse video sententiam, quidquid Gron. contendat.

5. *Quæ sint*, *nosti*.] Sic vulgo legitur. Sed scripti; *quasi multæ navium*: nempe *si quid multæ*, id est, *si aliquid multæ nomine adjicitur*. *Multa* autem *navium ..... expugnatarum* est pœna ob naves expugnatas debita.

6. *Frustra verbis tentatam rem nuntiant*.] Hæc vulgata lectio Sigonii est; in scriptis nihil hujusmodi. Plerique habent, *frustra verba pacata renunciant*. Pal. *Verba peracta*, quod tolerabile aliquatenus videtur. Gron. scribendum putat, *Frustra verba jactata renuntiant*: *armis decernendum*.

1. *Orbem terrarum*.] Dictum per amplificationem, pro parte orbis cogniti satis magna. Hic quippe de Italia, Africa, atque interjacentibus insulis agebatur. Nondum enim in Asiam, ac ne in Græciam quidem & Galliam Transalpinam penetraverant Romani, Sed victores his & vicinis aliis regionibus facilè imperaturos jam tum credibile erat.

2. *Supremo*.] Cum jam scilicet omnes vires ultimo conatu effudisset. Gall. *Aprés avoir fait ce dernier effort*.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

recentia in Africa praelia & confessionem hostium: quod neque non petere pacem propter metum, neque manere in ea prae insita animis perfidia potuissent. 3 ad hoc colloquium Annibalis in secreto habitum, ac liberum fingenti qua velit flectit. *Ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnaverint ad Ægateis insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse Deos. adesse finem belli, ac laboris. In manibus esse praedam Carthaginis, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, conjuges, penatesque Deos.* celsus haec corpore, vultuque ita laeto, ut vicisse jam crederes, dicebat.

XXXIII. Instruit deinde primos hastatos; post eos principes: triariis postremam aciem clausit. Non confertas autem cohortes ante sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spatium, quo elephanti hostium accepti nihil ordines turbarent. Laelium (cujus antè legati, eo anno quaestoris, extra sortem ex Senatusconsulto operâ utebatur) cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit. vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat) complevit. dato praecepto, a ut ad impetum elephantorum, aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram laevamque discursu applicantes se antesignanis, viam, qua irruerant in ancipitia tela, belluis darent. Annibal ad terrorem primum elephantos (octoginta autem erant, quot nulla unquam in acie ante habuerat) instruxit: deinde auxilia Ligurum, Gallorumque, Balearibus, Maurisque admixtis; in secunda acie Carthaginienses Afrosque, & Macedonum legionem; modico inde intervallo relicto subsidiarium aciem Italicorum militum (Brutii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate discedentem ex Italia secuti) instruxit. Equitatum etiam ipsum circumdedit cornibus: dextrum Carthaginienses, sinistrum Numidae tenuerunt. Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines: quibus non lingua, non mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non caussa militandi eadem esset. Auxiliaribus, & praesens, & multiplicata merces ex praeda ostentatur. *Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur. Liguribus campi uberes Italiae, deductis ex asperrimis montibus, in spem victoriae ostentantur. Mauros Numidasque impotenti Masi-*

INTERPRETATIO.

a Ut cum impellerentur Elephanti, statim Velites, aut per patentes inter manipulos vias fugerent post omnes ordines; aut ad dextram laevamque discurrentes, inter antesignanos se insererent, atque ita locum darent Elephantis ruentibus, ut hi possent ex utraque parte telis obrui; tum ab ipsis Velitibus, tum ab antesignanis: sive ut paterent ictibus ipsorum Velitum & antesignanorum.

NOTAE.

3. ***Ad hoc colloquium Annibalis.***] Addebat praetereà Scipio colloquium inter se & Annibalem habitum; qua in re, quia liberum erat ipsi fingere quidquid vellet, illud trahebat quo ipsi libitum erat.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

nisse futuro dominatu terret. Aliis alia spes ac metus jactantur. Carthaginiensibus mœnia patriæ, Dii penates, sepulchra majorum, liberi cum parentibus conjugesque pavidæ, aut excidium servitiumque, aut imperium orbis terrarum; nihil aut in metum, aut in spem medium ostentatur. b Quum maxime hæc imperator apud Carthaginienses, duces suarum gentium inter populares, plerique per interpretes inter immixtos alienigenis, agerent, tubæ cornuaque ab Romanis cecinerunt: tantusque clamor ortus, ut elephanti in suos, sinistro maxime cornu, verterentur, Mauros ac Numidas. Addidit facile Masinissa perculsis terrorem, nudavitque ab ea parte aciem equestri auxilio. Paucæ tamen bestiarum intrepidæ in hostem actæ, inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem edebant. resilientes enim ad manipulos velites, quum viam elephantis ne obtererentur, fecissent, 1 in ancipites ad ictum utrinque conjiciebant hastas: nec pila ab antesignanis cessabant; donec undique incidentibus telis exacti ex Romana acie, hi quoque in suo dextro cornu ipsos Carthaginiensium equites in fugam verterunt. Lælius ut turbatos vidit hostes, addit perculsis terrorem.

XXXIV. Utrinque equite nudata erat Punica acies; quum pedes concurrit, nec spe, nec viribus jam par. ad hoc, dictu parva, 1 sed magni eadem in re gerenda momenti res; congruens clamor à Romanis eoque major & terribilior; dissonæ illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis, voces. pugna Romana stabilis, 2 & suo & armorum pondere incumbentium in hostem: concursatio & velocitas illinc major, quam

INTERPRETATIO.

b *Cùm his adhortationibus uterentur Annibal quidem apud Carthaginienses, Duces verò unusquisque, apud sua quisque gentis milites; nec omnes per seipsos, sed non pauci per interpretes apud alienigenas popularibus ipsorum permixtos.*

NOTÆ.

1. *In ancipites ad ictum.*] Refer *ancipites* ad *Elephantos*, potius quàm ad *hastas*. Non quod etiam de hastis dici non possit (nam paulo anteà dixit auctor, *viam, qua irruerent in ancipitia tela, belluis darent*): sed quòd in scriptis non invenio τὸ *eos*, aut *eas*; ut in editis legitur: unde necessario aptandum est hoc nomen adjectivum, *ancipites*, ad *Elephantos*, de quibus proximè sermo. Eos autem dixit, *ancipites ad ictum*, id est, ab utroque latere patentes ad ictum, ictibus expositos. Sic *anceps prælium* dixit lib.6. cum à fronte & à tergo pugnandum est, urgente utrinque hoste. Si ad hastas referretur hoc nomen *ancipites*, intelligere oporteret, missas ab utroque latere; non autem quæ, aut in summo & imo cuspidem haberent; aut quæ propter levitatem, non modò antrorsum, sed etiam retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum nullo negotio possent conjici. Nam pilis quoque, quæ graviora sunt tela, impetebantur Elephanti ab Antesignanis.

1. *Sed magni eadem in re gerenda momenti.*] Hæc præ cæteris lectio mihi arridet, ut sit, *res dictu parva, sed quæ magni momenti in ipsa pugna* hinc congruens; clamor, pugna stabilis, &c.

2. *Et suo & armorum pondere incumbentium in hostem.*] Milites enim Romani, ut graviori armatura muniti quam Numidæ, ita ad statariam pugnam aptiores, & non eminùs tantum jaculis, sed cominus gladio, & corpore in hostes irruebant.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Germ. & Tib. Clau. Nerone.

vis. Igitur primo impetu extemplo movere loco hostium aciem Romani. a alâ deinde & umbonibus pulsantes, in summotos gradu illato, aliquantum spatii, velut nullo resistente, incessere, urgentibus & novissimis primos, ut semel motam aciem sensere; quod ipsum vim magnam ad pellendum hostem addebat. Apud hostes, b auxiliares cedentes secunda acies Afri & Carthaginienses adeo non sustinebant, ut contra etiam, ne resistentes pertinaciter primos cædendo ad se perveniret hostis, pedem referrent. Igitur auxiliares terga dant repente: & in suos versi, partim refugere in secundam aciem, partim non recipientes cædere: uti paulò ante non adjuti, & tunc exclusi. Et prope duo jam permixta prælia erant, quum Carthaginienses simul cum hostibus, simul cum suis cogerentur conserere manus. non tamen ita perculsos iratosque in aciem acceperе; sed densatis ordinibus, in cornua, vacuumque circa campum extra prælium ejecere, 3 ne pavidos fuga, vulneribusque milites, in certam & integram aciem miscerent. Cæterum tanta strages hominum armorumque, locum, in quo steterant paulo ante auxiliares, compleverat, ut prope difficilior transitus esset, quam per confertos hostes fuerat. itaque qui primi erant hastati, per cumulos corporum armorumque, & tabem sanguinis, qua quisque poterat, sequentes hostem, & signa & ordines confuderunt. principum quoque signa 4 fluctuari cœperant, vagam ante se cernendo aciem. Quod Scipio ubi vidit, receptui propere canere hastatis jussit: & sauciis in postremam aciem subductis, principes triariosque in cornua inducit; quo tutior firmiorque media hastatorum acies esset. Ita novum de integro prælium ortum est: quippe ad veros hostes perventum erat, & armorum genere, & usu militię, & fama rerum gestarum, & magnitudine vel spei vel periculi pares. Sed & numero Romanus superior erat, & animo: quod jam equites, jam elephantos fuderat: jam prima acie pulsa, in secundam pugnabat.

XXXV. In tempore Lælius ac Masinissa pulsos per aliquantum spatii secuti equites, revertentes in aversam hostium aciem incurrêre. Is demum

INTERPRETATIO.

a *Postea vero Romani armo sive cubito, clypeique umbone instantes hostibus, & postquam eos pepulerant, & loco cedere coegerant, prosequentes eosdem, &c.*

b *Secunda hostium acies ex Carthaginiensibus atque Afris composita, non solum non sustentabat auxiliares suos, qui loco cedebant, sed contrà pedem ipsa referebat, ne Romani cedentes primam illam aciem auxiliarium,* si *pertinacius resisteret, ad ipsos,* qui in secunda acie *stabant, pervenirent.*

NOTÆ.

3. *Ne pavidos fugâ vulneribusque milites.*] Regius Codex melius fortè, *ne pavido fugâ vulneribusque milite, sinceram & integram aciem miscerent*; alii pro *incertam* scribunt *catream*.

4. *Fluctuari cœperant.*] Vulgò *fluctuare*: sed vide Gronov. 4. observ. 6.

equi-

equitum impetus fudit hostem. multi circumventi in acie cæsi: multi per patentem circa campum fuga sparsi, tenente omnia equitatu, passim interierunt. Carthaginensium sociorumque cæsa eo die supra millia viginti: par ferme numerus captus est, cum signis militaribus centum triginta tribus, elephantis undecim. Victores ad duo millia cecidêre. Annibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit: omnia & in prælio, & ante aciem, priusquam excederet pugna, expertus. & confessione etiam Scipionis, omniumque peritorum militiæ, illam laudem adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. *Elephantos in prima fronte: quorum fortuitus impetus, atque intolerabilis vis, signa sequi, & servare ordines (in quo plurimum spei ponerent) Romanos prohiberet. Deinde auxiliares ante Carthaginiensium aciem, ne homines mixti colluvione omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent: simul primum ardorem atque impetum hostium excipientes fatigarent; ac* [1] *si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent.* [a] *Tum, ubi omnis spes esset, milites Carthaginienses Afrosque, ut omnibus rebus aliis pares, eo quod integri cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent: Italicos intervallo quoque diremptos, incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos.* Hoc edito velut ultimo virtutis opere, Annibal quum Adrumetum refugisset, accitusque inde Carthaginem sexto ac trigesimo post anno, quam puer inde profectus erat, redisset; fassus in curia est, non prælio modo se, sed bello victum, nec spem salutis alibi quam in pace impetranda esse.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Claud. Nerone.

XXXVI. Scipio confestim à prælio expugnatis hostium castris direptisque, cum ingenti præda ad mare ac naves rediit; nuncio allato, P. Lentulum cum quinquaginta rostratis, centum onerariis, omni genere commeatus, ad Uticam accessisse. Admovendum igitur undique terrorem perculsæ Carthagini ratus, misso Lælio Romam cum victoriæ nuncio, Cn. Octavium terrestri itinere ducere legiones Carthaginem jubet: ipse ad suam veterem novâ Lentuli classe adjunctâ: profectus ab Utica, portum Carthaginis petit. Haud procul aberat, quum velata infulis ramisque oleæ Carthaginiensium occurrit navis. Decem legati erant principes civitatis, auctore Annibale missi ad petendam pacem. qui cum ad puppim prætoriæ navis accessissent, velamenta supplicum porrigentes, orantes, implorantesque fidem & misericordiam Scipionis; nullum iis aliud responsum datum, quam ut Tunetem venirent: eo se moturum castra. ipse ab contemplato situ Carthaginis, non tam noscendi in præsentia,

INTERPRETATIO.

a Deinde Pœnos Afrosque milites, in quibus spem omnem suam reponebat.

NOTÆ.

1. *Si nihil aliud, vulneribus suis.*] Scripti ignorant *fatigarent, ac nihil aliud;* sed eorum loco habent alii *missilibus*, alii *vulneribus* suis: recte, si verbum adjicias quod missilibus respondeat, veluti *tardarent*.

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

a quam deprimendi hostis caussa, Uticam, eodem & Octavio revocato, rediit. Inde procedentibus ad Tunetem nuncius allatus, Verminam Syphacis filium cum equitibus pluribus, quam peditibus, venire Carthaginiensibus auxilio. pars exercitus cum omni equitatu 1 Saturnalibus primis agmen aggressa, Numidas levi certamine fudit. exitu quoque fugæ intercluso, à parte omni circumdatis equitibus, quindecim millia hominum cæsa, mille & ducenti vivi capti sunt, & equi Numidici mille & quingenti: signa militaria duo & septuaginta. Regulus ipse inter tumultum cum paucis effugit. Tum ad Tunetem eodem, quo antea, loco, castra posita, legatique triginta Carthagine ad Scipionem venerunt. & illi quidem multo miserabiliùs quam ante (quo magis cogebat fortuna) egerunt: sed aliquanto minore cum misericordia ab recenti memoria perfidiæ auditi sunt. In consilio, quanquam justa ira omnes ad delendam stimulabat Carthaginem; tamen quum & quanta res esset, & quam longi temporis obsidio tam munitæ & validæ urbis, reputarent, & ipsum Scipionem 2 exspectatio successoris venturi ad paratam alterius labore ac periculo finiti belli famam, solicitaret; ad pacem omnium animi versi sunt.

XXXVII. Postero die, revocatis legatis, & cum multa castigatione perfidiæ monitis, ut tot cladibus edocti, tandem Deos, & jusjurandum esse crederent; conditiones pacis dictæ: *Ut liberi legibus suis viverent. quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent, populandique finem eo die Romanus facere. Perfugas, fugitivosque, & captivos omneis redderent Romanis, & naves rostratas, præter decem triremes, traderent: elephantosque, quos haberent domitos, neque domarent alios. Bellum neve in Africa, neve extra Africam, injussu populi Romani gererent. Masinissæ res redderent, fœdusque cum eo facerent. Frumentum, stipendiumque auxiliis, donec ab Roma legati rediissent, præstarent.* 1 *Decem millia talentûm argenti descripta, pensionibus æquis, in annos quinquaginta solverent.* 2 *Obsides centum arbitratu Scipionis darent nec mi-*

INTERPRETATIO.

a *Quam ut hostibus insultaret, eisque animos demeret.*

NOTÆ.

1. *Saturnalibus primis.*] Hæc vera lectio: his autem verbis indicatur dies hujus certaminis. *Saturnalia* circa dimidium Decembrem apud Romanos celebrabantur pluribus diebus: itaque *Saturnalia prima* indicant XVI. Calend. Januarias, Sic apud Ciceronem lib. 13. ad Atticum. ep. ult. *cum secundis Saturnalibus*. De iis Feriis Macrob. lib. 1. cap. 7.

2. *Expectatio successoris.*] Tib. Claudii Neronis Consulis, supra cap. 27.

1. *Decem millia talentûm argenti.*] Moneta nostra hodie diceremus, *vingt-quatre millions de livres*.

2. *Obsides centum.*] Hoc numero contentus est hic Polyb. At Appianus centum & quinquaginta pueros numerat arbitratu Scipionis eligendos; cui favere videtur quod lib. 32. ipse Livius scribit petentibus Carthaginiensibus centum obsides redditos; de cæteris, si in fide permanerent, spem factam. Unde sequitur plures fuisse quam centum.

nores quatuordecim annis, neu triginta majores. Inducias ita se daturum, si per priores inducias naves onerariæ captæ, quæque fuissent in navibus, restituerentur. Aliter nec inducias, nec spem pacis ullam esse. Has conditiones legati cum domum ferre jussi in concione ederent, & Gisgo ad dissuadendam pacem processisset, audireturque à multitudine, inquietâ eâdem & imbelli; indignatus Annibal, dici ea in tali tempore audirique, arreptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit. 3 Quæ insueta liberæ civitati species, quum fremitum populi movisset, perturbatus militaris vir urbana libertate, *Novem,* inquit, *annorum à vobis profectus, post sextum & tricesimum annum redii. Militares artes (quas me à puero fortuna nunc privata nunc publica docuit) probe videor scire. Urbis ac fori jura, leges, mores, vos me oportet doceatis,* Excusatâ imprudentiâ, de pace multis verbis disseruit, quam nec iniqua, & necessaria esset. Id omnium maxime difficile erat, quod ex navibus per inducias captis, nihil præter ipsas comparebat naves: neque inquisitio erat facilis, 4 adversantibus paci, qui arguerentur. Placuit naves reddi, & homines utique inquiri. *Cætera, quæ abessent, æstimanda Scipioni permitti: atque ita pecunia luere Carthaginienses.* Sunt qui Annibalem ex acie ad mare pervenisse; inde præparata nave ad regem Antiochum extemplo profectum tradant: postulantique ante omnia Scipioni, ut *Annibal sibi traderetur;* responsum esse, *Annibalem in Africa non esse.* Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

XXXVIII. Postequam redierunt ad Scipionem legati, quæ publica in navibus fuerant, ex publicis descripta rationibus quæstores, quæ privata profiteri domini jussi: pro eâ summa pecuniæ 1 viginti quinque millia pondo argenti præsentia exacta, induciæque Carthaginiensibus datæ in tres menses. Additum, *ne per induciarum tempus alio usquam quam Romam mitterent legatos: & quicunque legati Carthaginem venissent, ne ante dimitterent eos, quam Romanum imperatorem, qui, & quæ peterent, venissent, certiorem facerent.* Cum legatis Carthaginiensibus Romam missi L. Veturius Philo, & M. Marcius Ralla, & L. Scipio imperatoris frater. Post eos dies, commeatus ex Sicilia Sardiniaque tantam vilitatem annonæ effecerunt, ut pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret. Romæ ad nuncium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatum fuerat;

NOTÆ.

3. *Quæ insueta liberæ Civitati species.*] Gall. *La veuë d'une nouveauté si extraordinaire dans une Ville libre, ayant excité le murmure du peuple.*

4. *Adversantibus paci qui arguerentur.*] Aliàs, *cum adversantes paci arguerentur.* Eôdem utriusque lectionis sensu. Vult enim auctor difficilem fuisse inquisitionem rerum in navibus Romanis captarum, eò quod qui arguebantur ea res apud se habere, paci pertinacius adversabantur, & plebem concitabant ut prædam ipsi retinerent; quâ ratione Respublica in majus discrimen adducebatur. Facilius autem consensuri videbantur cæteris pacis conditionibus, si ejus necessariæ restitutionis metu liberarentur; quod fiebat soluto communibus sumptibus pretio rerum ablatarum.

1. *Viginti quinque millia pondo argenti.*] Gall. *Neuf cens mille livres.*

Urb. cond. an. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Tib. Clau. Nerone.

jussusque erat Tib. Claudius mature in Siciliam Classem ducere, atque inde in Africam trajicere, & alter consul M. Servilius ad urbem morari; donec quo statu res in Africa essent, sciretur. Segniter omnia in comparanda deducendaque classe pro Tib. Claudio consule facta erant; quod Patres de pace Scipionis potiùs arbitrium esse, quibus legibus daretur, quam consulis censuerant. Prodigia quoque nunciata sub ipsam famam rebellionis, terrorem attulerant. Cumis Solis orbis minui visus, & pluit lapideo imbri. & in Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ Ariciæ forum, & circa tabernæ, Frusinone murus aliquot locis, & porta de cœlo tacta: & in palatio lapidibus pluit. Id prodigium more patrio novendiali sacro, cętera hostiis majoribus expiata. inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. nam ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares, circo inundato; extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint. Cæterum ludorum ipso die, serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam, revocata deductaque in circum est; quum discessisse inde aquam, nunciatum esset: lætitiamque populo & ludis celebritatem addidit sedes sua solenni spectaculo reddita.

XXXIX. Claudium Consulem profectum tandem ab urbe inter portus Cosanum [1] Lauretanumque atrox vis tempestatis adorta, in metum ingentem adduxit. [2] Populonios inde quum pervenisset, stetissetque ibi dum reliquum tempestatis exsæviret; [3] Ilvam Insulam, & ab Ilva Corsicam, à Corsica in Sardiniam trajecit. ibi superantem [4] Insanos montes, multo & sævior & infestioribus locis tempestas adorta, disjecit classem. Mul-

NOTÆ.

1. *Lauretanumque.*] Apparet non *Laurentinum* portum intelligi, qui vel nullus, vel certè in Latio ad Laurentum, procul à Cosano, & longiùs ab occidentalis Tusciæ litore, ubi fuisse hunc, de quo agitur, portum, ex Livii narratione constat. Non etiam idem fuit cum portu Trajani, qui tunc nullus eo nomine; sed *Centum Cellæ* vocabatur, nunc *Città Vecchia*: omnia quippe hæc loca ad ortum *Cosani* portus (duobus milliaribus ab eo qui vulgò *Porto-Hercole*) sita sunt; at post tempestatem, *Populonios* delata est Tiberii Claudii Classis; quod oppidum Cosæ ad occasum æstivum situm est. Nullus quidem inter Cosam & Populonios portus occurrit *Lauretanus* nomine. Sed esse potuit belli hujus tempore: potuit & facile in nomine vel ipse Livius, vel Librarius errare. Suspicatur Cluver. *Scapritanum* fuisse portum ex adverso Populoniorum, juxta Promontorium, qui nunc *Capo di Troja*. Fortè voluit noster *Falerianum* portum scribere, qui nunc *porto Falese*, Populoniis propior.

2. *Populonios.*] Nomen est urbis in Tuscia; locus adhuc *Populonia* vocatur, juxta Plumbinum, vulgo *Piombino*.

3. *Ilvam insulam.*] *Ilva* quæ & *Æthalia*, insula est Tyrrheni maris ad meridiem Populoniorum, hodie inflexo nomine *Elba*: ubi *Cosmopolis* in ditione Magni Ducis, & *portus Longonis*, olim *Argous portus*, qui paret Plumbini Principi, seu potius Hispanis præsidium ibi obtinentibus.

4. *Insanos montes.*] Montes qui Sardiniam Septentrionalem dividunt, à meridionali dicti sunt *Insani*, quod invii sint, & ex iis prævalidi & incerti ventorum flatus in mare ruant.

tæ quassatæ armamentisque spoliatæ naves: quædam fractæ. Ita vexata ac lacerata classis Carales tenuit. ubi dum subductæ reficiuntur naves, hiems oppressit: circumactumque anni tempus; & nullo prorogante imperium, privatus Tib. Claudius classem Romam reduxit. M. Servilius, ne comitiorum caussa ad urbem revocaretur; dictatore dicto C. Servilio Gemino, in provinciam est profectus. Dictator magistrum equitum P. Ælium Pætum dixit. Sæpe comitia indicta [5] perfici tempestates prohibuerunt. Itaque quum pridie Idus Martias [6] veteres magistratus abissent, novi suffecti non essent; respublica sine curulibus magistratibus erat. L. Manlius Torquatus pontifex, eo anno mortuus. in locum ejus suffectus C. Sulpicius Galba. ab L. Licinio Lucullo, & Q. Fulvio ædilibus curulibus ludi Romani ter toti instaurati. Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque ædilitii clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli ædilis. P. Ælius Tubero, & L. Lætorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt, quum ludos ludorumque caussa epulum Jovi fecissent, & signa tria ex mulctaticio argento facta in Capitolio posuissent. [7] Cerealia ludos dictator & magister equitum ex senatusconsulto fecerunt.

Urb. cond. ann. 551. Coss. M. Serv. Gem. & Ti. Clau. Nerone.

XL. Legati ex Africa Romani simul Carthaginiensesque quum venissent Romam, senatus ad ædem Bellonæ habitus est. ubi quum L. Veturius Philo, pugnatum cum Annibale esse [1] suprema Carthaginiensibus pugna, finemque tandem lugubri bello impositum, ingenti lætitia Patrum exposuisset; adjecit, Verminam etiam Syphacis filium, quæ parva bene gestæ rei accessio erat, devictum. in concionem inde prodire jussus, gaudiumque id populo impertire. Tum patuere facta gratulatione, omnia in urbe templa, supplicationesque in triduum decretæ. Legatis Carthaginiensium & Philippi regis (nam ii quoque venerant) petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum jussu Patrum ab dictatore est, consules novos eis senatum daturos esse. Comitia inde habita. creati consules Cn. Cornelius Lentulus., P. Ælius Pætus: prætores M. Junius Pennus, cui sors urbana evenit. M. Valerius Falto Brutios, M. Fabius Buteo Sardiniam, P. Ælius Tubero Siciliam

N O T Æ.

5. *Perfici tempestates prohibuerunt.*] Comitium in foro usque ad hæc tempora tecto caruit. Propterea Comitia eo loco indicta, ingruente tẽpestate, dissoluta fuerunt Sed centuriata comitia creandorum magistratuum, de quibus hic agitur, in Campo Martio habebantur, non in Comitio.

6. *Veteres magistratus abissent.*] Nova loquendi forma pro abdicassent. Tritum est apud nostrum *abire Magistratu*: sed non facilè alibi reperias eo sensu *Magistratum abiisse*.

7. *Cerealia.*] *Cerealia* sacra in honorem Cereris celebrabantur, exemplo sacrorum Eleusiniorum apud Græcos: Matronis Cereris ob raptam Proserpinam luctum, & filiam quærentis cum face peregrinationem imitantibus: circumferebatur pompa cum signis Deorum, & ludi fiebant, spectante in togis candidis populo à pridie idus Aprilis per dies octo, proximo die post Circenses.

1. *Suprema Carthaginiensibus pugna.*] Scripti omnes & editi habent, *suprema cum Carthaginiensibus pugna*. Nimirum indicare voluit noster, pugnam cum Annibale postremam fuisse cum Carthaginiensibus: licèt non fuisset postrema, cum hostibus: etenim cum Vermina dimicandum postea fuerat:

Urb. Cond. ann. 552. Coss. Cn. Cornel. Lentul. & P. Ælio Pæto.

est sortitus. De provinciis consulum nihil antè placebat agi, quàm legati Philippi regis & Carthaginiensium auditi essent. belli finem alterius principium alterius, prospiciebant animis. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat provinciæ Africæ; seu bellum foret, facilem victoriam, seu jam finiretur, finiti tanti belli se consule gloriam petens. Negare itaque priùs quicquam agi passurum, quam sibi Africa decreta esset; concedente collega, moderato viro & prudenti qui gloriæ ejus certamen cum Scipione, præterquam quod iniquum esset, etiam impar futurum cernebat. Q. Minucius Thermus & Manius Glabrio, tribuni plebis, *rem priore anno nequicquam tentatam ab Ti. Claudio consule, Cn. Cornelium tentare* ajebant. *Ex auctoritate Patrum latum ad populum esse, cujus vellent imperium in Africa esse. Omnes quinque & triginta tribus P. Scipioni id imperium decresse.* Multis contentionibus, & in senatu & ad populum acta res, postremo eò deducta est, ut Senatui permitterent. Patres igitur jurati (ita convenerat) censuerunt. *Uti consules provincias inter se compararent, sortirenturve, uter Italiam, uter classem navium quinquaginta haberet. Cui classis obvenisset, in Siciliam navigaret: si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam trajiceret. Consul mari, Scipio eodem, quo adhuc, jure imperii terra rem gereret. Si conditiones convenirent pacis, tribuni plebis populum rogarent, utrum consulem, an P. Scipionem, juberent pacem dare: & quem, si deportandus exercitus victor ex Africa esset, deportare. Si pacem per P. Scipionem dari, atque ab eodem exercitum deportari jussissent, ne consul ex Sicilia in Africam trajiceret. Alter consul, cui Italia evenisset, duas legiones à M. Sextio Prætore acciperet.*

XLI. P. Scipioni cum exercitibus, quos haberet, in provincia Africa prorogatum imperium. Prætori M. Valerio Faltoni duæ legiones in Brutiis, quibus C. Livius priore anno præfuerat, decretæ. P. Ælius prætor duas legiones in Sicilia ab Cn. Tremellio acciperet. Legio una M. Fabio in Sardiniam, quam P. Lentulus proprætore habuisset, decernitur. M. Servilio prioris anni consuli, cum suis duabus item legionibus, in Etruria prorogatum imperium est. Quod ad Hispanias attineret, aliquot jam annos ibi L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum esse. *uti consules cum tribunis agerent, si eis videretur, ut plebem rogarent, cui juberent in Hispania imperium esse. is ex duobus exercitibus in unam legionem conscriberet Romanos milites, & in quindecim cohortes socios Latini nominis quibus provinciam obtineret:* [1] *veteres milites L. Cornelius, & L. Manlius in Italiam deportarent. Cornelio consuli quinquaginta navium classis ex duabus classibus, Cn. Octavii, quæ in Africa esset, P. Vilii, quæ Siciliæ oram tuebatur,* decreta: *ut quas naves vellet, deligeret. P. Scipio quinquaginta longas naves haberet, quas habuisset. quibus si Cn. Octavium, sicut præfuisset, præesse vellet, Octavio proprætore in eum annum imperium esset: si Lælium præfice-*

NOTÆ.

1. *Veteres.*] Veteranos intelligit, qui in utroque exercitu Hispanico, id est, Romanorum in Hispania.

ret, *Octavius Romam decederet: reduceretque naves*, [a] *quibus proconsuli usus non esset*. Et M. Fabio in Sardiniam decem longæ naves decretæ. Et consules duas legiones urbanas scribere jussit: ut quatuordecim legionibus eo anno, centum navibus longis respubl. administraretur.

Urb. cond. ann. 552. Coss. Cn. Corn. Lentulo, & P. Ælio Pæto.

XLII. Tum de legatis Philippi, & Carthaginiensium actum. Priores Macedonas introduci placuit, quorum varia oratio fuit: partim purgantium, quæ questi erant missi ad regem à Roma legati de populatione sociorum: partim, ultro accusantium quidem & socios populi Romani, sed multo infestius M. Aurelium, quem ex tribus ad se missis legatis delectu habito substitisse, & se bello lacessisse contra fœdus, & sæpe cum præfectis suis signis collatis pugnasse: partim, postulantium, ut Macedones, duxque eorum Sopater, qui apud Annibalem mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Adversus ea M. Furius, missus ad idipsum ab Aurelio ex Macedonia, disseruit, *Aurelium relictum, ne socii populi Romani fessi populationibus atque injuriâ ad regem deficerent; finibus sociorum non excessisse: dedisse operam, ne impunè in agros eorum transcenderent populatores. Sopatrum* [b] *ex purpuratis & propinquis regis esse: eum cum quatuor millibus Macedonum, & pecunia missum nuper in Africam esse, Annibali Carthaginiensibusque auxilio.* De his rebus interrogati Macedones: quum perplexè responderent, [1] ipsi antè responsum tulerunt, *Bellum quærere regem, & si pergat, propediem inventurum. Dupliciter ab eo fœdus violatum: & quod sociis populi Romani injurias fecerit, bello armisque lacessiverit: & quod hostes auxiliis & pecuniâ juverit. Et P. Scipionem rectè atque ordine videri fecisse & facere, quod eos, qui arma contra populum Romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis habeat. & M. Aurelium è republica facere, gratumque id senatui esse, quod socios populi Romani, quando jure fœderis non posset, armis tueatur.* Cum hoc tam tristi responso dimissis Macedonibus, legati Carthaginienses vocati. quorum ætatibus dignitatibusque conspectis (nam longe primi civitatis erant) tum pro se quisque dicere, vere de pace agi. Insignis tamen inter cæteros Asdrubal erat (*Hædum* populares cognomine appellabant) pacis semper auctor, adversusque factioni Barcinæ. Eo tum plus illi auctoritatis fuit, belli culpam in paucorum cupiditatem à republica transferenti. qui quum varia oratione usus esset, nunc purgando crimina, nunc quædam fatendo, ne impudenter certa negan-

INTERPRETATIO.

a *Quibus opus Scipio non haberet.*
b *Ex numero procerum qui circa Regem.*

NOTÆ.

1. *Ipsi ante responsum tulerant.*] Etsi perplexè, tamen respondebant: quomodo igitur fieri potuit ut ipsi priùs responsum ferrent atque acciperent à Romanis? Nisi dicamus perplexa illorum responsa pro responsis verè habenda non fuisse. sed Romanos ad priorem Macedonum Legatorum orationem certò & perspicuè respondisse, idque propriè dicendum responsum. Quæ sententia si admittatur, frustra Gron. suspicatur legendum, *Cum perplexè responderent, ipsi anceps responsum tulerunt.*

Urb. Cond. Ann. 552. Coss. Cn. Corn. Lentulo, & P. Ælio Pæto.

tibus difficilior venia esset, nunc monendo etiam Patres conscriptos, *ut rebus secundis modeste ac moderate uterentur; Si se atque Hannonem audissent Carthaginienses, & tempore uti voluissent, daturos fuisse pacis conditiones quas tunc peterent.* RARO SIMUL HOMINIBUS *bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum eo invictum esse, quod in secundis rebus sapere & consulere meminerit. &, hercule, mirandum fuisse, si aliter facerent* c EX INSOLENTIA, *quibus nova bona fortuna sit, impotentes lætitiæ insanire: Populo Romano usitata, ac prope jam obsoleta ex victoria gaudia esse, ac plus pene parcendo victis, quàm vincendo imperium auxisse.* Cæterorum miserabilior oratio fuit, commemorantium, *Ex quantis opibus quo recidissent Carthaginiensium res. nihil eis qui modo orbem prope terrarum obtinuissent armis, superesse, præter Carthaginis mœnia. Iis inclusos, non terra, non mari quicquam sui juris cernere. Urbem quoque ipsam, ac penates ita habituros, si non in ea quoque, quo nihil ulterius sit, sævire populus Romanus velit.* Quum flecti misericordia Patres appareret, senatorum unum infestum perfidiæ Carthaginiensium succlamasse ferunt, *Per quos Deos fœdus icturi essent, quum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent?* *Per eosdem*, inquit Asdrubal, *qui tam infesti sunt fœdera violantibus.*

XLIII. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul a cui classis provincia erat, Senatusconsulto intercessit. Tum Man. Atilius & Q. Minucius tribuni plebis ad populum tulerunt, *Vellent, juberentne senatum decernere, ut cum Carthaginiensibus pax fieret. & quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitus deportare juberent?* De pace uti rogassent, omnes tribus jusserunt: *pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare.* Ex hac rogatione senatus decrevit, *ut P. Scipio ex decem legatorum sententia pacem cum populo Carthaginiensi, quibus legibus ei videretur, faceret.* Gratias deinde Patribus egere Carthaginienses, petieruntque, ut sibi in urbem introire, & colloqui cum civibus suis liceret, qui capti in publica custodia essent. esse in iis partim propinquos, amicosque suos, nobiles homines; partim ad quos mandata à propinquis haberent. Quibus conventis quum rursus peterent, ut sibi quos vellent, ex iis redimendi potestas fieret; jussi nomina edere. & quum ducentos ferme ederent, Senatusconsultum factum est, *Ut legati Romani ducentos ex captivis, quos Carthaginienses vellent, ad P. Cornelium Scipionem in Africam deportarent: nunciarentque ei, ut, si pax convenisset, sine pretio eos Carthaginiensibus redderet.* Feciales quum in Africam ad fœdus feriendum ire juberentur; ipsis postulanti-

INTERPRETATIO.

c *Eos quibus fortuna prospera præter solitum favet, insolescere, & nimio exultantes gaudio in amentiam incidere.*

a *Cui datum fuerat imperium in quinquaginta naves.*

NOTÆ.

2. *Cæterorum miserabilior.* Legatorum scilicet Carthaginiensium reliquorum cum Asdrubale missorum.

bus,

Urb. Cond. ann. 552. Coss. Cn. Corn. Lentul. & P. Ælio Pæto.

bus, Senatusconsultum in hæc verba factum: [b] *Ut privos lapides silices, privasque verbenas secum ferrent: uti prætor Romanus his imperaret, ut fœdus ferirent, illi* [1] *prætorem sagmina poscerent*. Herbæ id genus ex arce sumptum dari fecialibus solet. Ita dimissi ab Roma Carthaginienses quum in Africam venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est legibus, pacem fecerunt. Naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt; [2] inter quos Q. Terentius Culleo senator fuit. Naves provectas in altum incendi jussit. quingentas fuisse omnis generis, quæ remis agerentur, quidam tradunt: quarum conspectum repente incendium tam lugubre fuisse Pœnis, quam si ipsa Carthago arderet. De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum: nominis Latini qui erant, securi percussi. Romani in crucem sublati.

XLIV. Annis ante quadraginta pax cum Carthaginiensibus postremo facta erat, Q. Lutatio, A. Manlio consulibus. bellum initum annis post tribus & viginti, P. Cornelio, Ti. Sempronio consulibus. Finitum est, [1] septimo decimo anno, Cn. Cornelio, P. Ælio Pæto consulibus. Sæpe postea ferunt Scipionem dixisse, *Ti. Claudii primum cupiditatem, deinde Cn. Cornelii*, [a] *fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Carthaginis finiret*. Carthaginiensibus quum prima collatio pecuniæ diutino bello exhaustis difficilis videretur, mœstitiaque & fletus in curia esset, ridentem Annibalem ferunt conspectum. cujus quum Asdrubal Hædus risum increparet in publico fletu, quum ipse lachrymarum caussa esset; *Si quemadmodum oris habitus cernitur oculis*, inquit, *sic & animus intus cerni posset, facile vobis appareret, non læti, sed prope amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum esse. qui tamen nequaquam adeo est intempestivus, quam vestræ istæ absurdæ atque* [2] *abhorrentes lachrymæ sunt. Tunc flesse decuit, quum adempta nobis arma, incensæ naves, interdictum externis bellis. illo enim vulnere concidimus*. [3] *Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis.* NULLA MAGNA CIVITAS *diu quiescere potest. si foris hostem non habet, domi invenit. Ut prævalida corpora ab externis caussis tuta videntur, sed suis*

INTERPRETATIO.

b *Unusquisque suum lapidem suamque verbenam.*

a *Impedimento fuisse.*

NOTÆ.

1. *Prætorem sagmina poscerent.*] Vide lib. 1. cap. 24.

2. *Inter quos Q. Terentius Culleo.*] Non ante Scipio Legatos de pace audire voluit, quam Q. Terentius captivus à Carthaginiensibus dimissus esset, teste Plutarcho in apophth.

1. *Septimo decimo anno.*] Sic legitur in veteribus libris omnibus. Correxerat Glar. scripseratque *decimo octavo*: sed Livius, cum dixit bellum finitum esse septimo decimo anno, quàm cœptum est, non annumerat annum primum, atque ita decimum octavum intelligit; & generaliter in ejusmodi loquendi generibus non comprehenditur plerunque alter extremorum annorum: quemadmodum Sigon. notat.

2. *Abhorrentes lachrymæ.*] Nempe à ratione abhorrentes, non congruentes tempori.

3. *Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis.*] Malim, quod suspicatur Glar. *odio vestri*, ut sit, nec putate Ro-

Urb. cond. an. 552. Coss. Cn. Corn. Lentul. & P. Ælio Pæto.

ipsa viribus onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum stimulat. Itaque quum spolia victæ Carthagini detrahebantur, quum inermem jam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit, nunc quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis. Quam vereor, ne propediem sentiatis levissimo in malo vos hodie lachrymasse. Hæc Annibal apud Carthaginienses. Scipio concione advocata, Masinissam, ad regnum paternum Cirtha oppido, & cæteris urbibus agrisque, quæ ex regno Syphacis in populi Romani potestatem venissent, adjectis donavit. Cn. Octavium classem in Siciliam ductam Cn. Cornelio consuli tradere jussit. legatos Carthaginiensium Romam proficisci, ut quæ ab se ex decem legatorum sententia pacta essent, ea Patrum auctoritate populique jussu confirmarentur.

XLV. Pace terra marique parta, exercitu in naves imposito, in Siciliam Lilybæum trajecit. inde magna parte militum in navibus missa, ipse per lætam pace non minus quam victoria Italiam, effusis non urbibus modo ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam pervenit: triumphoque omnium clarissimo urbem est invectus. Argenti tulit in ærarium 1 pondo centum millia viginti tria. militibus ex præda 2 quadragenos æris divisit. Morte subtractus spectaculo magis hominum, quam triumphantis gloriæ, Syphax est; Tibure haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. Conspecta mors tamen ejus fuit, quia publico funere est elatus. Hunc regem in triumpho ductum Polybius, 3 haudquaquam spernendus auctor, tradit. Secutus Scipionem triumphantem est 4 pileo capiti imposito Q. Terentius Culleo: omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. a *Africanum* cognomen militaris prius favor, an popularis aura celebraverit, an sicuti *Felicis* Sullæ, *Magni*que Pompeji patrum memoria, cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus. exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere.

INTERPRETATIO.

a *Utrum militum favor frequenti usu imposuerit* Africani *cognomentum*.

NOTÆ.

manos contra vos ita statuisse odio vestri.

1. *Pondo centum millia viginti tria.*] Nobis, *trois million huit cens vint huit mille livres.*

2. *Quadragenos æris.*] Id est, asses nostrates terme 45.

3. *Haudquaquam spernendus auctor.*] Hoc non vult Livius generaliter intelligi: est enim Polybius auctor non modò non spernendus, sed egregius, & magni momenti; eoque maxime usus ipse Liv. in hoc secundo bello Punico describendo: verùm vult eum in hac re nequaquam spernendum esse, sed potiùs ejus testimonium non levis esse ponderis, utpote qui eodem tempore vixerit, Scipionis ipsius familiaris.

4. *Pileo capiti imposito.*] Pro more libertorum qui redditæ libertatis symbolum accipiebant in manumissione, & pileati funus Patroni comitari solebant.

FINIS LIBRI XXX.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXXI.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

BELLI adversus Philippum Macedoniæ regem quod intermissum erat, repetiti caussæ feruntur hæ. a *Tempore initiorum duo juvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt, & in sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intraverunt. ob hoc, tanquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnanes mortibus suorum commoti, ad vindicandos illos auxilium à Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam,* 1 *quingentesimo quinquagesimo anno ab urbe condita, cum Atheniensium, qui obsidebantur à Philippo, legati auxilium à senatu petissent, & senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gravis erat, dissentiente.* b *tenuit auctoritas Patrum, ut sociæ civitati ferri opem populus juberet. Bellum id P. Sulpicio consuli mandatum est: qui exercitu in Macedoniam ducto, equestribus prœliis cum Philippo prospere pugnavit. Abydeni à Philippo obsessi, ad exemplum Saguntinorum, suos seque occiderunt. L. Furius præ-*

NOTA.

Incipit *Quarta Decas*, in qua describitur præsertim *Bellum Macedonicum*, quo titulo Decas hæc tota laudari à plerisque solet.

INTERPRETATIO.

a *Tempore quo celebrabantur arcana Cereris sacra.*

b *Valuit Senatûs auctoritas.*

NOTÆ.

1. *Quingentesimo quinquagesimo.*] Aliàs perperam legebatur *quingentesimo quadragesimo*. Correxit Sigonius ex Livii calculo. Si tamen Fastos Capitolinos sequamur cum eodem, annus erit *quingentesimus quinquagesimus secundus*.

tor Gallos Insubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum, bellum in ea parte molientem, acie vicit. Amilcar eo bello occisus est, & millia hominum triginta quinque. Præterea expeditiones Philippi regis, & Sulpicii consulis, expugnationesque urbium, ab utroque factas, continet. Sulpicius consul, adjuvantibus rege Attalo, & Rhodiis, bellum gerebat. Triumphavit de Gallis L. Furius prætor.

Urb. cond. an. 552. Coss. Cn. Corn. Lentul. P. Ælio Pæto.

ME [1] quoque juvat, velut ipse in parte laboris ac periculi fuerim, ad finem belli Punici pervenisse. nam etsi profiteri ausum, perscripturum res omneis Romanas, in partibus singulis tanti operis fatigari minime conveniat; tamen quum in mentem venit, [2] tres & sexaginta annos (tot enim sunt à primo Punico ad secundum bellum finitum) æque multa volumina occupasse mihi, quam occuparint quadringenti octoginta octo anni à condita urbe ad Appium Claudium consulem, qui primus bellum Carthaginiensibus intulit; jam provideo animo, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quicquid progredior, in vastiorem me altitudinem, ac velut profundum invehi: & crescere penè opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur. Pacem Punicam bellum Macedonicum excepit periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore: claritate regum antiquorum, vetustaque fama gentis, & magnitudine imperii, quo [3] multa quondam Europæ, majorem partem Asiæ obtinuerant armis, propè nobilius. Cæterum cœptum bellum adversus Philippum decem fermè annis, triennio prius depositum erat, quum Ætoli & belli & pacis fuissent caussa. [4] vacuos deinde pace Punica jam Romanos, & infensos Philippo, [5] quum ob infidam adversus Ætolos, aliosque regionis ejusdem

NOTÆ.

1. *Me quoque juvat.*] Subintelligi debet comparatio cum Romanis, qui tempore belli Punici secundi vixerant: Quasi dicat, quemadmodum illius ætatis civibus jucundum fuit defunctos esse periculis ejus belli, sic mihi quoque ipsi gratum est ejus narrandi labore esse perfunctum.

2. *Tres & sexaginta ann.*] Ab ann. u. c. 489. quo Ap. Claud. Caudex consul cum M. Fulvio Flacco Pœnis bellum primus intulerat, rectè procedit hic numerus.

3. *Multa quondam Europa,*] In Europa, præter Macedoniam, Alexander magnus Græciæ, Thraciæ, Illyrici partem magnam tenuerat: in Asia vero, cum minori Asia, Syriam, & Persicas Provincias ad Indiam usque subegit, & Syriæ Reges Seleucidæ, ad Arsacis Parthi defectionem, retinuerunt: quæ Asiæ Græcis tunc cognitæ major reverà pars erat. Porro *multa Europa* malim, quàm *multam*. Si enim ad *partem* referas *magnam* potiùs dicerem.

4. *Vacuos deinde &c.*] Gall. *Les Romains qui aprés avoir fait la Paix avec les Carthaginois, n'avoient plus d'affaires sur les bras, &c.*

5. *Quum ob infidam.*] Tres adducit caussas, cur infensi Philippo Romani, bellum adversus eum susceperint. 1. non satis accuratè servatam cum Aetolis aliisque sociis Romanorum pacem. 2. Auxilia pecuniamque Pœnis adversus Romanos bellantibus ab eodem missam. 3. imploratam ab Atheniensibus contra illum opem.

socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Annibali, Pœnisque, preces Atheniensium, quos agro pervastato in urbem compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum. Urb. cond. an. 552. Coss. Cn. Corn. Lentul. P. Ælius Pato.

II. Sub idem fere tempus & 1 ab Attalo rege 2 & Rhodiis legati venerunt, nunciantes, Asiæ quoque civitates 3 solicitari. His legationibus responsum est; curæ Asianam rem senatui fore. Consultatio de Macedonico bello integra ad consules 4, qui tunc in prœlio cum Boiis erant, rejecta est. Interim 5 ad Ptolomæum 6 Ægypti regem legati tres missi, C. Claudius Nero, M. Æmilius Lepidus, P. Sempronius Tuditanus: ut annunciarent victum Annibalem Pœnosque, & gratias agerent regi, quod in rebus dubiis, quum finitimi etiam socii Romanos desererent, in fide mansisset: & peterent, ut si coacti injuriis bellum adversus Philippum suscepissent, pristinum animum erga populum Romanum conservaret. Eodem fere tempore P. Ælius consul in Gallia, quum audisset à Boiis ante suum adventum incursiones in agros sociorum factas, duabus a legionibus subitariis tumultus ejus caussa scriptis, additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Oppium præfectum sociûm hac tumultuaria manu 7 per Umbriam (quam 8 tribum Sappiniam vocant) agrum Bojorum invadere jussit. Ipse eodem, aperto itinere, per medios montes duxit. Oppius ingressus hostium fines, primo populationes satis prospere, ac tuto

INTERPRETATIO.

a *Legionibus subitò* ac velut ex tempore, non legitimo delectu, *conscriptis*.

NOTÆ.

1. *Ab Attalo Rege.*] Pergami, sive Asiæ propriæ.

2. *Et Rhodiis.*] Rhodus, insulæ & urbis nomen, in mari Carpathio à litore Cariæ, quæ Asiæ minoris provincia est, viginti millibus passuum, dissitæ. Ea Soli dicata fuit, qui nulla non die ibi se conspiciendum præbere dicitur; ejusque colosso nobilitata septuaginta cubitos alto, qui inter septem orbis miracula numerabatur. hodie Italis *Rodi*, nobis *l'isle de Rhodes*: à Turcis capta, & militibus S. Joannis Hierosolymitani erepta est anno 1522.

3. *Solicitari.*] A Philippo scilicet adversus Romanos.

4. *Qui tunc in prælio cum Boiis erant.*] Probabilis Alberti Rubenii correctio, *qui tunc in provinciis erant*: neque enim consules ambo Bojos provinciam habebant, sed Ælius solus; nec ille ipse prælio cum Boiis dimicavit, sed eorum tantùm agros populatus est, ut ex hoc ipso capite constat.

5. *Ad Ptolomæum.*] Hic *Ptolomæus* inter Ægypti Reges eo nomine quintus, Epiphanes dictus, Philopatore patre mortuo, quinquennis regnare cœpit circa ann. u. c. 549.

6. *Ægypti.*] *Ægyptus* in Africæ Asiæque confinio posita, ab aliis huic, à plerisque illi tribuitur: Nilo & Memphiticis Pyramidibus inclyta: Turcis *Messere*.

7. *Umbriam.*] Veteri Umbriæ, quæ inter Apenninum montem & mare Adriaticum, vicini fuere Boii, ut pote qui Bononiam habitarent.

8. *Tribum Sappiniam.*] Hoc nomen inter triginta quinque Tribus non invenitur. Sed pleræque earum plura habuere nomina, quemadmodum Sigonius, Onuph. aliique observarunt. Hanc à Sepino Samnii urbe Sepiniam crederem appellandam, nisi Livius ipse ad Umbriam referret.

Urb. cond. an. 552. Coss. iisdem.

fecit. Delecto deinde ad 9 castrum Mutilum satis idoneo loco, ad demetenda frumenta (jam enim maturæ erant segetes) profectus, b neque explorato circa, nec stationibus satis firmis, quæ armatæ inermes atque operi intentos tutarentur, positis, improviso impetu Gallorum cum frumentatoribus est circumventus. Inde pavor 10 fugaque etiam armatos cepit. Ad septem millia hominum palata per segetes sunt cæsa: inter quos ipse C. Oppius præfectus. Cæteri in castra metu compulsi, inde sine certo duce consensu militari proxima nocte, relicta magna parte rerum suarum, ad consulem per saltus prope invios pervenere. Qui, nisi quod populatus est Bojorum fines, & cum Ingaunis Liguribus fœdus icit, nihil, quod esset memorabile, aliud in provincia quum gessisset, Romam rediit.

III. Quum primùm senatum habuit, universis postulantibus, ne quàm prius rem quàm de Philippo sociorumque querelis ageret; relatum extemplo est: decrevitque frequens senatus, ut P. Ælius consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret, qui classe accepta, quam ex Sicilia Cn. Octavius reduceret, in Macedoniam trajiceret. M. Valerius Lævinus proprætor missus 1 circa Vibonem duodequadraginta navibus ab Cn. Octavio acceptis in Macedoniam transmisit. Ad quem quum M. Aurelius legatus venisset, edocuissetque eum, quantos exercitus, quantum navium numerum comparasset rex, & quemadmodum circa omnes non continentis modo urbes, sed etiam insulas, partim ipse adeundo, partim per legatos, conciret homines ad arma: majore conatu Romanis id capessendum bellum esse, ne cunctantibus iis auderet Philippus, quod Pyrrhus prius ausus ex aliquanto 2 minore regno esset: hæc eadem scribere Aurelium consulibus & senatui placuit.

IV. Exitu hujus anni a quum de agris veterum militum relatum esset, qui ductu atque auspicio P. Scipionis in Africa bellum perfecissent; decreverunt Patres, ut M. Junius prætor urbis, si ei videretur, decemviros agro Samniti Apuloque, 1 quod ejus publicum populi Roma-

INTERPRETATIO.

b *Cum nec vicina loca explorasset; Orc.*

a *Cùm actum esset de agro veteranis militibus* in præmium bene navatæ operæ assignando.

NOTÆ.

9. *Castrum Mutilum.*] *Mutilum*, sive *Mutila*, oppidulum est in ea Galliæ Cispadanæ parte, quam Æmiliam veteres dixere, & quæ nunc *Romagna*, situm, decem milliaribus à Foro Livii: videtur degenerasse in *Mutiliana* vocabulum: dicitur enim vulgo *Modigliana*, estque in ditione Magni Tusciæ Ducis, in confinio Pontificiæ ditionis.

10. *Armatos cepit.*] *Cepit*, pro *occupavit*, non pro *incepit*. Est enim *pavor* armatos occupavit atque in fugam impulit.

1. *Circa Vibonem.*] Brutiorum oppidum fuit *Vibo Valentia*, quæ & *Hippo* & *Hipponium*, in ora maris Ausonii; unde sinus Vibonensis, nunc *Golfo di Santa Eufemia*: hodieque castrum *Vibona* dicitur, non procul *Monte Leone* in Calabria ulteriore.

2. *Minore regno.*] Epiri nempe, quo majus sine dubio Macedonicum.

1. *Quod ejus publicum.*] Non ut totus ager sive Samnii, sive Apuliæ, veteranis divideretur; sed pars ea tantùm quæ in-

niesset, metiendo dividendoque crearet. Creati P. Servilius, Q. Cæcilius Metellus, C. & M. Servilii (Geminis ambobus cognomen erat) L. & A. Hostilii Catones, P. Villius Tappulus, M. Fulvius Flaccus, P. Ælius Pætus, Q. Flaminius. Per eos dies P. Ælio [2] consulum comitia habente, creati consules P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta. Prætores exinde facti, Q. Minutius Rufus, L. Furius Purpureo, Q. Fulvius Gillo, Cn. Sergius Planeus. Ludi Romani scenici eo anno magnifice apparateque facti ab ædilibus curulibus, L. Valerio Flacco, & L. Quintio Flaminio. Biduum instauratum est: frumentique vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, [3] quaternis æris populo cum summa fide & gratia diviserunt. [4] Et plebeji ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis, L. Apustio Fullone & Q. Minucio Rufo, qui [5] ex ædilitate prætor creatus erat. & Jovis epulum fuit ludorum caussa.

Urb. cond. an. 552. Coss. Cn. Corn. Lent. P. Æl. Pæto.

V. Anno [1] [a] quingentesimo quinquagesimo ab urbe condita, P. Sulpicio Galba, C. Aurelio consulibus, bellum cum rege Philippo initum est; paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum cum eam rem Idibus Martiis, quo die tum consulatus inibatur, P. Sulpicius consul retulit: senatusque decrevit, uti consules majoribus hostiis rem divinam facerent, quibus Diis ipsis videretur, cum precatione ea: *Quam rem senatus populusque Romanus de republica, deque ineundo novo bello in animo haberet; ea res uti populo Romano, sociisque, ac nomini Latino, bene ac feliciter eveniret.* [a] Secundum rem divinam, precationemque, ut de republica, deque provinciis senatum consulerent. Per eos dies opportune irritandis ad bellum animis, & literæ à M. Aurelio legato, & M. Valerio Lævino proprætore allatæ: & Atheniensium nova legatio venit, quæ regem appropinquare finibus suis nunciaret: brevique, non agros modo, sed urbem etiam in ditione ejus futuram, nisi quid in Romanis auxilii foret. Quum pronunciassent consules rem divinam rite perfectam esse, & precationem admisisse Deos, aruspices respondere, lætaque exta fuisse, & prolationem

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

INTERPRETATIO.

[a] *Post sacrificia facta.*

NOTÆ.

colis vacua, aut ob incolarum rebellionem publicata esset.

2. *Consulum comitia habente.*] Quid est quod Gronov. mavult *consule?* non enim, inquit, consularibus modo, sed & aliorum Magistratuum comitiis præfuit Consul: sed hæc eodem tempore fiebant, & qui consulum comitiis præerat, idem Prætorum, ædiliumque comitia habebat.

3. *Quaternis æris.*] Modius itaque assibus quatuor væniit Romanis, hoc est nostratibus ferme totidem ac dimidio: erant enim adhuc, ni fallor, unciales.

4. *Ter toti instaurati.*] An tanquam non ritè acti? an potius ex magnificentia?

5. *Ex ædilitate prætor creatus erat.*] Igitur non initio Magistratûs sui, sed anno desinente solebant Ædiles ludos edere.

1. *Quingentesimo quinquagesimo.*] Omissis tribus consulatibus, differt Livius totidem annis à Fastis Consularibus; quos cum Sigonio sequimur.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

finium, victoriamque, & triumphum portendi; tum literæ Valerii Aurelii que lectæ, & legati Atheniensium auditi. Senatus inde consultum factum est, ut sociis gratiæ agerentur; quod diu solicitati, ne obsidionis quidem metu fide decessissent. De auxilio mittendo tum respondere placere, quum consules provincias sortiti essent: atque is consul, cui Macedonia provincia evenisset, ad populum tulisset, ut Philippo regi Macedonum indiceretur bellum.

VI. P. Sulpicio provincia Macedonia sorte evenit, isque rogationem promulgavit, *Vellent, juberent Philippo regi Macedonibusque, qui sub regno ejus essent, ob injurias, armaque illata sociis populi Romani bellum indici.* alteri consuli Aurelio Italia provincia obtigit. Prætores exinde sortiti sunt, Cn. Sergius Plancus urbanam, Q. Fulvius Gillo Siciliam: Q. Minucius Rufus Brutios, L. Furius Purpureo Galliam. Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata est. id quum fessi diuturnitate & gravitate belli sua sponte homines tædio laborum periculorumque fecerant, tum Q. Bæbius tribunus plebis viam antiquam criminandi Patres ingressus, incusaverat bella ex bellis seri, ne pace unquam frui plebs posset. Ægre eam rem passi Patres, laceratusque probris in senatu tribunus plebis, & consulem pro se quisque hortari, ut de integro comitia rogationi ferendæ ediceret, castigaretque segnitiem populi: atque doceret quanto damno, dedecorique dilatio ea belli futura esset.

VII. Consul in campo Martio comitiis habitis, priusquàm centurias in suffragium mitteret, concione advocata, *Ignorare*, inquit, *videmini mihi, Quirites, non utrùm bellum an pacem habeatis, vos consuli: (neque enim liberum id vobis permittit Philippus, qui terra marique ingens bellum molitur:) sed utrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam accipiatis. Hoc quantum intersit, si unquam ante alias, Punico certe proximo bello experti estis. Quis enim dubitat, quin, si Saguntinis obsessis fidemque nostram implorantibus impigre tulissemus opem, sicut patres nostri Mamertinis tulerant; totum in Hispaniam aversuri bellum fuerimus, quod cunctando cum summa clade nostra* [a] *in Italiam accepimus? Ne illud quidem dubium est, quin hunc ipsum Philippum pactum jam per legatos, literasque cum Annibale in Italiam trajicere, misso cum classe Lævino, qui ultro ei bellum inferret, in Macedonia continuerimus. & quod tunc fecimus, quum hostem Annibalem in Italia haberemus, id nunc pulso Italia Annibale, devictis Carthaginiensibus, cunctamur facere?* [b] *Patiamur expugnandis Athenis, sicut Saguntо expugnando Annibalem passi sumus, segnitiem nostram experiri regem. Non quinto inde mense, quemadmodum*

INTERPRETATIO.

a *Quasi advocavimus in Italiam.*

b *Patiamur ut Philippus, expugnando Athenas, experimentum faciat ignaviæ nostræ, quemadmodum passi sumus ut Hannibal, eam experiretur, expugnando Saguntum.*

ab

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

ab Sagunto Annibal, sed quinto inde die, quam 1 ab Corintho solverit naves, in Italiam perveniet. Ne aquaveritis Annibali Philippum, ne Carthaginiensibus Macedonas; Pyrrho certe aquabitis. dico quantum 2 vel vir viro, vel gens genti praestat. Minima accessio semper Epirus regno Macedoniae fuit, & hodie est. Peloponnesum totam in ditione Philippus habet, Argosque ipsos; non vetere fama magis, quam 3 morte Pyrrhi nobilitatos. 4 Nostra nunc compara. quanto magis florentem Italiam, quanto magis integras res, salvis ducibus, salvis tot exercitibus, quos Punicum postea bellum absumpsit, aggressus Pyrrhus, tamen concussit, & victor prope ad ipsam urbem Romam venit! Nec Tarentini modo, oraque illa Italiae, quam majorem Graeciam vocant, [c] ut linguam, ut nomen secutos crederes; sed Lucanus, & Bruttius, & Samnis, à nobis defecerunt. [d] Haec vos, si Philippus in Italiam transmiserit, quietura aut mansura in fide creditis? 5 Manserunt enim Punico postea bello. nunquam isti populi, nisi quum deerit ad quem desciscant, à nobis non deficient. Si piguisset vos in Africam trajicere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginienses hostes haberetis. Macedonia potius, quam Italia, bellum habeat. hostium urbes agrique ferro atque igni vastentur. Experti jam sumus foris nobis quam domi feliciora potentioraque arma esse. Ite in suffragium bene juvantibus Diis: & quae Patres censuerunt, vos jubete. Hujus vobis sententiae non consul modo auctor est, sed etiam Dii immortales, qui mihi sacrificanti precantique ut hoc bellum mihi, senatui, vobisque & sociis ac nomini Latino, classibus exercitibusque nostris bene ac feliciter eveniret; laeta omnia prosperaque portendêre.

VIII. [a] Ab hac oratione in suffragium missi, 1 uti rogarat, bellum jusserunt. Supplicatio inde à consulibus in triduum ex Senatusconsulto indi-

INTERPRETATIO.

c *De quibus Tarentinis & magnae Graecia incolis credi posset, eos Pyrrho, Graeco homini adhaesisse, quòd eâdem lingua uterentur, & quòd Graeci nomen praeferret.*

d *Hos populos.*

a *Cum post hanc orationem, rogata essent populi suffragia; omnes juxta id quod rogaverat Consul, censuerunt bellum gerendum adversus Philippum.*

NOTAE.

1. *Ab Corintho.*] In Macedonum potestate tunc erat Corinthus, licèt procul à Macedonia.

2. *Vel vir viro.*] Philippum extollit supra Pyrrhum, & Macedonas supra Epirotas, ut causae susceptae faveat. Caeterùm regum uterque bellator fuit, & pauci, opinor, Philippum anteponent, cognitis & pensatis utriusque gestis; Macedonum quidem majus ac plurimùm fuit nomen, nec tamen Epirus accessio Macedoniae fuit, licèt minor potentiâ gloriâque.

3. *Morte Pyrrhi nobilitatos.*] Quâ ratione Argis perierit Pyrrhus, diximus suprà ad lib. 29. cap. 12.

4. *Nostra nunc compara.*] Non video cur contextus iste orationis pluralem numerum flagitet, scribendumque sit, *nostra nunc comparat*, ut Gronovio videtur. Etenim fatetur ipse nihil usitatius, quàm ut plures alloquendo, tamen quasi ad unum verba dirigamus: ut vel statim hac ipsâ oratione dicitur *sequutos crederes*, pro credere possetis.

5. *Manserunt enim Punico posteà bello.*] Haec ironicè dicta; nam verè defecerunt hae gentes ad Poenos.

1. *Uti rogarat.*] Formula approbandi legis fuit, *uti rogas*; sive, postquam suf-

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

cta est, obsecratique circa omnia pulvinaria Dii, quod bellum cum Philippo populus jussisset, id bene ac feliciter eveniret. b consultique feciales ab consule Sulpicio, bellum quod indiceretur regi Philippo, utrum ipsi utique nunciari juberent, an satis esset, in finibus regni, quod proximum præsidium esset, eo nunciari; feciales decreverunt, utrum eorum fecisset, recte factum. Consuli à Patribus permissum, ut quem videretur ex iis, 2 qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum. Tum de exercitibus consulum prætorumque actum. consules binas legiones scribere jussi: 3 veteres dimittere exercitus. Sulpicio, cui novum ac magni nominis bellum decretum erat, permissum, ut de exercitu, quem P. Scipio ex Africa deportasset, voluntarios, quos posset, duceret: invitum ne quem militem veterem ducendi jus esset. Prætoribus L. Furio Purpureoni, & Q. Minucio Rufo quina millia sociûm Latini nominis consul daret: quibus præsidiis alter Galliam, alter Brutios provinciam obtineret. Q. Fulvius Gillo & ipse jussus, ex eo exercitu, quem P. Ælius consul habuisset, c ut quisque minime multa stipendia haberet, legere, donec & ipse quinque millia sociûm ac nominis Latinis effecisset: id præsidio Siciliæ provinciæ esset. M. Valerio Faltoni, qui prætor priore anno Campaniam provinciam habuerat, prorogatum in annum imperium est, uti proprætor in Sardiniam trajiceret, atque de exercitu, qui ibi esset, quinque millia sociûm nominis Latini, qui eorum minime multa stipendia haberet, legeret. Et consules duas urbanas legiones scribere jussi: quæ, si quo res posceret, multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate, iraque inde tumentibus, mitterentur. Sex legionibus Romanis eo anno usura respublica erat.

IX. In ipso apparatu belli legati ab rege Ptolomæo venerunt, qui nun-

INTERPRETATIO.

b Feciales interrogati an sufficeret bellum denunciari in eo Macedonum *præsidio, quod proximum esset* finibus Romanorum, *responderunt fore ut* utrovis modo ritè à Consule *denunciaretur*: sive ipsi Philippo juberet bellum indici, sive significari ad præsidium ejus proximum.

c *Prout unusquisque eorum minori tempore* quàm alii ejusdem exercitûs, *militasset*.

NOTÆ.

fragia per tabellas ferri cœperunt, literæ duæ U. R. sed quanquàm unusquisque legem admittentium eâ formulâ uteretur, non ideo sequitur, ut Sigonius putavit, à Livio, aliisque auctoribus ea de re agentibus, hanc formulam exprimi: itaque prout narratio exigit, ita ajunt, *uti rogarat*, *uti rogassent*, quemadmodùm rectè advertit Gronov.

2. *Qui extra Senatum esset.*] Fecialem, scilicet, qui non esset è numero Senatorum vel Magistratuum.

3. *Veteres dimittere exercitus.*] Num potiùs *veteres dimittere ab exercitibus*? quid enim ad tantum bellum duæ legiones si exercitus dimittantur qui anteà comparati erant? nisi *exercituum* nomine intelligas partem exercituum, *Veteranos* nempe, qui in unoquoque exercitu. Certe legionibus 6. usa est hoc anno Respublica.

ciarunt, *Athenienses adversus Philippum petisse ab rege auxilium. cæterum etsi communes socii sint, tamen nisi ex auctoritate populi Romani, neque classem neque exercitum defendendi aut oppugnandi cujusquam caussa regem in Græciam missurum esse. Vel quieturum eum in regno, si populo Romano socios defendere liceat; vel Romanos quiescere, si malint, passurum, atque ipsum auxilia, quæ facile adversus Philippum tueri Athenas possent, missurum*. Gratiæ regi ab senatu actæ, responsumque; *Tutari socios populo Romano in animo esse: si qua re ad id bellum opus sit, indicaturos regi. regnique ejus opes scire subsidia firma ac fidelia suæ reipublicæ esse*. Munera deinde legatis in singulos 1 quinûm millium æris ex Senatusconsulto missa. Quum delectum consules haberent pararentque quæ ad bellum opus essent; civitas religiosa, in principiis maxime novorum bellorum, supplicationibus habitis jam, & obsecratione circa omnia pulvinaria facta: ne quid prætermitteretur, quod aliquando factum esset; ludos Jovi donumque vovere consulem, cui provincia Macedonia evenisset, jussit. Moram voto publico Licinius pontifex maximus attulit, qui negavit ex incerta pecunia vovere debere. 2 *Si ea pecunia non posset in bellum usui esse; reponi statim debere, nec cum alia pecunia misceri. quod nisi factum esset, votum rite solvi non posse*. Quanquam & res, & auctor movebat; tamen ad collegium pontificum referre consul jussus, a si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi. posse, rectiusque etiam esse, pontifices decreverunt. Vovit in eadem verba consul, præeunte maximo pontifice, quibus antea quinquennalia vota suscipi solita erant: præterquam quod tanta pecunia, quantam tum, quum solveretur, senatus censuisset, ludos, donaque facturum vovit. Toties ante ludi magni de certa pecunia voti erant: 3 ii primi de incerta.

Urb. Cond. a.n 553. Coss. P. Sulpicio C. Aurelio.

X. Omnium animis in bellum Macedonicum versis, repente nihil minus eo tempore timentibus, Gallici tumultus fama exorta est. Insubres, Cenomanique, & Boii, excitis 1 Statiellis Iriatibusque, & cæteris Ligustinis populis, Amilcare Pœno duce, qui in iis locis de Asdrubalis exercitu substiterat, Placentiam invaserant: & direpta urbe, ac per iram magna

INTERPRETATIO.

a *An posset*.

NOTÆ.

1. *Quinum millium æris.*] Si asses unciales dicamus, æstimari poterunt libris fermè 258. Francicis.

2. *Si ea pecunia in bellum usui esse non posset.*] τὸ *si*, non ex hypothesi dicitur, ita ut velit, si pecunia illa quæ voveretur ad ludos, non deberet in belli usus impendi, eam reponendam esse seorsim ab aliis quavis pecunia: sed illud *si*, accipiendum est affirmatè atque asseveranter pro, *siquidem quandoquidem*.

3. *Ii primi de incerta.*] Primum hoc votum ludorum ita conceptum est, ut in sumptus eorum nulla certa summa taxata fuerit, veluti decem millium; sed sub incerta quantitate, veluti quantam tunc Senatus jussisset cùm voti compos factus esset populus Romanus.

1. *Statiellis Iriatibusque.*] Legitur vulgò *Sallyis, Ilvatibusque*: sed neutri Li-

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, trajecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt. Vicinæ urbis audita clades, spatium colonis dedit ad claudendas portas, præsidiaque per muros disponenda. 2 ut obsiderentur tamen prius quam expugnarentur: nunciosque mitterent 3 ad Prætorem Romanum. L. Furius Purpureo, qui tum provinciæ præerat, cætero ex Senatusconsulto exercitu dimisso, præter quinque millia sociûm ac Latini nominis, cum iis copiis in proxima regione provinciæ 4 circa Ariminum substiterat. is tum senatui scripsit, quo in tumultu provincia esset. *Duarum coloniarum, quæ ingentem illam tempestatem Punici belli subterfugissent, alteram captam ac direptam ab hostibus, alteram oppugnari. Nec in exercitu suo satis præsidii colonis laborantibus fore, nisi quinque millia sociûm quadraginta millibus hostium (tot enim in armis esse) trucidanda objicere velit, & tanta sua clade, jam inflatos excidio coloniæ Romanæ, augere hostium animos.*

XI. His literis recitatis decreverunt, ut C. Aurelius consul exercitum, cui in Etruriam ad conveniendum diem edixerat, Arimini eadem die adesse juberet; & aut ipse, si per commodum reipublicæ posset, ad opprimendum Gallicum tumultum proficisceretur; aut L. Furio prætori scriberet, ut quum ad eum legiones ex Etruria venissent, missis in vicem earum quinque millibus sociorum, qui interim Etruriæ præsidio essent, proficisceretur ipse ad coloniam liberandam obsidione. Legatos item mittendos in Africam censuerunt, eosdem Carthaginem, eosdem in Numidiam ad Masanissam. Carthaginem, ut nunciarent, *civem eorum Amilcarem relictum in Gallia, haud satis scire ex Asdrubalis prius, an ex Magonis postea exercitu, bellum contra fœdus facere. Exercitus Gallorum, Ligurumque excivisse ad arma contra populum Romanum. eum si pax placeret, revo-*

NOTÆ.

gustici propriè generis erant. *Sallyi* quidem, sive *Salyes*, Liguribus ad occasum finitimi, & aliquando Gallo Liguribus annumerati, sed proprie in Gallia, & Provincia quæ post Narbonensis dicta. Eorum caput *Aquæ Sextiæ* vulgò *Aix en Provence:* verum longiùs à Gallis Cispadanis, de quibus hic agitur, dissiti: *Ilvates* autem dici possunt incolæ Insulæ Tyrrheni maris, *Ilva:* sed neque illi huc pertinerent. Legendum itaque *Statiellis*, quorum civitas *Aquæ Statiellorum*, nunc vulgò *Acqui*, in Ducatu Montis Ferrati: *Iriatibusque* sic dictis ab *Iria* oppido; cujus meminere in hoc tractu Plinius, Ptolemæus, atque Itineraria: nunc *Voghera* in Mediolanensi Ducatu, decimo ferme milliari à Dertona. Hæc sane oppida duo inter nobilia Ligurum numerantur à Plinio: quanquam *Iriam* & Dertonam Ptolemæus perperam Taurinis tribuat.

2. *Ut obsiderentur tamen.*] Subintellige, *ut*, si quidem expugnandi essent, tamen necesse esset eos prius obsideri: vel illud, *tamen*, accipietur hoc loco pro *saltem*, ut saltem obsiderentur, nec primo impetu caperentur; atque ut possent mittere legatos ad petendum auxilium.

3. *Ad Prætorem Romanum.*] Ita sanè legendum cum Sigonio, non ut vulgò *ad populum Romanum:* neque enim Romam miserunt, sed ad Furium Purpureonem, qui Provinciæ Galliæ præerat, ut mox subjicitur.

4. *Circa Ariminum.*] In confinio nimium Galliæ Cisalpinæ.

candum illis, & dedendum populo Romano esse: simul nunciare jussi, *perfugas sibi non omnes redditos esse. magnam partem eorum palam Carthagini obversari dici: quos comprehendi conquirique debere, ut ex fœdere restituantur*. Hæc ad Carthaginienses mandata. Masinissæ *gratulari jussi, quod non patrium modo recuperasset regnum, sed parte florentissima Syphacis finium adjecta etiam auxisset*. nunciare præterea jussi, *bellum cum rege Philippo susceptum, quod Carthaginienses auxiliis juvisset, injuriasque inferendo sociis populi Romani, flagrante bello Italiâ, coegisset classes exercitusque in Græciam mitti; & distinendo copias, caussa inprimis fuisset serius in Africam trajiciendi. Petere, ut ad id bellum mitteret auxilia Numidarum equitum*. Dona ampla data, quæ ferrent regi, vasa aurea argenteaque, toga purpurea, & palmata tunica, cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sella: jussique polliceri, [1] si quid ei ad firmandum augendumque regnum opus esse judicasset, enixe id populum Romanum merito ejus præstaturum. Verminæ quoque Syphacis filii legati per eos dies senatum adierunt; excusantes *errorem adolescentiamque, & culpam omnem* [2] *in fraudem Carthaginiensium avertentes. Et Masinissam Romanis ex hoste amicum factum: Verminam quoque annixurum, ne officiis in populum Romanum aut à Masinissa, aut ab ullo alio vincatur. Petere ut Rex, sociusque, & amicus ab senatu appellaretur*. Responsum legatis est: *& patrem ejus Syphacem sine caussa ex socio & amico hostem repente populi Romani factum: & eum ipsum rudimentum adolescentiæ bello lacessentem Romanos posuisse. Itaque pacem illi prius petendam à populo Romano esse, quam ut Rex sociusque, & amicus appelletur. Nominis ejus honorem pro magnis erga se Regum meritis dare populum Romanum consuesse. Legatos Romanos in Africa fore: quibus mandaturum senatum, ut Verminæ pacis dent leges: liberum arbitrium eis populo Romano permittente. Si quid ad eas addi, demi, mutarive vellet, rursus ab senatu ei postulandum fore*. Legati [3] cum iis mandatis in Africam missi, C. Terentius Varro, P. Lucretius, Cn. Octavius. quinqueremes singulis datæ.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

XII. Literæ deinde in senatu recitatæ sunt Q. Minucii prætoris, cui Brutii provincia erat; Pecuniam Locris ex Proserpinæ thesauris nocte clam sublatam: nec ad quos pertineat facinus, vestigia ulla extare. Indigne passus Senatus, [1] non cessari ab sacrilegiis: & ne Pleminium quidem tam clarum recensque noxæ simul ac pœnæ exemplum,

NOTÆ.

1. *Si quid ei ad firmandum.*] Putat Gronov. rescribendum, *Si quid sibi opus esse*, &c. ut intelligatur *ipsi Masinissæ*. Verùm, *sibi, ei*, eundem sensu non raro similitur.

2. *In fraudem Carthaginiensium.*] *Fraudem*, intellige active, quia scilicet Carthaginienses Verminam decepissent.

3. *Cum iis mandatis.*] Quæ nempe suprà ad Carthaginienses, atque ad Masinissam ferenda dixit: neque enim ad Verminam missi hi legati, quasi ab eo quid postulaturi, sed pacem petenti, dicturi leges.

1. *Non cessari ab sacrilegiis.*] Vide supra lib. 29. cap. 8. 18. 20. & 21. de Pyrrho, Asdrubale, Pleminio.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio.

hominés deterrere. Cn. Aurelio consuli negotium datum, ut ad prætorem in Brutios scriberet: senatui placere, quæstionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius prætor triennio ante habuisset. Quæ inventa pecunia esset, reponi. a si quo minus inventum foret, 2 expleri: ac piacularia, si videretur, sicut ante pontifices censuissent, fieri causa expiandæ violationis ejus templi. Prodigia etiam sub idem tempus pluribus locis nunciata acciderunt. In Lucanis cœlum arsisse afferebant. Priverni 3 sereno, per diem totum, rubrum solem fuisse. Lanuvii templo Sospitæ Junonis nocte strepitum ingentem exortum. Jam animalium obscœni fœtus pluribus locis nunciabantur. in Sabinis incertus infans natus, masculus an fœmina esset. alter sexdecim jam annorum item ambiguo sexu inventus. Frusinone agnus cum suillo capite, Sinuessæ porcus cum capite humano natus: in Lucanis in agro publico equuleus cum quinque pedibus. Fœda omnia & deformia; errantisque in alienos fœtus naturæ visa. Ante omnia 4 abominati semimares, jussique in mare extemplo deportari: sicut proxime C. Claudio, M. Livio consulibus deportatus similis prodigii fœtus erat. Nihilo minus decemviros adire libros de portento eo jusserunt. Decemviri ex libris res divinas easdem, quæ proxime secundum id prodigium factæ essent, imperarunt. carmen præterea ab ter novenis virginibus cani per urbem jusserunt, donumque Junoni reginæ ferri. Ea uti fierent, C. Aurelius consul ex decemvirorum responso curavit. Carmen sicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.

XIII. Expiatis omnibus religionibus (nam etiam Locris sacrilegium pervestigatum à Q. Minutio erat, pecuniaque ex bonis noxiorum in thesauros reposita) quum consules in provincias proficisci vellent; privati frequentes, quibus ex pecunia, quam M. Valerio & M. Claudio consulibus mutuam dederant, 1 tertia pensio debebatur eo anno, adierunt senatum: quia consules, quum ad novum bellum, quod magna classe magnisque exercitibus gerendum esset, vix ærarium sufficeret, negaverant esse, unde iis in præsentia solveretur. a Senatus querentes eos non sustinuit, *Si in Punicum bellum pecuniâ datâ, in Macedonicum*,

INTERPRETATIO.

a *Si minus pecunia inveniretur* quàm antea fuisset, *quantò minus esset inventum, tantum suppleri.*

a *Non potuit Senatus eorum questibus resistere, cùm dicerent ita secum agi quasi peccassent mutuam in publicos usus dando pecuniam.*

NOTÆ.

2. *Expleri.*] Ex bonis, scilicet reorum, ut infra. Quid si hæc non sufficerent? tunc quod deesset, id ex ærario, reditibusve publicis, opinor, reficiendum fuisset.

3. *Sereno.*] Intellige, *cælo*, sive *tempore*.

4. *Abominati semimares.*] Passivè sumitur τὸ *abominati*, ut apud Horat. *Parentibusque abominatus Annibal.*

1. *Tertia pensio debebatur.*] Cum privati non pauci sublevandæ ærarii inopiæ pe-

quoque bellum uti respublica vellet aliis ex aliis orientibus bellis; quid aliud quam [a] *publicatam pro beneficio tanquam ob noxam suam pecuniam fore?* Quum & privati equum postularent, nec tamen solvendo ære alieno respublica esset, quod medium inter æquum & utile erat, decreverunt, *Ut, quoniam magna pars eorum agros vulgo venales esse diceret, & sibimet emptis opus esse; agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret. Consules agrum æstimaturos, & in jugera* 3 *asses vectigales,* [b] *testandi caussa publicum agrum esse, imposituros: ut si quis, quum solvere posset populus, pecuniam habere, quam agrum mallet, restitueret agrum populo.* Læti eam conditionem privati accepere. 4 Trientius, Tabuliusque is ager, quia pro tertia parte pecuniæ datus erat, appellatus.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpitio, C. Aurelio.

XIV. Tum P. Sulpicius, secundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus ab urbe, Brundusium venit, & veteribus militibus voluntariis ex Africano exercitu in legiones descriptis, navibusque ex classe consulis Cornelii lectis; altera die, quam à Brundusio solvit, in Macedoniam trajecit. Ibi ei præsto fuere Atheniensium legati, orantes, ut se obsidione eximeret. Missus extemplo Athenas est C. Claudius Cento cum viginti longis navibus, & militum copiis. neque enim ipse rex Athenas obsidebat. eo maxime tempore 1 Abydum oppugnabat, jam cum Rhodiis & Attalo navalibus certaminibus,

INTERPRETATIO.

b *Ut ex testificatione constaret, &c.*

NOTÆ.

cuniam nono secundi belli Punici anno contulissent, uti lib. 26. cap. 36. vidimus, sexto inde anno placuerat ut ea pecunia tribus pensionibus solveretur, *à trois termes:* quarum primam repræsentarent ejus anni Consules, secundam tertii, tertiam quinti ab eodem anno consules; secundæ pensionis solutione dilatâ in huncusque annum, quo jam debebatur tertia, non immeritò querebantur creditores. Initur idcirco via, quâ ipsis satisfiat, assignatâ cuique agri publici parte justo pretio æstimatâ, *loco pecuniæ debitæ.*

2. *Publicatam pro beneficio.*] Sic ex codicibus quibusdam Gronov. eleganter sanè: invidiosè enim creditores pecuniam suam populo sine usuris creditam, cum sua die non redderetur, publicatam ajunt: non quod reverà decreto sive auctoritate aliquâ in publicum redacta fuisset; sed quòd, cùm nunquam ad ipsos reditura videretur, perinde erat, quantùm ad illius usum, àc si esset publicata: *pro beneficio* autem dicitur, ut ostendant creditores beneficium suum damnosum sibi fieri, seu nimium dilatâ solutione, contingere ut sibi loco officii exhibiti velut pœna rependatur.

3. *Asses vectigales.*] Hæc jam tum rudimenta emphyteuseos. Canonis enim seu pensionis annuæ nomine as unus in singula jugera indicitur.

4. *Trientius Tabuliusque.*] Non malè confecta hæc nomina, quod pro *triente*, sive tertia pensione ejus quod *tabulis* publicis debebatur, datus erat: neque erat quòd Sigon. ac Turnebus sese fatigarent, ille legendo *Tributusque*, hic *Tributiusque:* cùm non tributo imposito, sed constituto vectigali annuo, hi agri dati fuissent.

1. *Abydum oppugnabat.*] Asiæ minoris oppidum ad Hellespontum fuit *Abydos*, opposito in Thracia Sesto, respondens: quæ loca Leandri & Heronis amoribus

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, C. Aurelio,

2 neutro feliciter prælio, vires expertus. sed animos ei faciebat præter ferociam insitam, fœdus ictum cum 3 Antiocho Syriæ rege, divisæque jam cum eo Ægypti opes; cui morte audita Ptolemæi regis, ambo imminebant. Contraxerant autem sibi cum Philippo bellum Athenienses haudquaquam digna caussa: dum ex vetere fortuna nihil præter animos servant. Acarnanes duo juvenes 4 per initiorum dies, non initiati, templum Cereris, imprudentes religionis, cum cætera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit, absurde quædam percunctantes: deductique ad antistites templi, quum palam esset per errorem ingressos; 5 tanquam ob infandum scelus interfecti sunt. Id tam fœde atque hostiliter factum gens Acarnanum ad Philippum detulit: impetravitque ab eo, ut datis Macedonum auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur. Hic exercitus primò terram Atticam ferro ignique depopulatus, cum omnis generis præda in Acarnaniam rediit: & irritatio animorum ea prima fuit. postea justum bellum decretis 6 civitatis ultro indicendo factum. Attalus enim rex Rhodiique secuti cedentem in Macedoniam Philippum, quum Æginam venissent; 7 rex Pyreæum, renovandæ firmandæque cum Atheniensibus societatis caussa, trajecit. Civitas omnis obviam effusa cum conjugibus ac liberis, sacerdotes cum insignibus suis, intrantes in urbem, ac Dii prope ipsi exciti sedibus suis, exceperunt.

XV. 1 In concionem extemplo populus vocatus, ut rex, quæ vel-

N O T Æ.

clara, adhuc nomen retinet. Oppidum *Avido* dicitur, uni è castellis quæ *Dardanella* vocantur, vicinum.

2. *Neutro feliciter prælio vires expertus.*] Nempe Philippus, bis victus à Rhodiis, atque ab Attalo.

3. *Antiocho Syriæ rege.*] Hic *Antiochus magnus*, inter cæteros Syriæ reges dictus, Seleucidarum eo nomine sextus, non modò in Syria, sed & in minoris Asiæ parte, ac trans Euphratem regnavit.

4. *Per initiorum dies.*] Dicuntur *initia* pro mysteriis & arcanis, quibus homines primarii à Cereris sacerdotibus initiabantur. In his solemniis erat ardentium tædarum jactatio à currentibus, & facem sibi mutuo tradentibus, ac silentium: unde apud Senecam Tragicum in Hippolyto, *jactare tacitis conscias sacris faces:* ideo Callias Cereris sacerdos δᾳδοῦχος appellatur à Plutarcho in Aristide, id est, *tædægestator:* qui quidem facis usus non solùm in annua sacrorum celebratione, sed in omnium sacerdotum initiationibus locum habebat, teste Heliodoro lib. 9. His Cereris sacris initiatus Athenis posteà fuit Augustus. Per eos itaque dies, quibus festum Cereris celebrabatur, cum ignorarent fortè ad ea sacra non admitti nisi initiatos, aut non initiatis capitis pœnam irrogandam, inito Templo piaculum contraxerant, & malam rem sibi accersiverant Acarnanes hi duo.

5. *Tanquam ob infandum scelus.*] Pro ingenti sacrilegio habebatur Cereris, Proserpinæ, aut Bacchi sacra adiisse quibus quis initiatus non esset: ut ejus criminis rei post mortem apud inferos in luto volutari crederentur. Consulendus Meursius Eleusinior. cap. 18. in Græcia feriata.

6. *Civitatis.*] Atheniensium scilicet.

7. *Rex Pireæum.*] Regem intellige Attalum: Piræeus autem Athenarum portus ex tribus præcipuus: nunc *Portolione*.

1. *In concionem.*] Apud Athenienses *Concio* Ἐκκλησία vocabatur; at Christianis

let,

let, coram ageret: deinde ex dignitate magis visum, scribere eum, de quibus videretur, quam præsentem aut referendis suis in civitatem beneficiis erubescere, 2 aut significationibus acclamationibusque multitudinis assentatione immodica pudorem onerantis. in literis autem, quæ missæ in concionem recitatæ sunt, commemoratio erat beneficiorum primùm in civitatem sociam: deinde rerum, quas adversus Philippum gessisset: ad postremum adhortatio; 3 Capessendum bellum, dum se, dum Rhodios, tum quidem, dum etiam Romanos haberent. Nequicquam postea, si tum cessassent, prætermissam occasionem quæsituros. Rhodii deinde legati auditi sunt: quorum recens erat beneficium, quod naves longas quatuor Atheniensium, captas nuper à Macedonibus, recuperatasque remiserant. itaque ingenti consensu bellum adversus Philippum decretum. Honores regi primùm Attalo immodici, deinde & Rhodiis habiti: tum primum mentio illata de tribu quam Attalida appellarent, 4 ad decem veteres tribus addenda: & Rhodiorum populus corona aurea virtutis gratia donatus, civitasque Rhodiis data, quemadmodum Rhodii prius Atheniensibus dederant. Secundum hæc rex Attalus Æginam ad classem se recepit. Rhodii 5 Ciam ab Ægina, inde, 6 per insulas, Rhodum navigarunt, omnibus, præter 7 Andrum 8 Parumque & 9 Cythnum, quæ præsidiis Macedonum tenebantur, in societatem acceptis. Attalum Æginæ missi in Ætoliam nuncii, exspectatique inde legati aliquandiu nihil agentem tenuere: & neque illos excire ad arma potuit, gaudentes utcumque composita cum Philippo pace: & ipse, Rhodiique, si institissent tunc Philippo, egregium liberatæ per se Græciæ ti-

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

N O T Æ.

Ecclesia nomen pro conventu fidelium dicitur.

2. *Aut significationibus.*] Repete, *erubescere*.

3. *Capessendi bellum*.] Aliàs *capessendum*.

4. *Ad decem veteres tribus*.] Divisa erat Attica in Tribus, quibus nomen initio inditum ab oppidis vicisve præcipuis, quas privati nomini quisque suo in instrumentis addebant. Et initio quatuor Atheniensium fuere Tribus, sive populi partes. Clisthenes, pulsis Pisistratidis, cùm alia multa, tum veterum Tribuum numerum & nomina mutavit, ut scribit Herodotus. Nam decem fecit, & à totidem heroibus nominavit, ut Cecropida à Cecrope primo rege, &c. eas recenset Demosthenes in funebri Atheniensium laudatione. Nunc in honorem Attali, id est, de ejus nomine *Attalida* indigitandam Tribum unam censebant.

5. *Rhodii Ciam.*] Non magna fuit insula *Cia*, sive *Cea*, in Myrtoo mari, opposita EubϾ, itemque Sunio Atticæ Promontorio, interjacente minore insulâ, cui nomen Helena: hodie *Zia*, sub Turcarum dominio, ut & sequentes.

6. *Inde per insulas*.] Maris scilicet Ægei, quæ Cyclades vocantur.

7. *Andrum.*] *Andrus*, sive *Andros* insula triginta millibus distat à Cea, ad ortum EubϾ, è regione Carysti, hodie *Andro*.

8. *Parum*.] Insula exigua est Ægæi maris *Paros*, Naxo proxima, quæ illi ad ortum æstivum: hodie *Paris*.

9. *Et Cythnum*.] Superioribus major non est insula *Cythnus*, inter Ciam & Paron sita, ad Septentrionem Seriphi: adhuc hodie *Cythno*, teste Sophiano.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

tulum habere potuissent; patiendo rursus eum [10] in Hellespontum trajicere, occupantemque [11] Græciæ opportuna loca vires colligere, bellum aluere; gloriamque ejus gesti perfectique, Romanis concesserunt.

XVI. Philippus [1] magis regio animo est usus: qui quum Attalum Rhodiosque hostes non sustinuisset, ne Romano quidem, quod imminebat, bello territus, Philocle quodam ex præfectis suis cum duobus millibus peditum, equitibus ducentis ad populandos Atheniensium agros misso, classe tradita Heraclidi, ut [2] Maroneam peteret; ipse terra eodem cum expeditis duobus millibus peditum, equitibus ducentis pergit. Et Maroneam quidem primo impetu expugnavit: [3] Ænum inde cum magno labore, postremò proditione Ganymedis præfecti Ptolemæi cepit. deinceps alia castella, [4] Cypsela, & [5] Doriscon, [6] & Serrheum, occupat. inde progressus [7] ad Chersonesum, [8] Elæunta, [9] & Alopeconnesum,

N O T Æ.

10. *In Hellespontum.*] *Hellespontus* propriè fretum significat inter Sestum & Abydum, quo Asia ab Europa dirimitur, & mare Ægæum cum Propontide continuatur; sic dictum ab Helle Phryxi sorore, quæ ibi submersa memoratur: nunc vulgo nautis nostris, *le destroit de Gallipoli*, aut *le bras de S. George*: sed posterioribus temporibus tractum est illud nomen ad vicinam in Asia regionem, quæ a Sigæo prom. ad Lampsacum ex adverso Callipolis Thracicæ Chersonesi oppidi, inde secundùm oram Propontidis Cyzicum usque protenditur; olim *Phrygia minor*, & *Troas*.

11. *Græciæ opportuna loca.*] Notat Gronov. *Thraciæ* legendum: nam quæ statim nominantur oppida Thraciæ sunt, *Maronea* nempe, *Ænus*, &c. sed quidni de possessis antea à Philippo Græciæ urbibus, & per cessationem Attali, ac Rhodiorum, retentis intelligatur hic locus? *occupandi* sanè verbum non *minus detinere* significat, quàm *invadere*.

1. *Magis regio animo.*] Generosiùs scilicet quam Attalus & Rhodii.

2. *Maroneam peteret.*] Thraciæ urbs est *Maronea* seu *Maronia*, Homero *Ismaros*, inter Abderam & Ænum, ad oram maris Ægæi, Ciconum olim urbs, hodie *Marogna*.

3. *Ænum deinde.*] Thraciæ quoque oppidum ad Hebri ostia, ab Ænea profugo conditum, nunc *Eno*: Turcis *Igno*.

4. *Cypsela.*] Vel *Cypsella*, in ea parte Thraciæ, quam olim *Sapaciam*, deinde *Europam* dixere; hodie *Ipsala* Leunclavio, *Chapsilar* Bellonio, ultra Hebrum, inter Doriscum & Apros.

5. *Et Doriscon.*] *Doriscum* oppidum quoque Thraciæ fuit ad Hebrum fluvium, supra Ænum: unde præfectura Drosica dicta; ibi campus sive locus *Doriscus*, decem millium hominum capax, ubi Xerxem copias suas, quia numero non poterat, spatio mensum esse ferunt, testibus Melâ & Plinio. Nicolaus Sanso hoc oppidum idem facit cum *Dyme* Ptolemæi.

6. *Et Serrheum.*] Huic urbi nomen postea *Serrha*, inter Maroneam & Ænum, ad Promontorium ejusdem nominis, contra Samothraciam insulam: nomen retinet ferè *Serrh*.

7. *Ad Chersonesum.*] Peninsula Thraciæ ad Hellespontum. Græcis dicebatur *Chersonesus*, seu *Cherronesus* Thracica, aut etiam Hellespontica, in qua *Callipolis Cardia*, *Sestos*, &c.

8. *Elaunta.*] Inter primarias Cherronesi Thracicæ civitates fuit olim *Elaus*, sive *Eleus*, *untis*, ad Mastusiam Promontorium, quod Sigeo respondet. Sunt qui velint oppidum illud *Criteam* quoque dici. Sed à Ptolemæo Eleus & Critea tanquam diversa oppida referuntur.

9. *Et Alopeconnesum.*] Nomen *Vulpinam insulam* designat. Oppidum est in peninsula ad extremam Chersonesi Thracicæ oram occasum versus, ex adverso insulæ Samothraces.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

a tradentibusque ipsis recipit. [10] Callipolis quoque [11] & Madytos dedita, & castella quædam ignobilia. Abydeni ne legatis quidem admissis, regi portas clauserunt. ea oppugnatio diu Philippum tenuit: eripique ex obsidione, ni cessatum ab Attalo & Rhodiis foret, potuerunt. Attalus trecentos tantum milites in præsidium, Rhodii quadriremem unam ex classe quum [12] ad Tenedum staret, miserunt. eodem postea quum jam vix sustinerent obsidionem, & ipse Attalus quum trajecisset, spem tantum auxilii ex propinquo ostendit; neque terra neque mari adjutis sociis.

XVII. Abydeni primò tormentis per muros dispositis, non terra modò adeuntes aditu arcebant: sed navium quoque stationem infestam hosti faciebant. postea quum & muri pars strata ruinis, & ad interiorem raptim oppositum murum cuniculis jam perventum esset: [1] legatos ad regem de conditionibus tradendæ urbis miserunt. Paciscebantur autem, ut Rhodiam quadriremem, cum sociis navalibus, Attalique præsidium mitti liceret: atque ipsis urbe excedere cum singulis vestimentis. Quibus quum Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus, respondisset: adeo renunciata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit, ut ad Saguntinam rabiem versi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros ingenuos, virginesque, infantes etiam cum suis nutricibus, in gymnasium includi juberent: aurum & argentum in forum deferri, vestem pretiosam in naves Rhodiam Cyzicenamque, quæ in portu erant, conjici: sacerdotes, victimasque adduci, & altaria in medio poni. ibi delecti primùm, qui ubi cæsam aciem suorum pro diruto muro pugnantem vidissent, extemplo conjuges, liberosque interficerent: aurum, argentum, vestemque, quæ in navibus esset, in mare dejicerent: tectis publicis, privatisque, quamplurimis locis possent, ignes subjicerent: & se facinus perpetraturos a præeuntibus execrabile carmen sacerdotibus, jurejurando adacti: tum militaris ætas jurare, neminem vivum, nisi victorem, acie excessurum. Hi [2] memores Deorum adeo pertinaciter pugnaverunt, ut quum nox prœlium diremptura esset, rex prior territus rabie eorum, pugna abstite-

INTERPRETATIO.

1 *Incolis* ultrò *se dedentibus*.

2 *Sacerdotibus jurisjurandi execrandi formulam pronunciantibus quam cæteri sequerentur*.

NOTÆ.

10. *Callipolis quoque.*] Thraciæ urbs est ad Propontidem, è regione Lampsaci in extrema ad Septentrionem atque ortum Chersonesi ora, ad fauces Hellesponti, qui inde nostris dicitur, *Dètroit de Gallipoli*, Turcæ vocant *Gelibolı:* olim ampla, nunc armamentario tantùm clara.

11. *Et Madytos.*] Postea plurali numero *Madyta*: urbs fuit vel primaria, vel è primariis Thracicæ Chersonesi, inter Callipolin & Seston.

12. *Ad Tenedum.*] *Tenedos* insula est cum oppido cognomine ad Sigeum Troadis Promontorium, bello Trojano cognita; hodieque *Tenedo*, nuper Venetis à Turcis erepta.

1. *Legatos ad regem.*] Hi à Polybio nominantur *Iphiades*, & *Pantacnotus*.

2. *Memores Deorum.*] Per quos juraverant.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

rit. 3 Principes, quibus atrocior pars facinoris delegata erat; quum paucos & confectos vulneribus ac lassitudine superesse prælio cernerent, luce prima sacerdotes cum infulis ad urbem dedendam Philippo mittunt.

XVIII. Ante deditionem ex iis legatis Romanis, qui Alexandriam missi erant, 1 M. Æmilius trium consensu minimus natu, audita obsidione Abydenorum, ad Philippum venit. qui questus Attalo Rhodiisque arma illata, & quod tum maxime Abydum oppugnaret; quum rex ab Attalo & Rhodiis ultro se bello lacessitum diceret: 2 *Num Abydeni quoque*, inquit, *ultro tibi intulerunt arma?* Insueto vera audire, ferocior oratio visa est, quàm quæ habenda apud regem esset. *Ætas*, inquit, *& forma, & super omnia Romanum nomen te ferociorem facit. Ego autem primùm velim vos fœderum memores servare mecum pacem: Si bello lacesseritis, mihi quoque in animo est facere, ut regnum Macedonum nomenque, haud minus quàm Romanum, nobile bello sentiatis.* Ita dimisso legato, Philippus auro argentoque, quæ coacervata erant, accepto, hominum prædam omnem amisit. tanta enim rabies multitudinem invasit, ut repente proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent, perjuriumque aliis alii exprobrantes, & sacerdotibus maximè, qui quos ad mortem devovissent, eorum deditionem vivorum hosti fecissent, repente omnes ad cædem conjugum liberorumque discurrerent: seque ipsi per omnes vias lethi interficerent. Obstupefactus eo furore rex, suppressit impetum militum: &, *tridium se ad moriendum Abydenis dare*, dixit. Quo spatio plura facinora in se victi ediderunt, quam infesti edidissent victores: nec nisi quem vincula, aut alia necessitas mori prohibuit, quisquam vivus in potestatem venit. Philippus, imposito Abydi præsidio, in regnum rediit. Quum velut Sagunti excidium Annibali, sic Philippo Abydenorum clades ad Romanum bellum animos fecisset, nuncii occurrerunt, consulem jam in Epiro esse, 3 & Apolloniam terrestres copias, navales 4 Corcyram in hiberna deduxisse.

XIX. Inter hæc legatis, qui in Africam missi erant de Amilcare Gallici exercitus duce, responsum à Carthaginiensibus est, nihil ultra se facere

N O T Æ.

3. *Principes.*] Glaucides & Theognetus, ut nominat Polybius.

1. *M. Æmilius trium consensu.*] Vulgò legebatur *ex tribus legatis Romanis, &c. M. Æmilius duorum consensu*: quam mutationem qui induxerant, censebant absurdè dici *trium consensu*, cùm legati tres tantùm essent, quorum è numero ipse Æmilius. Verùm regius codex, cum aliis optimæ notæ membranis, conveniunt cum textu Gronoviano: *& trium consensu*, idem est ac consensu amborum Collegarum, & suo.

2. *Num Abydeni quoque.*] Æmilius apud Polybium, præter Abydenos exprobrat etiam Athenienses & Cianos à Philippo vexatos.

3. *Et Apolloniam.*] Non pertinebat propriè ad Epirum *Apollonia*; sed in Macedoniæ & Epiri confinio erat: posterioribus temporibus Epiro novæ, quæ pars fuit veteris Macedoniæ occidentalis, adscripta fuit: nunc Albania, Turcis, *Arnautili*.

4. *Corcyram.*] Nec propriè Epiri est *Corcyra*, si quidem H[illegible] *continentem*

posse, quam ut exilio eum mulctarent, bonaque ejus publicarent. Perfugas & fugitivos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse: & de ea re missuros legatos Romam, qui senatui satisfacerent. [1] Ducenta millia modiûm tritici Romam, ducenta ad exercitum in Macedoniam miserunt. Inde in Numidiam [2] ad reges profecti legati. dona data Masinissæ, mandataque edita. Equites mille Numidæ (quum duo millia daret) accepti. [3] ipse in naves imponendos curavit: & cum ducentis millibus modiûm tritici, ducentis hordei, in Macedoniam misit. Tertia legatio ad Verminam erat. Is ad primos fines regni legatis obviam progressus, ut scriberent ipsi quas vellent pacis conditiones permisit. Omnem pacem bonam justamque fore sibi cum populo Romano. Datæ leges pacis, jussusque ad eam confirmandam, mittere legatos Romam.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XX. Per idem tempus L. Cornelius Lentulus proconsul ex Hispania rediit. qui quum in senatu res ab se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postularetque ut triumphanti sibi invehi liceret in urbem; res triumpho dignas esse censebat senatus: sed exemplum à majoribus non accepisse: [1] ut qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet. Pro consule illum Hispaniam provinciam, non consulem aut prætorem obtinuisse. Decurrebatur tamen eò, ut ovans urbem iniret; intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno plebis, qui nihilo magis id more majorum, aut ullo exemplo, futurum diceret. Postremò victus consensu Patrum tribunus cessit: & ex senatusconsulto L. Lentulus ovans urbem est ingressus. [2] Argenti tulit ex præda quadraginta quatuor millia pondo: [3] auri duo millia quadringenta quinquaginta. militibus ex præda centum viginti asses divisit.

XXI. Jam exercitus consularis ab Aretio Ariminum traductus erat, & quinque millia sociûm Latini nominis ex Gallia in Etruriam transierant. itaque L. Furius magnis itineribus ab Arimino adversus Gallos Cremonam tum obsidentes profectus, castra mille quingentorum passuum intervallo ab hoste posuit. Occasio egregie rei gerendæ fuit, si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset. Palati passim vagabantur per agros, nullo satis firmo relicto præsidio. lassitudini militum timuit, quod raptim ductum agmen erat. Galli clamore suorum ex agris revocati, omissa præda, quæ in

NOTÆ.

significat: insula tamen est Epiro adjacens.

1. *Ducenta millia modium.*] Gall. *environ deux cens mille boisseaux, dont les douze font un septier, mesure de Paris.*

2. *Ad reges.*] Masinissam & Verminam.

3. *Ipse.*] Nempe Masinissa.

1. *Ut qui neque Dictator, &c.*] Proconsules non erant propriè Magistratus, eaque de causa Scipioni jam anteà ob res præclarè in eadem Hispania gestas triumphus negatus, lib. 28. cap. 38.

2. *Argenti, &c. quadraginta quatuor millia pondo.*] Efficerent nostro calculo decies centena quingenta octoginta quatuor librarum millia, *un million cinq cens quatre-vingts quatre mille livres.*

3. *Auri duo millia quadringenta quinquaginta.*] Gallicè, *un million trois cens soixante douze mille livres.* Aureorum vero solatorum hodiernorum quingenta septuaginta millia cum sexaginta quinque aureis ac dimidio ferè.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

manibus erat, castra repetivere, & postero die in aciem progressi. nec Romanus moram pugnandi fecit. sed vix spatium instruendi fuit, eo cursu hostes in prælium venerunt. Dextra ala (in alas divisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est: in subsidiis duæ Romanæ legiones. M. Furius dextræ alæ, legionibus M. Cæcilius, equitibus L. Valerius Flaccus (legati omnes erant) præpositi. 1 Prætor secum duos legatos, Cn. Lætorium, & P. Titinnium habebat: cum quibus circumspicere, & obire ad omnes hostium subitos conatus posset. Primò Galli omni multitudine in unum locum adnixi, obruere atque obterere sese dextram alam, quæ prima erat, sperarunt posse. ubi id parum procedebat, circumvenire à cornibus, & amplecti hostium aciem (2 quod multitudini adversus paucos facile videbatur) conati sunt. Id ubi vidit prætor, ut & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis, à dextra lævaque, alæ quæ in prima acie pugnabat, circumdat; 3 ædemque Deo Jovi vovit, si eo die hostes fudisset. L. Valerio imperat, 4 ut, parte alterâ, duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in cornua hostium emittat, 5 nec circumvenire eos aciem patiatur. simul & ipse, ut extenuatam mediam diductis cornibus aciem Gallorum vidit, signa inferre confertos milites, & perrumpere ordines jubet. Et cornua ab equitibus, & medii à pedite pulsi: ac repente, quum omni parte cæde ingenti sternerentur, Galli terga vertunt, fugaque effusa repetunt castra. fugientes persecutus eques, mox & legiones insecutæ in castra impetum fecerunt. Minus sex millia hominum inde effugerunt. cæsa & capta supra quinque & triginta millia cum signis militaribus octoginta, carpentis Gallicis, multa præda oneratis, plus ducentis. Amilcar dux Pœnus eo prælio cecidit, & tres imperatores nobiles Gallorum. Placentini captivi ad duo millia liberorum capitum redditi colonis.

XXII. Magna victoria lætaque Romæ fuit. literis allatis, supplicatio in triduum decreta est. Romanorum sociorumque ad duo millia eo prælio ceciderunt: plurimi dextræ alæ, in quam primo impetu vis ingens hostium

NOTÆ.

1. *Prætor.*] Is Prætor erat L. Furius Purpureo, sub quo legati quinque, M. Furius, M. Cæcilius, M. Valerius, Cn. Lætorius, & P. Titinnius.

2. *Quod multitudini adversus paucos facile.*] Mavult Gronov. ex Barb. & Petav. codicibus, *quod in multitudine*. Id, ut, si scriptum esset in plerisque optimorum codicum, non displiceret; ita cùm aliter in pluribus habeatur, non video quæ ratio mutandi quod rectè se habet.

3. *Ædemque Deo Jovi vovit.*] Quærit H. Vales. an *Ædemque Dijovi*? Sigon. legendum censet, *ædesque duas Jovi vovit*: tum quod frustra præter morem Jovi adjici videatur *Dei* epitheton, quem dubium nemini erat quin Deus haberetur, atque adeo pater Deorum tum quòd ex lib. 36. probetur ædes duas à L. Furio prætore Jovi bello Gallico votas, tertiam ab eodem Consule; & primam quidem anno 556. in insula dedicatam, duas altero biennio post in Capitolio.

4. *Ut altera parte, duarum legionum.*] Illud *altera* tollunt fere manuscripti.

5. *Nec circumvenire eos.*] In manuscriptis est, *nec circumire eos*: quo verbo alibi quoque usus noster, ut lib. 37. *tantum*

allata est. 1 Quanquam per prætorem prope debellatum erat, consul quoque C. Aurelius, perfectis quæ Romæ agenda fuerant, 2 profectus in Galliam, victorem exercitum à prætore accepit. Consul alter, quum autumno ferme exacto in provinciam venisset, circa Apolloniam hibernabat. ab classe, a quæ Corcyræ subducta erat, C. Claudius, triremesque Romanæ (sicut ante dictum est) Athenas missæ, quum Piræeum pervenissent, desspondentibus jam animos sociis spem ingentem attulerant. nam & terrestres ab Corintho, quæ per Megaram incursiones in agros fieri solitæ erant, non fiebant; & prædonum à Chalcide naves, quæ non mare solum infestum, sed etiam omnes finitimos agros Atheniensibus fecerant, non modò Sunium superare, sed nec extra fretum Euripi committere aperto mari se audebant. Supervenerunt his tres Rhodiæ quadriremes, & erant Atticæ tres 3 apertæ naves ad tuendos maritimos agros comparatæ. Hac classe si urbs agrique Atheniensium defenderentur, satis in præsentia existimanti Claudio esse, majoris etiam rei fortuna oblata est.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XXIII. Exules ab Chalcide regiorum injuriis pulsi, attulerunt; occupari Chalcidem sine certamine ullo posse. nam & Macedonas, quia nullus in propinquo sit hostium metus, vagari passim; & oppidanos præsidio Macedonum fretos, custodiam urbis negligere. His auctoribus profectus, quanquam Sunium ita mature pervenerat, ut inde provehi a ad primas angustias Eubœæ posset, ne superato promontorio conspiceretur, classem in statione usque ad noctem tenuit. Primis tenebris movit: & tranquillo pervectus Chalcidem, paulo ante lucem, quà infrequentissima urbis sunt, paucis militibus turrim proximam, murumque circà scalis cepit; alibi sopitis custodibus, alibi nullo custodiente: progressi inde ad frequentia ædificiis loca, custodibus interfectis, refractaque porta, cæteram multitudinem armatorum acceperunt. Inde in totam urbem discursum est: aucto etiam tumultu, quod circa forum ignis tectis injectus erat. Conflagrarunt & horrea regia, & armamentarium cum ingenti apparatu machinarum, tormentorumque. cædes inde passim fugientium pariter ac repugnantium fieri cœpta est. nec ullo jam qui militaris ætatis esset, non aut cæso, aut fu-

INTERPRETATIO.

a *Quæ in portu interiori erat apud Corcyram.*

a Ad os, scilicet, sive ad primas fauces freti, quo Eubœa ab Attica dividitur.

NOTÆ.

lævo evecta cornu, ut amplecti & circumire dextrum cornu Romanorum posset.

1. *Quanquam à Prætore.*] Scripti, *per Prætorem*: nec repetitio literæ P. mutandi ansam præbere debuit in Livio, qui minutias ejusmodi spernit.

2. *Profectus.*] Nimirum Claudius.

3. *Apertæ naves.*] Gallicè, *de grandes barques sans couvert, sans tillac*: ad discrimen navium tectarum, seu constratarum, quæ & κατάφρακτοι dicuntur, quòd καταστρώματα habeant, & tabulatis instructæ sint, è quibus stantes milites præliantur.

Urb. Cond. an. 553. Coss. P. Sulpitio, & C. Aurelio.

gato, Sopatro etiam Acarnane præfecto præsidii interfecto: præda omnis in forum collata, deinde in naves imposita. carcer etiam ab Rhodiis refractus: emissique captivi, quos Philippus tanquam in tutissimam custodiam condiderat. Statuis inde regis dejectis truncatisque, signo receptui dato, conscenderunt naves; & Piræeum, unde profecti erant, redierunt. Quod si tantum militum Romanorum fuisset, ut & Chalcis teneri, & non deseri præsidium Athenarum potuisset; b magna res, principio statim belli, Chalcis & Euripus adempta regi forent. nam ut terra Thermopylarum angustiæ Græciam, ita mari fretum Euripi claudit.

XXIV. Demetriade tum Philippus erat. quo quum esset nunciata clades sociæ urbis, 2 quanquam serum auxilium perditis erat, tamen quæ proxima auxilio est, ultionem petens, cum expeditis quinque millibus peditum, & trecentis equitibus extemplo profectus, cursu prope Chalcidem contendit; haudquaquam dubius opprimi Romanos posse. à qua destitutus spe, 1 nec quidquam aliud, quam ad deforme spectaculum semirutæ ac fumantis sociæ urbis, quum venisset; paucis vix qui sepelirent bello absumptos relictis, æque raptim ac venerat, transgressus 2 ponte Euripum, per Bœotiam, 3 Athenas ducit, 4 pari incœpto haud disparem eventum ratus responsurum. & respondisset, ni speculator (5 hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium) contemplatus regium agmen è specula quadam, prægressus, nocte media Athenas pervenisset. Idem ibi somnus eademque negligentia erat, quæ Chalcidem dies ante paucos prodiderat. Excitati nuncio trepido & prætor Atheniensium, & Dioxippus præfectus co-

INTERPRETATIO.

b *Statim ab initio belli fuisset erepta Philippo Chalcis cum Euripo;* quæ res fuisset *magni momenti. Etenim quemadmodum Thermopylæ terrâ, &c.*

2 *Etsi tardum erat auxilium* Chalcidensibus, *jam expugnatis;* Philippus tamen *quærens vindictam ad quam primùm recurri solet, ubi auxilio ferendo nullus est locus.*

NOTÆ.

1. *Nec quidquam aliud.*] Utitur non rarò hac locutione non vulgari Livius, pro eo quod est, *nullo alio operæ pretio facto:* ut lib.35. *Videritis regem nunc ad portas Chalcidis stantem, & mox inde exclusum, nihil aliud quàm, Aulide & Euripo spectatis, in Ætoliam redeuntem.*

2. *Ponte Euripum.*] Committitur enim Eubœa ponte, ad Chalcidem structo, cum Bœotiæ continente.

3. *Athenas ducit.*] Celeberrima totius Græciæ urbs *Athenæ*, unde vicinæ regioni nomen, à Minerva, Græcis Ἀθήνη, quæ præcipuo ibi honore colebatur, dicta, à Cecrope rege condita, à Theseo instaurata: post Reges, Archontibus, perpetuis primò, tum decennalibus, tandem annuis, paruit, qui novem numero diù fuere: scientiarum sedes habita, varias experta fortunæ vicissitudines, multùm excidit à pristino splendore: Turcis nunc obnoxia ab anno 1455. quo ducibus pulsis capta est à Mahomete II. Et exiguum quid detorto vocabulo *Sàthine* dicitur.

4. *Pari incœpto.*] Occupandarum nimirum Athenarum sine certamine, pari celeritate qua Romani Chalcidem occupaverant.

5. *Hermerodromos* .] A nomine

hortis

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

hortis mercede militantium auxiliorum, convocatis in forum militibus, tuba signum ex arce dari jubent, ut hostes adesse omnes scirent. ita undique ad portas, post ad muros discurrunt. Paucas post horas Philippus aliquanto tamen ante lucem appropinquans urbi, conspectis luminibus crebris, & fremitu hominum trepidantium (ut in tali tumultu) exaudito, sustinuit signa: & considere ac conquiescere agmen jussit; vi aperta propalam usurus, quando parum dolus profuerat. 6 Ab Dipylo accessit. porta ea, velut in ore urbis posita, major aliquanto, patentiorque quam ceteræ, est: & intra eam extraque latæ sunt viæ, ut & oppidani dirigere aciem à foro ad portam possent: & 7 extra limes mille ferme passus 8 in Academiæ gymnasium ferens, pediti equitique hostium liberum spatium præberet. Eo limite Athenienses cum Attali præsidio, & cohorte Dioxippi, acie intra portam instructâ signa extulerunt. Quod ubi Philippus vidit, habere se hostes in potestate ratus, & diu optata cæde (neque enim ulli Græcarum civitatum infestior erat) expleturum, cohortatus milites, *ut, se intuentes, pugnarent, scirentque ibi signa, ibi aciem esse debere, ubi rex esset*: concitat in hostes equum, non irâ tantum, sed etiam gloria elatus: quod ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici se pugnantem egregium ducebat. Aliquantum ante aciem cum equitibus paucis evectus in medios hostes, ingentem quum suis ardorem, tum pavorem hostibus injecit. plurimos manu sua cominus eminusque vulneratos compulsosque in portam, consecutus & ipse, quum majorem in angustiis trepidantium edidisset cædem, in temerario incœpto tutum tamen receptum habuit: quia qui in turribus portæ erant, b sustinebant tela, ne in permixtos hostibus suos conjicerent. Intra muros deinde c tenentibus milites Atheniensibus, Philippus signo receptui dato, castra 9 ad Cynosarges (tem-

INTERPRETATIO.

b *Amittendis telis abstinebant.*

c *Cùm* Athenienses *continerent milites suos intra mœnia.*

NOTÆ.

& verbo inusitato δρέμω, quod *currere* significat, dicuntur *hemerodromi*, celerrimi cursores diurni, sive qui toto die currunt: quo genere hominum pro speculatoribus usos fuisse Græcos hinc colligas.

6. *Ab Dipylo accessit.*] Scripti habent, *ab Dypilo*, id est, ad urbem accessit ab ea parte quâ erat Dipylon: quod sanè Livianum, & Gronovio probatur magis. Vulgo legitur, *ad Dipylon*, quod est, accessit ad eam partem urbis cui nomen *Dipylon*. Hoc autem nomen fuit maximæ omnium portarum, quæ Athenis erant, ut Meursius observat: priùs *Thriasia Pylæ* dicebantur ex Plutarcho in Pericle.

7. *Extra limes.*] *Limitem* dicit pro via latè patente, ut Virgil.

Ardens limitem agit ferro.

8. *In Academiæ gymnasium.*] Fuit non longè à muris Athenarum *Academia*, privati olim hominis ager, posteà Gymnasium; ab Academo, seu Hacademo Heroë denominatum: ubi & Plato discipulos suos erudiebat. Hinc Platonis sectatores Academici appellati. Vide Suidam, Pausaniam, & Diogenem Laërtium.

9. *Ad Cynosarges.*] Locus erat extra muros Athenarum, ab albo cane dictus;

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

plum Herculis, gymnasiumque, & lucus erat circumjectus) posuit. sed Cynosarges, & [10] Lyceum, & quicquid sancti amœnive circa urbem erat, incensum est, dirutaque non tecta solum, sed etiam sepulcra: nec divini humanive juris quicquam præ impotenti ira est servatum.

XXV. Postero die quum primo clausæ fuissent portæ, deinde subito apertæ, quia præsidium Attali ab Ægina, Romanique ab Pyræeo, intraverant urbem, castra ab urbe retulit rex tria ferme millia passuum, inde [1] Eleusinem profectus, spe improviso templi castellique, quod & imminet & circumdatum est templo, capiendi: quum handquaquam neglectas custodias animadvertisset, & classem à Piræeo subsidio venire; omisso incœpto, Megaram, ac protinus Corinthum ducit. & quum [2] Argis Achæorum concilium esse audisset, inopinantibus Achæis, concioni ipsi supervenit. Consultabant de bello [3] adversus Nabin tyrannum Lacedæmoniorum: qui [a] translato imperio à Philopœmene ad Cycliadem, nequaquam parem illi ducem, dilapsa cernens Achæorum auxilia, redintegraverat bellum, agrosque finitimorum vastabat; & jam urbibus quoque erat terribilis. Adversus hunc hostem, quum, quantum ex quaque civitate militum conscriberetur, consultarent; Philippus dempturum se eis curam, quod ad Nabin & Lacedæmonios attineret, pollicitus: nec tantum agros sociorum populationibus prohibiturum, sed terrorem omnem belli [4] in ipsam Laconicam, ducto eo extemplo exercitu, translaturum. Hæc oratio quum ingenti hominum assensu acciperetur: *Ita tamen æquum est*. inquit, *me vestra meis armis tutari, ne mea interim nudentur præsidiis. Itaque si vobis videtur, tantum parate militum, quantum ad Oreum & Chalcidem & Corinthum tuenda*

INTERPRETATIO.

a *Cum Achæi loco Philopœmenis ducem elegissent Cycliadem.*

NOTÆ.

ubi Herculis templum. in Gymnasio ad hoc templum posito exercebantur Nothi seu Hybridæ, teste Suidâ post Plutarchum in Themistocle. Hic enim peregrinâ matre, & sic ex improbato conjugio natus, idcirco in eo ludo sese exercuit. Hinc *ad Cynosarges* velut adagio dicebatur, in eos quorum minùs felices erant natales.

10. *Lycæum*.] Quasi Lupercal, dictum ab Apolline aut Pane Lycæo, id est, Lupino. Fuit amœnum apud Athenas Gymnasium, atque ambulacrum, ubi Aristoteles cum discipulis deambulando philosophari solitus: unde Peripateticæ sectæ nomen.

1. *Eleusinem.*] Atticæ fuit urbs *Eleusis*, Cereris clara mysteriis: hodie *Lessine*.

2. *Argis.*] Argolidi, sive Argiæ Peloponnesi provinciæ orientali, versus sinum Saronicum sitæ, nomen ab hac urbe præcipua inditum, quæ Latinis, modò *Argos*, *i*, neutro genere dicitur, & numero singulari; modò *Argi*, *orum*, plurali numero, & genere masculino, ad Inachum fluvium: hodie *Argo* Italis. Hinc Argivi, quorum antiquissimum inter Græcos regnum.

3. *Adversus Nabin tyrannum Lacedæmoniorum.*] Post Cleomenem & Agesipolin Lacedæmoniorum postremos reges ex Heraclidis sublato Lycurgo, tyrannidem Machanidas, deinde *Nabis* invasit, alienus uterque à regia stirpe.

4. *In ipsam Laconicam.*] Laconum regio, quæ initio *Lacedæmon*. ut auctor

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

ſatis ſint: ut meis ab tergo tutis, ſecurus bellum Nabidi inferam & Lacedæmoniis. Non fefellit Achæos, quo ſpectaſſet tam benigna pollicitatio, auxiliumque oblatum adverſus Lacedæmonios: id quæri, ut obſidem Achæorum juventutem educeret ex Peloponneſo, ad illigandam Romano bello gentem. & id quidem coarguere Cycliades prætor Achæorum [b] nihil attinere ratus, id modo quum dixiſſet, non licere legibus Achęorum de aliis rebus referre, quam propter quas convocati eſſent, decreto de exercitu parando adverſus Nabin facto, concilium fortiter ac libere habitum dimiſit; inter aſſentatores regios ante eam diem habitus. Philippus magna ſpe depulſus, voluntariis paucis militibus conſcriptis, Corinthum, atque in Atticam terram rediit.

XXVI. Per eos ipſos dies, quibus Philippus in Achaja fuit, Philocles præfectus regius ex Eubœa profectus cum duobus millibus Thracum Macedonumque ad depopulandos Athenienſium fines, è regione Eleuſinis [1] ſaltum Citheronis tranſcendit. inde dimidia parte militum ad prędandum paſſim per agros dimiſsa, cum parte ipſe occultus loco ad inſidias opportuno conſedit, ut ſi ex caſtello ab Eleuſine in prędantes ſuos impetus fieret, repente hoſtes effuſos ex improviſo adoriretur. Non fefellêre inſidię. itaque revocatis, qui diſcurrerant ad prędandum, militibus, inſtructiſque ad oppugnandum caſtellum, Eleuſinem profectus, cum multis inde vulneribus receſſit, Philippoque ſe venienti ex Achaja conjunxit. Tentata & ab ipſo rege oppugnatio ejus caſtelli eſt. ſed naves Romanę Piręeo venientes, intromiſſumque prędidium, abſiſtere incœpto coegerunt. Diviſo deinde exercitu rex cum parte Philoclem Athenas mittit, cum parte ipſe Piręeum pergit: ut dum Philocles ſubeundo muros, & comminanda oppugnatione contineret urbe Athenienſes, ipſi Piręeum levi cum prędidio relictum expugnandi facultas eſset. Cęterum nihilo ei Piręei, quam Eleuſinis facilior iiſdem ferè defendentibus oppugnatio fuit. A Piręeo Athenas repente duxit. inde eruptione ſubita peditum equitumque inter anguſtias ſemiruti muri, qui [2] brachiis duobus Piręeum Athenis jungit, repulſus; omiſsa oppugnatione urbis, diviſo cum Philocle rurſus exercitu, ad vaſtandos agros profectus; quum priorem populationem ſepulcris circa urbem

INTERPRETATIO.

b *Et Cycliades dux Achæorum, cùm exiſtimaret nihil opus eſſe ut* eam Philippi mentem patefaceret aut *incuſaret*.

NOTÆ.

eſt Pauſan. tum *Laconia* & *Laconica* dicta eſt: hodie *Zachania*, in Morea, quæ olim Peloponneſus.

1. *Saltum Cytheronis.*] Inter Copaïdem Lacum, Megaram, & Thebas, *Cytheron* mons Muſis ſacer, adhuc nomen retinet, Parnaſſo ad Orientem, Hymetto Atticæ monti ad occaſum finitimus.

2. *Brachiis duobus:*] Longum murum, indicat, μακρὸν τεῖχος, ſive muros geminos, inter quos per duo millia paſſ. Athenis ad Piræeum portum ibatur.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

diruendis exercuisset; ne quid inviolatum relinqueret, templa Deûm a quæ pagatim sacrata habebant, dirui atque incendi jussit. Exornata eo genere operum eximie 3 terra Attica, & copia domestici marmoris, & ingeniis artificum, præbuit huic furori materiam. neque enim diruere modo ipsa templa, ac simulacra evertere satis habuit: sed lapides quoque, b ne integri cumularent ruinas, frangi jussit; & posteaquam non tam ira satiata, quam iræ exercendæ materia hæc deerat, agro hostium in Bœotiam excessit, nec aliud quicquam dignum memoria in Græcia egit.

XXVII. Consul Sulpicius eo tempore inter Apolloniam ac Dyrrachium 1 ad Apsum flumen habebat castra: quo arcessitum L. Apustium legatum, cum parte copiarum ad depopulandos hostium fines mittit. Apustius extrema Macedoniæ populatus 2 Corrago, & Gerrhunio, & Orgesso castellis primo impetu captis, 3 ad Antipatriam, in faucibus angustis sitam urbem venit; ac primo evocatos principes ad colloquium, ut fidei Romanorum se committerent, perlicere est conatus: deinde, ubi magnitudine ac mœnibus situque urbis freti dicta aspernabantur; vi atque armis adortus expugnavit, puberibusque interfectis, præda omni militibus concessa, diruit muros atque urbem incendit. Hic metus 4 Codrionem, satis validum & munitum oppidum, sine certamine ut dederetur Romanis, effecit. Præsidio ibi

INTERPRETATIO.

a *Quæ per singulos pagos* Diis *dicata fuerant* ab incolis.

b *Ne* lapides si *integri* mansissent, *ruinas explerent*, aut ad eas reficiendas & erigenda denuò ædificia usui esse possent.

NOTÆ.

3. *Terra Attica.*] Sic nostro non semel *Terra* pro regione, *Terra Italia*, &c. *Attica* autem regio est Atheniensium in Hellade seu Græcia propriè dicta; aliàs *Atthis* ab Cranai regis filia, quæ eo nomine vocabatur; dicta & olim *Acte* & *Actica*, ex Strab. quod magna ex parte mari alluatur: est enim ἀκτὴ litus. Antequam Turcarum jugum acciperet, *Ducatus Athenarum* à Christianis dicebatur.

1. *Ad Apsum fluvium.*] *Apsus* amnis ex Eordæis Macedoniæ Occidentalis populis, per Taulantios in mare Adriaticum evolvitur, inter ostia duorum aliorum fluminum, Aoi ad meridiem, & Genusii, alias Panyasi, ad Septentrionem: nunc *Aspro*, seu Ureo Nigro, *Brietio*, aliisque *Sopirnazza*.

2. *Corrhago.*] *Corrhagum*, seu *Corrhagium*, *Gerrhunium*, & *Orgessus* (fortè Orgysus Polybii) Albanorum in Macedonia Occidentali oppida fuere, inter Genusium & Drilonem fluvios, quà sibi invicem proximi sunt. Fallor, aut ex *Corrhagio* detorta est posterioribus seculis *Croja* regni Albaniæ caput, ab Dyrrachio 35. millibus passuum ad Lisanam fluvium sita, à Georgio Castrioto rege (qui vulgari nomine Scanderbegi notior) adversus Turcas egregiè defensa: ab his post ejus obitum capta.

3. *Ad Antipatriam.*] Aliis *Antipatris* dicta, in Dassaretiis fuit: diversa à cognominibus oppidis Palæstinæ: locatur à Nic. Sansone ad Boream Lichnidi versus fines Astræorum.

4. *Codrionem.*] *Codrionem* Eordæorum oppidum ex adverso Corrhagii, intermedio Genusio, in Tabulis Sansonis: fortè ubi nunc *Dardasi*.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

relicto, 5 Ilion (nomen propter alteram in Asia urbem, quam oppidum, notius) vi capitur. Revertentem legatum ad consulem cum satis magna præda, Athenagoras quidam regius præfectus in transitu fluminis à novissimo agmine adortus, postremos turbavit. ad quorum clamorem & trepidationem quum revectus equo propere legatus signa convertisset, conjectisque in medium sarcinis aciem direxisset; non tulere impetum Romanorum militum regii. multi ex iis occisi, plures capti. Legatus incolumi exercitu reducto ad consulem, remittitur inde extemplo ad classem.

XXVIII. Hac satis felici expeditione 1 bello commisso, reguli ac 2 principes accolæ Macedonum in castra Romana veniunt 3 Pleuratus Scerdilædi filius, & Amynander Athamanum rex, & 4 ex Dardanis Bato Longari filius. Bellum suo nomine Longarus cum Demetrio Philippi patre gesserat. pollicentibus auxilia respondit consul, Dardanorum & Pleurati opera, quum exercitum in Macedoniam induceret, se usurum. Amynandro Ætolos concitandos ad bellum attribuit. Attali legatis (nam ii quoque per id tempus venerant) mandat, ut Æginæ rex, ubi hibernabat, classem Romanam opperiretur. qua adjuncta, bello maritimo, sicut ante; Philippum urgeret. Ad Rhodios quoque missi legati, ut capesserent partem belli. Nec Philippus segnius (jam enim in Macedoniam pervenerat) apparabat bellum. Filium Persea, puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui ætatem ejus regerent, cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quæ 5 ad

NOTÆ.

5. *Ilion*] Oppidum fuit Eordæorum quoque regionis (quæ pars *Tamoriza* hodiernæ) inter Codrionem & Apolloniam. An ab *Ilio* Troadis urbe nomen acceperit, parum constat. Helenus certè Trojanus in vicina Epiri regione regnavit, ex Virgil.

1. *Bello commisso*] *Commissum* hoc loco pro *incheato* seu *geri cœpto* sumitur, qua significatione dicitur apud Virgil. 5. Æn: *Et tuba commissos medio canit aggere ludos:* & apud Vellejum Paterc. *Commissa proscriptio sanguine tribuni*. Jurisconsulti *commissa* dicunt, quæ facto aliquo quod vetitum sit, vel non facto quod sit imperatum aut promissum, debetur. Sic *pœnam* vel *stipulationem commissam* ajunt cum ex ea præstari aut solvi aliquid debet. Sic *commissum* appellatur pœna omissæ professionis, cum merces ad fraudandum vectigali debito fiscum celatæ, publicantur.

2. *Principes.*] Pro dominantibus sumitur hic *Principum* nomen.

3. *Pleuratus Scerdiladi filius,*] Hujus anteà mentio lib. 26. cap. 24. & lib. 27. cap. 30.

4. *Ex Dardanis.*] Cave *Dardanos*, hoc loco pro Troibus accipias, qui in Asia: sermo enim est de *Dardanis*, Macedoniæ ad Septentrionem in Europa vicinis. Hi partem incolebant regionum quæ nunc Serviæ, & Bosniæ nominibus cognitæ.

5. *Ad Pelagoniam*] Duæ sunt regiunculæ, sive populi Macedoniæ, hoc nomine: altera *Pelagonia Tripolitis* dicta, sub Candaviis montibus, qui eam à Deuriopibus Epiri populis dirimunt. Hæc finitima Pelasgiotidi Thessaliæ regioni, nisi potius ex ea decerpta: ejus caput *Dolicha*, hodie *Techala*, vel *Alchria*. Altera *Pelagonia* in Septentrionali Macedoniæ parte, supra Aemathiam, ad Orbelum ferè montem pertingit, quo Dardania dividitur à

Urb. cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

Pelagoniam sunt, mittit.[6] Sciathum &[7] Peparethum, haud ignobiles urbes, ne classi hostium prædæ ac præmio essent, diruit. Ad Ætolos mittit legatos, ne gens inquieta adventu Romanorum fidem mutaret.

XXIX. Concilium Ætolorum statuta die,[1] quod Panætolium vocant, futurum erat. Huic ut occurrerent, & legati regis iter accelerarunt, & ab consule missus L. Furius Purpureo legatus venit. Atheniensium quoque legati ad id concilium occurrerunt. Primi Macedones, cum quibus recentissimum fœdus erat, auditi sunt, qui, *nulla nova re, nihil se novi habere quod afferrent*, dixerunt: *quibus enim de caussis, experta inutili societate Romana, pacem cum Philippo fecissent, compositam semel servare eos debere. An imitari*, inquit unus ex legatis, *Romanorum licentiam, an levitatem dicam, mavultis? qui quum legatis vestris Romæ responderi ita jussissent, Quid ad nos venitis Ætoli, sine quorum auctoritate pacem cum Philippo fecistis? Iidem nunc, ut bellum secum adversus Philippum geratis, postulant. Et anteà propter vos, & pro vobis arma sumpta adversus eum simulabant: nunc vos in pace esse cum Philippo prohibent. Messanæ ut auxilio essent, primo*[2] *in Siciliam conscenderunt: iterum ut Syracusas oppressas ab Carthaginiensibus, in libertatem eximerent. Et Messanam & totam Siciliam ipsi habent, vectigalemque provinciam*[3] *securibus & fascibus subjecerunt. Scilicet sicut vos Naupacti legibus vestris per magistratus à vobis creatos concilium habetis, sociumque hostem libere, quem velitis, lecturi, pacem ac bellum arbitrio habituri vestro; sic Siculorum civitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium. Prætor Romanus conventus agit: eo imperio convocati conveniunt: excelso in suggestu superba jura reddentem, stipatum lictoribus vident: virgæ tergo, secures cervicibus imminent: & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur. Nec id mirari debent, aut possunt: quum Italiæ urbes Rhegium, Tarentum, Capuam, ne finitimas nominem, quarum ruinis crevit urbs Romana,*

N O T Æ.

Macedonia. Ejus caput *Stobi* ad Axium flumen: hodie *Starachino*, ut vult Nardus. De hac Pelagonia intelligendus hoc loco Livius.

6. *Sciathum*] Urbs fuit in cognomine insula maris Aegæi, inter Peparethum & oram Magnesiæ: quæ regio est orientalis Thessaliæ, hodie *Sciatho*.

7. *Peparethum*.] Insula quoque in Aegæo, Cycladum una, cum urbe: hodie nautis *Peperi*.

1. *Panætolium*.] Nomen ipsum ostendit eò coiri solitum ex omni Aetolia. De Aetolis lib. 26. cap. 24. &c.

2. *In Siciliam conscenderunt*,] Cùm è navibus in litus appellitur, *exscensionis* nomine, aut *exscendendi* verbo utitur plerunque Livius, ut lib. 22. *priusquam in continentem exscensiones faceret*: unde hoc loco scriptum ab auctore fuisse, *in Siciliam exscenderunt*, suspicatur Gronov. Dixit quidem Cicer. *Epheso conscendisse*, & a *Brundusio conscendisse*. Estque *conscendere*. Latinis, eodem usu quo Græcis ἐκβαίνειν: sed diversum est ab urbe, aut à litore *conscendere* in naves; & à navibus *exscendere* in oram. Hic de primo ingressu Romanorum in Siciliam per speciem opis ferendæ Mamertinis seu Messanensibus agitur.

3. *Securibus & fascibus subjecerunt*,] Id est, imperio suo, seu magistratibus

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio

ejusdem subjectas videant imperio. Capua quidem sepulcrum ac monumentum Campani populi, [a] *elato & extorri ejecto ipso populo, superest; urbs trunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus,* [4] *prodigium; relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret. Furor est, si alienigenæ homines plus, lingua & moribus, & legibus, quam maris terrarumque spatio discreti, hac tenuerint; sperare quicquam eodem statu mansurum. Philippi regnum officere aliquid videtur libertati vestræ: qui, quum merito vestro, vobis infestus esset, & nihil à vobis ultra quam pacem petiit, fidemque hodie pacis pactæ desiderat. Assuefacite his terris legiones externas, & jugum accipite. sero ac nequicquam, quum dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. Ætolos, Acarnanas, Macedonas, ejusdem linguæ homines, leves ad tempus ortæ causæ disjungunt conjunguntve: cum alienis,* [5] *cum barbaris, æternum omnibus Græcis bellum est, eritque. natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem caussis, hostes sunt. Sed unde cœpit oratio mea, ibi desinet. Hoc eodem loco iidem homines de ejusdem Philippi pace triennio ante decrevistis, iisdem improbantibus eam pacem Romanis, qui nunc pactam & compositam turbare volunt. in qua consultatione nihil fortuna mutavit; cur vos mutetis, non video.*

XXX. Secundum Macedonas, ipsis Romanis ita concedentibus jubentibusque, Athenienses, qui fœda passi, justius in crudelitatem sævitiamque regis invehi poterant, introducti sunt. Deploraverunt vastationem populationemque miserabilem agrorum. *Neque id se queri, quod hostilia ab hoste passi forent (esse enim quædam belli jura, quæ ut facere, ita pati sit fas) sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi; misera magis quam indigna patienti esse.* [1] *Verum enim vero id se queri, quod is qui Romanos alienigenas & barbaros vocet, adeo omnia simul divina humanaque jura polluerit, ut* [a] *priore populatione cum infernis Diis, se-*

INTERPRETATIO.

a *Partim sepultis, partim in exilium pulsis civibus.*

a *Prima irruptione bellum intulerit manibus & cineribus mortuorum,* demoliendo eorum sepulcra: *Secundâ* verò, Diis ipsis & *cœlitibus*, templa & statuas ipsorum exurendo.

NOTÆ.

Romanis, quorum hæc insignia.

4. *Prodigium, relicta.*] Est enim monstri instar, & maximæ crudelitatis exemplum, urbs relicta sine summo magistratu, sine consilio publico, præcipuis civibus orbata, & sine legibus pristinis nec nisi à plebejis dedititiis culta, qui revera ἀπόλιδες, id est, sine civitate: pejoris conditionis quàm peregrini, qui etsi Romanæ civitatis nequaquam participes; tamen certæ civitatis cives erant, quæ suis vivebat legibus. At Capua Dedititiorum cōditioni miserè addicta. Lib. 26. cap. 16. & seqq. lib. 27 cap. 3. &c.

5. *Cum barbaris.*] Græcis *Barbari* erant quicumque diversâ ab ipsis linguâ utebantur; ut & Romanis nationes reliquæ præter Græcam.

1. *Verùm enim verò.*] Suspectum Gronovio τὸ *Verùm* quod non extat in Vossii codice quia etiam τὸ *enimverò*, ut supervacaneum rejicere videtur. Sensus tamen alterutrum, ni fallor, desiderat: aut certè patitur.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

cunda cum superis bellum nefarium gesserit: omnia sepulcra momumentaque diruta esse in finibus, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi: delubra sibi fuisse, quæ quondam pagatim habitantes in parvis illis castellis vicisque consecrata, ne [2] *in unam urbem quidem contributi majores sui deserta reliquerint. circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes: semiusta & truncata simulacra Deûm inter prostratos jacere postes templorum. Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam opulentamque; talem eum, si liceat, Ætoliam, Græciamque omnem facturum. Urbis quoque suæ similem deformitatem futuram fuisse,* [3] *nisi Romani subvenissent. eodem enim scelere* [4] *urbem colenteis Deos,* [5] *præsidemque arcis Minervam, petitam: eodem Eleusine Cereris templum, eodem Piræei Jovem Minervamque; sed ab eorum non templis modo, sed etiam mœnibus vi atque armis repulsum, in ea delubra, quæ sola religione tuta fuerint, sævisse. Itaque se orare atque obsecrare Ætolos, ut miserti Atheniensium, ducibus Diis immortalibus, deinde Romanis, qui secundum Deos plurimum possint, bellum susciperent.*

XXXI. Tum Romanus legatus, *Totam orationis meæ formam, Macedones primum, deinde Athenienses mutarunt. Nam & Macedones, quum ad conquerendas Philippi injurias in tot socias nobis urbes venissem, ultro accusando Romanos, defensionem ut accusatione potiorem haberem, effecerunt: & Athenienses in Deos superos inferosque nefanda atque inhumana scelera ejus referendo, quid mihi aut cuiquam reliquerunt, quod objicere ultra possim?* [1] *Eadem Cianos, Abydenos,* [2] *Æneos, Maronitas, Thasios; Pa-*

NOTÆ.

2. *In unam urbem contributi.*] A Theseo scilicet, qui incolas è pagis Athenas deduxerat.

3. *Nisi Romani subvenissent.*] Sic Thuan. & meliùs quàm ut vulgò legitur, *venissent.*

4. *Urbem colenteis Deos.*] Ita legendum ex codice Oxon. id est, *ipsos Deos, qui urbem Athenas* quasi *incolebant*: ut apud Plaut. in Pœn. *Deos Deasque veneror qui hanc urbem colunt.* Et apud Cic. Verr. ult. *Vos etiam atque etiam imploro & appello sanctissimæ Deæ, quæ illos Ennenses lacus lucosque colitis.* Putabant enim antiqui Deos iis locis quæ cuique sacrata, templis præsertim suis ac simulacris, velut affixos inhærere. Unde occupato à Sabinis Capitolio exclamat P. Valerius suprà lib. 3. cap. 17. *At vos veremini Deos patrios, ab hostibus captos. Jupiter optimus maximus, Juno Regina, Minerva, alii Dii Deæque obsidentur.*

5. *Præsidemque arcis, Minervam.*] In arce Athenarum erat Minervæ, seu Palladis Templum, ubi ea præcipuo honore colebatur, tanquam urbis Præses, quæ ipsi dicata, deque ejus nomine dicta, ut paulò antè observatum est.

1. *Eadem Cianos.*] Legebatur vulgò *eadem Chios.* Verùm *Chii* non fuere in gentium à Philippo per hæc tempora bello vexatarum numero; nec etiam Ciani incolæ insulæ *Cia*: sed *Ciani* incolæ oppidi, quod *Cium*, sive *Cion* dixere. Id in Phrygia fuit, ex Plinio, ad amnem cognominem, in confinio Bithyniæ inter Cyzicium ad occasum, & Apamiam ad ortum. Hinc sinus *Cianus* pars Propontidis. Nunc *Golfo di Cio.*

2. *Æneos, Maronitas.*] Intellige cives *Æni* & *Maronea*, in Thracia, de quibus paulò antè: ac deinde incolas insularum Aegæi maris, quæ hic recensentur.

rios,

rios, Samios, Larissenses, [3] *Messenios hinc ex Achaja, existimate queri: graviora etiam acerbioraque eos, quibus nocendi majorem facultatem habuit. Nam quod ad ea attinet, quæ nobis objecit;* [a] *nisi gloria digna sunt, fateor ea defendi non posse. Rhegium, & Capuam, & Syracusas nobis objecit. Rhegium, Pyrrhi bello, legio à nobis, Rheginis ipsis ut mitteremus orantibus, in præsidium missa, urbem ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit. Comprobavimus ergo id facinus, an bello* [4] *persecuti sceleratam legionem, in potestatem nostram redactam, tergo & cervicibus pœnas sociis pendere quum coegissemus, urbem, agros, suaque omnia cum libertate, legibusque Rheginis reddidimus?* [5] *Syracusanis oppressis ab externis tyrannis,* [b] *quò indignius esset; quum tulissemus opem, & fatigati prope per triennium terra marique urbe munitissima oppugnanda essemus, quum jam ipsi Syracusani servire tyrannis, quàm capi à nobis mallent: captam iisdem armis, & liberatam urbem reddidimus. Neque inficias imus, Siciliam provinciam nostram esse, & civitates, quæ in parte Carthaginiensium fuerunt, & uno animo cum illis adversus nos bellum gesserunt,* [6] *stipendiarias nobis ac vectigales esse: quin contra, hoc & vos & omnes gentes scire volumus,* [c] *pro merito cuique erga nos fortunam esse. An Campanorum pœna, de qua neque ipsi quidem queri possunt, nos pœniteat?*

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

INTERPRETATIO.

a *Tantum abest ut defendi non possint, ut gloriam potiùs mereantur, quam defensionem & excusationem.*

b *Ut oppressio eorum indignior videretur,* quàm si à propriis regibus vexati fuissent.

c *Unumquemque eam fortunam sortiri;* quàm officio aut injuriis *erga nos meritus sit.*

NOTÆ.

nempe *Thasi* (quæ juxta Thraciam vulgò *Tasso*) *Pari* (quæ inter Cycladas) & *Sami* (quæ ad oram Joniæ.

3. *Messenios hinc ex Achaja.*] Diversæ Peloponnesi regiones fuere, *Messenia* & *Achaja*: sed hoc tempore *Messenii* Achæorum fœderati, *Achæi* verò sociarum circà nationum principes erant ita ut reliqui populi Achæorum nomine censerentur: quomodò nunc septem fœderatæ Belgii gentes Hollandorum vocabulo comprehenduntur.

4. *Persecuti sceleratam legionem.*] Vide lib. 28. cap. 28. & Epit. lib. 12. atque ibi Sigon.

5. *Syracusanis.*] De Syracusarum urbis inter Siculas præcipuæ oppugnatione, seditionibus, casu, ac direptione actum lib. 24. & 25.

6. *Stipendiarias nobis ac vectigales esse.*] Provinciæ *stipendiariæ* dicebantur, quæ stipendium populo Romano præstabant; *vectigales*, quæ *vectigal* pendebant. *Stipendium* autem à *stipe* pendenda *appellatum est, quod per stipes, id est, modica æra colligatur. Idem Tributum appellatur ab intributione; vel ex eo quòd militibus tribuatur*, ut Vlpian. tradit in L. 27. Dig. de Verb. signific. Hinc & militum mercedes & militiæ munia, ac tempora, stipendiorum nomine intelliguntur. *Vectigal* autem publicum, species quoque Tributi est, *à vehendo* dictum ex Isid. Ejus tria erant genera: alterum *Decumarum*, quod ex frugibus: alterum *Scripturæ*, quod ex pascuis: tertium *portorii*, quod ex mercibus exportandis vel importandis exigebatur, quemad-

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

Hi homines quum pro iis bellum adversus Samnites per annos prope septuaginta, cum magnis nostris cladibus gessissemus; ipsos fœdere primum, deinde connubio atque inde cognationibus; 7 postremo civitate nobis conjunxissemus; tempore nostro adverso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro fœde interfecto, ad Annibalem defecerunt: deinde indignati se obsideri à nobis, Annibalem ad oppugnandam Romam miserunt. Horum si neque urbs ipsa, neque homo quisquam superesset quis durius quam pro merito ipsorum statutum indignari posset? Plures sibimet ipsi conscientia scelerum mortem consciverunt, quam à nobis supplicio affecti sunt. Cæteris ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locumque ad habitandum daremus, urbem innoxiam stare incolumem pateremur, ut qui hodie videat eam, nullum oppugnatæ captæve ibi vestigium inveniat. Sed quid ego Capuam dico? quum Carthagini victæ pacem ac libertatem dederimus? Magis illud est periculum, ne nimis facile victis ignoscendo, plures ob idipsum ad experiendam adversus nos fortunam belli incitemus. Hæc pro nobis dicta sint, hæc adversus Philippum: cujus 8 domestica parricidia & cognatorum amicorumque cædes, & libidinem inhumaniorem prope quam crudelitatem, vos, quo propiores Macedoniæ estis, melius nostis. Quod ad vos attinet Ætoli; nos pro vobis bellum suscepimus adversus Philippum, vos sine nobis cum eo pacem fecistis. Et forsitan dicatis; bello Punico occupatis nobis, coactos metu vos, leges pacis ab eo, qui tum plus poterat, accepisse: & nos quum alia majora urgerent, depositum à vobis bellum & ipsi omisimus. Nunc & nos Deûm benignitate Punico perfecto bello, totis viribus nostris in Macedoniam incubuimus: & vobis restituendi vos in amicitiam societatemque nostram fortuna oblata est: nisi perire cum Philippo, quam vincere cum Romanis mavultis.

XXXII. Hæc dicta ab Romano quum essent, inclinatis omnium animis ad Romanos, Damocritus prætor Ætolorum, pecuniâ, ut fama est, ab rege acceptâ, nihil aut huic aut illi parti assensus, a *Rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam, quam celeritatem*, dixit. *Celerem enim pœnitentiam, sed eandem seram atque inutilem sequi; quum præcipitata raptim consilia neque revocari, neque in integrum restitui possint. Deliberationis autem ejus, cujus ipse maturitatem exspectandam putaret, tem-*

INTERPRETATIO.

a *Nihil esse adeo contrarium consiliis majoris momenti*, & quæ periculum ingens adjunctum habent; *ac festinationem*.

NOTÆ.

modum colligitur ex Ciceron. orationibus in Verrem: sed hæc sæpenumerò promiscue sumuntur. Vide Cujac. observat. lib. 6. cap. 19. & lib. 7. cap. 3.

7. *Postremò civitate nobis conjunxissemus.*] Indicatur Campanos civitate donatos à Romanis.

8. *Domestica parricidia.*] Philippi præclara indoles regali educatione perfecta fuerat, sed rebus secundis & perversis adulatorum artibus corrupta, ad

pus ita jam nunc statui posse: quum legibus cautum esset, ne de pace bellove, nisi[1] in Panætolico[2] & Pylaico concilio ageretur, decernerent extemplo, ut prætor sine fraude, quum de bello aut de pace agere velit, advocet concilium: & quod tum referatur, decernaturque, ut perinde jus ratumque sit, ac si in Panætolico, aut Pylaico concilio actum esset. Dimissis ita suspensa re legatis, egregie consultum genti ajebat. nam utrius partis melior fortuna belli esset, ad ejus societatem inclinaturos. Hæc in concilio Ætolorum acta. Urb. cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XXXIII. Philippus impigre terra marique parabat bellum: navales copias Demetriadem in Thessalia contrahebat, Attalum, Romanamque classem principio veris ab Ægina ratus moturos. navibus maritimæque oræ præfecit Heraclidem, quem & ante præfecerat. ipse terrestres copias comparabat: magna se duo auxilia detraxisse Romanis credens: ex una parte Ætolos, ex altera Dardanos; faucibus ad Pelagoniam à filio Perseo interclusis. Ab consule non parabatur, sed ge-

NOTÆ.

libidines prorupit, quarum mentio lib. 27. cap. 31. Hinc ad cædes transitus factus; idque in primis vitio datum quod Aratum Achæorum prætorem, cujus tanquam parentis potiùs quàm amici consilio feliciter usus erat, ejusque filium cujus uxorem stupraverat, veneno interemit.

1. *In Panætolico.*] At hoc ipsum Concilium *Panætolium* vocatur initio cap. 29. Ad quod ergo Panætolicum deliberationem differt Damocritus? an legendum *Panæolicum*, id est totius Aeolicæ nationis, quæ Bœotos, opinor, Phocenses, Locros etiam fortè, ac Thessalorum partem cum Aetolis complectebatur?

2. *Et Pylaico.*] Dicitur *Pylaicum* à *Pylis*, sive *Thermopylis*, ubi conventus communis totius Græciæ habebatur. Amphictyonicum quoque appellatum ab Amphictyone Hellenis filio, Deucalionis nepote, Athenarum rege; à quo institutum hoc concilium creditur. Id Delphis primum haberi mos erat, donec Phocenses ob direptum Apollinis templum ordine moti, & sedes hujus consessûs ad Thermopylas translata. Eò priùs concilii habendi causâ conveniebant legati à populis duodecim, qui à Suida recensentur, Jônes, Dores, Perrhæbi, Bœoti, (qui & Aeoles propriè) Magnetes, Achæi (sive Thessali propriè dicti) Pthiotæ; Maleenses (sic enim legendum Μαλιεῖς, vel Μιλιεῖς, non Μολιεῖς) sinûs scilicet Maliaci accolæ, seu Locri Epicnemidiis, Phocenses (quorum locum Macedones, ut potè sacrilegii ultores diu tenuere) Dolopes, Aenianes, Delphi, Thessali, & his additi etiam aliquot posteà populi; qua de re Pausanias in Phocicis. Sylburgius tamen in notis ad eundem Pausaniam conjicit Amphictyonum nomen, non ab rege illo Athenarum fuisse desumptum sed ἀμφικτίονας, saltem à principio, dictos, quasi περικτίονας, hoc est, ἀμφὶ τῆς Δελφῆς ἐκτισμένης, seu, (ut Hesychius & Harpocration ex Anaximene interpretantur) eos qui circum Delphos habitabant: quod & Thucydidis Scholiastes observat: περικτίονές εἰσι, inquit, καὶ ἀμφικτίονες οἱ περιοικοῦντες: Jonum scilicet confines, qui vicinam Jonibus incolebant regionem. Strabo lib. 8. alium *Amphictyonum* conventum memorat, Concilium nempe septem civitatum, Epidauri, aliarumque à Peloponneso, & Athenarum apud Calauriam exiguam insulam. De quo intelligendum puto quod idem auctor lib. 9. de conventu Delphico & Pylaico refert à quibusdam Acrisio regi Argivorum assignari ordinis Amphictyonum institutum,

Urb. Cond. Ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

rebatur jam bellum: 1 per Dassaretiorum fines exercitum ducebat, frumentum quod ex hibernis extulerat, integrum vehens: quod in usum militi satis esset, præbentibus agris. Oppida vicique, partim voluntate, partim metu se tradebant. quædam vi expugnata, quædam deserta, in montes propinquos refugientibus barbaris, inveniebantur. 2 Ad Lycum stativa posuit 3 prope flumen Bevum: inde frumentatum circa 4 horrea Dassaretiorum mittebat. Philippus consternata quidem omnia circa, pavoremque ingentem hominum cernebat, sed parum gnarus quam partem petisset consul, alam equitum ad explorandum, quonam hostes iter intendissent, misit. Idem error apud consulem erat. Movisse ex hibernis regem sciebat; quam regionem petisset ignorans. is quoque speculatum miserat equites. Hæ duæ alæ ex diverso, quum diu incertis itineribus vagatæ per Dassaretios essent, tandem in unum iter convenerunt. Neutros fefellit, ut fremitus procul hominum equorumque exauditus est, hostes appropinquare. Itaque priusquam in conspectum venirent, equos armaque expedierant. nec mora, ubi primum hostem videre, concurrendi facta est. Forte & numero & virtute, utpote lecti utrinque, haud impares, æquis viribus per aliquot horas pugnarunt. Fatigatio ipsorum equorumque, incertâ victoriâ diremit prælium. Macedonum quadraginta equites, Romanorum quinque & triginta ceciderunt. neque eo magis explorati quicquam, in qua regione castra hostium essent, aut illi ad regem, aut hi ad consulem retulerunt, per transfugas cognitum est, quos levitas ingeniorum ad cognoscendas hostium res in omnibus bellis præbet.

XXXIV. Philippus aliquid & a ad charitatem suorum, & ut promptius pro eo periculum adirent, ratus profecturum se, si equitum, qui ceciderant in expeditione, sepeliendorum curam habuisset:

INTERPRETATIO.

a *Ut augeret suorum amorem in se*, sive *ut charior Macedonibus esset*.

NOTÆ.

1. *Per Dassaretiorum fines.*] *Dassaretii* populi erant Macedoniæ occiduæ, sive Illyricæ, quæ nunc *Albania*, de quibus suprà xxvij. 34.

2. *Ad Lycum.*] Vulgò legitur, *ad Lingum*. Sed cùm nullum ejus nominis oppidum apud Geographos occurrat, Glareanus *Lychnidum* scribi volebat, quod ad Lacum cognominem, unde evolvitur Drillus fluvius, & quam plerique putant Justiniani Imperatoris patriam fuisse, quæ nempe hodie *Locrida* vocatur: Illorum in hoc judicium non satis certum mihi visum est, ut alibi ostendi. Sigonius *Lycum* hic legit, cum membranis. Id oppidum est Eordæorum in Dassaretiorum confinio.

3. *Prope flumen Bevum.*] Pro *Bevo*, sibi ignoto, Haliacmonem reponit idem Glar. qui tamen fluvius longe à Dassaretiis, & *Lychnide*. Sigon. *Bevum* defendit, non tantùm ex manuscriptis, sed etiam ex Stephano, qui *Beves* urbis in Macedonia meminit, & ad eam Bevi amnis. Erit is igitur amnis, qui in Dassaretiis ortus, in Fordæis exoneratur in Genusum seu Panyasum.

4. *Horrea Dassaretiorum.*] Vrbis nomen est ad Panyasum sitæ.

afferri eos in castra jussit, ut conspiceretur ab omnibus funeris honos. Nihil tam incertum [b] nec tam inæstimabile est, quam animi multitudinis. quod promptiores ad subeundam omnem dimicationem videbatur facturum, id metum pigritiamque incussit: [c] nam qui hastis sagittisque, & rara lanceis vulnera facta vidissent, cum Græcis Illyriisque pugnare assueti, posteaquam gladio Hispaniensi detruncata corpora brachiis abscissis, aut totâ cervice desectâ, divisa à corpore capita, patentiaque viscera, & fœditatem aliam vulnerum viderunt; adversus quæ tela, quosque viros pugnandum esset, pavidi vulgò cernebant. Ipsum quoque regem terror cepit, nondum justo prœlio cum Romanis congressum. itaque revocato filio, præsidioque, quod in Pelagoniæ faucibus erat, ut iis copiis suas augeret, Pleurato Dardanisque iter in Macedoniam patefecit. Ipse cum viginti millibus peditum, quatuor equitum, ducibus transfugis, ad hostem profectus, paulo plus ducentos passus à castris Romanis tumulum propinquum [1] Athaco, fossa, ac vallo communivit: [d] ac subjecta cernens Romana castra, admiratus esse dicitur, & universam speciem castrorum, & descripta suis quæque partibus, tum [2] tendentium ordine, tum itinerum intervallis: & negasse barbarorum ea castra ulli videri posse. Biduum consul & rex, alter alterius conatus exspectantes, continuere suos intra vallum: tertio die Romanus omns copias in aciem eduxit.

Urb. cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XXXV. Rex vero tam celerem aleam universi certaminis timens, [1] quadringentos Tralleis (Illyriorum id, sicut alio diximus loco, est genus) & [2] Cretenses trecentos, addito iis peditibus pari numero equitum, cum duce Athenagora uno ex purpuratis ad lacessendos hostium equites misit. Ab Romanis, [3] quum [3] aberat acies eorum paulò plus quingentos passus,

INTERPRETATIO.

b *Nihil est quòd minùs certò æstimari & provideri possit.*

c *Etenim Macedones, qui cum soliti essent dimicare cum Græcis, &c.*

d *In inferiori loco posita.*

NOTÆ.

1. *Athaco.*] Dassaretiorum urbs fuit *Athacus*, non procul Octolopho, in Candavia, sive regione Candaviis montibus, qui & Cambunii dicuntur, subjecti, ad dextram Genusii.

2. *Tendentium ordine.*] Militare verbum pro *tentoria figere*, & ordine disposita habere, quomodo apud Virgilium 2. Æneid.

Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.

1. *Quadringentos Tralleis.*] Vulgò legitur, *Triballos*. Sed veteres libri habent *Tralles*, quos Sigon. ex Stephano Illyrici populos memorat post Theopompum, eorumque regionem *Tralliam*.

2. *Cretenses.*] Incolæ insulæ, quæ veteribus *Creta*, hodie *Candia* Italis, Turcis *Kirit adà*, bellicosi olim habiti, ut à quibus disciplinam Laconum hausisse Lycurgus dicatur: arte in primis sagittandi celebrabantur.

3. *Quum aberat.*] Hæc meritò suspecta sunt Gronovio. Manuscripti habent, *ab Romanis autem aberat*, &c. Quod non

Urb. Cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

equitum duæ ferme alæ emissæ: ut numero quoque eques pedesque hostem æquarent. Credidere regii, genus pugnæ 4 cui assueverant, fore; ut equites invicem insequentes refugientesque, nunc telis uterentur, nunc terga darent, Illyriorum velocitas ad excursiones & impetus subitos usui esset, Cretenses in invehentem se effuse hostem sagittas conjicerent. Turbavit hunc ordinem pugnandi non acrior quàm pertinacior impetus Romanorum. nam haud secus, quam si tota acie dimicarent, & velites emissis hastis cominus gladiis rem gerebant, & equites ut semel in hostem evecti sunt, stantibus equis, partim ex ipsis equis, partim desilientes immiscentesque se peditibus, pugnabant. ita nec eques regius equiti par erat, insuetus ad stabilem pugnam; nec pedes concursator, & vagus, & prope seminudus genere armorum veliti Romano, parmam gladiumque habenti, pariterque & ad se tuendum, & ad hostem petendum armato. Non tulere itaque dimicationem; nec alia re, quam velocitate, tutantes se, in castra refugerunt.

XXXVI. Uno deinde intermisso die, quum omnibus copiis equitum levisque armaturæ pugnaturus rex esset, nocte a cetratos, quos pelcastas vocant, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat; præceperatque Athenagoræ & equitibus, ut si aperto prælio procederet res, uterentur fortuna: si minus, cedendo sensim, ad insidiarum locum hostem pertraherent. Et equitatus quidem cessit. duces cetratæ cohortis, non satis exspectato signo ante tempus excitatis suis, occasionem bene gerendæ rei amisere. Romanus & aperto prælio victor, & tutus à fraude insidiarum, in castra sese recepit. Postero die omnibus copiis consul in aciem descendit; ante prima signa locatis elephantis: quo auxilio tum primùm Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, usi sunt. Ubi latentem intra vallum sensit, exprobrans metum b successit. Posteaquam ne tum quidem potestas pugnandi dabatur, quia ex tam propinquis stativis parum tuta frumentatio erat, dispersos milites per agros equitibus extemplo invasuris; octo ferme inde millium intervallo tutiorem frumentationem habiturus, castra 1 ad Octolophum (id est loco nomen) movit. Quum in propinquo agro frumentarentur Romani, primo rex intra val-

INTERPRETATIO.

a *Brevi ac lunato scuto armatos.* b *Accessit ad vallum.*

NOTÆ.

malè fuerit, si inseratur parenthesis, ita: *ab Romanis autem (aberat acies eorum paulo plus quingentos passus) velites & equitum duæ fermè alæ emissæ.*

4. *Quo assueverant.*] Sic scripti omnes, non, ut vulgò, *cui assueverant*; ita Cic. 3. de Orat. *homines labore assiduo & quotidiano assueti.* Cæsar lib. 1. de bello civ. *genere quodam pugnæ assuefacti.* Flor. lib. cap. 1. *assuetas sanguine & præda volucres.*

1. *Ad Octolophum.*] In Dassaretiis ad

lum suos tenuit, ut cresceret simul & negligentia cum audacia hosti. Ubi effusos vidit, cum omni equitatu, & Cretensium auxiliaribus, quantum equitem velocissimi pedites cursu æquare poterant, citato profectus agmine, inter castra Romana & frumentatores [c] constituit signa. Inde copiis divisis, [2] partim ad consectandos vagos frumentatores emisit, [d] dato signo, ne quem vivum relinquerent; cum parte ipse substitit, itineraque, quibus ad castra recursuri videbantur hostes, obsedit. Jam passim cædes ac fuga erat, necdum quisquam in castra Romana nuncius cladis pervenerat; quia refugientes in regiam stationem incidebant: & plures ab obsidentibus vias, quam ab emissis ad cædem, interficiebantur. tandem inter medias hostium stationes elapsi quidam trepidi, tumultum magis, quam certum nuncium intulerunt castris.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XXXVII. Consul equitibus jussis qua quisque posset, opem ferre [1] laborantibus; ipse legiones è castris educit, & agmine quadrato ad hostem ducit. Dispersi equites per agros quidem aberrarunt, decepti clamoribus [a] aliis ex alio existentibus loco. Pars obvios habuerunt hostes. pluribus locis simul pugna cœpit. Regia statio atrocissimum prœlium edebat. nam & ipsa multitudine equitum peditumque prope justa acies erat: & Romanorum, [2] quia medium obsederat iter, plurimi in eam inferebantur: Eo quoque superiores Macedones erant, quod & rex ipse hortator aderat, & [b] Cretensium auxiliares multos ex improviso vulnerabant, [c] conferti præparatique in dispersos & effusos pugnantes. Quod si modum in insequendo habuissent, non in præsentis modo certaminis gloriam, sed in summam etiam belli profectum foret: nunc aviditate cædis intemperantius insecuti, in prægressas cum tribunis militum [3] cohortes Romanas incidere: & fugiens eques, ut primo signa suorum vidit, convertit in

INTERPRETATIO.

c *Cum exercitu substitit.*

d *Cùm mandatum dedisset*, sive *cùm imperasset*.

a *Qui clamores ex aliis atque aliis*, id est, *diversis locis oriebantur*.

b *Auxiliarii milites conducti ex insula Creta*, Gall. *que l'on avoit levez dans l'Isle de Creté*.

c *Cùm Regii conglobati & preparati dimicarent adversus Romanos separatos & effusè palatos*.

NOTÆ.

meridiem Athaci, inter Panyasum fl. & Candavios montes, in confinio Deuriopum fuit *Octolophus*. Ab tumulis seu fastigiis octo deductum nomen videtur.

2. *Partim ad consectandos*, &c. *emisit*.] Intellige per Zeugma, *copias* emisit: nisi malis, *partem*, nempe copiarum.

1. *Laborantibus*.] Nimirum *frumentatoribus*;

2. *Quia medium obsederat iter*.] Statio nimirum, sive agmen cum quo Philippus substiterat. *Le party, le corps où étoit le Roi*.

3. *Cohortes Romanas*.] Videtur Livius ex usu sæculi sui, & militia Cæsariana *cohortes* dixisse: nam tempore Scipionis Romanæ legiones nondum in cohortes dividebantur, sed in corpora, in mani-

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

effusum hostem equos: versaque momento temporis fortuna pugnæ est; terga dantibus qui modo secuti erant. Multi cominus congressi, multi fugientes interfecti. nec ferro tantum periere, sed in paludes quidam conjecti, profundo limo cum ipsis equis hausti sunt. Rex quoque in periculo fuit; nam ruente saucio equo præceps ad terram datus; haud multum abfuit, quin jacens opprimeretur. Saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pavidumque regem [4] in equum subjecit. [5] Ipse quum pedes æquare cursu fugientes non posset equites, ab hostibus ad casum regis concitatis confossus periit. Rex circumvectus paludes pervias inviasque trepida fuga, in castra tandem, jam desperantibus plerisque incolumem evasurum, pervenit. Ducenti Macedonum equites eo prælio periere, centum ferme capti, octoginta admodum ornati equi, [6] Spoliis simul armorum relatis, abducti.

XXXVIII. Fuerunt, qui hoc die regem temeritatis, consulem segnitiæ accusarent. nam & Philippo quiescendum fuisse, quum paucis diebus hostes exhausto circà omni agro ad ultimum inopiæ venturos sciret: & consulem quum equitatum hostium levemque armaturam fudisset, ac prope regem ipsum cepisset, protinus ad castra hostium ducere debuisse. nec enim mansuros ita perculsos hostes fuisse, debellarique momento temporis potuisse. Id dictu, quam re, ut pleraque, facilius. nam si omnibus peditum quoque copiis rex congressus fuisset, forsitan inter tumultum, quum omnes victi metuque perculsi ex prœlio intra vallum, protinus inde supervadentem munimenta victorem hostem fugerent, exui castris potuerit rex. quum vero integræ copiæ peditum in castris mansissent, stationes ante portas, præsidiaque disposita essent, [a] quid, nisi ut temeritatem regis effuse paulo ante secuti perculsos equites imitaretur, profecisset? neque enim ne regis quidem primum consilium, quo impetum in frumentatores palatos per agros fecit, reprehendendum foret, si modum prosperæ pugnæ imposuisset. Eo quoque minus est mirum, tentasse eum fortunam, quod fama erat, Pleuratum, Dardanosque ingentibus copiis profectos domo, jam in Macedoniam transcendisse. [b] Quibus si undi-

INTERPRETATIO.

a *Quid aliud fecisset Consul, nisi quod imitatus esset temeritatem regis.*

b *Si Philippus expectasset, donec copia Dardanorum Romanas auctura advenirent, cumque urgerent; credibile erat Romanos etiamsi non pugnarent, sed interim cederent, totius belli victores futuros.*

NOTÆ.

pulos *cohortium* nomen in copiis sociorum jam tum usurpatum videri potest, saltem in his eo nomine usus est sæpiùs noster.

4. *In equum subjecit.*] Gall. *luy aida à monter à cheval.*

5. *Ipse.*] Eques scilicet, qui regi jacenti opem tulerat.

6. *Spoliis simul armorum.*] Non modò cum phaleris quibus ornati erant, sed

que

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

que circumventus copiis foret, sedentem Romanum debellaturum, credi poterat. Itaque secundum duas adversas equestres pugnas, multo minus tutam moram in iisdem stativis fore Philippus ratus, quum abire inde & fallere abiens hostem vellet, [1] caduceatore sub occasum solis ad consulem misso, qui inducias ad sepeliendos equites peteret; frustratus hostem secunda vigilia, multis ignibus per tota castra relictis, silenti agmine abiit.

XXXIX. Corpus jam curabat consul, quum venisse caduceatorem, & quid venisset, nunciatum est. responso tantum dato, mane postero die fore copiam conveniendi, id quod quæsitum erat, nox, dieique insequentis pars, ad præcipiendum iter Philippo data est. montes, quam viam non ingressurum gravi agmine Romanum sciebat, petit. Consul prima luce caduceatore datis induciis dimisso, haud ita multo post abiisse hostem quum sensisset, ignarus qua sequeretur, iisdem stativis frumentando dies aliquot consumpsit. [1] Stuberam deinde petit, atque [2] ex Pelagonia frumentum, quod in agris erat, convexit. inde [3] ad Pellinam est progressus; nondum comperto, quam regionem hostes petissent. Philippus quum primo ad [4] Bryanium stativa habuisset; profectus inde transversis limitibus, terrorem præbuit subitum hosti. Movere itaque ex Pellina Romani, & [5] ad Osphagum flumen posuerunt castra. Rex haud procul inde & ipse, vallo super ripam amnis ducto ([6] Erigonum incolæ vocant) consedit. inde satis comperto [7] Eordæam petituros Romanos, ad occupandas angustias, ne superare hostes arctis faucibus inclusum aditum possent, præcessit. ibi alia vallo, alia fossa, alia lapidum congerie, ut pro muro essent, alia arboribus objectis, ita ut locus postulabat, aut materia suppeditabat, opere permuniit, atque (ut ipse rebatur) viam suapte natura difficilem, objectis per omnes transitus operibus, inexpugnabilem fecit. Erant pleraque sylvestria circa, in-

N O T Æ.

cum armis equitum qui iis usi fuerant.

1. *Caduceatore.*] Feciali, qui Caduceum pacifici colloquii & commeatûs indicium præferebat.

1. *Stuberam.*] In Deuriopibus, qui ad Septentrionem Candaviis montibus & Panyaso, ad ortum æstivum Erigoni fluvio vicini, fuit *Stymbara*, quam *Stoberam* Suidas vocat, Illyrici oppidum. Eo tempore in parte erat occidentali regni Macedonici, quæ tota regio anteà Illyricis contribuebatur, à Cerauniis ad Scardum montem, secundum Adriaticum mare, protensa.

2. *Ex Pelagonia.*] Tripolitide scilicet, quæ Thessaliæ contermina.

3. *Ad Pellinam.*] *Pellina*, sive *Pelinna* oppidum quoque fuit Deuriopum, Stuberæ ad Orientem æstivum.

4. *Ad Bryanium.*] In eisdem populis *Bryannium* fuit juxta Erigonum fluvium, ad ortum æstivum Pelinnæ.

5. *Ad Osphagum flumen.*] Vel idem est qui aliis *Rhœdias*, sub oppido Europo in Erigonum decurrens, aut inde non procul.

6. *Erigonum incolæ.*] Ex Pœonia Macedoniæ regione supra Doberum ortus *Erigonus* sive *Erigon*, Lynchestarum regionem ferè ambit: inde per Æmathiam & Bottiæam in Axium defluit infrà Ædessam; hodie *Vistrizza*.

7. *Eordæam.*] *Eordæorum* regio inter Aoum & Genusium sita, Taulantiis ad

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

commoda phalangi maxime Macedonum: quæ, nisi ubi prælongis hastis velut vallum ante clypeos objecit (quod ut fiat, libero campo opus est) nullius admodum usus est. Thraces quoque [8] romphææ, ingentis & ipsæ longitudinis, inter objectos undique ramos impediebant. Cretensium una cohors non inutilis erat: [a] sed quæ quoque ipsa, ut si quis impetum faceret, in patentem vulneri equum, equitemque sagittas conjicere poterat; ita adversus scuta Romana, nec ad trajiciendum satis magnam vim habebat, nec aperti quicquam erat, quod peteret. Itaque id ut vanum teli genus [b] senserunt esse, saxis passim tota valle jacentibus incessebant hostem. ea majore cum sonitu, quam vulnere ullo, pulsatio scutorum, parumper succedentes Romanos tenuit. Deinde iis quoque spretis, partim testudine facta per adversos vadunt hostes: partim brevi circuitu quum in jugum collis evasissent, trepidos ex præsidiis stationibusque Macedonas deturbant: &, ut in locis impeditis difficili fuga, plerosque etiam obtruncant.

XL. Ita angustiæ minore certamine, quàm quod animis proposuerant, superatæ: & in Eordæam perventum; ubi pervastatis passim agris, [1] in Elimæam se recepit. inde impetum [2] in Orestidem fecit: & [3] oppidum Celetrum est aggressus, in peninsula situm. Lacus mœnia cingit: angustis faucibus unum ex continenti iter est. Primo situ ipso freti, clausis portis imperium abnuere: deinde postquam signa ferri, ac testudine succedi ad portam, obsessasque fauces agmine hostium viderunt, priusquam experirentur certamen, metu in

INTERPRETATIO.

a *Sed hac etiam ipsa* Cretensium cohors, *quemadmodum equos & equites, si qui ferè inermes impetum facerent, telis poterat impetere: sic* ubi res erat *cum Romanis qui scutis* protecti erant, *nec sagitta satis habebant roboris ad perstringenda scuta, nec* corpora eorum ad ictum *ullâ ex parte patebant.*

b *Experimento didicerunt.*

NOTÆ.

ortum, Dassaretiis ad occasum fuit.

8. *Romphaa.*] *Romphea* longioris gladii species est, ex utraque parte acutus, quam eamdem *frameam* & *spatham* dictam Isidorus tradit Orig. lib.18. cap.6. Gall. *un espadon, une épée à deux mains, ou à la Suisse.* Thraces itaque impediebantur longitudine gladiorum ejusmodi, quominus iis per interjectos arborum ramos uti commodè possent.

1. *In Elymæam.*] Macedoniæ Occidentalis, anteà Illyrici, regio & urbs fuit *Elymea*, quæ Ptolemæo *Elyma*, ad Celydnum fluvium, qui nunc *Salnich*: Elimæis Eordæi ad Aquilonem, Parthiæi & Stymphalii ad ortum; Orestæ ad meridiem cum parte Atintanum; ad occidentem sinus Adriatici maris & Taulantii Australes. Pars fuit, ni fallor, ejus regionis quæ nunc *la Placa* in Albania.

2. *In Orestidem.*] Fuit *Orestis* regio in confinio Macedoniæ & Epiri, pars regionis, quæ nunc *Ganina* ad Acroceraunios usque montes, attingens Jonicum sinum. Nomen regioni ab Oreste, qui ob matris cædem profugus hunc tractum tenuit, condiditque ibi *Argos Oresticum*, cujus situs ignoratur.

3. *Oppidum Celetrum.*] Macedoniæ oppidum in finibus Orestarum, & Atin-

deditionem venerunt. Ab Celetro in Dassaretios processit : 4 urbemque Pellium vi cepit, servitia inde cum cætera præda abduxit, & libera capita sine pretio dimisit : oppidumque iis reddidit ; præsidio valido imposito. nam & sita opportune urbs erat ad impetus in Macedoniam faciendos. Ita peragratis hostium agris, consul in loca jam pacata ad Apolloniam, unde orsus bellum erat, copias reduxit. Philippum averterant Ætoli, & Athamanes, & Dardani, & tot bella repente alia ex aliis locis exorta. Adversus Dardanos jam recipientes ex Macedonia sese, Athenagoram cum expeditis peditibus ac majore parte equitatus misit, jussum instare ab tergo abeuntibus, & carpendo postremum agmen, segniores eos ad movendos domo exercitus efficere. Ætolos Damocritus prætor, qui moræ ad decernendum bellum ad Naupactum auctor fuerat, idem proximo concilio ad arma conciverat : post famam equestris ad Octolophum pugnæ, Dardanorumque & Pleurati cum Illyriis transitum in Macedoniam, ad hæc classis Romanæ 5 adventum in Oreum, & super circumfusas tot Macedoniæ gentes, maritimam quoque instantem obsidionem.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XLI. Hæ caussæ Damocritum Ætolosque restituerant Romanis : & Amynandro rege Athamanum adjuncto profecti, Cercinium obsedere. Clauserant portas; incertum vi, an voluntate : quia regium habebant præsidium. Cæterum intra paucos dies captum est 1 Cercinium, atque incensum. qui superfuerant è magna clade, liberi servique, inter cæteram prædam abducti. Is timor omnes, qui circumcolunt 2 Bœbeam paludem, relictis urbibus, montes coëgit petere. Ætoli inopia prædæ inde aversi, 3 in Perrœbiam ire pergunt. 4 Cyretias ibi vi capiunt, fœdeque diripiunt : 5 qui Mallæam incolunt, voluntate in deditionem

N O T Æ.

tanum inter lacum & fluvium ex eo defluentem in Celydnum.

4. *Urbemque Pellium*.] Oppidum fuit Dassaretiorum in Macedonia inter lacum Lychnidensem & Lyncestarum confinia. Videtur ibi fuisse, ubi *Bichliza*.

5. *Adventum in Oreum*.] Quidam *adventu in Oreum* ; unde conjicit Gronov. *adventum Oreum*, deletâ præpositione *in* : ut lib 22 extremo : *neque ante Consulis Romam adventum*. Et apud Cic. lib. 9. ad Att. epist. 4 *iter ad superum* (supple mare) *navigatio infero, discessus Arpinum*. Est autem *Oreum* Eubϫæ Borealis maritima urbs ad Ægæum : nunc quoque *Oreo*, sive *Loreo*.

1. *Cercinium*.] Magnesiæ regionis in Thessalia oppidum fuit *Cercinium*, sub Ossa monte, inter Scotussam & mare Macedonicum.

2. *Bœbeam paludem*.] *Bœben*, sive *Bœbeidem* paludem alii in Bœotia, Stephanus in Macedonia ponit ; Plin. Thessaliæ assignat : est in Magnesia regione Thessaliæ, quæ Macedonibus paruit, inter Pheras & *Methonem* urbem maritimam.

3. *In Perrœbiam*.] Perrœbi populi in confinio Epiri ac Thessaliæ fuere, diversâ pro variis temporibus regione.

4. *Cyretias*.] *Cyretia* à Ptolemæo Hestiotis Thessaliæ populis accensentur. Sanso inter Pamisum & Curalium fluvios ponit : fuit forte ubi hodie *Corassa* : quanquam Sophiano est *Mal oluri*.

5. *Qui Mallæam incolunt*.] Hæc *Mallea*, sive *Mallia*, tractus fuit in Phthiotide Thessaliæ regione ad Oetam montem apud Thermopylas : unde Maliaco sinui nomen, quo Thessaliæ & Locridis

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

societatemque accepti. Ex Perrœbia [6] Gomphos petendi Amynander auctor erat: & imminet Athamania huic urbi, videbaturque expugnari sine magno certamine posse. Ætoli campos Thessaliæ opimos ad prædam petiere; sequente, quanquam non probante, Amynandro, nec effusas populationes Ætolorum, nec castra, quo fors tulisset loco, sine ullo discrimine ac cura muniendi posita. itaque ne temeritas eorum, negligentiaque, sibi ac suis etiam cladis alicujus caussa esset: quum campestribus locis subjicientes eos castra [7] Phecado urbi videret, ipse paulo plus quingentorum passuum inde tumulum suis, quamvis levi munimento tutum, cepit. quum Ætoli nisi quod populabantur, vix meminisse viderentur se in hostium agro esse: alii palati semiermes vagarentur, alii in castris sine stationibus, per somnum vinumque dies noctibus æquarent, Philippus inopinantibus advenit. quem quum adesse refugientes ex agris quidam pavidi nunciassent, trepidare Damocritus, cæterique duces: & erat forte meridianum tempus, quo plerique graves cibo sopiti jacebant. Excitare igitur alii alios, jubere arma capere, alios dimittere ad revocandos, qui palati per agros prædabantur. tantaque trepidatio fuit, ut sine gladiis quidam equitum exirent, loricas plerique non induerent. Ita raptim educti, quum universi sexcentorum ægre simul equites peditesque numerum explesent, incidunt in regium equitatum, numero, animis armisque præstantem. Itaque primo impetu fusi, vix tentato certamine, turpi fuga repetunt castra. cæsi, captique quidam, quos equites ab agmine fugientium interclusere.

XLII. Philippus suis jam vallo appropinquantibus receptui cani, fatigatos enim equos virosque non tam prælio quam itineris simul longitudine, simul præpropera celeritate, habebat. Itaque turmatim equites, invicemque manipulos levis armaturæ aquatum ire & prandere jubet: alios in statione armatos retinet, opperiens agmen peditum tardius ductum propter gravitatem armorum. Quod ubi advenit, & ipsis imperatum, ut statutis signis armisque ante se positis, raptim cibum caperent, [1] binis, ternisve summum manipulis aquandi caussa missis; interim eques cum levi armatura paratus instructusque stetit, si quid hostis moveret. Ætoli (jam enim & quæ per agros multitudo sparsa fuerat, rece-

NOTÆ.

ora ab insula Eubœa dirimitur: nunc *Golfo di Zeiton*. *Malliam Lympham* Catullus in Thermopylis nominavit, fortè pro calidis ejus loci aquis: cum quibus ardorem suum amantis comparat.

6. *Gomphos petendi.*] Fuere *Gomphi* in Estiotide Thessaliæ regione inter fontes Penei & Jonis amnis: locus nomen hodieque retinet, saltem in Tabulis, ubi *Gonfi* scriptum legitur.

7. *Phecado urbi.*] *Pheca* Sansoni ponitur in Estiotide inter Peneum fl. & Pindum montem, quo hæc regio dividitur à Dolopibus & Athamanibus. Idipsum esse Livii *Phecadum* situs demonstrat; & ni fallor, *Phecadum* scripserat Sanso, quod à Chalcographo postremâ syllabâ decurtatum est.

1. *Binis, ternisve summum.*] Gallicè, *deux à deux, ou trois à trois tout au plus*,

perat se in castra) ut defensuri munimenta, circa portas vallumque armatos disponunt, dum quietos hostes ipsi feroces ex tuto spectabant. posteaquam mota signa Macedonum sunt, & succedere ad vallum parati atque instructi cœpere, omnes repente relictis stationibus, per aversam partem castrorum ad tumulum, ad castra Athamanum perfugiunt. multi in hac quoque tam trepida fuga capti, cæsique sunt Ætolorum. Philippus, si satis diei superesset, non dubius quin Athamanes quoque exui castris potuissent, die per prælium, deinde per direptionem castrorum absumpto, sub tumulo in proxima planicie consedit; prima luce insequentis diei hostem aggressurus. Sed Ætoli eodem pavore, quo sua castra reliquerant, nocte proxima dispersi fugerunt. Maxime usui fuit Amynander, quo duce Athamanes itinerum periti, summis montibus, per calles ignotos sequentibus eos hostibus in Ætoliam perduxerunt. non ita multos in dispersa fuga error intulit in Macedonum equites, quos luce prima Philippus, ut desertum tumulum vidit, ad carpendum hostium agmen misit.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XLIII. Per eos dies & Athenagoras regius præfectus Dardanos recipientes se in fines adeptus, postremum agmen primo turbavit. dein posteaquam Dardani conversis signis direxere aciem, æqua pugna justo prœlio erat. ubi rursus procedere Dardani cœpissent, equite & levi armatura regii; nullum talis auxilii genus habentes Dardanos oneratos [a] immobilibus armis vexabant, [1] & loca ipsa adjuvabant. Occisi perpauci sunt, plures vulnerati, captus nemo, quia non excedunt temere ordinibus suis, sed confertim & pugnant & cedunt. Ita damna Romano accepta bello, duabus per opportunas expeditiones coercitis gentibus restituerat Philippus; incœpto forti, non prospero solum eventu. Minuit deinde ei forte oblata res hostium Ætolorum numerum. Scopas princeps gentis ab Alexandria magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo missus, sex millia peditum & equites mercede conductos Ægyptum avexit. nec ex juventute Ætolorum quenquam reliquisset, ni Damocritus nunc belli quod instaret, nunc futuræ solitudinis admonens (incertum cura gentis, an ut adversaretur Scopæ, parum donis cultus) partem juniorem castigando domi continuisset. Hæc ea æstate ab Romanis, Philippoque gesta erant.

XLIV. Classis à Corcyra ejusdem principio æstatis cum L. Apustio legato profecta, [1] Malea superata, [2] circa Scyllæum

INTERPRETATIO.

a *Gravibus admodum armis, & motum seu cursum tardantibus.*

NOTÆ.

1. *Et loca ipsa adjuvabant.*] Regios, qui Dardanis abeuntibus instabant.

1. *Malea superata.*] *Malea* Laconiæ Australis in Peloponneso promontorium est nautis formidatum, quod nunc *Capo Malio* dicitur Sophiano, sinum Laconicum terminans ortum versus.

2. *Circa Scyllæum.*] Promontorium est Argolidis, (quæ & ipsa Peloponnesi regio) Sinum Argolicum dividens à Saronico, sive Hermionico; nunc *Capo Scigla* eidem Sophiano.

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

[3] agri Hermionici Attalo regi conjuncta est. Tum vero Atheniensium civitas, [a] qui odio in Philippum per metum jam diu moderata erat, id omne in auxilii præsentis spem effudit. nec unquam ibi desunt [4] linguæ promptæ ad plebem concitandam. quod genus, quum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipue Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur. Rogationem extemplo tulerunt, plebsque scivit, *ut Philippi statuæ, imagines omnes, nominaque earum, item majorum ejus virilis ac muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturque: dies festi, sacra, sacerdotes, quæ ipsius majorumve ejus honoris causa instituta essent, omnia profanarentur. Loca quoque in quibus positum aliquid inscriptumve honoris ejus caussa fuisset, detestabilia esse, neque in iis quicquam postea poni dedicarique placere eorum, quæ in loco puro poni dedicarique fas esset. Sacerdotes publicos, quotiescumque pro populo Atheniensi, sociisque & exercitibus & classibus eorum precarentur, toties detestari atque execrari Philippum, liberos ejus, regnumque, terrestres navalesque copias, Macedonum genus omne, nomenque.* additumque decreto, *Si quis quid postea, quod ad notam ignominiamque Philippi pertineret, ferret, id omne populum Atheniensem jussurum: si quis contra ignominiam prove honore ejus dixisset, fecissetve, qui occidisset eum, jure cæsurum.* postremo inclusum, *Ut omnia quæ* [5] *adversus Pisistratidas decreta quondam erant, eadem in Philippo servarentur.* Athenienses quidem literis verbisque, quibus solis valent, bellum adversus Philippum gerebant.

XLV. Attalus, Romanique quum Piræeum primo ab Hermione petissent, paucos ibi morati dies, oneratique æquè immodicis ad honores sociorum, ac quæ in iram adversus hostem fuerant, Atheniensium decretis, navigant à Piræeo Andrum. & quum in portu, quem [1] Gaureleon vocant, constitissent, missis qui tentarent oppidanorum animos, si voluntate trade-

INTERPRETATIO.

a. *Odium in Philippum, quod per metum jamdiu cohibuerat*: nunc totum aperuit & effudit spe auxilii instantis.

NOTÆ.

3. *Agri Hermionici*.] Fuit hæc *Hermion* urbs Peloponnesi in ora Argiæ sive Argolidis regionis, inter Scyllæum promontorium & Naupliam sita: unde vicino sinui nomen, qui pars sinûs Argolici, hodie *Golfo de Napoli di Romania*. Fuit apud Hermionem celebre olim Cereris templum. Oppidum in ruinis jacet; locus Moletio *Maria* dicitur.

4. *Lingua prompta*, &c.] Nunquam defuere Athenis Oratores, in hoc uno ponentes operam ut vulgus lingua & dictis suis huc illuc agitarent atque impellerent, quales Pericles, Demosthenes, Æschines, &c.

5. *Adversus Pisistratidas*.] Pisistrati, qui sub tempora Cyri Persarum regis & Solonis legislatoris, Atheniensium tyrannidem invaserat, filii (inde Pisistratidæ appellati) Hipparchus cæsus, Hippias pulsus ob asperam dominationem fuere, eodem ferme tempore, quo exacti Româ Tarquinii.

1. *Gaureleon*.] Aliàs *Gaurium*, portus insulæ Andri.

re urbem, quam vim experire mallent; postquam præsidio regio arcem teneri, nec se potestatis suæ esse respondebant; expositis copiis, omnique apparatu urbium oppugnandarum, diversis partibus rex & legatus Romanus ad urbem subeunt. Plus aliquantò Græcos Romana signa armaque non antè visa, animique militum tam promptè [2] succedentium muro, terruere. Itaque fuga extemplo in arcem facta est: urbe hostes potiti. & in arce, quum biduum loci se magis quam armorum fiducia tenuissent; tertio die, pacti ipsi præsidiumque, ut cum singulis vestimentis Delium Bœotiæ transveherentur. Ea ab Romanis regi Attalo concessa: prædam, ornamentaque urbis ipsi avexerunt. Attalus ne desertam haberet insulam, & Macedonum ferè omnibus, & quibusdam Andriorum, ut manerent, persuasit. postea & [3] ab Delio, qui ex pacto transvecti eò fuerant, promissis regis, quum desiderium quoque patriæ [4] facilius ad credendum inclinaret animos, revocati. Ab Andro [5] Cythnum trajecerunt. ibi dies aliquot oppugnanda urbe nequicquam absumpti: &, quia vix operæ pretium erat, abscessere. [6] Ad Prasias (continentis Atticæ is locus est) [7] Issæorum viginti lembi classi Romanorum adjuncti sunt. ii missi ad populandos [8] Carystiorum agros. cætera classis [9] Geræstum, nobilem Eubœæ portum, dum à Carysto Issæi redirent, tenuit. Inde omnes ve-

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

N O T Æ.

2. *Succedentium muro*.] In Vossiano & Andreæ editione legitur, *Succedentium muros*; cujus loquendi formæ alia sunt exempla apud Nostrum, lib. 22. *Levis armatura Romanorum praeoccupatum inferiore loco succedens tumulum*: & lib. 27. *Assuetudine succedendi muros, & pertinaciâ animi subjerunt primi*.

3. *Ab Delio*.] Fuit *Delium* oppidum ad oram Euripi inter ostia Asopi & Ismeni, urbesque Bœotiæ Tanagram & Aulidem: hodie in ruinis jacere dicitur.

4. *Facilius ad credendum*.] Mavult Gron. *Faciles ad credendum animos*.

5. *Cythnum*.] Una ex Cycladibus versus meridiem, inter Ciam & Seriphum. Hæc insula cum superiori præsidiis Philippi tenebatur.

6. *Ad Prasias*,] *Prasia* vel *Prasiæ*, municipium fuit Atticæ ad Sunium promontorium: quod ideo notat Livius, quia in Laconia Peloponnesi regione ad Sinum Saronicum ejusdem nominis oppidum erat.

7. *Issaeorum*.] *Issæi*, sunt incolæ *Issæ*. Duo præsertim occurrunt hujus nominis loca apud Geographos. Est enim *Issa* urbs Lesbi insulæ, quæ Himera & Pelasgia dicta fuit. teste Steph. Est & *Issa* insula atque urbs Adriatici maris, ex adverso Jaderæ: quæ hodie Venetis subjacet, ut & aliæ vicinæ insulæ, vulgò *Lissa* Italis ex Soph. Sclavonibus *Vuis*: aliis est *Isola Grande*: Anna Comnena *Jesam* vocat: Ptolemæus Dalmatiæ adscribit, Plinius Liburniæ, meliùs, ni fallor. Hæ duæ sunt Illyrici regiones, cujus maritimæ gentes Piraticam exercere solitæ. Et à Liburnis populis velocium navigiorum genus Liburnarum nomen, vel Liburnicarum accepit: hinc apud Horatium. *Ibis Liburnis inter alta Navium, Amice propugnacula*. Ab hac igitur insula dictos puto Issæos, quorum hic mentio.

8. *Carystiorum agros*.] *Carysti* incolæ, quod oppidum est Eubœæ in ora Orientali, Andro insulæ opposità, inter Caphareum & Geræstium promontoria, adhuc nomen retinens.

9. *Geræstum*.] Ejusdem Eubœæ oppidum fuit quindecim ab Carysto millibus passuum, meridiem versus: unde proximo promontorio nomen, quod

Urb. cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

lis in altum datis, maris medio præter [10] Scyrum insulam [11] Icum pervenere. ibi paucos dies, sæviente Borea, retenti; ubi prima tranquillitas data est, Sciathum trajecere, vastatam urbem, direptamque nuper à Philippo. Per agros palati milites frumentum, & si qua alia usui esse ad vescendum poterant, ad naves retulere. prædæ nec erat quicquam, nec meruerant Græci cur diriperentur. Inde [12] Cassandream petentes, primo [13] ad Mendin, maritimum civitatis ejus vicum, tenuere. inde quum superato promontorio ad ipsa mœnia urbis circumagere classem vellent, sæva coorta tempestate prope obruti fluctibus; dispersi magna ex parte amissis armamentis in terram effugerunt. Omen quoque ea maritima tempestas ad rem terra gerendam fuit, nam collectis in unum navibus, expositisque copiis aggressi urbem, cum multis vulneribus repulsi (& erat validum ibi regium præsidium) irrito incœpto regressi [14] Canastrum [15] Pallenes trajicere. inde superato [16] Toronæ promontorio, navigantes [17] Acanthum petiere. Ibi primo ager vastatus, deinde ipsa urbs vi capta, ac direpta. nec ultra progressi (jam enim & graves præda naves

NOTÆ.

Ciam insulam respicit. In tabulis *Geresto* nunc quoque appellatur.

10. *Scyrum insulam*.] Insula *Scyros*, triquetrâ formâ, scopulosa & parùm fœcunda, imminet Orientali Eubœæ regioni ad 28. millia passuum: nobilis Achillis, sub virginis habitu, cum Laodamiæ furtivis amoribus. Nunc quoque *Scyro* dicitur.

11. *Icum pervênere*.] Insula quoque exigua est Ægæi maris *Icos* ad ortum Sepiadis Magnesiæ oppidi, ad Septentrionem Orei Euboïci longiùs dissiti, ad meridiem Sciathi & Peparethi insularum.

12. *Cassandream*.] *Cassandrea* sive *Cassandria*, priùs *Potidæa* (cujus frequens mentio apud Demosthenem) donec Cassander unus ex ducibus Alexandri, Macedoniâ potitus nomen mutavit: fuit in Paraxiæ regionis extrema peninsula, à Philippo Magni Alexandri patre Atheniensibus erepta cum Pydna, & Amphipoli. Quæ omnes urbes, aliæque hujus tractûs ad ortum æstivum vergentes, Thraciæ à plerisque veteribus scriptoribus assignantur: ad quam verè primum pertinuisse videntur ante Macedonum potentiam. *Cassandria* nomen hodieque servat.

13. *Ad Mendin*.] *Mendis*, aliàs *Menda*, Thermaïco sinui imminet, vicus hic dicitur civitatis, id est, ditionis seu Territorii Cassandriæ: Hodie *Menin* vocari ajunt.

14. *Canastrum*.] Oppidum est Cassandriæ finitimum; unde Canastræum promontorium: hodie *Capo Canistro*.

15. *Pallenes*.] Fuit *Pallene*, seu *Patalene* peninsula inter sinus Thermaïcum, & Toroniacum in Ægæum mare prominens, inque ea extrema hinc Cassandria ad meridiem, inde *Pallene* urbs ad Boream, aliàs *Phlegra*, teste Herodoto. Nunc Moletio *Patilena*.

16. *Toronæ promontorio*.] Quid fit *Toronæ promontorium*, non satis intelligo, nisi velit auctor *Canastræum* indicare, quod Cassandria venientibus superandum est, si quis Toronam navigare velit, trajecto sinu, qui Toronaïcus appellatur ab apposita civitate in antedicta Paraxia regione Macedoniæ, sed extrà Chersonesum Cassandreæ seu Pallenes, Nardus & Pinetus *Castel Rampo* nunc dici volunt. Sophianus *Longo*: vulgò tamen creditur hodie vocari *Agiomana*: quo nomine vocatur etiam proximus sinus.

17. *Achantum*.] In Chalcidica regione habe-

habebant) retro, unde venerant, Sciathum, & ab Sciatho Euboeam repetunt. Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

XLVI. Ibi relicta classe, decem navibus expeditis sinum Maliacum intravere; ad colloquendum cum Ætolis de ratione gerendi belli. Sipyrrhicas Ætolus princeps legationis ejus fuit, qui ad communicanda consilia [1] Heracleam cum rege, & cum Romano legato venit. Petitum ex fœdere ab Attalo est, ut mille milites [a] præstaret. tantum enim numerum bellum gerentibus adversus Philippum debebat. Id negatum Ætolis: quod illi quoque gravati priùs essent ad populandam Macedoniam exire, quo tempore Philippo circa Pergamum urente sacra profanaque, abstrahere eum inde [b] respectu rerum suarum potuissent. Ita Ætoli cum spe magis, Romanis omnia pollicentibus, quam cum auxilio dimissi. Apustius cum Attalo ad classem rediit. inde consultari de oppugnando Oreo cœptum. Valida ea civitas & mœnibus, & quia antè fuerat tentata, firmo erat præsidio. Conjunxerant se iis post expugnationem Andri cum præfecto Agesimbroto, viginti Rhodiæ naves, [2] tectæ omnes. eam classem in stationem, [3] ad Zelasium miserunt (Isthmiæ id super Demetriadem promontorium est peropportune objectum) ut si quid inde moverent Macedonum naves, in præsidio essent. Heraclides præfectus regius [4] classem ibi tenebat. magis per occasionem, si quam negligentia hostium dedisset, quam aperta vi quicquam ausurus. Oreum [c] diversi Romani, & rex Attalus oppugnabant: Romani à maritima arce, regii adversus vallem inter duas jacentem arces, qua & muro intersepta urbs est: & ut loca diversa, sic dispari modo etiam oppugnabant: Romani testudinibus, & vineis, &

INTERPRETATIO.

a *Suppeditaret.*
b *Ad res proprias tuendas in Macedonia.*
c *E diversis partibus.*

NOTÆ.

Macedoniæ, fuit oppidum *Acanthus* extra peninsulam, ad Singiticum sinum, qui hunc *Erisso* teste Sophiano.

1. *Heracleam.*] Thessalicam, quæ & Trachinia.

2. *Tecta omnes.*] Majorum hoc navium & armatarum proprium fuit, ut contectæ essent, ac duplex haberent tabulatum; eoque distabant ab onerariis.

3. *Ad Zelasiam.*] Neque hujus nominis promontorium invenitur apud Geographos, neque Isthmia ulla circa Demetriadem Magnesiæ urbem, quæ inter Pagasas & Jolcon. Donec melius quid certiusque occurrat, legendum ex Gronovii sententia. *Ad Phalasiam miserunt: Histiaa id super Demetriadem promontorium est,* &c. Est enim *Phalasia* promontorium, vel promontoria Ptolemæo juxta Oreum, quæ urbs priùs *Istias* & regio Istiæotis, in Eubœa apud Strab. lib 10. Aut si Istiæa urbs fuit ab Oreo diversa, certè in eadem insulæ Eubœæ regione fuit. Quod autem ait Livius, *super Demetriadem, objectum* .... accipiendum est è longinquo, atque interjacente mari, sed tamen è regione.

4. *Classem ibi tenebat.*] Non apud Phalasiam, seu *Phalasia*, quæ nonnisi exiguo spatio disjuncta ab Oreo: (neque enim inde exturbatus ab oppugnantibus

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

c ariete admovendo muris: regii balistis, catapultisque, & alio omni genere tormentorum tela ingerentes, & pondere ingenti saxa jaciebant, 5 & cuniculos, & quicquid aliud priore oppugnatione expertum profuerat. Cæterum non plures tantum Macedones, quam antè tuebantur urbem arcesque, sed etiam præsentioribus animis, 6 & castigationibus regis in admissa culpa, & simul minarum, simul promissionum in futurum memores, ita ut parum in expugnatione celeri spei esset. Interim & aliud agi posse ratus legatus, relictis quot satis videbatur ad opera perficienda militibus, trajicit in proxima continentis: Larissamque (non illam in Thessalia nobilem urbem, sed alteram, quam 7 Cremasten vocant) subito adventu, præter arcem, cepit. Attalus quoque 8 Ægeleon, 9 nihil minus quam tale quicquam in alterius oppugnatione urbis timentibus, oppressit. Et jam quum opera in effectu erant circa Oreum: tum præsidium quod intus erat, labore assiduo, vigiliis diurnis pariter nocturnisque & vulneribus confectum. Muri quoque pars ariete incusso subruta, multis jam locis prociderat: perque apertum ruina iter nocte Romani, 10 quodque super portum est, in arcem perruperunt. At-

INTERPRETATIO.

c *Arietem admoventes ad muros.*

NOTÆ.

Romanis Heraclides: sed apud Demetriadem procul inde positam in Thessaliæ continenti.

5. *Et cuniculos.*] Quò referantur accusativi *cuniculos*, *& quidquid*, est quod ambigatur: nisi velis regi à participio *ingerentes*, aut à verbo *jaciebant*: quæ tamen satis dura locutio: aguntur enim cuniculi, non *ingeruntur*; longè minùs *jaciuntur*. Posset & subintelligi verbum *experiebantur*, quasi postea repetitum sequenti vocabulo *expertum profuerat*. Hæ difficultates Gronovium impulere, ut scribendum censeret *& cuniculis*: quod quidem rectè convenit cum *Balistis* & *Catapultis*, de quibus antè; non ita cum sequentibus, *Et quidquid aliud*: præterquàm si dicamus nomen *quidquid* resolvi in, *eo omni quod*.

6. *Et castigationibus regis.*] An *ex castigationibus regis*, an potius scribendum, ex verisimili admodum Gronovii conjectura, *& castigationis regiæ* ... *memores*: de quâ supra lib. 28. cap. 8.

7. *Cremasten vocant.*] Duæ in Thessalia fuere *Larissæ*: altera caput regionis, in Pelasgiotide ad Peneum; altera *Cremaste*, sive *Pensilis* cognomine, quòd in colle posita esset, in Phthiotide ad oram, inter Maliacum sinum & Pelasgicum. Adhuc quoque *Larizzo* dici creditur.

8. *Ægeleon.*] *Ægas* Euboicas fortè intelligit, qui locus juxta Euripum ex adverso Larymnæ inferioris, ad Cephisi ostium positæ in Locris: vel potiùs *Leon* Ptolemæo dictum promontorium, quæ Straboni *Leuce Acte*, ubi nunc Sophiano *Capo Montello*: fortean *Ædepsam* voluit Livius; quæ urbs quoque non procul Ægis nunc *Dipso* appellatur.

9. *Nihil minùs* . . . . *timentibus.*] Cùm nempe incolæ Ægelei, ejusmodi nihil timerent: subaudi ergo *incolis*, sive *civibus*.

10. *Quodque super portum est.*] Quò referemus illud *quodque*, sive *& quod super portum est*, an ad *iter*, ut Romani perruperint in arcem per iter apertum ruinâ, & per iter quod est ad por-

talus luce prima, signo ex arce dato ab Romanis, & ipse urbem invasit; stratis magna ex parte muris: præsidium oppidanique in alteram arcem perfugere, unde biduo post deditio facta. urbs regi, captiva corpora Romanis cessere.

Urb. cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio

XLVII. Jam autumnale æquinoctium instabat: & est sinus Euboicus, 1 quem Cœla vocant, suspectus nautis. itaque ante hiemales motus evadere inde cupientes, Piræeum, unde profecti ad bellum erant, repetunt. Apustius triginta navibus ibi relictis, a super Maleam, navigat Corcyram. b Regem spatium initiorum Cereris, ut sacris interesset, tenuit. secundum initia & ipse in Asiam se recepit; Agesimbroto & Rhodiis domum remissis. Hæc ea æstate terra marique adversus Philippum sociosque ejus, à consule & legato Romanis, adjuvantibus rege Attalo & Rhodiis gesta. Consul alter C. Aurelius ad confectum bellum quum in provinciam venisset, haud clam tulit iram adversus prætorem, quod absente se rem gessisset. misso igitur eo in Etruriam, ipse in agrum hostium legiones induxit: populandoque cum præda majore quam gloria bellum gessit. L. Furius, simul quod in Etruria nihil erat rei, quod

INTERPRETATIO.

a Superato promontorio Malea. b Attalum ibi retinuit tempus quo sacra Eleusinia Cereris celebrabantur: post ea sacra perfecta, in regnum est reversus.

NOTÆ.

tum? an potiùs subintelligemus *spatium* quod erat ad portum,

1. *Quem Cœla vocant.*] Κοῖλα Græcis generali nomine *Cavitates* sunt. Hoc loco intelliguntur, opinor, sinus qui à Carysto ad Chalcidem occurrunt inter Eubœam & continentem Bœotiæ; quod hic satis indicat Liv. At Strabo ita explicat initio lib. 10. τῆς Εὐβοίας τὰ κοῖλα λέγουσι τὰ μεταξὺ Αὐλίδος καὶ τῶν περὶ Γεραιστὸν τόπων. Κολποῦται γὰρ ἡ παραλία, πλησιάζουσα δὲ Χαλκίδι κυρτοῦται πάλιν πρὸς τὴν ἤπειρον: *Cava Eubœæ vocantur, quæ inter Aulidem & loca circa Geræstum jacent. Ibi enim ora maritima in sinum flectitur: ad Chalcidem autem appropinquans, rursum ad continentem incurvatur*, Ex his non satis apparet an sinus, an verò terra sinui imminens, κοῖλα dicatur: & videri potest utrique commune hoc nomen, quod sinus maris à sinuosa circùm regione acceperint. Ab Ptolemæo certè κοῖλα Εὐβοίας inter Leonem & Caphareum promontoria, urbesque Carystum & Geræstum ponuntur. Valer. Maxim. lib. 1. cap. 8. num. 10. de terra tantum videtur accipere, cum Cœlam Eubœæ dicit eam regionem quæ inter Rhamnunta nobilem soli Attici partem, Carystumque Chalcidico freto vicinam, interjacet: cum *regionem* vocet, excludit haud dubiè mare, ita ut intelligi non possit Euboicus sinus, sive ipsum mare quo Attica sejungitur ab Eubœa. Designat itaque hujus insulæ partem, quæ ab orâ Rhamnunti oppositâ ad Carystum protenditur. Qua ratione non tam maris, litorumque sinuosi flexus spectabuntur, quam cavitas sive profunditas oræ depressæ interiùs ac planæ: idque ut indicetur tantum locus quà mare illud periculose exæstuat. Cæterum, quemadmodum fluminis vocabulum, cum aqua fluente, alveum & ripam utramque denotat: ita in mari sinus, non minus litora significat, quam mare, quod iis continetur. Atque ita *sinus Euboicus Cœla* dici poterit, ab ea parte Eubœæ quæ vicino huic mari litora præbet:

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

gereret, simul Gallico triumpho imminens, quem absente consule irato atque invidente facilius impetrari posse ratus, Romam inopinato cum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit: expositisque rebus gestis, ut triumphanti sibi in urbem invehi liceret, petit.

XLVIII. Apud magnam partem senatus, & magnitudine rerum gestarum valebat, & gratia. majores natu negabant triumphum, & quod alieno exercitu rem gessisset, & quod provinciam reliquisset aviditate rapiendi occasionem triumphi; id verò cum nullo exemplo fecisse. consulares præcipue, exspectandum fuisse consulem dicebant: potuisse enim castris [1] prope urbem positis, tutanda colonia, ita ut acie non decerneret, in adventu ejus rem extrahere. & quod prætor non fecisset, senatui faciendum esse. Consulem exspectarent: ubi coram disceptantes consulem & prætorem audissent; [a] verius de caussa existimaturos esse. Magna pars senatus nihil præter res gestas, & an in magistratu suisque auspiciis gessisset, censebant spectare senatum debere. *Ex duabus coloniis, quæ velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus oppositæ fuissent,* [2] *quum una direpta & incensa esset, trajecturumque id incendium velut ex continentibus tectis in alteram eam propinquam coloniam esset, quid tandem prætori faciendum fuisse? nam si sine consule nihil geri oportuerit, aut senatum peccasse, qui exercitum prætori dederit: (potuisse enim, si non cum prætoris, sed consulis exercitu rem geri voluerit, ita finire Senatusconsultum, ne per prætorem, sed per consulem gereretur:) aut consulem, qui non, quum exercitum in Etruria transire in Galliam jussisset, ipse Arimini accurrerit, ut bello interesset, quod sine eo geri fas non esset. Non exspectare belli tempora, moras & dilationes imperatorum, & pugnandum esse interdum, non quia velis; sed quia hostis cogat. Pugnam ipsam eventumque pugnæ spectari oportere. fusos cæsosque hostes: castra capta ac direpta: coloniam liberatam obsidione: alterius coloniæ captivos recuperatos, restitutosque suis: debellatum uno prælio esse. Non homines tantum ea victoria lætatos, sed Diis quoque immortalibus per triduum supplicationes habitas: quod bene ac feliciter, non quod male ac temere respubliba à L. Furio prætore gesta esset. Data fato etiam quodam Furiæ genti Gallica bella.*

XLIX. Hujus generis orationibus ipsius amicorumque, victa est, præsentis gratia prætoris, absentis consulis majestas: triumphumque frequentes L. Furio decreverunt. Triumphavit de Gallis in magistratu L. Furius

INTERPRETATIO.

a. *Justius esse pronunciaturos de hac re.*

NOTÆ.

1. *Prope urbem.*] Cremonam intellige ex cap. 20. hujus libri.

2. *Quum una direpta.*] Placentiâ nimirum, ex cap. 10.

prætor. In ærarium tulit [1] trecenta viginti millia æris, [2] argenti centum septuaginta millia pondo; neq; captivi ulli ante currum ducti, neq; spolia prælata, neq; milites secuti; omnia præter victoriam penes consulem esse apparebat. Ludi deinde à P. Cornelio Scipione, [3] quos consul in Africa voverat, magno apparatu facti. Et de agris militum ejus decretum, ut quot quisque eorum annos in Hispania aut in Africa militasset, in singulos annos bina jugera acciperet. eum agrum decemviri assignarent. Triumviri inde creati ad supplendum Venusinis colonorum numerum, quod bello Annibalis attenuatæ vires ejus coloniæ erant, C. Terentius Varro, L. Quintius Flamininus, P. Cornelius, Cn. F. Scipio. hi colonos [4] Venusiam adscripserunt. Eodem anno C. Cornelius Cethegus, qui proconsul Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum [5] in agro Sedetano fudit. quindecim millia Hispanorum eo prœlio dicuntur cæsa, signa militaria capta octo & septuaginta. C. Aurelius consul, quum ex provincia Romam comitiorum caussa venisset, non id, [6] quod animis præceperant, questus est, *Non exspectatum se ab senatu, neque disceptandi cum prætore consuli potestatem factam: sed ita triumphum decrevisse senatum, ut nullius nisi ejus, qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audiret. Majores ideo instituisse, ut legati, tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adessent; ut veritas rerum gestarum ejus, cui tantus honos haberetur, publice videretur. Ecquem ex eo exercitu, qui cum Gallis pugnaverit, si non militem, lixam saltem fuisse, quam percunctari posset senatus, quid veri prætor* [7] *vanive referret?*

Urb. cond. an. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

L. Comitiis deinde diem indixit: quibus creati sunt consules L. Cornelius Lentulus, P. Villius Tappulus. Prætores inde facti L. Quintius Flamininus, L. Valerius Flaccus, L. Villius Tappulus, Cn. Bæbius Tamphilus. Annona quoque eo anno pervilis fuit. frumenti vim magnam ex Africa advectam ædiles curules M. Claudius Marcellus, & Sex. Ælius Pætus [1] binis æris in modios populo di-

NOTÆ.

1. *Trecenta viginti millia æris.*] Hic libras æris, non asses posteriorum temporum intelligi puto: sic earum pretium reddet librarum nostrânum circiter ducenta & octo millia. Alioqui summa exiliteret triumpho non satis digna.

2. *Argenti centum septuaginta millia pondo.*] Gallicâ hodiernâ pecuniâ, *six millions cent vingt mille livres.*

3. *Quos consul in Africa voverat.*] Non consul tunc fuit, cùm bellum in Africa gereret Scipio, sed Proconsul.

4. *Venusiam adscripserunt.*] Plut. in Quintio pro *Venusia* subjicit hoc loco *Narniam* & *Compsam*: de quibus postea Livius, ut Sigon. observat.

5. *In agro Sedetano.*] De Sedetanis Hispaniæ ultra Iberum populis, qui nunc in Parte Aragoniæ, dictum superiori volumine.

6. *Quod animis præceperant.*] Sic legendum ostendit vox *animis*: nam si de uno loqueretur, dixisset, *animo præceperat*. Refertur ergo ad Senatores, qui existimaverant fore ut quereretur Aurelius se exspectatum non fuisse.

7. *Vanive referret.*] Quidam codices *inanisve referret.*

1. *Binis æris.*] Asses hi fuere unciales, hoc est, singuli non multò pluris quàm

Urb. Cond. ann. 553. Coss. P. Sulpicio, & C. Aurelio.

viserunt: & ludos Romanos magno apparatu fecerunt: diem unum instaurarunt: signa ænea ex mulctaticio argento in ærario posuerunt. Plebeji ludi ab ædilibus L. Terentio Massa & Cn. Bæbio Tamphilo, quem prætorem designaverant, ter toti instaurati. Et [2] ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Lævini caussa à P. & M. filiis ejus facti: & munus gladiatorium datum ab iis. paria quinque & viginti pugnarunt. M. Aurelius Cotta, decemvir sacrorum, mortuus. in ejus locum Manius Acilius Glabrio suffectus. Comitiis ædiles curules creati sunt forte ambo, qui statim occipere magistratum non possent. nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, quum Hispaniam obtineret provinciam: C. Valerius Flaccus, quem præsentem crearant, quia flamen Dialis erat, [3] jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solverentur, senatus decrevit, ut [4] si ædilis [a] qui pro se juraret, arbitratu consulum daret; consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus qui juraret pro fratre L. Valerius Flaccus prætor designatus. tribuni ad plebem tulerunt, plebesque scivit, ut perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset. Et de altero ædile scitum plebis est factum, rogantibus tribunis, quos duos in Hispaniam cum imperio ad exercitus ire juberent, ut C. Cornelius ædilis curulis ad magistratum gerendum veniret, & L. Manlius Acidinus decederet de provincia multos post annos. plebs Cn. Cornelio Lentulo, & L. Stertinio proconsulibus imperium esse in Hispania jussit.

INTERPRETATIO.

a *Aliquem qui jusjurandum pronunciaret ipsius vice.*

NOTÆ.

tredecim denariorum Turonensium: itaque hi duo asses vix æquabunt nostrates duos cum dimidio. Sic Gallicè dixeris, *le boisseau de blé estoit à six blancs.*

2. *Ludi funebres.*] Originem funebrium ludorum referunt ad Achillem in Patrocli funere apud Homerum, & Æneam apud Virg. tum in Anchisæ patris honorem, tum in funere Pallantis, Inferias, seu sacra placandis suorum manibus facientes (mactatis victimis, fortè etiam captivis, quasi sanguine maximè humano manes gauderent) ac certamina ludicra celebrantes: nondum enim cruenta erant hæc spectacula: de quo genere Tertul. Ex Romanis primus, vel certè inter primos, P. Scipio Africanus apud Carthaginem novam, in honorem patris & patrui ante aliquot annos in Hispania cæsorum, munus gladiatorium edidit; sed ex voluntariis hominibus: qua de re noster lib. 28. cap. 21. Exemplum nunc P. & M. Valerii sequuntur patris sui causâ.

3. *Jurare in leges non poterat.*] Ad honorem divini numinis quodammodo pertinet, ut, qui sacris addicti sunt, jurare non cogantur.

4. *Si ædilis.*] C. Valerius Flaccus, qui Ædilis creatus erat proximis comitiis.

FINIS LIBRI XXXI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXXII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

COMPLURA prodigia ex diversis regionibus nunciata referuntur: inter quæ, in Macedonia in puppi longæ navis lauream esse natam. T. Quintius Flamininus consul adversus Philippum feliciter pugnavit in faucibus Epiri, fugatumque coëgit in regnum reverti. Ipse Thessaliam, quæ est vicina Macedoniæ, sociis Ætolis & Athamanibus vexavit. L. Quintius Flamininus consulis frater, navali prælio, Attalo rege & Rhodiis adjuvantibus, Eubœam [1] & maritimam oram cepit. Achæi in amicitiam recepti sunt. Conjuratio servorum facta de solvendis Carthaginiensibus obsidibus oppressa est. Prætorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius Cethegus consul Gallos Insubres prælio fudit. Cum Lacedæmoniis, & tyranno eorum Nabide amicitia juncta est. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

Consules, prætoresque, quum Idibus Martiis magistratum iniissent, provincias sortiti sunt. L. Cornelio Lentulo Italia, P. Villio Macedonia: prætoribus, L. Quintio urbana, Cn. Bæbio Ariminum, L. Valerio Sicilia, L. Villio Sardinia evenit. Lentulus consul novas legiones scribere jussus: Villius à P. Sulpicio exercitum accipere, in supplementum ejus quantum militum videretur, ut scriberet, ipsi permissum. Prætori Bæbio legiones, quas C. Aurelius consul habuisset, ita decretæ, ut retineret eas, donec consul novo cum exercitu succederet. in Galliam ubi is venisset, omnes milites exauctorati domum dimitterentur, præter quinquemillia sociûm. his obtineri [1] circa Ariminum provinciam satis

Urb. cond. an. 554. Coss. L. Corn. Lentulo, & Pup. Villio Tappulo.

N O T Æ.

1. *Et maritimam oram cepit.*] Plenius Gudii alter codex teste Gron. *in Eubœam & maritimam oram trajectus Eretriam expugnavit.*

1. *Circa Ariminum provinciam.*] Intelligitur provincia Gallia circumpadana, quæ tunc ab Arimino incipiebat, ubi & sedes Prætoris Rubicone quippe vicino amne dirimebatur Italia propriè dicta à Gallia Cisalpina.

Urb. cond. an. 554. Coss. L. Corn. Lentulo, & P. Villio Tappulo.

esse. Prorogato imperio prætoribus prioris anni; Cn. Sergio, ut militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, 2 agrum assignandum curaret; Q. Minucio, ut in Brutiis idem a de conjurationibus quæstiones, quas prætor cum fide curaque exercuisset, perficeret; & eos, quos 3 sacrilegii compertos in vinculis Romam misisset, Locros mitteret ad supplicium: quæque sublata ex delubro Proserpinæ essent, reponenda b cum piaculis curaret. Feriæ Latinæ Pontificum decreto instauratæ sunt:, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano 4 Latinis carnem, ut assolet, datam non esse. Ab Suessa nunciatum est, duas portas, quodque inter eas muri erat, de cœlo tactum: & Formiani legati, ædem Jovis, item Ostienses, ædem Jovis, & Veliterni, Apollinis & 5 Sangi ædes, & in Herculis æde capillum enatum: & ex Brutiis à Q. Minucio proprætore scriptum, equuleum cum quinque pedibus, pullos gallinaceos tres cum ternis pedibus natos esse. Inde à P. Sulpicio proconsule ex Macedonia literæ allatæ, in quibus inter cetera scriptum erat; lauream in puppi navis longę enatam. Priorum prodigiorum caussa senatus censuerat, ut consules 6 majoribus quibus Diis videretur, sacrificarent. 7 ob hoc unum prodigium aruspices in senatum vocati, atque ex responso eorum supplicatio in diem unum edicta, & ad omnia pulvinaria res divinę factę.

II. Carthaginienses eo anno argentum in stipendium impositum primum Romam advexerunt. id quia probum non esse quęstores renunciaverant, a experientibusque pars quarta decocta erat, pecuniâ Romę mutuâ sumptâ, 1 intertrimentum argenti suppleverunt. Petentibus deinde,

INTERPRETATIO.

a *Inquisitiones conjuratorum quas antea instituerat.*

b *Factis sacrificiis expiatoriis.*

a *Quæstores, cum experimentum fecissent*, argenti Punici, excoquendo probati: *evanuerat & in fumum abierat quarta pars.*

NOTÆ.

2. *Agrum assignandum curaret.*] Mavult Gron. *assignari curaret*, conjecturâ ex libro Vossiano ductâ, ubi *assignare*. Nec laborat periodus, ut ipsi visum, nisi quòd paulò est prolixior. Sensus saltem facilè constat, si continuatâ oratione legas. *Prorogato imperio Prætoribus prioris anni*, eâ lege ut hæc & illa facerent, &c. *Feriæ Latinæ*,&c. *instauratæ sunt*: quasi ea quæ scripta sunt post verba, *prorogato imperio*, parenthesi essent inclusa.

3. *Sacrilegii compertos.*] Convicti enim fuerant expilasse Proserpinæ Templum; qua de re lib. 29. cap. 8. Vide & cap. 21.

4. *Latinis carnem.*] Feriis Latinis Tauri in commune immolati carnes dividebantur quinquaginta, minùs tribus populis, id est, incolis oppidorum Latii septem & quadraginta, ad ea convenientibus, ex fœdere de quo lib. 1. cap. 52.

5. *Sangi ædes.*] Nomen est Jovis fidei præsidis apud Dionys. Halic. lib. 4. Idem Deus Fidius priscis Latinis dictus ex Varrone. De eo dictum tomo 1.

6. *Majoribus.*] Supple *hostiis*.

7. *Ob hoc unum.*] Postremo scilicet loco narratum prodigium, coronæ laureæ, vel folii nati in puppi navis.

1. *Intertrimentum argenti.*] Dicitur *intertrimentum* pro diminutione, eò quòd duo quæ inter se teruntur attritu ut,

ut, si jam videretur senatui, obsides sibi redderentur; centum reddiri obsides. de cæteris, si in fide permanerent, spes facta. Petentibus iisdem, qui non reddebantur obsides, ut ab Norba, ubi parum commodè essent, aliò traducerentur, concessum, 2 ut Signiam & Ferentinum transirent. Gaditanis item petentibus remissum, ne 3 præfectus Gadeis mitteretur, a adversus quod iis in fidem populi Romani venientibus, cum L. Marcio Septimo convenisset. Et Narniensium legatis, querentibus b ad numerum sibi colonos non esse, & immixtos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum caussa triumviros creare L. Cornelius consul jussus. creati Pub. & Sex. Ælii (Pætis fuit ambobus cognomen) & Cornelius Lentulus. quod Narniensibus datum erat, 4 ut colonorum numerus augeretur, id Cosani petentes non impetraverunt.

Urb. Cond. an. 554. Coss. L. Cornel. Lentulo, & Pub. Villio Tappulo.

III. Rebus, quæ Romæ agendæ erant, perfectis, consules in provincias profecti. P. Villium, in Macedoniam quum venisset, atrox seditio militum jam ante irritata, nec satis in principio compressa excepit. duo millia ea militum fuere, qui ex Africa post devictum Annibalem in Siciliam, inde anno fere in Macedoniam pro voluntariis transportati erant. id voluntate factum negabant: *Ab tribunis recusantes in naves impositos. sed utcumque, 1 seu injuncta seu suscepta foret militia; a & eam exhaustam, & finem aliquem militandi fieri æquum esse. Multis annis sese Italiam non vidisse. consenuisse sub armis in Sicilia, Africa, Macedonia. Confectos jam se labore & opere, exsangues tot acceptis vulneribus esse*. Consul, *caussam postulandæ missionis* b *probabilem, si modeste peteretur*, videri dixit. *seditionis nec eam, nec ullam aliam satis justam*

INTERPRETATIO.

b *Contra id quod convenerat.*

c *Minorem esse numerum civium suorum quàm qui frequentanda colonia necessarius videretur.*

a *Et* militiam illam *à se jam toleratam esse.*

b *Quæ approbari deberet.*

N O T Æ.

ipso diminuantur; quemadmodùm *detrimentum* à detritu dicitur, quòd ea quæ trita sint minoris pretii.

2. *Ut Signiam.*] Non abs re Sigonius auguratur non *Signiam*, sed *Setiam* translatos nunc fuisse obsides Carthaginensium; nam eos Setiæ post hæc custoditos fuisse, ubi & propter eos excitata fuit seditio, constat ex hujus libri cap. 26.

3. *Præfectus Gadeis mitteretur.*] Tanquam in urbem deditam, cùm tamen fœderata esset, suoque jure uteretur; qua de re Cic. in orat. pro Corn. Balbo. ubi de *populis Fundis*; suum deinde Senatum habuit tanquam civium Romanorum colonia, teste Cic. ead. Orat. & Plinio, apud quem caput fuisse dicitur unius è quatuordecim Juridicis Hispaniæ Conventibus.

4. *Ut colonorum numerus augeretur.*] In Manuscriptis, & plerisque antiquis editionibus *numerus cogeretur*, id est, congregaretur, conficeretur; idque sive dissipatos revocando, sive novos adscribendo colonos.

1. *Seu injuncta seu suscepta esset militia.*] Ultro scilicet suscepta. Pro *invita*, probat Gron. ex Cod. Oxon. quòd vulgò legebatur, *injuncta*: quod verbum est onerum

Urb. Cond. an. 554. Coss. L. Cornel. Lentulo, & P. Villio Tappulo.

caussam esse. Itaque, si manere ad signa, & dicto parere velint, se de missione eorum ad senatum scripturum. Modestia facilius quam pertinacia quod velint impetraturos.

IV. [1] Thaumacos eo tempore Philippus summa vi oppugnabat aggeribus vineisque: & jam arietem muris admoturus erat. cæterum incœpto absistere eum cogit subitus Ætolorum adventus, qui Archidamo duce inter custodias Macedonum mœnia ingressi, nec die, nec nocte [2] finem ullum erumpendi, nunc in stationes, nunc in opera Macedonum faciebant. & adjuvabat eos natura ipsa loci. namque Thaumaci à [3] Pylis sinuque Maliaco [4] per Lamiam eunti, loco alto siti sunt; ipsis [5] faucibus imminentes, quam [*] Cœlen vocant. Thessaliæque transeunti confragosa loca, implicatasque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facile queas. [6] Ab eo miraculo Thaumaci appellati. nec altitudine solum tuta urbs, sed quod saxo undique abscisso rupibus imposita est. Hæ difficultates, & quod haud satis dignum tanti laboris periculique pretium erat, ut absisteret incœpto Philippus, effecerunt. hiems quoque jam instabat, quum inde abscessit, & in Macedoniam in hiberna copias reduxit.

V. Ibi cæteri quidem, data quantacumque quiete temporis, simul ani-

N O T Æ.

numerumque fungendorum. Facit Plin. ab eo laudatus lib. 8. ep. 16. *Quò libentiùs suscipio, deposco etiam quod injungis.*

1. *Thaumacos.*] Nomen urbis in Phtiotidis & Thessaliotidis confinio, circa Othrin montem ad sinum Maliacum, vulgò *Thamaco*. Stephano *Thaumacia* dicitur, diversa à Thaumacia Magnesiæ.

2. *Finem ullum erumpendi.*] Gall. *Qui ne cessoient de faire des sorties jour & nuit sur les travaux & sur les corps de garde.*

3. *Pylis.*] Intelligit *Thermopylas*, quæ per antonomasiam *Pylæ* vocantur, id est, Portæ: sunt enim alia ejus nominis loca, ob angustias sic dicta, ut portæ ferreæ & Caucaseæ, portæ Ciliciæ & Amanicæ, &c.

4. *Per Lamiam.*] Oppidum fuit Thessaliæ *Lamia* in Phthiotide, non procul Sperchio fluvio, è regione Heracleæ Trachiniæ. Inde sinum Maliacum quidam inversis literis dixere *Lamiacum*, quòd non procul ab ejus litore absit ea urbs. Inde quoque *Lamiacum* appellatum bellum, quod post Alexandri mortem exarsit inter Antipatrum & Athenienses, duce Leosthene: quo in obsidione Lamiæ cæso victi atque iterum subacti fuere Athenienses. Hodie *Lamina* vocatur.

5. *Faucibus imminentes quam Calen vocant.*] Aut supplendum *regionis*, ut sit *faucibus regionis quam Calen vocant:* aut cum Reg. & Colb. legendum, *quas Cale*, vel potiùs *Cala vocant: quas* scilicet fauces *appellant Cala*, id est *cava* plurali numero, Gall. *les creux*: ut hæ inter Lamiam & Thaumacos angustiæ sint κοῖλα λαμίας. Mallem tamen, *quam Calen vocant Thessalia, qua transeunti confragosa loca*, &c. quas nempe *fauces*, &c. *transeunti*. Certè enim *Cale*, id est, Cava appellabatur hæc Thessaliæ regio, cæteris humilior, quasi planitiem dicas: quemadmodum *Cale Syria*, *Cale Elis*, apud Strabonem, *Cæle Eubœa* apud Ptolemæum, de qua lib. priore cap. 45.

6. *Ab eo miraculo.*] Dicti ergo Thaumaci ab admirabili situ, & jucundissimo in plana prospectu. Nam Θαυμάζειν Græcis est *admirari*.

mos corporaque remiserant. Philippum, [1] quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat animus, tanto magis intentum in universum eventum belli curæ angunt: non hostes modo timentem, qui terra marique urgebant, sed nunc [a] sociorum, nunc etiam [a] popularium animos, ne & illi ad spem amicitiæ Romanorum deficerent, & Macedonas ipsos cupido novandi res caperet. itaque & in Achajam legatos misit, simul qui jusjurandum (ita enim pepigerant quotannis juraturos in verba Philippi) exigerent: simul qui redderent [2] Achæis [3] Orchomenon, & [4] Heræam, [5] & Triphyliam: [6] Megalopolitis Alipheram contenden-

Urb. Cond. an. 554. Coss. L. Cornel. Lentulo, & Pub. Vill. Tappulo,

INTERPRETATIO.

a *Subditorum scilicet, id est, Macedonum.*

NOTÆ.

1. *Quantùm ab assiduis laboribus laxaverat animus.*] MSS. quos vidi, habent, non malè, *laxaverat animus*, sensu haud multùm diverso à vulgata lectione, quam Gelenius intulit, *laxaverat animum*. Quidni enim *laxandi* verbo usus fuerit Liv. neutrali significatione, quæ vim habet passivam; cùm Cæsari usurpatum legatur, *ventus remisit*, pro cessavit, aut remissior factus est? certè sententia satis idonea est, ut Philip. ab expeditionum labore, quæ assiduè per æstatem fatigaverant, animum per hiemem relaxasse dicatur, ità tamen ut de futuro totius belli casu anxius cogitaret. Vult tamen non insubtiliter Gron. scribi, *quantùm*, &c. *laxaverat annus*, hoc est, anni tempus; qua ratione Statius pigrum annum dicit, *& pacem piger annus habet*, pro feriarum tempore quo à litibus cessatur: quasi velit auctor quietem non tam animi quàm corporis, quà milites per hiemem gaudebant, ad Regem minimè pertinuisse, ut qui mentem tantò magis exercitam curis gereret.

2. *Sociorum.*] Achæorum præsertim.

3. *Orchomenon.*] Arcadiæ hic Orchomenus intelligitur, inter Ladonis fontes & Parthenium montem, non procul Mantinea: quod oppidum jam Strabonis tempore perierat. Aliud fuit eodem nomine oppidum in Bæotia, nunc Castrum dumtaxat, quod *Orchomeno* adhuc appellatur.

4. *Heræam.*] Jam diximus *Heræam* urbem Arcadiæ quoque fuisse, ad Confluentes Alphei & Ladonis: hodie *Ravoli*. Vide lib. 28. cap. 7.

5. *Et Triphyliam.*] Elidis pars *Triphylia* dicta est, auctore Strabone lib. 8. eo quòd τρία φῦλα, id est, tres gentes in unum corpus ibi olim coivissent, nimirùm veteres incolæ Epei, Minyæ (aut ut alii volunt Arcades) qui eodem posteà commigraverant, & Elei, qui postremò prævaluere: unde *Pylos Triphyliaca* dicta.

6. *Megalopolitis Alipheram.*] Vulgò legebatur *Eleis Alipheram*; quod cùm stare non posset, eo quòd Elei Romanorum fœderati essent, non Philippi; Sigon. reposuerat, *illis* nempe *Achæis*: quod tamen & ipsum vitiosum est, cum non Achæis, sed Megalopolitis contendentibus eam specialiter ad se pertinere, Alipheram restituerit Philippus. Itaque ex ipsius Sigonii ratiocinatione rectè corrigit Gronov. scribens *Megalopolitis*, qui etsi Achæis fœdere juncti hoc tempore, tamen sibi restitui privatim postulabant Alipheram, ut pote quæ una esset ex illis urbibus quæ ad condendam Megalopolin contributæ fuerant decreto Arcadum: eam quidem ante complures annos Elei Ætolorum auxilio ceperant; sed his eripuerat Philippus: unde nunc eam veteribus dominis restituit; quo facto Achæorum animos sibi devinciebat, quandoquidem Megalopolitæ in unum jam cum Achæis corpus convenerant: id ita esse compertum habebit quisquis libri 28. caput 8. relegerit: quo loco nos de Aliphera diximus.

Urb. Cond. an. 554. Coss. L. Cornel. Lentulo, & Pub. Villio Tappulo.

tibus, nunquam eam urbem fuisse ex Triphylia, sed sibi debere restitui: quia una esset ex eis quæ ad condendam Megalopolim ex concilio Arcadum contributæ forent. Et cum Achæis quidem per hæc societatem firmabat. Macedonum animos 7 sibi conciliavit cum Heraclide. nam b quum eum maximæ invidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratum, in vincula conjecit, ingenti popularium gaudio. Bellum, si quando unquam ante aliàs, cum magna cura apparavit, exercuitque in armis & Macedonas & mercenarios milites: principioque veris cum Athenagora, omnia externa auxilia, quodque levis armaturæ erat, 8 in Chaoniam per Epirum ad occupandas, quæ 9 ad Antigoniam fauces sunt (10 Sthena vocant Græci) misit. Ipse paucis post diebus graviore secutus agmine, quum situm omnem regionis adspexisset, maxime idoneum ad muniendum locum credidit esse, præter 11 amnem Aoum. is inter montes,

INTERPRETATIO.

b *Cùm videret Heraclidem causam esse odii, quo ipse apud Macedonas flagrabat.*

NOTÆ.

7. *Sibi conciliavit cum Heraclide.*] Heraclides hic Tarentinus, cùm in Philippi familiaritatem irrepsisset, excellentem ejus indolem ad vitia quævis corruperat: unde nihil mirum si Philippi subditis odio esset eoque in carcerem conjecto Philippus Macedonum animos se demereri posse speraret: & sensus quidem apertus est: sed quis alius Latinè ita exprimeret, ut diceret *Macedonum animos cum Heraclide conciliare*, quod potiùs significaret Heraclidem cum Macedonibus in gratiam reducere; cùm contra velit conciliatos Philippo Macedones per vincula & supplicium Heraclidis. Sed aliquando præpositio, *cum*, significat conditionem, ut apud Columellam, *obsequor voluntati tuæ cum eo ne dubites*, id est, ea conditione. Sic Jurisconsulti dicunt, *cum hoc*, pro *hac lege*, hac adjectâ *conditione*, quod Græci dicebant ἐπὶ τούτῳ, ἐᾶ. Dicunt iidem σὺν θεῷ *cum Deo*, pro juvante Deo. An ita hoc loco *cum Heraclide*, pro adjuvante Heraclide, quasi nihil referat nolens an volens adjuvet? Alias præpositio σὺν Gr. instrumentum denotat, ut cùm ajunt σὺν νηυσὶ φεύγειν, navibus fugere; & Gallicè, *avec*, eodem sensu accipitur loco præpositionis, *per*, *avec de l'argent*. Quæ ratio si fortè non admittatur, Patavinitatem hìc oportet agnoscamus, quæ à Germanica & Vasconica loquendi forma non abhorret.

8. *In Chaoniam per Epirum.*] Epiri quidem regni provincia fuit *Chaonia*, quæ nunc *Canina*, vel *Chimera*. Sed Epirus aliquando strictiùs sumitur: unde orta est divisio Epiri in Barbaram, quæ ad Occidentem, & cujus pars *Chaonia* Thesprotiaque; & Græcam, ad quam pertinebant Molossi, Dolopes, Acarnanes.

9. *Ad Antigoniam.*] Plures fuere *Antigonia*. Hæc, de qua nunc agitur, in extremis finibus Chaoniæ: eam ab Antigono conditore nomen sortitam volunt, quod nunc quoque retinere dicitur.

10. *Στενὰ vocant Græci.*] *Angustias*; nam στενὸς angustum significat.

11. *Amnem Aoum.*] *Aous*, qui *Laus* Ptol. *Æas* fortè Straboni & Melæ, aliisque apud alios nominibus appellatur, fluvius est Macedoniæ Occiduæ, à Penestis, per Parthinos, Fordæos, & Taulantios in mare Adriaticum fluens infra Apolloniam, inter Celydni & Apsi ostia: dicitur hodie *Polina*.

Urb. Cond. an. 554. Coss. L. Cornel. Lentulo, & Pub. Villio Tappulo,

quorum [12] alterum Æropum, alterum Asnaum incolæ vocant, angustâ valle fluit; iter exiguum super ripam præbens: Asnaum Athenagoram cum levi armatura tenere ac communire jubet: ipse Æropo posuit castra. Quæ abscissæ rupes erant, statio paucorum armatorum tenebat; quæ minus tuta erant, alia fossis, alia vallis, alia turribus muniebat. Magna tormentorum etiam vis (ut missilibus procul arcerent hostem) idoneis locis disposita est. tabernaculum regium pro vallo in conspecto maxime tumulo, ut terrorem hostibus, suisque spem ex fiducia faceret, positum.

VI. Consul per [1] Charopum Epirotem certior factus, quos saltus cum exercitu insedisset rex, & ipse quum Corcyræ hibernasset, vere primo [2] in continentem trajectus, ad hostem ducere pergit. quinque millia ferme ab regiis castris quum abesset, loco munito relictis legionibus, ipse cum expeditis progressus ad speculanda loca, postero die concilium habuit, utrum per insessum ab hoste saltum, quanquam labor ingens, periculumque proponeretur, transitum tentaret: an eodem itinere, quo priore anno Sulpicius Macedoniam intraverat, circumduceret copias. Hoc consilium per multos dies agitanti nuncius venit, T. Quintium consulem factum, sortitumque provinciam Macedoniam, maturato itinere jam Corcyram trajecisse. Valerius Antias, intrasse saltum Villium tradit, & quia recto itinere nequierit, omnibus à rege insessis, secutum vallem, per quam mediam fertur Aous amnis, ponte raptim facto in ripam, in qua erant castra regia transgresum, acie conflixisse: fusum, fugatumque regem, castris exutum: duodecim millia hostium eo prælio cæsa, capta duo millia & ducentos: & signa militaria centum triginta & duo, equos ducentos triginta. ædem etiam Jovi in prælio votam, si res prosperè gesta esset. Cæteri Græci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile à Villio actum, integrumque bellum insequentem consulem. T. Quintium accepisse tradunt.

VII. Dum hæc in Macedonia geruntur, consul alter L. Lentulus; qui Romæ substiterat, comitia censoribus creandis habuit. Multis claris petentibus viris creati censores P. Cornelius Scipio Africanus, & P. Ælius Pætus. hi magna inter se concordia, & senatum

NOTÆ.

12. *Alterum Æropum, alterum Asnaum.*] Hi duo montes pars seu juga fuisse videntur Pindi, vel Pœi (qui & ipse pars Pindi) ex quo hinc Aous fluit, inde ex adversa parte Peneus.

1. *Charopum.*] Plut. & Polyb. *Charopa* vocant: unde dicendum essent *Charopem*. Sed facilè transit tertia Græcorum declinatio in secundam Latinorum: sic aliis Harpax, aliis est Harpagus.

2. *In continentem trajectus.*] Ex Veneto Cœnobii Antoniani Codice, hanc lectionem hausit Gron. & loquendi formulam pro Liviana venditat ex lib. 21. *exercitus Placentiam perductus, inde Pado trajectus Cremonam*; & ex hoc lib. 32. *hac summa redempti, in Bœotiam inermes trajecti*. Calamo exarati habent *in continentem trabeatus*, quod Sigon. correxerat, scribendo *tralatus*.

Urb. Cond. an. 555. Coss. T. Quint. & L. Lentulo.

[a] sine ullius nota legerunt: & portoria venalium Capuæ, Puteolisque item [1] Castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt: colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab senatu erat) adscripserunt, & sub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt. Sub idem tempus L. Manlius Acidinus ex Hispania decedens, prohibitus a M. Porcio Læca tribuno plebis, ne ovans rediret, quum ab senatu impetrasset, privatus urbem ingrediens [2] mille ducenta pondo argenti, [3] triginta pondo ferme auri in ærarium tulit. Eodem anno Cn. Bæbius Tamphilus, qui ab C. Aurelio consule anni prioris provinciam Galliam acceperat, temere ingressus Gallorum Insubrium fines, prope cum toto exercitu est circumventus: supra sex millia & sexcentos milites amisit. tanta ex eo bello, quod jam desierat timeri, clades accepta est. Ea res T. Lentulum consulem ab urbe excivit. qui ut in provinciam venit plenam tumultus, trepido exercitu accepto, prætorem multis probris increpitum provincia decedere, atque abire Romam jussit. Neque ipse consul memorabile quicquam gessit: comitiorum caussa Romam revocatus, quæ ipsa per M. Fulvium, & Manium Curium tribunos plebis impediebantur: quod T. Quintium [4] Flamininum consulatum [b] ex quæstura petere non patiebantur. *Jam ædilitatem præturamque fastidiri: nec,* [5] *per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare.*

INTERPRETATIO.

a *Nemine Senatorum ignominiâ notato.* b *Statim post gestum quæstoris munus.*

NOTÆ.

1. *Castrorum portorium.*] Nomine *Castrorum* intelligit munimenta ad Puteolos anteà posita, ubi sex hominum millia in præsidio erant. Vide lib. 24. cap. 13. Id nunc in Coloniam mutatum. Vide & lib. 34. cap. 45.

2. *Mille ducenta pondo argenti.*] Id est, libræ 43200.

3. *Triginta pondo auri.*] Hujus summæ æstimatio librarum Francicarum sedecim millia cum octingentis daret: id est aureos qui nobis hodie in usu 2947. & quod excurrit.

4. *Flamininum.*] Qui Flaminii vulgò appellantur, eos in marmoribus Capitolinis *Flamininos* appellari Sigon. observat.

5. *Per honorum gradus.*] Honores gradatim deferri, ut à minoribus ad majores magistratus ascendatur, & ratio suadet, & mos invaluerat apud Romanos, ita ut quæsturam primò gererent, quæ non tam magistratus erat quàm initium & quasi præparatio ad reliquos honores. Horum primus propriè Aedilitas, secundus Prætura, tertius Consulatus. Verùm hac de re certam legem nondum constitutam fuisse ex eo apparet, quòd cum Senatus ea de re consultus decrevisset, ut populus quem vellet creare posset ex eorum numero qui honorem peterent, quem sibi per leges capere liceret: videmus T. Quintium ex Quæstura consulem factum, prætermissâ ædilitatis & Præturæ petitione: Posteà id constitutum fuisse tum Edicto Prætoris, tum Epistolâ Antonini Pii observant Jurisconsulti in *l. ut gradatim* 11. *in princ.* & *l. honor.* 14. §. 5. *ff. de muner.* & *honor.* saltem in municipiis, nam Romæ constitutum videtur lege annali, quæ lata est à L. Villio tri-

6 Res ex campestri certamine in senatum venit. Patres censuerunt, *Qui honorem, quem sibi capere per leges liceret, peteret, in eo populo creandi quem velit, potestatem fieri æquum esse*. c In auctoritate Patrum fuere tribuni. Creati consules Sex. Ælius Pætus, & T. Quintius Flamininus. Inde Prætorum comitia habita. creati L. Cornelius Merula, M. Claudius Marcellus, M. Porcius Cato, C. Helvius, qui ædiles plebis fuerant. ab iis ludi plebeji instaurati: & epulum Jovis fuit ludorum caussa. Et ab ædilibus curulibus C. Valerio Flacco Flamine Diali, & C. Cornelio Cethego ludi Romani magno apparatu facti. Ser. Sulpicius, & L. Galba pontifices eo anno mortui sunt. in eorum locum M. Æmilius Lepidus, & Cn. Cornelius Scipio pontifices suffecti sunt.

VIII. Sex. Ælius Pætus, T. Quintius Flamininus consules magistratu inito senatum in Capitolio quum habuissent, decreverunt Patres: *ut provincias Macedoniam atque Italiam consules compararent inter se, sortirenturve. Utri eorum Macedonia evenisset, in supplementum legionum tria millia militum Romanorum scriberet, & trecentos equites. item sociorum Latini nominis quinque millia peditum, quingentos equites*. Alteri consuli novus omnis exercitus decretus. L. Lentulo prioris anni consuli prorogatum imperium est: vetitusque aut ipse provincia decedere prius, aut veterem exercitum deducere, quam cum legionibus novis consul venisset. Sortiti consules provincias. Ælio Italia, Quintio Macedonia evenit. Prætores, L. Cornelius Merula urbanam, M. Claudius Siciliam, M. Porcius Sardiniam, C. Helvius Galliam est sortitus. Delectus inde haberi est coeptus. nam præter consulares exercitus prætores quoque jussi scribere milites erant. Marcello in Siciliam quatuor millia peditum sociûm Latini nominis, & trecentos equites; Catoni in Sardiniam ex eodem genere militum tria millia peditum, ducentos equites: ita ut hi prætores ambo quum in provincias venissent, veteres dimitterent pedites equitesque. Attali deinde regis legatos in senatum consules introduxerunt. Hi regem classe sua, copiisque omnibus terra marique Romanam rem juvare, quæque imperarent Romani consules, impigrè atque obedienter ad eam diem fecisse, quum exposuissent: *Vereri dixerunt, ne id præstari ei per Antiochum regem ultrà non liceret. vacuum namque præsidiis navalibus, terre-*

Urb. Cond. an. 556. Coss. P. Aelio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

INTERPRETATIO.

c *Tribuni plebis obtemperarunt decreto Senatûs.*

NOTÆ.

buno plebis, an. Urb. Cond. 574. L. Manlio Acidino, Q. Fulvio Flacco germanis fratribus Coss. quâ cautum ne quis ædilitatem gereret ante annum trigesimum septimum, præturam ante quadragesimum, consulatum ante tertium supra quadragesimum, ut disputat P. Manucius de legibus.

6. *Res ex Campestri certamine.*] Per *Campestre certamen*, significat Livius disceptationem seu contentionem, quæ in Comitiis & Campo Martio intervenerat.

Urb. Cond. an. 556. Coss. P. Ael. Pæto, & T. Quint. Flaminino.

stribusque regnum Attali Antiochum invasisse. Itaque Attalum orare Patres conscriptos, si sua classe, suaque opera uti ad Macedonicum bellum vellent; mitterent ipsi præsidium ad regnum ejus tutandum: si id nollent, ipsum ad sua defendenda cum classe, ac reliquis copiis redire paterentur. Senatus legatis ita responderi jussit. *Quod rex Attalus classe, copiisque aliis duces Romanos juvisset, id* [1] *gratum senatui fore. Auxilia nec ipsos missuros Attalo adversus Antiochum, socium & amicum populi Romani: nec Attali consilia retenturos ultra quam regi commodum esset. Semper populum Romanum alienis rebus arbitrio alieno usum, & principium & finem in potestate ipsorum, qui ope sua velint adjutos Romanos, esse. Legatos ad Antiochum missuros, qui nuncient, Attali, naviumque ejus & militum opera adversus Philippum communem hostem uti populum Romanum. Gratum cum facturum & senatui, si regno Attali abstineat, belloque absistat. Æquum esse socios, & amicos populi Romani reges, inter se quoque ipsos pacem servare.*

IX. Consulem T. Quintium, ita habito delectu, ut eos fere legeret, qui in Hispania aut Africa meruissent spectatæ virtutis milites, properantem in provinciam prodigia nunciata, atque [a] eorum procuratio, Romæ tenuerunt. De cœlo tacta erant, via publica Veiis, forum & ædes Jovis Lanuvii: Herculis ædes Ardeæ, Capuæ murus & turres, & ædes, quæ Alba dicitur. Cœlum ardere visum erat Arretii. terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat. Suessæ Auruncæ nunciabant agnum cum duobus capitibus natum: & Sinuessæ porcum humano capite. Eorum prodigiorum caussa supplicatio unum diem habita, & consules rebus divinis operam dederunt; placatisque Diis profecti in provincias sunt. Ælius cum C. Helvio prætore in Galliam, exercitumque ab L. Lentulo acceptum, quem dimittere debebat, prætori tradidit, ipse novis legionibus, quas secum adduxerat, bellum gesturus. neque memorabilis rei quicquam gessit. Et T. Quintius alter consul maturius, quam priores soliti erant consules, à Brundusio quum transmisisset, Corcyram tenuit cum octo millibus peditum, equitibus octingentis. A Corcyra in proxima Epiri quinqueremi trajecit: & in castra Romana magnis itineribus contendit; inde Villio dimisso, paucos moratus dies, dum se copiæ à Corcyra assequerentur, consilium habuit, utrum recto itinere per castra hostium viam facere conaretur: an ne tentata quidem re tanti laboris ac periculi, per Dassaretios potius

INTERPRETATIO.

a *Expiatio portentorum.*

NOTÆ.

1. *Gratum Senatui fore.*] Ita membranæ: vulgò scribitur *gratum Senatui esse*. Sed videtur auctor velle Senatum ejus rei memorem futurum, & gratias relaturum pro accepto beneficio: non enim gratiam repræsentat, sed in futurum promittit Senatus.

2. Lycumque

[1] Lycumque tuto circuitu Macedoniam intraret. Vicissetque ea sententia, ni timuisset, ne, quum à mari longius recessisset, misso è manibus hoste, si (quod antè fecerat) solitudinibus sylvisque se tutari rex voluisset, sine ullo effectu æstas extraheretur. Utcumque esset igitur, illo ipso tam iniquo loco aggredi hostem placuit. sed magis fieri id placebat, quam quomodo fieret, [2] satis expediebat. Dies quadraginta sine ullo conatu sedentes in conspectu hostium absumperant. Urb. Cond. an. 556. Coss. P. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

X. Inde spes data Philippo est, per Epirotarum gentem tentandæ pacis. habitoque concilio delecti ad eam rem agendam, [1] Pausanias prætor, & Alexander magister equitum, Consulem & regem, ubi in arctissimas ripas Aous [a] cogitur amnis, in colloquium adduxerunt. Summa postulatorum consulis erat, præsidia ex civitatibus rex deduceret. iis, quorum agros, urbesque populatus esset, redderet res, quæ comparerent. Cæterorum æquo arbitrio æstimatio fieret. Philippus *aliam aliarum civitatum conditionem esse respondit: quas ipse cepisset, eas liberaturum. Quæ sibi traditæ à majoribus essent, earum hæreditaria ac justa possessione non excessurum. si quas quererentur belli clades eæ civitates, cum quibus bellatum foret; [2] arbitrio quo vellent populorum, cum quibus pax utrisque fuisset, se usurum*. Consul, *Nihil ad id quidem [3] arbitrio aut judice opus esse*, dicere. *Cui enim non apparere ab eo qui prior arma intulisset, injuriam ortam? [4] nec Philippum ab ullis bello lacessitum, ipsum priorem vim omnibus fecisse*. Inde quum ageretur, quæ civitates liberandæ essent, Thessalos primos omnium nominavit consul. ad id verò adeo accensus indignatione est rex ut exclamaret, *Quid victo gravius imperares T. Quinti?* atque ita se ex colloquio proripuit, & temperatum ægre est, quin missilibus, quia dirempti medio amne fuerant, pugnam inter se consererent. Postero die per excursiones ab stationibus primo in planitie satis ad id patenti multa levia commissa

INTERPRETATIO.

a *Arctatur fluvius.*

NOTÆ.

1. *Lycumque.*] Fuit *Lycus* oppidum Eordæorum, qui inter Taulantios & Dassaretios siti, in ea Macedoniæ parte, quæ priùs pars Illyrici fuerat.

2. *Satis expediebat.*] Nempe Quintius, quemadmodum suprà, *ni timuisset:* alioqui scribendum esset, *expediebatur* vel *expediebant*, nimirùm qui in consilium fuerant adhibiti.

1. *Pausanias Prætor.*] Id est, summus magistratus Epirotarum. Romani enim generali Prætorum nomine summos aliarum gentium magistratus solebant designare, quamvis propriis nominibus apud suos variè appellarentur.

2. *Arbitrio quo vellent populorum.*] Mallet Gron. *quorum vellent*. Sed res eodem fermè recidit: est enim *arbitrio populorum*, (pacem cum utrisque habentium) si eo uti vellent civitates.

3. *Arbitrio aut judice.*] Congruentius videtur futurum, *arbitro aut judice*.

4. *Nec Philippum.*] Dividendum est illud, *nec*, ut significet, *& non:* est enim sensus, *cui etiam non apparere Philippum, cùm à nemine lacessitus bello esset, &c.*

Urb. Cond. an. 556. Coss. P. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

prœlia sunt : deinde recipientibus se regiis in arcta & confragosa loca, aviditate accensi certaminis eo quoque Romani penetravere. Pro his ordo & militaris disciplina & genus armorum erat, [5] aptum urgendis regiis: pro hoste loca, & catapultæ balistæque, in omnibus prope rupibus, quasi in muris dispositæ. Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis: quum etiam, ut in prœlio justo, aliquot cecidissent, nox pugnæ finem fecit.

XI. Quum in hoc statu res esset, pastor quidam à Charopo principe Epirotarum missus deducitur ad consulem. Is se in eo saltu, qui regiis tunc oneratus castris erat, armentum pascere ait : omnes montium eorum anfractus callesque nosse. Si secum aliquos mittere velit, non iniquo & perdifficili aditu supra caput hostium deducturum. Hæc, Charopus renunciari jubet, ita crederet, [1] γ ut suæ potiùs omnia, quam illius potestatis essent. [a] Quum magis vellet credere quam auderet consul, mixtumque gaudio ac metu animum gereret, auctoritate motus Charopi, experiri spem oblatam statuit: & ut averteret rem à suspicione, biduo insequenti lacessere hostem, dispositis ab omni parte copiis, succedentibusque integris in locum defessorum, non destitit. Quatuor millia inde lecta peditum & trecentos equites tribuno militum tradit. Equites, quoad loca patiantur, ducere jubet: ubi ad invia equiti ventum sit, in planitie aliqua locari equitatum; pedites qua dux monstraret viam, ire: ubi, [2] ut polli-

INTERPRETATIO.

a *Cùm Flaminius* anceps animi, *hinc cuperet* rem ita esse, ideoque vellet *fidem adhibere* pastori : *aliunde non auderet*, *ipsi credere*, quòd de fide illius dubitaret, &c.

NOTÆ.

5. *Aptum urgendis regiis*.] Hæc correctio à Gelenio est : perperam Sigon. *Aptum prælium gerentibus*: hoc enim in armatura Romanorum perpetuum, ut ad præliandum apta esset. Olim vulgò, *ad amplum prælium gerendum : contrà illis loca*, &c. Codices in diversa & absurda abeunt. Suspicatur Gronov. *aptum urgendo cominùs*, ut *cominus* sit detortum in *cariara bis*, ut habent ferè mss. Et sanè Romanorum arma ad manus conferendas è proximo maximè idonea erant : quod explicat Noster paulò infrà : *sed ad loca angusta, haud latè patente intervallo muri, genus armorum pugnæque hosti aptius erat*.

1. *Ut sua potius omnia quam illius potestatis essent*.] Obscurus locus : potest enim ex his verbis non unus erui sensus. Sed quanquam innuat Plut. in Quintio pastores illos (etenim plures fuisse ait) fidei suæ vadem habuisse hunc Κάρωπα τὸν μαχάταν : aliud tamen sensisse Livium suadent ipsius verba ; vult enim Flaminio renunciatum Charopi nomine, ut huic armentario ita fideret, ut tamen rem totam ipse Quintius haberet in potestate, potiùs quàm committeret potestati ejus armentarii. Nam quod objicit Gronov. Charopum parum certum futurum fuisse fidei pastoris illius affirmatorem, si monuisset ne ipsi nimiùm crederetur : ex eo nihil aliud sequitur, quàm prudenter in hac re Charopum se gessisse, qui nec occasionem rei gerendæ, quæ se offerre videbatur, celatos voluerit Romanos, quibus favebat ; nec tamen in re ancipiti fidem suam obstringere.

2. *Ut polliceatur*.] Nimirùm ar-

ceatur, super caput hostium perventum sit, fumo dare signum; nec ante clamorem tollere, quam ab se signo accepto pugnam cœptam arbitrari posset. Nocte itinera fieri jubet: & pernox forte luna erat: interdiu cibi quietisque sumeret tempus. ducem promissis ingentibus oneratum, si fides exstet, vinctum tamen tribuno tradidit. His copiis ita dimissis, eo intentius Romanus undique instat capi stationes.

Urb. Cond. an. 556. Coss. S. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

XII. Interim die tertio quum verticem, quem petierant, Romani cepisse, ac tenere se fumo significarent; tum vero trifariam divisis copiis consul valle media cum militum robore succedit: cornua dextra levaque admovet castris. nec segnius hostes obviam eunt: & dum aviditate certaminis provecti extra munitiones pugnant, haud paulò superior est Romanus miles, & virtute & scientia, & armorum genere. Posteaquam multis vulneratis interfectisque recepere se regii in loca aut munimento aut naturâ tuta, verterat periculum in Romanos; temere in loca iniqua, nec faciles ad receptum angustias progressos. neque impunita temeritate inde recepissent sese, ni clamor primum à tergo auditus, dein pugna etiam cœpta, amentes repentino terrore regios fecisset. Pars in fugam effusi sunt: pars, quia magis locus fugæ deerat, quam quod animi satis esset ad pugnam, quum substitissent; ab hoste, & a fronte & à tergo urgente, circumventi sunt. Deleri totus exercitus potuit, si fugientes persecuti victores essent: sed equitem angustiæ locorumque asperitas, peditem armorum gravitas impediit. Rex primo effuse ac [b] sine respectu fugit: dein quinque millium spatium progressus, quum ex iniquitate locorum, id quod erat, suspicatus esset, sequi non posse hostem; substitit in tumulo quodam, dimisitque suos per omnia juga vallesque, qui palatos in unum colligerent. Non plus duobus millibus hominum amissis, cætera omnis multitudo, velut signum aliquod secuta, in unum quum convenisset, frequenti agmine petunt Thessaliam. Romani quoad tutum fuit insecuti, cædentes spoliantesque cæsos, castra regia, etiam sine defensoribus, difficili aditu, diripiunt: atque ea nocte in suis castris manserunt.

XIII. Postero die consul per ipsas angustias, qua se inter valles flu-

INTERPRETATIO.

a *Qui progressi erant in loca periculosa, & in angustias, ex quibus regredi facile non erat.*

b *Nequaquam* post se *respiciens*, vel *non habita ratione decoris* regii.

NOTÆ.

mentarius ille à Charopo missus alii tamen MS. & editi olim, *ut pollicerentur*: quod Gallicè reddideris, *comme on promettoit*.

3. *Instat capi stationes*.] Ita omnes scripti & veteres cusi, pro eo quod vulgò est, *instat capere stationes*. Est enim sensus: urget Flaminius jubendo & adigendo milites, ut eorum operâ capiantur stationes, pulso ex eis hoste.

Urb. Cond. an. 556. Coss. S. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

men insinuat, hostem sequitur. Rex primo die [1] ad castra Pyrrhi pervenit. is locus quem ita vocant, est in [2] Triphylia terra Melotidis. inde postero die ingenti itinere agminis (& metus urgebat) [3] in montem Lingon perrexit. ipsi montes Epiri sunt, interjecti Macedoniæ, Thessaliæque. Latus, quod vergit in Thessaliam, oriens spectat: septentrio à Macedonia objicitur. Vestiti frequentibus sylvis sunt. juga summa, campos patentes, aquasque perennes habent. Ibi stativis rex per aliquot dies habitis, fluctuatus animo est, utrum protinus in regnum se reciperet, [4] an reverti in Thessaliam posset. Inclinavit sententia, [5] suum in Thessaliam agmen demitteret, [6] Triccamque proximis limitibus petit: inde obvias urbes raptim peragravit. Homines, qui sequi possent, sedibus excibat: oppida incendebat: rerum suarum, quas possent, ferendarum secum dominis jus fiebat: cætera militis præda erat. nec quod ab hoste crudelius pati possent, reliqui quicquam fuit, [7] quam quæ ab sociis patiebantur. Hæc

NOTÆ.

1. *Ad castra Pyrrhi.*] Fuit hic locus in Stymphalide ad Celydnum fluvium: unde colligi potest hoc prælium ad Aoum flumen non procul Gyrtonâ ejus regiunculæ oppido ad lævam Aoi ripam sito, commissum.

2. *Triphylia terra Melotidis.*] Pro Triphylia, quam Elidis partem indicavimus, quæque hinc procul erat in Peloponneso, legendum haud dubiè *Stymphalia*; sic enim nominat Ptolemæus tractum hunc Macedoniæ occiduæ. Sic etiam pro *terra Melotidis*; scribendum fortè, *terra Elymiotidis*. Licèt enim distinguantur sæpenumero Stymphalii ab Elymiotis; potuit tamen Stymphalia tanquàm minor, illis adscribi quasi appendix. Gronovius conjicit scribendum esse *Stymphaliam inter & Elymiotidem*.

3. *In montem Lingon.*] Videtur *Lingus* pars fuisse Pindi; quo nomine appellantur in universum montes, quibus ab Epiro & Macedoniæ parte ditterminatur Thessalia.

4. *An reverti in Thessaliam posset.*] Hæc vetus lectio est: Sigon. mutaverat in *præstaret*, id est, melius esset. Nec tamen inepta est lectio verbi *posset*. Est enim idem ac *auderet*, sive *commodè posset reverti*: adjicitur quippe pleonasmo quodam verbum *posse*, cum de iis rebus agimus, quæ dubium est agenda, vel futura sint necne, velut hoc ipso lib. cap. 35. *ne tempus dari posset Achæis*, id est, *ne in posterum tempus daretur*; & ut *aliquis finis rei imponi posset*: hoc est, *ut finis imponeretur*. Itemque cap. 40. *concionem Argivorum postulabat rex, ut id sciri posset*. Sic apud Plaut. *Potin', ut molestus ne sis?* nec multùm dispari loquendi formâ dixit noster cap. 36. hujusce libri: *ne pacem turbare vellent*, pro *ne pacem turbarent*: & Gall. dicimus: *ne pouvez-vous pas*, ou *ne sçauriez-vous demeurer en repos?* & *peut on avoir cette pensée?*

5. *Suum in Thessaliam agmen demittere.*] Non absre quærit Gron. quò pertineat τὸ *suum*; nec malè fortè suspicatur *citum*; erat enim cur Philippus properaret.

6. *Triccamque.*] Ad Peneum in Æstiæotide fuit oppidum *Tricca*, Episcopatis posteà sedes, quam obtinuisse vulgò fertur Heliodorus Æthiopicorum scriptor; voluntque eâ carere maluisse, quàm amatorium illud opus abolere. Nunc *Tricala* vocatur.

7. *Quam qua ab sociis.*] Supervacaneum putat Gron. τὸ *qua*: ejus loco admittit *tum*: cujus mutationis causam nec explicat, nec ego perspicio.

Urb. Cond. an. 556. Coss. S. Aelio Pæto, & T. Quinct. Flaminino.

etiam facienti Philippo acerba erant: sed è terra mox futura hostium, corpora saltem eripere sociorum volebat. ita evastata sunt oppida, [8] Phacium, [9] Iresiæ, [10] Euhydrium, [11] Eretria, [12] Palæphatus. [13] Pheras quum peteret, exclusus: quia res egebat mora si expugnare vellet, nec tempus erat; omisso incœpto, in Macedoniam transcendit. Nam etiam Ætolos appropinquare fama erat. qui audito prœlio, quod circa amnem Aoum factum erat, proximis prius evastatis, [14] circa Sperchias & Macran (quam vocant) Comen transgressi, inde in Thessaliam, [15] Cymines & Angeas primo impetu potiti sunt. [16] à Metropoli dum vastant agros, concursu oppidanorum ad tuenda mœnia facto, repulsi sunt. [17] Callithera inde aggressi, similem impetum oppidanorum pertinacius sustinuerunt: compulsisque intra mœnia qui eruperant, contenti ea victoria, quia spes nulla admodum expugnandi erat, abscesserunt. [18] Theuma inde, [19] & Calathana vicos expugnant, diripiunt-

NOTÆ.

8. *Phacium.*] Oppidum est Pelasgiotidis Thessaliæ regionis, inter Pamisum fluvium montemque Pierium, ad Macedoniæ confinia.

9. *Iresia.*] *Ilesium*, opinor, Ptolemæo; quod oppidum ejusdem Pelasgiotidis ad Pamisum fluvium.

10. *Euhydrium.*] Fuit *Euhydrium* (quasi aquosum dixeris) oppidum in eadem Pelasgiotide inter Peneum fluvium & Pierium montem.

11. *Eretria.*] Urbs erat Phthiotidis. Pharsalum inter & Pheras: in tabulis recentioribus *Vatia*; alia ab Eretria Euboïca.

12. *Phalaphatus.*] Fallor aut *Phastum* dicere voluit, quod Aeltiotarum fuit oppidum; aut *Pharsalium* Phthiotarum, quod Eretriæ ac Pheris propius: nam Palæphatus auctoris Parii aut Prienæi nomen est, qui rerum incredibilium multa volumina Græcè conscripserat.

13. *Pheras*] *Phera* urbs Magnesiæ fuit in Thessalia, Bœbeidi paludi ad occasum, sedes olim Admeti (cujus armenta pavisse Apollo in fabulis narratur) ac posteà Alexandri, qui Phereus inde appellatus. Diversa ab aliis ejus nominis urbibus quæ in Peloponneso. Ptolem. Pelasgiotis adscribit: quorum nomine comprehenduntur aliquando Magnetes: hodie retento prisco nomine *Fere* Leunclavio teste. Nardus Turcis *Jenisar* dici vult, Brietius *Sidro*.

14. *Circa Sperchias.*] Ad Sperchium fluvium, qui in Maliacum sinum influit, *Sperchia* urbs memoratur in Phthiotide, non procul Echino. Sophianus putat hodie appellari *Frelia*, aliis est *Fiteleo*. Flumen hodie *Agriomela*, vel ut nonnulli volunt, *Selambria*. Verùm duo sunt quibus adducor, ut de hac Sperchia sensisse Livium valde ambigam: tum quòd inde transgressos in Thessaliam Aetolos dicit; at hæc *Sperchia* dubio procul in Phthiotide erat, quæ Thessaliæ regio fuit: deinde ab Aetolia ad eas urbes euntibus quæ statim nominantur, occurrit recto ferme itinere locus Doridis, cui nomen *Sperchion*, quà faciliùs in Thessaliam Aetoli & Athamanes penetrare ab illa parte potuerunt per Aenianes.

15. *Cymines & Angeas.*] Invenio in Thessaliotide inter Pindum, & Apidanum fluvium, *Ciminos* & *Angeas* oppida.

16. *A Metropoli.*] Fuit hæc quoque urbs Thessaliotidis ad lævam Apidani fluvii ripam.

17. *Callithera.*] Ad dexteram ejusdem fluvii ex adverso Metropoleos.

18. *Theuma.*] Occurrit *Thauma* in Aeltiotide, quà proximè ad Thessaliotarum limites vergit, inter Angeas & Triccam.

19. *Et Calathana.*] Callatharnæ ad dextram Penei, inter Triccam & Pellinæum leguntur in tabula Sansonis.

Urb. Cond. an. 556. Coss. S. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

que, 20 Acharràs per deditionem receperunt. 21 Xyniæ simili metu à cultoribus desertæ sunt. Hoc sedibus suis 22 extorre agmen in præsidium incidit, 23 quod Athamanum, quo tutior frumentatio esset, ducebatur: incondita inermisque multitudo, mixta imbelli turba, ab armatis cæsa est. Xyniæ desertæ diripiuntur. 24 Cyphara inde Ætoli capiunt, opportunè 25 Dolopiæ imminens castellum. Hæc raptim intra paucos dies ab Ætolis gesta. Nec Amynander atque Athamanes post famam prosperæ pugnæ Romanorum quieverunt.

XIV. Cæterùm Amynander, quia suo militi parum fidebat, petito ab consule modico præsidio, quum Gomphos peteret, oppidum protinus 1 nomine Phecam, situm inter Gomphos faucesque angustas, quæ ab Athamania Thessaliam dirimunt, vi cepit: inde Gomphos adortus, & per aliquot dies summa vi urbem tuentes, quum scalas ad mœnia erexisset, eodem metu perpulit ad deditionem. Hæc traditio Gomphorum, ingentem terrorem Thessalis intulit. dedidêre deinceps sese, 2 qui Argenta, quique Pherinum, & Thimarum, & Lisinas, & Stimonem, & 3 Lampsum habent, aliaque castella juxta ignobilia. Dum Athamanes Ætolique summoto Macedonum metu, a in aliena victoria

INTERPRETATIO.

a *Ex victoria Romanorum fructum caperent.*

NOTÆ.

20. *Acharras.*] Est *Achorra* in Æstiotide quoque, haud procul dextrâ Penei è regione Tricæ.

21. *Xyniæ simili metu.*] Ad occasum Angeatum fuere *Xyniæ*, vel *Xynia*, cujus meminit Stephanus.

22. *Extorre agmen.*] Xyniensium nempe, sedes suas deserentium.

23. *Quod Athamanum.*] In Buslidiano codice, pro *Athamanum* legitur *Thaumacum*, quod mihi non displicet: nec mutandum, opinor, in *Thaumacos*. mirè enim variant hæc nomina oppidorum Græcorum; & modò plurali, modò singulari numero; interdum fœminino, aliàs masculino, vel neutro genere efferuntur. Ita *Iresiæ* sunt Livio, Ptol. est *Ilesion*; *Sperchias* etiam ille vocat quæ aliis *Sperchia* est, vel *Sperchion*. Suspicabar retineri posse *præsidium Athamanum*, quod quò tutior frumentatio esset, eò ducebatur, nempè ad oppidum Xynias: sed paulò post Athamanum ita noster meminit, ut neget quidem eos quievisse: verùm quid gesserint non indicet.

24. *Cyphara inde.*] Nomen est oppidi sub Pindo monte positi in Thessaliotide ad occasum Xyniarum.

25. *Dolopiæ.*] Fuere *Dolopes* in Molossorum & Thessaliotarum confinio. Eorum urbs *Menelais*, regio *Dolopia*, nunc *Onoblacha*, ut vult Ortelius.

1. *Nomine Phecam.*] Oppidum fuit sub Pindo in finibus Æstiotidis versus Thessaliotidem & Dolopiam.

2. *Qui Argenta*] Fuit *Argens* oppidum Æstiotidis in Thessalia ad Penei dextram, quemadmodum & *Thimar*, & *Strymon* Pæum versus: *Lisana* verò & *Pherinus* in eadem regione, propius Pindum montem, & fines Æthicum Epirotarum.

3. *Lampsum habent.*] *Lampsum*, vel *Lampsus* oppidum fuit eodem tractu ad occasum Gomphorum, non procul Penei fontibus.

Urb. Cond. an. 556. Coss. S. Aelio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

ſuam prædam faciunt ; Theſſaliaque à tribus ſimul exercitibus, incerta quem hoſtem, quemvè ſocium crederet, vaſtatur. conſul faucibus, quas fuga hoſtium aperuerat, in regionem Epiri tranſgreſſus, b etſi probè ſcit cui parti, Charopo principe excepto, Epirotæ faviſſent; tamen quia ab ſatisfaciendi quoque cura imperata enixè facere videt, ex præſenti eos potiùs quàm ex præterito æſtimat habitu, & ipſa facilitate veniæ animos eorum in poſterum conciliat. Miſſis deinde nunciis Corcyram, ut onerariæ naves 4 in ſinum venirent Ambracium; ipſe progreſſus modicis itineribus, quarto die 5. in monte Cercetio poſuit caſtra, eodem Amynandro cum ſuis auxiliis accito; non tam virium ejus egens, quam ut duces in Theſſaliam haberet. c ab eodem conſilio, & plerique Epirotarum voluntarii inter auxilia accepti.

XV. Primam urbium Theſſaliæ 1 Phaleriam eſt aggreſſus. duo millia Macedonum in præſidio habebat, qui primo ſumma vi reſtiterunt, quantum arma, quantum mœnia tueri poterant: ſed oppugnatio continua, non die non nocte remiſſa: quum conſul in eo verti crederet cæterorum Theſſalorum animos, ſi primi vim Romanam non ſuſtinuiſſent; vicit pertinaciam Macedonum. Capta Phaleria, legati à Metropoli, & à 2 Piera, dedentes urbes, venerunt. venia eiſdem petentibus datur. Phaleria incenſa ac direpta eſt. Inde 3 Æginium petit. quem locum quum

INTERPRETATIO.

b *Quamvis compertum haberet Epirotarum nationem faviſſe Macedonibus, excepto Charopo, qui inter eos primum locum tenere videbatur; quia tamen videbat eos quæcumque imperabantur impenſius exequi, ut hac curâ ei ſatisfacerent; metiri maluit eorum animos ex propenſione, quam tunc præ ſe ferebant, quàm ex priori inclinatione.*

c *Eandem ob cauſam capto hoc conſilio, vel ſimili cautione.*

NOTÆ.

4. *In ſinum venirent Ambracium.*] Ab *Ambracia* Epiri urbe primariâ dictus eſt hic maris Jonii ſinus, in quem Arachthus influit: nunc *Golfo di Larta*.

5. *In monte Cercetio.*] Meminit Plinius montium Cercetorum in Theſſalia: Stephanus Pialiam Æſtiotidis urbem ad eum collocat: unde apparet fuiſſe hunc montem inter Pœum & Candavies; atque Æſtiotas Theſſalos diviſiſſe à Pelagoniis Auſtralibus, qui Macedoniæ attributi.

1. *Phaleriam.*] *Phaleriam* in Theſſalia non lego: ſed *Phaloria*, urbs eſt Theſſaliotidis inter Apidanum & Peneum ac Phœnicem, qui in hunc decurrit. Propior tamen iis locis, de quibus anteà, itemque Æginio, de quo mox, *Phalara* in extrema verſus Pœum Aeſtiotide, Gomphis ad occidentem. Harum alterutram hic intelligi puto, & magis priorem, quæ & in Theſſalia ſpeciali, & majorem habet cum Phaleria nominis affinitatem, & propiùs diſtat à Metropoli Theſſaliotidis quoque urbe, quæ ſtatim ſequitur. Certè huc ſpectare non poſſe videtur *Phalara Phthiotica*, utpotè longius ſita ad Maliacum ſinum.

2. *A Piera.*] Sigonius *Pialiam* mavult, ſeu *Pialam*, quæ non procul Pamiſi fontibus ad limites Æſtiotarum & Pelaſgiotarum, atque ab itinere, quo à Phaloria ſeu Metropoli Æginium ibatur, non procul recedit ad dextram.

3. *Æginium.*] Occurrit quidem hujus

Urb. Cond. an. 556. Coss. S. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

vel modico præsidio tutum ac prope inexpugnabilem vidisset, paucis in stationem proximam telis conjectis, ad Gomphorum regionem agmen vertit. digressusque in campos Thessaliæ, quum jam omnia exercitui deessent, quia Epirotarum pepercerat agris: explorato antè, utrùm Leucadem ac sinum Ambracium onerariæ [a] tenuissent; frumentatum Ambraciam [b] invicem cohortes misit. & est iter à Gomphis Ambraciam, sicut impeditum ac difficile, ita spatio perbrevi. Intra paucos itaque dies, transvectis à mari commeatibus, repleta omni rerum copia sunt castra. [4] Inde Atracem est profectus. decem ferme millia à Larissa abest: [5] ex Perrhæbia oriundi sunt: sita est urbs super Peneum amnem. Nihil trepidavêre Thessali ad primum adventum Romanorum. Et Philippus sicut in Thessaliam ipse progredi non audebat, ita [6] intra Tempe stativis positis, ut quisque locus ab hoste tentabatur, præsidia per occasiones submittebat. XVI. Sub idem ferè tempus quo consul

INTERPRETATIO.

a *Utrum Leucadis portum attigissent, sive ad sinum Ambracium pervenissent.*

b *Alternatim misit ad convehendum frumentum.*

NOTÆ.

nominis oppidum in Tymphæis populis ad Macedoniæ, Epiri & Thessaliæ fines positis. Verùm hic de alio Aeginio sentire nostrum crediderim, quod est Aestiotidis oppidum ad confinia Pelagoniæ Tripolitidis, minùs paulò dissitum à Gomphis & Phalara sub Pæo monte.

4. *Inde Atracem est profectus.*] Vulgò legebatur *ad Rhagen:* quo nomine urbes sunt in Albione & in Parthia apud Ptolemæum; verùm hic ad rem non faciunt. Rectè igitur Gron. pro *ad Rhagen* scribit *Atracem:* est enim Atrax urbs Peneo flumini vicina in Pelasgiotide ex Strabone lib. 9. inter Triccam, quæ ad occasum hibernum, & Larissam, quæ propiùs ad ortum æstivum: hodie teste Pineto *Voidanar* appellatur.

5. *Ex Perrhœbia oriundi sunt.*] *Perrhœbiam* hic pro natione Perrhœborum accipere videtur Livius: hi verò Thessaliæ partem quæ ad mare atque ad Peneum, usque ad ejus ostia, sita est obtinuere: sed oppressi à Lapithis in montana recesserunt, plerique ad Pindum, Athamanas, & Dolopes versus quæ gentes Epiroticæ sunt; partim etiam cum Lapithis permixtim habitarunt, ut Strabo lib. 9. tradit.

6. *Intra Tempe.*] Non urbis nomen est, sed loci quinque millia passuum longi, & sesqui jugerum lati, qui jugis leniter convexi dextrâ levâque ultra visum hominis se attollentibus, intùs verò luco viridante, atque allabente Peneo ejusque ripis gramine vestitis amœnus, & canorus avium concentu, ut Plin. loquitur lib. 4. cap. 4. Hinc amœna quæque loca *Tempe* dici solita. Fuit autem in Magnesia ad Pieriæ Macedonicæ provinciæ confinia inter Ossam & Olympum montes. Ossa Lapitharum fuit domicilium, hodie *Cossovo*, ut censet Sophianus; aut ut Pinetus *Olira*. Olympus verò adeo editum verticem habet, ut nubes, pluviæ, tonitrua infrà despici dicantur: unde pro cœlo sumitur à Poëtis. Nunc quoque *Olympo* dicitur, ut scribit Sophianus. Pineto est *Lacha*. Observandum porrò est alios fuisse montes Olympi nomine, nec ab hoc dictos Ludos Olympicos, sed ab urbe Elidis Olympia.

adversus

adversus Philippum primum in Epiri faucibus castra posuit, & L. Quintius frater consulis, cui classis cura maritimæque oræ imperium mandatum ab senatu erat, cum duabus quinqueremibus Corcyram transvectus, postquam profectam inde classem audivit, nihil morandum ratus, quum [1] ad Zamam insulam assecutus esset, dimisso L. Apustio, cui successerat; tardè inde ad Maleam trahendis plerunque remulco navibus, quæ cum commeatu sequebantur, pervenit. A Malea, jussis ceteris quantùm maximè possent, maturatè sequi, ipse tribus quinqueremibus expeditis [a] Piræum præcepit, accepitque naves ibi relictas ab L. Apustio legato ad præsidium Athenarum. Eodem tempore duæ ex Asia classes profectæ, una cum Attalo rege: (eæ quatuor & viginti quinqueremes erant) Rhodia altera, viginti navium tectarum. Agesimbrotus præerat. hæ circa Andrum insulam classes conjunctæ, Eubœam inde exiguo distantem freto trajecerunt. Carystiorum primum agros vastarunt: deinde ubi Carystus præsidio à Chalcide raptim misso, firma visa est, ad Eretriam accesserunt. Eodem & L. Quintius cum iis navibus, quæ Piræei fuerant, Attali regis adventu audito venit; jussitque, ut quæ ex sua classe venissent naves, Eubœam peterent. Eretria summâ vi oppugnabatur: nam & trium junctarum classium naves omnis generis tormenta machinasque ad urbium excidia secum portabant: & agri affatim materiæ præbebant ad nova molienda opera. Oppidani primo haud impigrè tuebantur mœnia: deinde fessi vulneratique aliquot, quum & muri partem eversam operibus hostium cernerent ad deditionem inclinarunt. sed præsidium erat Macedonum, quos non minus quam Romanos metuebant: & Philocles regius præfectus à Chalcide nuncios mittebat, se in tempore affuturum, [b] si sustinerent obsidionem. Hæc mixta metu spes, ultra quam vellent aut quam possent, trahere eos tempus cogebat. deinde, posteaquam Philoclem repulsum, trepidantemque refugisse Chalcidem acceperunt, oratores extemplo ad Attalum veniam fidemque ejus petentes miserunt.

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Æl. Pæto, & T. Quintio Flaminino.

INTERPRETATIO.

a *Ante alios pervenit ad Piræum*. b *Si obsidionem* tolerando *protraherent*.

NOTÆ.

1. *Ad Zamam insulam.*] Vidimus Zamam Africæ urbem, in cujus finibus Scipio Annibalem vicit. Sed hæc Zama neque insula est, neque hujus loci. Glar. correxerat *Zacynthum*. At hæc insula & nomine longiùs distat à Zama, & situ longiùs etiam à Leucade & Epiri continente abest. Probabiliùs itaque Sigon. *Samen* legit, quod apud Pomponium & Plin. nomen est insulæ, unius ex Echinadibus quæ ad Acheloi ostia sitæ, *Curzolari* hodie vocantur. Est & *Same* oppidum in Cephaloniæ parte quæ ad septentrionem vergit. Ejus meminit Virgil. 3. Æneid.

Dulichiumque Sameque & Neritos ardua saxis,

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Ælio Pæto, & T.Quint. Flaminino.

Dum in spem pacis intenti, segniùs munera belli obeunt, & ea modò parte, qua murus dirutus erat, cæteris neglectis stationes armatas opponunt; Quintius noctu ab ea parte quæ minimè suspecta erat, impetu facto, scalis urbem cepit. Oppidanorum omnis multitudo cum conjugibus ac liberis in arcem confugit: deinde in deditionem venit. Pecuniæ aurique & argenti, haud sanè multùm fuit: signa, tabulæ priscæ artis, ornamentaque ejus generis plura, quàm pro urbis magnitudine, aut opibus cæteris inventa.

XVII. Carystus inde repetita, unde priusquàm è navibus copiæ exponerentur, omnis multitudo urbe desertâ in arcem confugit. Inde ad fidem ab Romano petendam oratores mittunt. oppidanis extemplo vita ac libertas concessa est: Macedonibus [1] trecenti nummi in capita statutum est pretium: & ut armis traditis abirent. Hac summâ redempti, in Bœotiam inermes trajecti. Navales copiȩ duabus claris urbibus Eubœȩ intra dies paucos captis, circumvectȩ Sunium Atticȩ terrȩ promontorium, Cenchreas Corinthiorum emporium petierunt. Consul interim omnium spe [2] longiorem atrocioremque oppugnationem habuit: & eâ, quâ minimum credidisset, resistebant hostes. nam omnem laborem in muro diruendo crediderat fore: si aditum armatis in urbem patefecisset, fugam inde cȩdemque hostium fore, qualis captis urbibus fieri solet. cȩterùm postquam parte muri arietibus decussâ, per ipsas ruinas transcenderunt in urbem armati; illud principium velut novi atque integri laboris fuit: nam Macedones qui in prȩsidio erant & multi & delecti, gloriam etiam egregiam rati, si armis potiùs & virtute, quàm mœnibus urbem tuerentur; conferti, pluribus introrsus ordinibus acie firmatâ, quum transcendere ruinas sensissent Romanos, per impeditum ac difficilem ad receptum locum expulerunt. Id consul ȩgrè passus, nec eam ignominiam, ad unius modò expugnandȩ moram urbis, sed ad summam universi belli pertinere ratus, quod ex momentis parvarum plerumque rerum penderet, [3] purgato loco, qui strage semiruti muri cumulatus erat, turrim ingentis altitudinis, magnam vim armatorum multiplici tabulato portantem, promovit: & cohortes invicem sub signis, quȩ cuneum Macedonum (Phalangem ipsi vocant) si possent, vi perrumperent, emittebat. Sed ad loca angu-

N O T Æ.

1. *Trecenti nummi.*] Sestertii scilicet, quorum singuli hoc reipublicæ tempore duos asses nostrates hodiernos exiguum quid superabant.

2. *Longiorem atrocioremque oppugnationem.*] A vero fortè non aberrat quod Gronovio in mentem venit legendum, *longiorem Atracis oppugnationem.*

3. *Purgato loco.*] Cave expiatum locum intelligas cum Godelevæo, qui de purgandi seu abluendi ritu videndum censet Cœlium Rhodiginum. At hîc nihil habet sacri purgatio: estque accipienda de sordibus demptis, & ruinis complanatis.

ſtâ, haud latè patente intervallo diruti muri, genus armorum pugnæque hoſti aptius erat. ubi conferti haſtas ingentis longitudinis præ ſe Macedones objeciſſent, velut in conſtructam denſitate clypeorum teſtudinem, Romani pilis nequicquam emiſſis quum ſtrinxiſſent gladios; neque congredi propiùs, neque præcidere haſtas poterant: & ſi quam incidiſſent aut præfregiſſent, haſtile fragmento ipſo acuto inter ſpicula integrarum haſtarum velut vallum explebat. Ad hoc & muri pars adhuc integra utraque tuta præſtabat latera: nec ex longo ſpatio aut cedendum, aut impetus faciendus erat. quæ res turbare ordines ſolet. Acceſſit etiam fortuita res ad animos eorum firmandos. Nam quum turris per aggerem parum denſati ſoli ageretur, rotâ unâ in altiorem orbitam depreſſâ ita turrim inclinavit, ut ſpeciem ruentis hoſtibus, trepidationemque inſanam ſuperſtantibus armatis præbuerit.

Urb. cond. ann. 555. Coſſ. S. Æl. Pæto, & T. Quintio Flaminino.

XVIII. 1 Quum parum quicquam ſuccederet, conſul minimè æquo animo comparationem militum generis armorumque fieri patiebatur: ſimul nec maturam expugnandi ſpem, nec rationem procul à mari, & in evaſtatis belli cladibus locis, hibernandi ullam cernebat. itaque relictâ obſidione, quia nullus in totâ Acarnaniæ atque Ætoliæ orâ portus erat, qui ſimul & omnes onerarias, quæ commeatum exercitui portabant, caperet; & tectâ ad hibernandum legionibus præberet. Anticyra in Phocide in Corinthium verſa ſinum, ad id opportuniſſimè ſita viſa; quia nec procul Theſſalia, hoſtiumque locis abibant: & ex adverſo Peloponneſum exiguo maris ſpatio diviſam; ab tergo Ætoliam Acarnaniamque, ab lateribus Locridem & Bœotiam habebant. Phocidis primo impetu 2 Phanoteam ſine certamine cepit. Anticyra haud multùm in oppugnando præbuit moræ. 3 Ambryſus inde 4 Hyampoliſque receptæ; 5 Daulis, quia in tumulo excelſo ſita eſt, nec ſcalis nec operibus capi poterat. laceſſendo miſſilibus eos, qui in præſidio erant, quum ad excurſiones elicuiſſent, refugiendo invicem inſequendoque, & levibus ſine effectu certaminibus, eò negligentiæ & contemptûs adduxerunt, ut cùm refugientibus in portam permixti impetum Romani facerent. Sex

NOTÆ.

1. *Cùm parùm quidquam ſuccederet.*] Liviana phraſis, pro *cùm nihil ſatis ſuccederet*.

2. *Phanoteam.*] Sigon. *Phanoteam* legendum monet ex veteribus libris, eamque lectionem confirmat ex Stephano: *Phanoteus* dicitur Polybio: anteà *Panopeus* appellabatur, teſte Strabone, qui ait in Phocide circa Lebadiam fuiſſe & patriam Epei.

3. *Ambryſus.*] Inter Delphos & Lebadeam fuit *Ambryſus* ad Phocidis fines verſus Bœotiam. Differt ab Amphryſo fluvio Theſſaliæ, ad quem Admeti armenta paviſſe Apollinem fabulantur.

4. *Hyampoliſque.*] Phocidis quoque urbs fuit in Bœotiæ confinio, inter Cephiſum & Opuntem Locrorum urbem. Adhuc *Jamboli* appellatur.

5. *Daulis.*] Quæ & *Daulia*, Terei, Prognes, & Philomelæ fabulâ nobile oppidum in Phocide, Ambryſo & Panopeæ finitimæ, nec procul dextrâ Cephiſi ripâ.

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Ælio Pæto, & T. Quint. Flaminino.

alia ignobilia castella Phocidis terrore magis, quàm armis in potestatem venerunt. [6] Elatia clausit portas: nec nisi vi cogerentur, recepturi mœnibus videbantur aut ducem, aut exercitum Romanum.

XIX. Elatiam obsidenti consuli rei majoris spes affulsit: Achæorum gentem ab societate regiâ ad Romanam amicitiam avertendi. Cycliadem principem factionis ad Philippum trahentium res, expulerant. Aristænus, qui Romanis gentem jungi volebat, prætor erat. Classis Romana cum Attalo & Rhodiis Cenchreis stabat, parabantque communi omnes consilio Corinthum oppugnare. Optimum igitur ratus est, priusquàm eam rem aggrederentur, legatos ad gentem Achæorum mitti; pollicentes, si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium. Auctore consule legati à fratre ejus L. Quintio, & Attalo, & Rhodiis, & Atheniensibus, ad Acheos missi. [1] Sicyone datum iis est concilium. Erat autem [a] non admodum simplex habitus animorum inter Acheos. terrebat eos Lacedemonius, gravis & assiduus hostis: horrebant Romana arma: Macedonum beneficiis & veteribus & recentibus obligati erant: regem ipsum suspectum habebant pro ejus crudelitate perfidiâque: [2] neque ex iis, quę tum ad tempus faceret, ęstimantes graviorem post bellum dominum futurum cernebant. neque solùm quid in senatu quisque civitatis suę, aut in communibus conciliis gentis [b] pro sententia dicerent, ignorabant: sed ne ipsis quidem secum cogitantibus, quid vellent, aut quid optarent, satis constabat. Ad homines ita incertos introductis legatis potestas dicendi facta est. Romanus primùm legatus L. Calpurnius, deinde Attali regis legati, post eos Rhodii disseruerunt. Philippi deinde legatis dicendi potestas facta est. postremi Athenienses, ut refellerent Macedonum dicta, auditi sunt. Ii ferè atrocissimè in regem, quia nulli nec plura, nec tam acerba passi erant, invecti sunt. Et illa quidem concio sub occa-

INTERPRETATIO.

a *Non uniformis animorum propensio.*

b *Ambigebant quid dicturi essent, aut quid dicere deberent, ubi sententia ipsorum exquireretur: quid sibi ex pluribus quę eligere pręstaret.*

NOTÆ.

6. *Elatia.*] Inter Phocidis urbes secundum locum tenuit *Elatea*, sive *Elatia*. ad lævam Cephisi sita, Epicnemidios versus. Aliàs à Persis incensa fuerat.

1. *Sicyone.*] Fuit Sicyon exigua urbs antiquissimi regni, sed perangusti caput, à qua *Sicyonia* dicta exigua Achajæ Peloponnesiacæ regio: posteriori tempore etiam Demetrias à Demetrio Macedonum rege dicta: hodie *Basilica*.

2. *Neque ex iis, quę tum ad tempus faceret, ęstimantes.*] Negatio illa *neque* ex Manuscriptis additur à Gronovio; neque verò aliter constare sensus potest. Vult author Achæos non ex præsenti Philippi in se benignitate, & redditis quibusdam òppidis, eum æstimasse; sed ex innatâ crudelitate & perfidiâ; ita ut crederent, si victor existeret, fore ut acerbam in ipsos dominationem exerceret.

ſum ſolis, tot legatorum perpetuis orationibus die abſumpto, dimiſſa eſt.

Urb. cond. an. 555. Coſſ. S. Æl. Pæto, & T. Quintio Flaminino.

XX. Poſtero die advocant concilium, ubi quum per præconem, ſicut Græcis mos eſt, ſuadendi, ſi quis vellet, poteſtas à magiſtratibus facta eſſet, nec quiſquam prodiret; diù ſilentium aliorum alios intuentium fuit. neque mirum, ſi quibus ſua ſponte volutantibus res inter ſe pugnantes obtorpuerant quodammodo animi, eos orationes quoque inſuper turbaverant; utrinque quæ difficilia eſſent promendo, admonendoque per totum diem habitæ. Tandem Ariſtænus prætor Achæorum, ne tacitum concilium dimitteret, *Ubi*, inquit, *illa certamina animorum*, *Achæi*, *ſunt*, *quibus in conviviis*, *&* [a] *circulis*, *quum de Philippo & Romanis mentio incidit*, *vix manibus temperabatis? Nunc in concilio ad eam rem unam indicto quum legatorum utrinque verba audieritis*, *quum referant magiſtratus*, *quum* [1] *præco ad ſuadendum vocet*, *obmutuiſtis*. *Si non cura communis ſalutis*, *ne ſtudia quidem*, *quæ in hanc aut illam partem animos veſtros inclinârunt*, *vocem cuiquam poſſunt exprimere? quum præſertim nemo tam hebes ſit*, *qui ignorare poſſit*, *dicendi ac ſuadendi quod quiſque aut velit*, *aut optimum putet*, *nunc occaſionem eſſe priuſquam quicquam decernamus*. *Ubi ſemel decretum erit*, *omnibus id*, *etiam quibus antè diſplicuerit*, *pro bono atque utili fœdere defendendum*. Hæc adhortatio prætoris, non modò [2] quenquam unum elicuit ad ſuadendum; ſed ne fremitum quidem, aut murmur concionis tantæ, ex tot populis congregatæ, movit.

XXI. Tum Ariſtænus prætor rurſus: *Non magis conſilium vobis*, *principes Achæorum*, *deeſt*, *quàm lingua: ſed ſuo quiſque in periculo in commune conſultum non vult. forſitan ego quoque tacerem*, *ſi privatus eſſem. nunc prætor*, *video*, *aut non dandum concilium legatis fuiſſe*, *aut inde ſine reſponſo eos dimittendos non eſſe*. *Reſpondere autem niſi ex veſtro decreto qui poſſum? Et quando nemo veſtrûm*, *qui in hoc concilium advocati eſtis*, *pro ſententia quicquam dicere vult*, *aut audet; orationes legatorum heſterno die dictas pro ſententiis percenſeamus: perinde ac ſi non poſtulaverint quæ è re ſua eſſent*, *ſed ſuaſerint quæ nobis cenſerent utilia eſſe. Romani Rhodiique*, *& Attalus ſocietatem amicitiamque noſtram petunt: & in bello*, *quod adverſus Philippum gerunt*, *ſe à nobis adjuvari æquum cenſent*. *Philippus ſocietatis ſecum admonet & jurisjurandi: modò poſtulat*

INTERPRETATIO.

a *In cœtibus & colloquiis*.

NOTÆ.

1. *Præco ad ſuadendum vocet*.] Convocabatur concilium apud Romanos per tubicinem vel per cornicinem. An apud Græcos ſolâ voce cives congregarentur videndum: ſed ex hoc loco facilè colligitur congregatâ jam concione, poſtquàm Magiſtratus negotium retulerat, invitatos ad deliberandum cives fuiſſe, præcone juſſu Magiſtratûs pronunciante, cuique copiam eſſe dicendæ ſententiæ.

2. *Quemquam unum*.] Pro *neminem* Livio peculiare.

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Æl. Pæto, & T. Q. Flaminino.

ut secum stemus, modo ne intersimus armis, contentum ait se esse. Nulline venit in mentem, cur qui nondum socii sunt, plus petant, quàm socius? Non fit hoc neque modestiâ Philippi, neque impudentiâ Romanorum. 1 *Achæi portus & dant fiduciam postulantibus, & demunt. Philippi præter legatum videmus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat, urbium Eubææ spolia præ se ferens: consulem, legionesque ejus exiguo maris spatio disjunctas, Phocidem ac Locridem pervagantes videmus. Miramini, cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, ut pro rege arma caperemus adversus Romanos, modò egerit. qui si ex eodem fœdere ac jurejurando, cujus nobis religionem injiciebat, rogemus eum, ut nos Philippus & ab Nabide ac Lacedæmoniis, & ab Romanis defendat: non modò præsidium, quo nos tueatur, sed ne quid respondeat quidem nobis, sit inventurus. non, Hercle magis, quàm ipse Philippus priore anno, qui pollicendo se adversus Nabidem bellum gesturum, quum tentasset nostram juventutem hinc in Eubœam extrahere, postea quàm nos neque decernere id sibi præsidium, neque velle illigari Romano bello vidit, oblitus societatis ejus, quam nunc jactat, vastandos depopulandosque Nabidi ac Lacedæmoniis reliquit. Ac mihi quidem minimè conveniens inter se oratio Cleomedontis visa est. Elevabat Romanum bellum, eventumque ejus eundem fore, qui prioris belli, quod cum Philippo gesserint, dicebat. Cur igitur nostrum ille auxilium absens petit potiùs quàm præsens nos veteres socios simul ab Nabide ac Romanis tueatur? Nos dico? Quid ita passus est Eretriam Carystumque capi? quid ita tot Thessaliæ urbes? quid ita Locridem, Phocidemque? quid ita nunc Elatiam oppugnari patitur? cur excessit faucibus Epiri, claustrisque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem, aut vi, aut metu, aut voluntate, relictoque, quem insidebat, saltu, penitùs in regnum abiit? si sua voluntate tot socios reliquit hostibus diripiendos, quid recusare potest, quin & socii sibi consulant? si metu; nobis quoque ignoscat timentibus. Si victus armis cessit,* 2 *Achæi arma Romana sustinebimus, Cleomedon, quæ vos Macedones non sustinuistis? An tibi potiùs credamus, Romanos non majoribus copiis, nec viribus nunc bellum gerere, quàm anteà gesserint, potiùs quàm res ipsas in-*

NOTÆ.

1. *Achæi portus & dant fiduciam postulantibus, & demunt.*] Vellet Gron quasi, ita requirente sententiâ, *sui exercitûs*, vel *sua vires & dant fiduciam postulantibus* (Romanis scilicet) *& demunt* (animum Philippo.) Non videtur tamen aspernanda interpretatio Sigonii; qui vult portus qui erant in Achaja, aut in partibus Achæorum, fiduciam Romanis dare ad postulandum, ut Achæi sese eis adjungant, utpote qui victricem habeant classem, quâ liceat oram depopulari, & portus expugnare; eandemque causam Philippo, quamvis socio, fiduciam adimere, utpote qui classem non habeat, quâ maritimas urbes tueri possit adversus vim Romanorum: quæ sententia confirmari potest ex eo quod Aristænus paulò post subjicit nulli apertiorem atque opportuniorem Peloponnesum, quam navali bello.

2. *Achæi arma Romana sustinebimus.*] Vulgo legitur *Achæi nos*: sed τò *nos* à scriptis abest: & verò satis intelligitur ex sequenti verbo *sustinebimus*.

tueamur: Ætolos tum classe adjuverunt: nec duce consulari, nec exercitu bellum gesserunt. Sociorum Philippi maritimæ urbes in terrore ac tumultu erant. mediterranea adeo tuta ab Romanis armis fuerunt, ut Philippus Ætolos, nequicquam opem Romanorum implorantes, depopularetur. nunc autem defuncti bello Punico Romani, quod per sexdecim annos velut inter viscera Italiæ toleraverunt, non præsidium Ætolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra marique simul Macedoniæ intulerunt. Tertius jam consul summa vi gerit bellum. Sulpicius in ipsa Macedonia congressus, fudit fugavitque regem; partem opulentissimam regni ejus depopulatus. nunc Quintius tenentem claustra Epiri naturâ loci, munimentis, exercituque fretum, castris exuit; fugientem in Thessaliam persecutus, præsidia regia, sociasque ejus urbes propè in conspectu regis ipsius expugnavit. 3 *Ne sint vera quæ Athenienses modò legati de crudelitate, avaritiâ, & libidine regis dixerunt: nihil ad nos pertineant, quæ in terra Attica scelera in superos* [a] *inferosque Deos sunt admissa: multò minùs, quàm* 4 *quæ Ciani, Abydenique qui procul à nobis absunt, passi sunt: nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliviscamur: cædes direptionesque bonorum Messenæ in mediâ Peloponneso factas,* 5 *& hospitem Cyparissiæ Gariтenem, contra jus omne ac fas, inter epulas propè ipsas occisum: &* 6 *Aratum patrem filiumque Sicyonios, quum senem infelicem parentem etiam appellare solitus esset, interfectos: filii etiam uxorem libidinis causâ in Macedoniam asportatam: cætera stupra virginum, matronarumque oblivioni dentur.* [b] *Ne sint cum Philippo res, cujus crudelitatis metu obmutuistis omnes: nam quæ alia tacendi ad-*

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Æli Pæto, & T. Q. Flaminino,

INTERPRETATIO.

a *Manes mortuorum.*

b *Etiamsi hæc vitia in Philippo non essent*: vel *quamvis hæc incommoda timenda nobis non essent, si Philippi partes sequamur.*

NOTÆ.

3. *Ne sint vera.*] Concessio est asseverantis per speciem negandi, & aliquid prætereà adjicientis.

4. *Quæ Ciani Abydenique.*] Cùm legeretur *Cluaii Abydenique*, restituendum putabat Sabellicus, admirante Glarean. *Elaantii Abydenique*. Et sanè *Elauntem* malè habuerant Macedones, ut videre est cap. 16. hujus lib. sed meliùs, opinor, Sigonius pro *Cluaii* reponit *Ciani*: quod nomen minus ab illo differt. Et verò *Ciani*, sive *Cii* civitatis Hellespontiacæ incolæ, omnium gravissimè vexati a Philippo fuerant, auctore Polybio, qui & Cianos cum Abydenis conjungit; quemadmodum & noster cap. 31. lib. superioris. Idem Cianorum excidii non semel meminit; & paulò pòst de Philippo eodem ait: *Cium ditionis suæ urbem funditùs delesse.*

5. *Hospitem Cyparissiæ Garitenem.*] *Garitenes* Cyparissii civis nomen est. *Cyparissia* vero, seu *Cyparisse*, ut Ptol. appellat, Messeniæ oppidum in Peloponneso, inter Nedæ & Electræ amnium ostia: unde *Cyparissius* sinus, qui hodie *Golfo di Arcadia*. Fortè à Cyparisso dicta, qui Apollini dilectus, & in cupressum versus, si fabulis fides. Hic tamen apud Ceam insulam natus est, non in Peloponneso.

6. *Aratum patrem filiumque.*] Vide Plut. in Arato.

Urb. Cond. Ann. 555. Coss. S. Æl. Pæto, & T. Q. Flaminino.

vocatis in concilium caussa est? 7 Cum Antigono mitissimo ac justissimo rege, & de nobis omnibus optimè merito existimemus disceptationem esse: num id postularet, facere nos, e quod tum fieri non posset? Peninsula est 8 Peloponnesus, angustis 9 Isthmi faucibus continenti adhærens, nulli apertior atque opportunior, quàm navali bello. si centum tectæ naves, & quinquaginta leviores apertæ, & triginta 10 Issaici lembi maritimam oram vastare, & expositas propè in ipsis litoribus urbes cœperint oppugnare, in mediterraneas scilicet nos urbes recipiemus? tanquam non intestino, & hærente in ipsis visceribus uræmur bello? Quum terra Nabis, & Lacedæmonii, mari Romana classis urgebunt; unde regiam societatem, & præsidia Macedonum implorem? an ipsi nostris armis ab hoste Romano tutabimur urbes, quæ oppugnabuntur? egregie enim Dymas priore bello sumus tutati. Satis exemplorum nobis alienæ clades præbent: ne quæramus quemadmodum cæteris exemplo simus. Nolite, quia ultrò Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac summâ ope petendum erat, fastidire. invitu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub umbra auxilii vestri latere volunt, in societatem vestram confugiunt, ut portubus vestris recipiantur, ut commeatibus utantur. Mare in potestate habent, terras quascumque adeunt, extemplo ditionis suæ faciunt. Quod rogant, cogere possunt: quia pepercisse volunt, committere vos, cur pereatis, non patiuntur. Nam quod Cleomedon modò, tanquam mediam & tutissimam vobis viam consilii, ut quiesceretis, abstineretisque armis, ostendebat, ea non media, sed nulla via est. Etenim præterquàm quod aut accipienda, aut aspernanda vobis Romana societas est; quid aliud quàm nusquam gratia stabili, velut qui eventum exspectaverimus, ut fortunæ applicaremus nostra consilia, præda victoris erimus? Nolite, si, quod omnibus votis petendum erat, ultrò offertur, fastidire. Non quemadmodum hodie utrumque vobis licet, sic semper liciturum est. nec sæpè, nec diu eadem occasio erit. Liberare vos à

INTERPRETATIO.

e *Quod nobis esset impossibile, hoc etiam posito* (ut nobis cum Antigono res esset.

NOTÆ:

7. *Cum Antigono.*] Philippo impubere Macedoniam hic Antigonus rexerat, cognomine Δώσων, sive promissor, qui pupillum suum optimè instituendum curaverat.

8. *Peloponnesus.*] Ipsum nomen indicat insulam esse, aut quasi insulam; est enim *Peloponnesus* idem ac insula Pelopis: ita verò dicta est hæc Græciæ regio maximè australis, quod & peninsula sit, & magnam ejus partem imperio diù obtinuerint posteri Pelopis. Vocatur nunc *Morea*, quod Moro arbore abundet. Pars est Romeliæ latè sumptæ sub Turcis.

9. *Isthmi faucibus.*] Nomen *Isthmi* generale est; sed hic intelligitur Corinthiacus, apud quem Isthmici ludi: posteriores *Hexamilion* dixere, quòd non ultra sex passuum millia extendatur.

10. *Issaici lembi.*] Ab *Issa* Liburniæ insula, an ab *Isso* oppido Ciliciæ maritimo nomen sumpserint breviora hæc navigia, non satis expedio: perinde enim addicti piraticæ Liburni & Cilices.

Philippo

Philippo jamdiu magis vultis, quàm audetis. Sine vestro labore & periculo, qui vos in libertatem vendicarent, cum magnis classibus exercitibusque mare trajecerunt. Hos si socios aspernamini, vix sanæ mentis estis: sed aut socios, aut hostes habeatis, necesse est.

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Ælio Pæto, & T.Q. Flaminino.

XXII. Secundùm orationem prætoris murmur ortum. aliorum cum assensu, aliorum inclementer assentientes increpantium. & jam non singuli tantùm, sed populi universi inter se altercabantur: tum inter magistratus gentis (1 Demiurgos vocant; 2 decem numero creantur) certamen nihilo segnius, quàm inter multitudinem esse. quinque relaturos se de societate Romana ajebant, suffragiumque daturos: quinque lege cautum testabantur, ne quod adversus Philippi societatem esset, aut referre magistratibus, aut decernere concilio jus esset. Hic quoque dies jurgiis est consumptus. Supererat unus justi concilii dies: (tertio enim lex jubebat decretum fieri) in quem adeò exarsere studia, ut vix parentes ab liberis temperaverint. Rhisiasus Pellenensis erat, filium Demiurgum, nomine Memnonem habebat; partis ejus, quæ decretum recitari, perrogarique sententias prohibebat. Is diu obtestatus filium, ut consulere Achæos communi saluti pateretur, neu pertinaciâ suâ gentem universam perditum iret; posteaquàm parum proficiebant preces, juratus se cum sua manu interempturum, nec pro filio, sed pro hoste habiturum; minis pervicit, ut postero die conjungeret iis se, qui referebant. qui quum plures facti referrent, omnibus ferè populis haud dubiè approbantibus relationem, ac præ se ferentibus, quid decreturi essent; Dymæi, ac Megalopolitani, & quidam Argivorum priusquàm decretum fieret, consurrexerunt, ac reliquerunt concilium: neque mirante ullo, neque improbante. Nam Megalopolitanos avorum memoria pulsos ab Lacedæmoniis restituerat in patriam Antigonus: & Dymæis captis nuper direptisque ab exercitu Romano, quum redimi eos ubicumque servirent, Philippus jussisset, non libertatem modò, sed etiam patriam reddiderat. Jam Argivi, præterquàm quod 3 Macedonum reges ab se oriundos credunt, privatis etiam hospitiis, familiarique amicitia plerique illigati Philippo erant. ob hæc concilio, quod inclinaverat 4 ad Romanam societatem jubendam, excesserunt: veniaque iis

NOTÆ.

1. *Demiurgos.*] Græcis Δημιουργοὶ in genere quidem sumitur pro quovis opifice; qui scilicet pro aliis operatur. Propriè tamen est τὰ δημόσια ἐργαζόμενος, id est, qui negotia ad rem publicam pertinentia administrat. Nobis essent *les Députés des villes aux Estats Generaux*.

2. *Decem numero creantur.*] Pro numero civitatum, quibus constabat concilium Achæorum.

3. *Macedonum reges ab se oriundos.*] *Caranus* Macedonum rex primus originem ducebat à Temeno ex Herculis posteris, cui in divisione Peloponnesi, pulsis Pelopidis Agamemnonis nepotibus, regnum Argivorum obtigerat. Et Antigonus Demetrii Poliercetæ pater, cujus pronepos hic Philippus, filius erat Philippi nobilis Macedonis ex Temenidis.

4. *Ad Romanam societatem ineundam.*] Scripti quidem melioris notæ habent

Urb. cond. ann. 555. Coss. S. Æl. Pæto, & T. Q. Flaminino.

hujus secessionis fuit, & magnis & recentibus obligatis beneficiis.

XXIII. Cæteri populi Achæorum, [1] quum sententiæ perrogarentur, societatem cum Attalo ac Rhodiis præsenti decreto confirmarunt: cum Romanis, quia injussu populi [2] non poterat rata esse, in id tempus, quo Romam mitti legati possent, dilata est. in præsentia tres legatos ad L. Quintium mitti placuit, & exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoveri; captis Cenchreis, jam urbem ipsam Quintio oppugnante. Et ii quidem è regione portæ quæ fert Sicyonem, posuerunt castra. Romani ad Cenchreas versam partem urbis: Attalus traducto per Isthmum exercitu, [3] ab Lechæo alterius maris portu, oppugnabant primo segnius, sperantes seditionem intus fore inter oppidanos ac regium præsidium. Posteaquàm uno animo omnes, & Macedones tanquam communem patriam tuebantur, & Corinthii ducem præsidii Androsthenem haud secus quàm civem & suffragio creatum suo [a] imperio justo patiebantur; [4] omnis inde spes pugnantibus in vi, & armis, & operibus erat: undique aggeres [b] haud facili aditu ad mœnia admovebantur. Aries ex ea parte, quam Romani oppugnabant, aliquantum muri diruerat. in quem locum, quia nudatus munimento erat, protegendum armis quum Macedones concurrissent, atrox prælium inter eos ac Romanos ortum est. Ac primò multitudine facilè expellebantur Romani: assumptis deinde Achæorum Attalique auxiliis, æquabant certamen: nec dubium erat, quin Macedonas Græcosque facilè loco pulsuri fuerint. Transfugarum Italicorum magna multitudo erat; pars ex Annibalis exercitu [c] metu pœnæ à Romanis Philippum secuti; pars navales socii relictis nuper classibus, ad spem honoratioris militiæ transgressi. hos desperata salus, si Romani vicissent, ad rabiem magis quàm audaciam accendebat. Promontorium est adversus Sicyonem, Junonis quam

INTERPRETATIO.

a *Propter humanum imperandi modum, non aliter tolerabant, quàm si civis Corinthius, ipsorumque suffragiis electus fuisset.*

b *Quia non facilè adiri mœnia poterant.*

c *Quod timerent ne à Romanis pœnâ plecterentur.*

NOTÆ.

ad Romanam societatem jubendam: quod, opinor, melius, phrasi è comitiis populi Romani petitâ: aliàs enim dicendum esset *ad societatem cum Romanis ineundam*, vel, *jungendam*.

1. *Quum sententiæ perrogarentur.*] Ita vulgo; sed membranæ *sententias perrogarentur*, id est, cum ordine interrogarentur omnes in communi concilio, ut sententiam dicerent: ita noster lib. 37. *ibi Livius, is enim est primus rogatus sententiam*. In Vossii tamen codice scriptum est, *sententias perrogarent*.

2. *Non poterat rata esse.*] Societas.

3. *Ab Lechæo.*] Vt Cenchreæ ad sinum Saronicum, ita *Lechæum* ad Corinthiacum, gemina sunt navalia bimaris Corinthi: hoc posterius minùs distans ad occasum, hodie *Lesteiocuri*, teste Moletio.

4. *Omnis inde spes pugnantibus.*] Scribi Gron. vult, *oppugnantibus*, (Romanis

Vrb. Cond. ann. 555. Coss. S. Æl. Pæto, & T. Q. Flaminino.

vocant Acræam, in altum excurrens: trajectus inde Corinthum, septem millia fermè passuum. eo Philocles regius & ipse præfectus, mille & quingentos milites per Bœotiam duxit. præsto fuere à Corintho lembi, [d] qui præsidium id acceptum Lechæum trajicerent. Auctor erat Attalus, incensis operibus omittendæ extemplo oppugnationis. Pertinaciùs Quintius [5] in incœpto perstabat. is quoque ut pro omnibus portis disposita vidit præsidia regia, nec facilè erumpentium impetus sustineri posse, in Attali sententiam concessit. ita irrito incœpto, dimissis Achæis, reditum ad naves est. Attalus Piræeum, Romani Corcyram petierunt.

XXIV. Dum hæc à navali exercitu geruntur, Consul in Phocide ad Elatiam castris positis, primò colloquiis rem per principes Elatiensium tentavit: posteaquàm nihil esse in manu sua, & plures validioresque esse regios, quàm oppidanos, respondebatur: tum simul ab omni parte operibus armisque urbem est aggressus. Ariete admoto, quantum inter turres muri erat prorutum, quum ingenti fragore ac strepitu nudasset urbem; simul & cohors Romana per apertum recenti strage iter invasit, & ex omnibus oppidi partibus, relictis suis quisque stationibus, in eum, qui premebatur impetu hostium, locum concurrerunt. Eodem tempore Romani, & ruinas muri supervadebant, & scalas ad stantia mœnia inferebant. & [a] dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus, armatique in urbem transcenderunt. quo tumultu audito, territi hostes, relicto, quem conferti tuebantur, loco, in arcem omnes metu, inermi quoque insequente turba, confugerunt. Ita urbe potitur consul. qua direpta, missis in arcem, qui vitam regiis, si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fideque in hæc data, post paucos dies arcem recepit.

XXV. Cæterum adventu in Achajam Philoclis regii præfecti, non Corinthus tantùm liberata obsidione, sed Argivorum quoque civitas per quosdam principes Philocli prodita est; tentatis priùs animis plebis. Mos erat, comitiorum die primo, velut ominis caussa prætores pronunciare Jovem, Apollinemque, & Herculem. additum legi erat, ut iis Phi-

INTERPRETATIO.

d *Ut acciperent novos illos milites præsidii causâ missos, eosque veherent Lechæum usque*, &c.

a *Cùm pugnæ ardor ut oculos ita & mentes hostium avertisset*, ab aliis urbis partibus, in illam *unam partem in qua certabatur*.

NOTÆ.

atque Attalo) ut quibus nulla spes voluntariæ deditionis, eo quòd prædii præfectus obsessis carus esset.

5. *In incœpto perstabat*.] In MSS. est *Quintius Amesini incœpto:* ubi ad marginem codicis Naudæani *Flaminius in incœpto perstabat*: fortè ex vero.

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Æl. Pæto, & T. Q. Flaminino.

lippus rex adjiceretur; cujus nomen [1] post pactam cum Romanis societatem, quia præco non adjecit, fremitus primò multitudinis ortus: deinde clamor subjicientium Philippi nomen, jubentium legitimum honorem usurpare: donec cum ingenti assensu nomen recitatum est. Hujus fiducia favoris Philocles arcessitus, nocte occupat collem imminentem urbi ([2] Larissam eam arcem vocant) positoque ibi præsidio, quum lucis principio signis infestis ad subjectum arci forum vaderet, instructa acies ex adverso occurrit. Præsidium erat Achæorum nuper impositum; quingenti ferè juvenes delecti omnium civitatum. Ænesidemus Dymæus præerat. [3] Adhortator à præfecto regio missus, qui excedere urbe juberet (neque enim pares eos oppidanis solis, qui idem quod Macedones sentirent, nedum adjunctis Macedonibus esse, quos ne Romani quidem ad Corinthum sustinuissent) primò nihil, nec ducem nec ipsos movit: postpaulò, ut Argivos quoque armatos ex parte altera venientes magno agmine viderunt, certam perniciem cernentes, omnem tamen casum, si pertinacior dux fuisset, videbantur subituri. Ænesidemus, ne flos Achæorum juventutis simul cum urbe amitteretur, pactus cum Philocle ut abire illis liceret, ipse quo loco steterat armatus cum paucis clientibus, non excessit. Missus à Philocle qui quæreret, quid sibi vellet; nihil fatus, tantummodò cùm [4] projecto præ se clypeo staret, in præsidio creditæ urbis moriturum se armatum, respondit. tum jussu præfecti à Thracibus conjecta tela, interfectique omnes. Et post pactam inter Achæos & Romanos societatem, duæ nobilissimæ civitates, Argi & Corinthus, in potestate regis erant. Hæc ab Romanis ea æstate in Græcia terra marique gesta. In Gallia nihil sanè memorabile ab Sext. Ælio consule gestum: quum duos exercitus in provincia habuisset; unum retentum, quem dimitti oportebat, cui L. Cornelius Proconsul præfuerat (ipse ei C.

NOTÆ.

1. *Post pactam cum Romanis societatem.*] In fine cap. 22. dixerat Livius Argivorum quosdam cùm vidissent in concilio Achæorum inclinatos animos ad Romanam societatem, inde excessisse cum Dymæis & Megalopolitanis, veniamque ejus secessionis iis datam. Quid ergo nunc sibi vult *post pactam cum Romanis societatem* non pronunciatum in Argivorum comitiis nomen Philippi, quasi spreto ejus fœdere: unde sequitur decretum Achivi concilii de Romanâ societate servatum in comitiis Argivorum. Id non immeritò miratur Glar. Dici potest majorem partem Argivorum legatorum, aut Demiurgum, qui eorum princeps, sequutum sententiam plurium in Achæorum conventu; aut fœdere Achæorum & societatis lege fuisse comprehensum, ut quod pluribus civitatibus placuisset, ceteræ sequerentur. Certè Achæorum præsidium Argis tunc fuisse, mox Livius subjicit.

2. *Larissam eam arcem vocant.*] Plures sunt urbes ejus nominis. Sed hic arx intelligitur, Argis velut imminens.

3. *Adhortator.*] Gron. motus scriptura Vossiani codicis, ubi est *ad hos tractor*, legit *ad hos orator*.

4. *Cùm projecto præ se clypeo staret.*] Particula *cum* non est præpositio. neque ad clypeum refertur, sed ad verbum *sta-*

Ælium prætorem præfecit) alterum quem in provinciam adduxit. totum prope annum Cremonensibus Placentinisque cogendis redire in colonias, unde belli casibus dissipati erant, consumpsit.

Urb. cond. an. 555. Coss. S. Æl Pæto, & T. Quintio Flaminino.

XXVI. Quemadmodum Gallia præter spem quieta eo anno fuit, ita circa urbem servilis propè tumultus excitatus est. Obsides Carthaginiensium Setiæ custodiebantur : cum iis, ut principum liberis, magna vis servorum erat: augebant eorum numerum, ut ab recenti Africo bello, & ab ipsis Setinis captiva aliquot nationis ejus ex prædâ empta mancipia. Quum conjurationem fecissent, missis ex eo numero qui in Setino agro, deinde circa Norbam & Circeios servitia solicitarent; satis jam omnibus præparatis; ludis, qui Setiæ propediem futuri erant, spectaculo intentum populum aggredi statuerant: Setiâ per cædem & repentinum tumultum captâ, Norbam & Circejos occupare. Hujus rei tam fœdæ indicium Romam ad [1] L. Cornelium Merulam prætorem urbis delatum est. Servi duo ante lucem ad eum venerunt, atque ordine omnia quæ acta futuraque erant, exposuerunt. quibus domi custodiri jussis: prætor, senatu vocato, edoctoque quæ indices afferrent, proficisci ad eam conjurationem quærendam atque opprimendam jussus. cum quinque legatis profectus, obvios in agris sacramento rogatos arma capere & sequi cogebat. Hoc tumultuario delectu duobus millibus fermè hominum armatis, Setiam, omnibus quò pergeret ignaris, venit. ibi raptim principibus conjurationis comprehensis, fuga servorum ex oppido facta est. dimissi deinde per agros, qui vestigarent. Egregia duorum opera servorum indicum, & unius liberi fuit. Ei [2] centum millia gravis æris dari Patres jusserunt: servis [3] vicena quina millia æris, & libertatem. pretium eorum ex ærario solutum est dominis. Haud ita multò pòst ex ejusdem conjurationis reliquiis, nunciatum est, servitia Præneste occupatura. Eo L. Cornelius prætor profectus, de quingentis ferè hominibus, qui in ea noxâ erant, supplicium sumpsit. In timore civitas fuit, obsides captivosque Pœnorum ea moliri. Itaque & Romæ vigiliæ per vicos servatæ: jussitque circumire eas minores magistratus: & triumviri carceris lautumiarum intentiorem custodiam habere jussi: & circa nomen Latinum

NOTÆ.

ret: ut sit, *cùm, nihil fatus, staret, projecto ante se clypeo*, &c.

1. *L. Cornelium Merulam*,] Aliàs *Cornelium Lentulum*: sed Livius suprà comitia Prætoria explicans scripsit *Cornelium Merulam*, quem Prætorem urbanum factum esse ait. Idem in consulatu, qui sequitur, *Merula*, non Lentuli cognomen habet, tum apud nostrum, tum etiam in tabulis Capitolinis, quemadmodum advertit Sigonius.

2. *Centum millia gravis æris*.] Cùm *grave as* dicat, videtur libras, non posteriorum temporum asses, intelligere. Sic pretium hujus summæ nobis nunc libræ Francicæ fermè 67500. essent.

3. *Vicena quina millia æris*.] Non addit *gravis*; sed tamen, aut id hic repetendum puto, aut de assibus uncialibus in superiori quoque articulo accipiendum : ne

Urb. cond. an. 555. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

à prætore literæ missæ; ut & obsides in privato servarentur, neque in publicum prodeundi facultas daretur; 4 & captivi ne minùs decem pondo compedibus vincti in nulla alia, quam in publici carceris, custodia essent.

XXVII. Eodem anno legati ab rege Attalo coronam auream 1 CCXLVI. pondo in Capitolio posuerunt: gratiasque senatui egerunt, quòd Antiochus legatorum Romanorum auctoritate motus, finibus Attali exercitum deduxisset. Eadem æstate equites ducenti, & elephanti decem, & tritici modiûm ducenta millia, ab rege Masinissa ad exercitum, qui in Græcia erat, pervenerunt. Item ex Sicilia Sardiniaque magni commeatus, & vestimenta exercitui missa. Siciliam M. Marcellus, Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat; sanctus & innocens, asperior tamen in fœnore coercendo habitus. Fugatique ex insula fœneratores, & sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcisi, aut sublati. Sext. Ælius Consul ex Gallia comitiorum caussa Romam quum rediisset, creavit Consules C. Cornelium Cethegum, & Quintum Minucium Rufum. Biduo pòst prætorum comitia habita. 2 Sex prætores illo anno primùm creati; crescentibus jam provinciis, & latiùs patescente imperio. creati autem hi, L. Manlius Vulso, C. Sempronius Tuditanus, M. Sergius Sillus, M. Helvius, M. Minucius Rufus, L. Atilius. Sempronius & Helvius ex iis ædiles plebis erant. ædiles curules, Q. Minucius Thermus, & Ti. Sempronius Longus. Ludi Romani eo anno quater instaurati.

XXVIII. Cn. Cornelio, & Q. Minucio Consulibus, omnium primum de provinciis consulum prætorumque actum. Priùs de prętoribus transacta res, quę transigi sorte poterat. urbana Sergio, peregrina jurisdictio Minucio obtigit. Sardiniam Atilius, Siciliam Manlius, Hispaniam Sempronius citeriorem, Helvius ulteriorem est sortitus. Consulibus Italiam Macedoniamque sortiri parantibus, L. Oppius, & Q. Fulvius tribuni plebis impedimento erant, *quod longinqua provincia Macedonia esset: neque ulla alia res majus bello impedimentum ad eam diem fuisset, quàm quod vixdum inchoatis rebus in ipso conatu gerendi belli prior Consul revocaretur. Quartum jam annum esse ab decreto Macedonico bello. Quærendo re-*

N O T Æ.

nimium sit discrimen inter mercedem homini libero, & servis datam. Si libræ sumantur, æstimanda erit servilis hæc merces libris nostris 15871. ferè.

4. *Et captivi ne minùs decem pondo, &c.*] Gall. *Et que les prisonniers de guerre, qui seroient hors des prisons publiques, fussent gardez les fers aux pieds du poids de huit livres trois quarterons pour le moins.*

1. *Ducentorum quadraginta sex pondo.*] Coronæ hujus aureæ vel si pondus tantùm spectes, monetâ nostrâ consurgeret præter propter summa centum triginta septem millium quadringentarum quindecim librarum nostratium, hoc est, nisi errat calculus, aureorum solatorum currentium viginti quatuor millium, centum & octo, ac quod excurrit.

2. *Sex pretores illo anno.*] Auctus quidem Prætorum numerus, non tamen in alias quàm priùs, provincias missi, Sici-

gem, & exercitum ejus, Sulpicium majorem partem anni absumpsisse. Villium congredientem cum hoste, re infectâ revocatum. Quintium rebus divinis Romæ majorem partem anni retentum: ita gessisse tamen res, ut si aut maturiùs in provinciam venisset, aut hiems magis sera fuisset, potuerit debellare. Nunc 3 propè in hiberna profectum, ita comparare dici bellum, ut nisi successor impediat, perfecturus æstate proximâ videatur. His orationibus pervicerunt, ut consules in senatûs auctoritate fore dicerent so, si idem tribuni facerent. Permittentibus utrisque liberam consultationem, Patres consulibus ambobus Italiam provinciam decreverunt. T. Quintio prorogarunt imperium, donec successor ei venisset. Consulibus binæ legiones decretæ: & ut bellum cum Gallis Cisalpinis, qui defecissent à populo Romano, gererent. Quintio in Macedoniam suppplementum decretum; peditum quinque millia, & trecenti equites, & sociorum navalium tria millia. Præesse idem qui præerat classi, L. Quintius Flamininus jussus. Prætoribus in Hispanias octona millia peditum sociûm ac Latini nominis data: & quadringenti equites, ut dimitterent veterem ex Hispaniis militem. & terminare jussi, qua ulterior citeriorve provincia servaretur. Macedoniæ legatos P. Sulpicium & P. Villium, qui Consules in ea provincia fuerant, adjecerunt.

Urb. cond. an. 555. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XXIX. Priusquàm Consules prætoresque in provincias proficiscerentur, prodigia procurari placuit: 1 quod ædes Vulcani, 2 Summanique Romæ; quod & Fregellis murus & porta de cœlo tacta erant: & Frusinone 3 inter noctem lux orta: & Asculo agnus biceps cum quinque pedibus natus: & Formiis duo lupi oppidum ingressi, obvios aliquot laniaverant: Romæ non in urbem solùm, sed in Capitolium penetraverat lupus. C. Acilius Tribunus plebis tulit, ut quinque coloniæ, in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique: una Puteolos: una ad 4 castrum Salerni. His 5 Buxentum adjectum. tricenæ fa-

NOTÆ.

liam, Sardiniam, Hispaniam citeriorem, Hispaniam ulteriorem. Sed has plerunque rexerant proconsules, aut proprætores.

3. *Propè.*] Nota *propè* pro *vix*.

1. *Quod ædes Vulcani.*] Vulcan. Romulus templum ei extra urbem ædificaverat, cujus rei caussas Plut. varias affert, in quæstionibus Romanis, quæst. 47. quarum præcipua videtur, quòd Marti dicata esset urbs Roma, huic autem parùm amicus Vulcanus.

2. *Summanique.*] Plutonem, sive Ditem, qui & Orcus, *Summanum* Romani dixere, quasi summum Manium Præsidem. Fuit autem ædes Summani in regione Circi maximi, quæ posteà ex Augusti divisione xj. fuit.

3. *Inter noctem.*] Alii legunt, *internoctu*, & verò dicitur *interdiù*: sed huic adverbio opponitur à nostro lib. 43. *noctu*, non *internoctu*: sic etiam apud eumdem dicitur *luce*, pro eodem ac *interdiù* lib. 38.

4. *Castrum Salerni.*] Picentinorum, hodie Principatus citerioris caput in regno Neapolitano, est *Salernum*, maritima urbs, quæ nomen etiamnum servat, unde & proximus sinus denominatur.

5. *Buxentum.*] Oppidum maritimum fuit Lucaniæ *Buxentum*, Græcis *Pyxus*, à Buxo dictum, cujus ibi copia nascitur: hodie *Pisciota* quibusdam: aliis veriùs,

Urb. Cond. ann. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Ruf.

milia in singulas colonias jubebantur mitti. triumviri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati M. Servilius Geminus, Q. Minucius Thermus, T. Sempronius Longus. Delectu [6] rebusque aliis [7] divinis humanisque, quę per ipsos agenda erant, perfectis, Consules ambo in Galliam profecti. Cornelius recta ad Insubres via, qui tum in armis erant, [8] Cenomanis assumptis; Q. Minucius [a] in lęva Italię ad Inferum mare flexit iter: Genuamque exercitu abducto, [9] ab Liguribus orsus est bellum. Oppida [10] Clastidium & [11] Litubium, utraque Ligurum, & [12] duę gentis ejusdem civitates, [13] Celelates Cerdiciatesque sese dediderunt. Et jam omnia cis Padum, prętcr [b] Gallorum Boiis, Ilvates Ligurum, sub ditione erant. quindecim oppida, hominum viginti millia esse dicebantur, quæ se dediderant.

INTERPRETATIO.

a *In eam partem quæ Româ profectis ad lævam est*, Tusciam nimirùm, & Liguriam.

b *Bojos ex pluribus Gallorum nationibus*.

NOTÆ.

ni fallor, *Policastro* in Principatu citeriore.

6. *Rebus ..... quæ per ipsos agenda erant.*] Andreas & Aldus scribunt, *quæ per ipsos agenda erant*. Cujus loquendi formæ exemplum affert Gron. ex Sallustio: *abundantia earum rerum quæ prima mortales ducunt*.

7. *Divinis humanisque.*] Tum sacrificiis solemnibus, & quibus prodigia procurabantur; tum apparatu belli.

8. *Cenomanis assumptis.*] Hi populi Insubribus adversus Romanos sese adjunxerant.

9. *Ab Liguribus.*] An non *Genua* Ligurum? imò caput gentis: sed hic Ligures indicat inter Apenninum & Padum positos, qui in armis erant; Genua autem in ora est, & Romanis parebat.

10. *Clastidium.*] Lib. 21. cap. 48. ostendimus *Clastidium* oppidum fuisse Galliæ Cisalpinæ, quod paulò post confirmari videtur à nostro hujus lib. cap. 31. Hic verò Liguribus attribuitur, idque miratur Sigon. qui idcirco veretur ne *Caristum* pro *Clastidio* legendum sit: est enim *Caristum* apud nostrum lib. 42. oppidum in agro Statiellorum, qui Ligurum pars. Verùm *Clastidium* in confinio Ligurum fuit; & Insubrum, & modò Liguribus adscribebatur, modo Insubribus ratione variantis possessionis: Nunc dicitur *Chiastezzo*.

11. *Litubium.*] Vicus nunc est non procul Dertona in Ducatu Mediolanensi, vulgò *Ritorbio*.

12. *Duæ gentis ejusdem civitates.*] A nostro, ut & à Cæsare *civitatum* nomine intelliguntur populi, eorumque agri.

13. *Celelates Cerditiatesque.*] Quo loco fuerint *Celela* & *Cerdicia*, unde his populis nomen, tacentibus Geographis non facilè est pronunciare. Si quis ex affinitate nominum ad hodiernum morem inflexorum conjecturæ locus, suspicari licebit ibi *Celelam* fuisse, ubi nunc *Cella*, locus inter Albam & Astam ad lævam Tanari in Pedemontii ac Montis Ferrati confinio: sæpè enim extritâ brevi vocali, (quali hic *e*) solet vulgaris sermo Latina vocabula contrahere. Ex *Cerdicia*, fieri potuisset Italicè *Cerdezza*. Verùm nullum hujus nominis vestigium in tabulis hodiernis video. An degeneravit in *Corticelle*, qua nomenclatura locus nunc inter Bellum ac Tanarum amnes occurrit in finibus agrorum Nicæensis, qui ad Montis Ferrati Ducatum; Astensis, qui ad Pedemontium, & Alexandrini, qui ad Ducatum Mediolanensem pertinet?

Inde

XXX. Inde in agrum Bojorum legiones duxit. Bojorum exercitus haud ita multò antè trajecerat Padum, junxeratque se Insubribus & Cenomanis: quod ita acceperant, conjunctis legionibus Consules rem gesturos, ut & ipsi collatas in unum vires firmarent. Posteaquàm fama accidit, alterum Consulem Bojorum urere agros: seditio extemplo orta est. Postulare Boji, ut laborantibus opem universi ferrent. Insubros negare se sua deserturos. Ita divisæ copiæ, Bojisque in agrum suum tutandum profectis, Insubres cum Cenomanis super [1] amnis Mincii ripas consederunt. Infra eum locum quinque millia passuum, & consul Cornelius eidem flumini castra applicuit. inde mittendo in vicos Cenomanorum [2] Brixiamque, quod caput gentis erat; ut satis comperit, non ex auctoritate seniorum juventutem in armis esse, nec publico consilio Insubrium defectioni Cenomanos se adjunxisse; excitis ad se principibus, ibi agere ac moliri cœpit, ut desciscerent ab Insubribus Cenomani, & signis sublatis aut domos redirent, aut ad Romanos transirent. Et id quidem impetrari nequiit. in id data fides Consuli est, ut in acie aut quiescerent, aut si qua etiam occasio fuisset, adjuvarent Romanos. Hæc ita convenisse Insubres ignorabant: suberat tamen quædam suspicio animis labare fidem sociorum. Itaque quum in aciem eduxissent, neutrum iis cornu committere ausi, ne si dolo cessissent, rem totam inclinarent, post signa in subsidiis eos locaverunt. Consul principio pugnæ vovit ædem Sospitæ Junoni, si eo die hostes fusi fugatique essent. A militibus clamor sublatus, compotem voti Consulem se facturos, & impetus in hostes est factus. Non tulerunt Insubres primum concursum. quidam & à Cenomanis terga repente in ipso certamine aggressis, [a] tumultum ancipitem injectum auctores sunt, cæsaque in medio quinque & triginta millia hostium, quinque millia & septingentos vivos captos: in iis Amilcarem Pœnorum imperatorem, qui belli caussa fuisset: signa militaria centum triginta, & carpenta supra ducenta. Oppida, quæ defectionem secuta erant, dediderunt se Romanis.

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego & Q. Minuc. Rufo.

XXXI. Minucius consul primò effusis populationibus peragraverat fines Bojorum: deinde, ut relictis Insubribus ad sua tuenda receperant

INTERPRETATIO.

a *Memorant aliqui Cenomanos subitò in medio pugna, invasisse terga Insubrum*, & sic *his injectum* fuisse *terrorem à tergo* & *à fronte*.

NOTÆ.

1. *Amnis Mincii ripas.*] Fluvius est Venetiæ & Galliæ Transpadanæ *Mincius*, è lacu Benaco per lacum qui Mantuam urbem aquis suis fermè ambit, in Padum defluens, vulgò *Menzo*, vel *Mincio*: Gall. *le Mince*.

2. *Brixiamque, qua caput gentis erat.*] Scripti habent, *Brixiamque, quod caput*

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

ſeſe, caſtris ſe tenuit, acie dimicandum cum hoſte ratus. Nec Boji detrectaſſent pugnam, niſi fama victos Inſubres allata animos fregiſſet. Itaque relicto duce caſtriſque, diſſipati per vicos, ſua ut quiſque defenderent, rationem gerendi belli hoſti mutarunt. omiſſa enim ſpe per unam dimicationem rei decernendæ, rurſus populari agros, & urere tecta, viciſque expugnare cœpit. Per eoſdem dies Claſtidium incenſum. inde in Liguſtinos Ilvates, qui ſoli non parebant, legiones ductæ. Ea quoque gens, ut Inſubres acie victos, Bojos, ita ut tentare ſpem certaminis metuerent, territos audivit, in ditionem venit. Literæ conſulum è Gallia de geſtis proſperè ſub idem tempus Romam allatæ. M. Sergius prætor urbanus in ſenatu eas, deinde ex auctoritate Patrum ad populum recitavit. ſupplicatio in quatriduum decreta.

XXXII. Hiems jam eo tempore erat, quum T. Quintius, captâ Elatiâ in Phocide ac Locride hiberna diſpoſita haberet. [1] Opunte ſeditio orta eſt. Factio una Ætolos, qui propiores erant; altera Romanos arceſſebat. Ætoli priores venerunt: ſed opulentior factio, excluſis Ætolis, miſſoque ad imperatorem Romanum nuncio; uſque ad adventum ejus [2] tenuit urbem. Arcem regium tenebat præſidium: neque ut diſcederent inde, aut Opuntiorum minis, aut auctoritate imperantis conſulis Romani, perpelli potuerunt. Mora cur non extemplo oppugnarentur, ea fuit: quod caduceator ab rege venerat, locum ac tempus petens colloquio. Id gravate conceſſum regi eſt. non quin cuperet Quintius per ſe partim armis, partim conditionibus confectum videri bellum (necdum enim ſciebat, utrum ſucceſſor ſibi alter ex novis conſulibus mitteretur, an, quod ſummâ vi ut tenderent, amicis & propinquis mandaverat, imperium prorogaretur) aptum autem fore colloquium credebat, ut ſibi liberum eſſet, vel ad bellum, manenti, vel ad pacem, decedenti rem inclinare. In ſinu Maliaco prope Nicæam litus elegêre. eo rex ab Demetriade cum quinque lembis & unâ nave roſtratâ venit. Erant cum eo principes Macedonum & Achæorum exul vir inſignis Cycliadas. Cum imperatore Romano rex Amynander erat, & Dionyſodorus Attali legatus, & Ageſimbrotus præfectus Rhodiæ claſſis, & Phæneas princeps Ætolorum, & Achæi duo Ariſtænus & Xenophon. Inter hos Romanus ad extremum litus progreſſus, quum rex in proram navis in anchoris ſtantis proceſſiſſet; *Commodius*, inquit, *ſi in terram egrediaris, & ex propinquo dicamus invicem, audiamuſque*. Quum rex facturum ſe id negaret, *Quem tandem*, inquit Quintius, *times?* Ad hoc ille ſu-

NOTÆ.

gentis erat: eademque ratione libro 33. *robore Macedonici exercitûs, quam phalangem vocant*. Et apud Cic. *omnes tenues atque humiles, quæ maxima in populo multitudo eſt*.

1. *Opunte.*] *Opus* Locrorum Opuntiorum caput fuit, ſinui ſuo imminens, qui paſs Euboïci.

2. *Tenuit urbem.*] Gall. *ce party demeura maitre de la ville*.

perbo & regio animo : *Neminem equidem timeo , præter Deos immortales , non omnium autem credo fidei , quos circa te video , atque omnium minimè Ætolis . Istud quidem ,* ait Romanus , *par omnibus periculum est , qui cum hoste ad colloquium congrediuntur ,* [3] *ut nulla fides sit . Non tamen ,* inquit rex , *T. Quinti par perfidiæ præmium est , si fraude agatur , Philippus & Phæneas . neque enim æquè difficulter Ætoli prætorem alium , ac Macedones regem in meum locum substituant .*

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XXXIII. Secundum hæc silentium fuit. Quum Romanus eum æquum censeret priorem dicere , qui petiisset colloquium ; Rex , ejus esse priorem orationem, qui daret pacis leges , non qui acciperet : tum Romanus , [a] *Simplicem suam orationem esse . ea enim se dicturum , quæ ni fiant , nulla sit pacis conditio . Deducenda ex omnibus Græciæ civitatibus regi præsidia esse . captivos & transfugas sociis populi Romani reddendos . restituenda Romanis ea* [1] *Illyrici loca , quæ post pacem in Epiro factam occupasset .* [2] *Ptolemæo regi Ægypti reddendas urbes , quas post Philopatoris Ptolemæi mortem occupasset . Suas populique Romani conditiones has esse : cæterum & sociorum audiri postulata* [b] *verum esse .* Attali regis legatus , *Naves captivosque , quæ ad Cium navali prælio capta essent ,* [3] *& Nicephorium , Venerisque templum ; quæ spoliasset , evastassetque , pro incorruptis restitui :* [4] Rhodii , Peræam (regio est continentis adversus insulam , vetustæ eorum ditionis) repetebant , postulabantque , *præsidia deduci* [5] *ab Jasso* [6] *& Bargyliis , &* [7] *Euromensium urbe , & in Hellesponto Sesto atque*

INTERPRETATIO.

[a] *Se sincerè & sine ambagibus, ac sine artificio locuturum, ea scilicet prolaturum, quæ si facta non fuerint , non possit pax aliâ ullâ conditione convenire.* [b] *æquum esse.*

NOTÆ.

3. *Ut nulla fides sit.*] Veteres, *ut in nullo fides sit* : fortè, inquit Gron. *ut in dubio fides sit.*

1. *Illyrici loca.*] Quæ scilicet in Illyrici & Macedoniæ finibus versus Epirum à Romanis occupata fuerant.

2. *Ptolemæo regi.*] Intelligit Ptolemæum, in ordine regum Ægypti quintum, Epiphanem dictum , qui à patre quinquennis relictus, à Romanis , quos Alexandrini tutores pupillo regi advocaverant , defensus est adversus Antiochum magnum Syriæ , & Philippum hunc Macedoniæ regem : quorum ille Cœlesyriam, & Phœnicen : hic Cariam invaserat , partemve minoris Asiæ Ptolemæis possessam , ipsique Ægypto inhiabat.

3. *Et Nicephorium.*] Ex Strabone lib.13. quem laudat Glar. *Nicephorium* lucus fuit ad Pergamum in Asia ab Eumene rege conditus.

4. *Rhodii Peræam.*] *Peræa* tractus fuit Cariæ maritimus, sic dictus , opinor , quod Rhodiis esset trans mare , quo Rhodus, à Caria separatur.

5. *Ab Jasso.*] *Jassus* urbs Joniæ fuit , ad Cariæ fines : unde sinui proximo nomen , inter Ephesum & Myndum : hodie Italis *San Pietro* :

6. *Et Bargyliis.*] *Bargyliæ*, aliàs *Bargillæ* urbs erat in ora Cariæ, inter Myndum & Miletum, à vicino monte Bargylo dicta : nunc in ruinis jacet.

7. *Euromensium urbe.*] *Eurome* , quam Livius lib. seq. *Euromum* vocat , Cariæ quoque urbs erat , inter Bargyliam & Stratoniceam.

Urb. Cond. ann. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Ruf.

Abydo, [8] *& Panoplim Byzantiis*, [b] [9] *in antiqui formulam juris restitui, & liberari omnia Asiæ emporia portusque*. Achæi *Corinthum* & *Argos* repetebant. Prætor Ætolorum Phæneas quum eadem, ferè quæ Romani, ut Græcia decederetur, postulasset, redderenturque Ætolis urbes, quæ quondam juris ac ditionis eorum fuissent; excepit orationem ejus [c] princeps Ætolorum Alexander, vir ([10] ut inter Ætolos) facundus. *Jamdudum se reticere*, ait; [d] *non quò quicquam agi putet eo colloquio, sed ne quem sociorum dicentem interpellet. Neque de pace cum fide Philippum agere, neque bella vera virtute unquam gessisse. In colloquiis insidiari & captare: in bello non congredi æquo campo, neque collatis signis dimicare, sed refugientem incendere ac diripere urbes, & vincentium præmia victum corrumpere. At non sic antiquos Macedonum reges, sed acie bellare solitos, urbibus parcere quantum possent, quo opulentius imperium haberent. Nam de quorum possessione dimicetur* [e] *tollentem, nihil sibi præter bellum relinquere, quod consilium esse? Plures priore anno sociorum urbes in Thessalia evastasse Philippum, quàm omnes qui unquam hostes Thessaliæ fuerint. ipsis quoque Ætolis cum plura socium, quam hostem ademisse.* [11] *Lysimachiam pulso prætore & præsidio Ætolorum occupasse eum. Cium item suæ ditionis urbem funditus evertisse ac delesse. Eadem fraude habere eum* [12] *Thebas Phthias* [13] *Echinum*, [14] *Larissam*, *&* [15] *Pharsalum*.

XXXIV. Motus oratione Alexandri Philippus navem, ut

INTERPRETATIO.

b *Reddi Byzantiis ut in eorum ditione eodem jure esset, quo anteà fuerat.*

c *Vir inter Ætolos primarius.*

d *Non quasi putet*, vel *non quod putet.*

e *Stultum esse consilium, tollendo ea quorum causâ bellum fiat, bellum ipsum sibi tantùm relinquere.*

NOTÆ.

8. *Et Panopolin.*] *Panopolis*, sive *Panos civitas*, unde *Panopolites Nomus*, urbs erat Ægypti: sed ea nihil ad id de quo nunc agitur. Corrige cum Sigonio *Perinthum* ex Polyb. atque ex ipso Livio lib. seq. cap. 30. ubi de conditionibus pacis inter Romanos & Philippum agitur.

9. *In antiqui formulam juris.*] Sumitur *formula* hoc loco pro ordinatione seu dispositione ditionis vel provinciæ, quâ describuntur loca subjecta: ut apud Plin. lib. 3. nat. hist. cap. 4, *adjecit formulę Galba Imperator ex Inalpinis Avanticos*: id est, voluit ut cum aliis populis *Avantici* ad Narbonensem provinciam pertinerent.

10. *Ut inter Ætolos.*] Malè Sigon. delet τὸ *ut*, quæ particula hanc habet vim, ut ostendat hunc Alexandrum, non quidem absolutè facundum, sed cum restrictione, quantùm scilicet usus Ætolorum patiebatur. Gall. diceremus: *pour un Etolien.*

11. *Lysimachiam pulso prętore.*] Plures fuere hujus nominis urbes: hæc in Isthmo Chersonesi Thraciæ, juxta Cardiam, quæ ad sinum maris Ægæi, ejusque destructæ in locum condita à Lysimacho ex Alexandri magni successoribus uno: hodie *Hexamili* Sophiano.

12. *Thebas Phthias.*] *Phthiotis* Thessaliæ regio suas habuit *Thebas*, quæ inde *Phthioticę* dictæ ad discrimen Bœoticarum. Imminebat ea urbs sinui Pelasgico ex adverso Pagasæ.

13. *Echinum.*] In eadem Thessaliæ regione fuit *Echinus*, oppidum maritimum, oppositum Athenis, quæ *Diades* cognomine in ora Eubœæ.

14. *Larissam.*] Intellige *Cremasten*, de qua suprà.

15. *Pharsalum.*] Phthiotidis quoq; fuit

Urb. cond. ann. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

exaudiretur, propiùs terram applicuit. [a] Orsum eum dicere in Ætolos maximè violenter, Phæneas interfatus, *Non in verbis rem verti*, ait: *aut bello vincendum, aut melioribus parendum esse*. *Apparet id quidem*, inquit Philippus, *etiam cæco*; jocatus in valetudinem oculorum Phæneæ. & erat dicacior natura, quàm regem decet, & ne inter seria quidem risu satis temperans. Indignari inde cœpit, *Ætolos, tanquam Romanos, decedi Græcia jubere: qui, quibus finibus Græcia sit, dicere non possint. Ipsius enim Ætoliæ*, [1] *Agræos*, [2] *Apodcotasque &* [3] *Amphilochos, quæ permagna eorum pars sit, Græciam non esse. An quod à sociis eorum non abstinuerim, justam querelam habent, quum ipsi pro lege hunc morem antiquitùs servent, ut adversus socios ipsi suos, publicâ tantùm auctoritate demptâ, juventutem suam militare sinant, & contrariæ persæpè acies in utraque parte Ætolica auxilia habeant? Neque ego Cium expugnavi, sed Prusiam socium & amicum oppugnantem adjuvi: & Lysimachiam ab Thracibus vindicavi. sed quia me necessitas ad hoc bellum à custodia ejus avertit, Thraces habent. Et Ætolis hæc. Attalo autem Rhodiisque nihil jure debeo: non enim à me, sed ab aliis principium belli ortum est. Romanorum autem honoris caussa Peræam Rhodiis, & naves Attalo cum captivis, qui comparebunt, restituam. Nam quod ad Nicephorium Venerisque templi restitutionem attinet; quid ea restitui postulantibus respondeam, nisi quo uno modo luci sylvæque cæsæ restitui possint, curam impensamque sationis me præstaturum: quoniam hæc inter se reges postulare & respondere placet*. Extrema ejus oratio adversus Achæos fuit: *in qua orsus ab* [4] *Antigoni primum suis, deinde erga eam gentem meritis, recitari decreta eorum jussit*;

INTERPRETATIO.

a Illum cùm cœpisset invehi maximè in Ætolos, interrupit Phaneas, &c.

NOTÆ.

Pharsalus, ad Euripeum fluvium, cujus in campis victus posteà postremo prælio Pompejus à Cæsare: hodie *Farsa*.

1. *Agræos*.] *Agræi* exiguum tractum coluere in Ætoliæ & Acarnaniæ finibus, inter Athamanes ad ortum, & Amphilochos ad occasum, ad utramque Acheloi ripam. Videntur iidem fuisse cum Ephyris Plinii qui ab oppido Ephyra nomen mutuati.

2. *Apodeotas*.] Nisi *Aperantios* intelligamus, qui Acheloi fontes accolunt, non facile est conjicere quo loco fuerint hi *Apodeotæ*, sive, ut Polyb. vocat, *Apodotæ*. *Aperantiorum* autem meminit noster lib. 38. cap. 3. & lib. 43. cap. 22.

3. *Amphilochos*.] Inter sinum Ambracium & Acheloum habitarunt *Amphilochi*, dicti ab Amphilocho Amphiarai filio; Acarnanis fratre: atque hi tres populi in Epiro fuere, quæ extra Helladem sive Græciam strictè sumptam. Nunc dicuntur *permagna Ætolorum pars*, quod licet extra Ætoliam, in ditione aut fœdere erant Ætolorum.

4. *Antigoni primùm suis deinde erga eam gentem meritis*.] Antigonus Philippi tutor, fuso Cleomene Spartanorum rege, Achæos cum Ætolis conciliaverat juncto cum iis fœdere. Philippus verò sociali bello Achæis adversus Aetolos fœdus violantes opem tulerat, reddiderat præterea Philippus Orchomenum, Heræam & Triphyliam, aliaque ipsorum sociis loca. Supra hujus lib. cap. 50. vide & cap. 22.

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

omnes[5] *divinos humanosque honores complexa: atque ad ea adjecit*[6] *recens de exercitu, quo ab se descivissent. invectusque graviter in perfidiam eorum: Argos tamen se redditurum eis dixit. De Corintho, cum imperatore Romano deliberaturum esse, quæsiturumque simul ab eo, utrum iis tantùm urbibus decedere se æquum censeat, quas à seipso captas jure belli habeat, an iis etiam, quas à majoribus suis accepisset.*

XXXV. Parantibus Achæis Ætolisque ad ea respondere, quum prope occasum sol esset, dilato in posterum diem colloquio, Philippus in stationem, ex qua profectus erat, Romani sociique in castra redierunt. Quintius postero die [1] ad Nicæam (is enim locus placuerat) ad constitutum tempus venit. Philippi nullus usquam nec nuncius ab eo per aliquot horas veniebat: & jam desperantibus venturum, repentè apparuerunt naves. Atque ipse quidem, *quum tam gravia & indigna imperarentur, inopem consilii diem se consumpsisse deliberando*, ajebat. Vulgò credebatur, de industriâ rem in serum tractam, ne tempus dari posset Achæis Ætolisque ad respondendum. & [a] eam opinionem ipse affirmavit, petendo, ut summotis aliis, ne tempus altercando tereretur, & aliquis finis rei imponi posset, cum imperatore Romano liceret sibi colloqui. [2] Id primò non acceptum, ne excludi colloquio viderentur socii: deinde quum haud absisteret petere, ex omnium consilio Romanus imperator cum Appio Claudio Tribuno militum cæteris summotis, ad extremum litus processit. Rex cum duobus, quos pridie adhibuerat, in terram est egressus. Ibi quum aliquamdiu secreto locuti essent, quæ acta ad suos Philippus retulerit, minùs compertum est. Quintius hæc retulit ad socios: *Romanis eum cedere tota Illyrici ora, perfugas remittere, ac si qui essent captivi. Attalo naves, & cum iis captos navales socios: Rhodiis regionem, quam Peræam vocant, reddere: Jasso & Bargyliis non cessurum. Ætolis Pharsalum Larissamque reddere. Thebas non reddere. Achæis non Argis modò, sed etiam Corintho cessurum.* [3] Nulli omnium placere partium, quibus ces-

INTERPRETATIO.

a *Et Philippus ipse visus est opinionem illam confirmare*, petendo colloquium solius Quintii.

NOTÆ.

5. *Divinos humanosque honores.*] Primo Comitiorum die, post Jovis, Apollinis & Herculis nomen jubebantur ominis causâ Prætores apud Argivos Philippi quoque nomen, tanquam Dei, aut certè inter Deos, recitare, suprà cap. 25. Simile aliquod decretum Achæorum indicat hoc loco Philippus.

6. *Recens de exercitu.*] Decretum ultimum intellige, quo Achæi relicto Philippo, societati Romanorum se adjunxerant, & exercitum admoverant ad Corinthum, quam oppugnabat Quintius cap. 23.

1. *Ad Nicæam.*] Cùm plures sint hujusce nominis urbes, in Bithynia, in Gallia, & alibi: hæc, de qua nunc agitur, in ora fuit sinûs Maliaci, & regione Locrorum Epicnemidiorum.

2. *Id primò non acceptum.*] Gallicè, *cela ne fut pas accepté d'abord.*

3. *Nulli omnium placere partium.*]

surus, aut non cessurus esset, destinatio. *plus enim amitti in iis, quàm acquiri, nec unquam, nisi tota deduxisset Græcia præsidia,* [4] *caussas certaminum deponere.*

XXXVI. Quum hæc toto ex concilio certatim omnes vociferarentur, ad Philippum quoque procul stantem vox est perlata. itaque à Quintio petit, ut rem totam in posterum diem differret, profectò aut persuasurum se, aut persuaderi sibi passurum. Litus [1] ad Thronium colloquio destinatur. eò maturè conventum est. Ibi Philippus primo & Quintium & omnes qui aderant, rogare, ne spem pacis turbare vellent. Postremò petere tempus, quo legatos Romam ad senatum mittere posset. *Aut his conditionibus se pacem impetraturum, aut quascumque senatus dedisset, leges pacis accepturum.* Id cęteris haudquaquam placebat. nec enim aliud quàm moram & dilationem ad colligendas vires quæri. Quintius, *verum id futurum fuisse*, dicere: *si æstas, & tempus rerum gerendarum esset. nunc bieme instante nihil amitti, dato spatio ad legatos mittendos. Nam neque sine auctoritate senatûs quicquam eorum ratum fore, quæ cum rege ipsi pepigissent: & explorari (dum bello necessariam quietem ipsa hiems daret) senatus auctoritatem posse.* In hanc sententiam & cæteri sociorum principes concesserunt: induciisque datis in duos menses, & ipsos mittere singulos legatos ad edocendum senatum, ne fraude regis caperetur, placuit. Additum induciarum pacto, ut regia præsidia Phocide ac Locride extemplo deducerentur. Et ipse Quintius cum sociorum legatis Amynandrum Athamanum regem; utque [2] speciem legationis adjiceret, Q. Fabium (uxoris Quintii sororis filius erat) & Q. Fulvium, & Appium Claudium misit.

XXXVII. Ut ventum Romam est, priùs sociorum legati, quàm regis auditi sunt. cætera eorum oratio [a] conviciis regis consumpta est. Moverunt eo maximè senatum, demonstrando maris terrarumque regionis ejus situm: ut omnibus appareret: si Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaja rex teneret; non posse liberam Græ-

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

INTERPRETATIO.

a *Conviciis in regem.*

NOTA.

Non prorsus caret dubitatione, an *partium* vocabulo significentur diversi socii, quorum res agebatur, (quo sensu in judiciis actor & reus à Jurisconsultis *partes* dicuntur:) an potiùs *partes* regionum, quas quisque sociorum sibi integras à Philippo restitui postulabant, & quas Philippus ex parte tantùm offerebat, cùm alia loca concederet, alia negaret.

4. *Caussas certaminum deponere.*] Meliùs sanè quod Gronovio videtur *caussas certaminum desore*.

1. *Ad Thronium.*] Fuit *Thronium* urbs maritima Locrorum Epicnemidiorum, inter Scarphiam & Cnemidem, ad extremum Euripum; quà proximè ad sinum Maliacum accedit è regione Cænei Eubœæ promontorii.

2. *Speciem legationi adjiceret.*] Gallicè, *pour donner plus d'éclat & d'authorité à cette ambassade.*

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

ciam esse: & ipsum Philippum non contumeliosiùs, quàm veriùs [1] compedes eas Græciæ appellare. Legati deinde Regis intromissi, quibus longiorem exorsis orationem, brevis interrogatio, cessurusne iis tribus urbibus esset, sermonem incidit. quum mandati sibi de his nominatim negarent quicquam, sic infectâ pace regii dimissi. Quintio liberum arbitrium pacis ac belli permissum. Quo ut satis apparuit, non tœdere belli senatum, & ipse victoriæ quàm pacis avidior, neque colloquium posteà Philippo dedit, neque legationem aliam, quàm quæ omni Græcia decedi nunciaret, admissurum dixit.

XXXVIII. Philippus quum acie decernendum videret, & undique ad se contrahendas vires, maximè [1] de Achajæ urbibus [a] regionis ab se diversæ, & magis tamen de Argis, quàm de Corintho solicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedæmoniorum tyranno, [2] velut fiduciarium dare ut victori sibi restitueret: si quid adversi accidisset, ipse haberet. Philocli, qui Corintho Argisque præerat, scribit, ut tyrannum ipse conveniret. Philocles, præterquàm quòd jam veniebat cum munere, adjicit ad pignus futuræ regi cum tyranno amicitiæ, filias suas regem Nabidis filiis matrimonio conjungere velle. Tyrannus primò negare, aliter urbem eam se accepturum, nisi Argivorum ipsorum decreto arcessitus ad auxilium urbis esset. deinde, ut frequenti concione non aspernatos modò, sed abominatos etiam nomen tyranni audivit; caussam se spoliandi eos nactum ratus, tradere ubi vellet urbem, Philoclem jussit. Nocte ignaris omnibus acceptus in urbem est tyrannus. primâ luce occupat superiora omnia loca, portæque clausæ. Paucis principum tumultum inter primum elapsis, eorum absentium direptæ fortunæ: præsentibus aurum atque argentum ablatum: pecuniæ imperatæ ingentes. qui non cunctanter contulêre,

INTERPRETATIO.

a *Regionis* longiùs *dissitæ à Macedoniæ finibus*.

NOTÆ.

1. *Compedes eas Græciæ*.] Hoc de Chalcide & Corintho verum ex Strab. lib. 9. Has autem duas Græciæ compedes Philippus appellabat ob earum opportunitatem, quòd per eas commodè in Græciam ex Macedoniæ regno aditus pateret; aut quod per eas, hinc Attica vicinæque regiones Helladis, inde Peloponnesus in ditione atque obsequio facilè retineri posse viderentur.

1. *De Achajæ urbibus*.] Intellige urbes, vel Achajæ Peloponnesi provinciæ, vel potiùs Achæorum fœdere comprehensas.

2. *Velut fiduciarium dare*.] *Fiduciarium* dicitur quod, interposito pacto *fiduciæ*, alteri traditur aut mancipatur, id est, eâ lege in eum transfertur, ut danti quandoque restituatur. Id pignoris genus sic explicat Tull. pro Flacco. *Credidisti adolescentulo grandem pecuniam fœneratitiam, accepto tamen fundo fiduciario, quem restitues, cùm tibi pecunia unà cum usura fuerit reddita*. Differentiam pignoris & fiduciæ notat Isidorus 5. Etymol. cap. 25. & ex eo Cujac. ad tit. 13. lib. 2. sentent. Pauli Jurisconsulti. Nomen ex eo deductum, quòd dator fidem accipientis sequatur, ejusque probitati confidat. In frequenti usu erat ejusmodi *fiducia*, quoties filium emancipandi causâ pater naturalis coëmptori

fine

sine contumelia & laceratione corporum sunt dimissi: quos occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in servilem modum lacerati atque extorti. Concione inde advocatâ, rogationem promulgavit; unam 3 de tabulis novis, alteram 4 de agro viritim dividendo: duas faces novantibus res ad plebem in optimates accendendam.

Vrb. Cond. ann. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

XXXIX. Posteaquàm in potestate Nabidis Argivorum civitas erat, nihil ejus memor tyrannus, à quo eam civitatem, & quam in conditionem accepisset, legatos Elatiam ad Quintium & Attalum Æginæ hibernantem mittit, qui nunciarent, Argos in potestate sua esse. eò si veniret Quintius ad colloquium, non diffidere sibi omnia cum eo conventura. Quintius, ut eo quoque præsidio Philippum nudaret, quum annuisset se venturum, mittit ad Attalum, ut ab Ægina Sicyonem sibi occurreret, ipse ab Anticyra decem quinqueremibus, quas iis fortè ipsis diebus L. Quintius frater ejus adduxerat ex hibernis Corcyræ, Sicyonem transmisit. Jam ibi Attalus erat, qui quum tyranno ad Romanum imperatorem, non Romano ad tyrannum eundum diceret; in sententiam suam Quintium traduxit, ne in urbem ipsam Argos iret. Haud procul 1 urbe Mycenica vocatur. in eo loco ut congrederentur, convenit. Quintius cum fratre & tribunis militum paucis, Attalus cum regio comitatu, Nicostratus Achæorum prætor cum auxiliaribus paucis venit. tyrannum ibi cum omnibus copiis opperientem invenerunt. Progressus armatus cum satellitibus est in medium ferè interjacentis campi: inermis Quintius cum fratre & duobus tribunis militum: inermes item Regi prætor Achæorum, & unus ex purpuratis latus cingebant. Initium sermonis ab excusatione tyranni ortum: *quod armatus ipse armatisque*

NOTÆ.

seu patri fiduciario, ita mancipabat, ut sibi remanciparetur, nec ab emptore manumitteretur.

3. *De Tabulis novis*.] Dicuntur *Tabulæ novæ*, quoties lege aliqua generali remittitur debitoribus æs alienum, & pecuniæ creditæ obæratis condonantur; ita ut, veteribus obligationum tabulis in irritum deductis, novæ tantùm tabulæ valeant, quibus nova nomina contineantur. Vide inter alios Cœlium Rhodig. lib. 12. lect. antiq. cap. 20. Græcis dicitur *χρεωκοπία*, seu *χρεῶν ἀποκοπή*, quasi dicas *debiti abscissionem*. Id apud Athenienses usurpatum lege Solonis, à quo dicta est *σεισάχθεια*, id est, iniqui oneris excussio: sed hæc videtur magis in minuendis usuris, & augendâ pecuniæ æstimatione posita fuisse.

4. *De agro viritim dividendo.*] Auctor novæ apud Græcos agrorum divisionis, & æquandarum possessionum, Lycurgus fuerat. Vide Plut. in ejus vita.

1. *Vrbe Mycenica*.] *Mycenæ* urbs Argolidis, Pelopidarum tempore supra Argos ipsum floruit, utpote Agamemnonis regia. At postquàm Heraclidæ potiti sunt Peloponneso, & regnum Argivorum haud multò pòst abiit in popularem statum, eversæ sunt Mycenæ ab Argivis Olympiade 78. circa annum urbis 286. orto ex æmulatione implacabili inter hos populos odio, quòd Persico bello, domi quiescentibus Argivis, Mycenæi octoginta milites contra Persas ad Thermopylas subsidio misissent. Strabo nullum ejus urbis jam suo tempore vestigium extitisse testatur. Hic itaque per *urbem Mycenicam* intelligendus videtur locus, ubi anteà fuerant *Mycenæ*.

Urb. cond. ann. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

septus, quum inermes Romanum imperatorem regemque cerneret, in colloquium venisset. neque enim se illos timere, sed exules Argivorum. Inde ubi de conditionibus amicitiæ cœptum agi est, Romanus duas postulare res: unam, ut bellum cum Achæis finiret: alteram, ut adversus Philippum mitteret secum auxilia. Auxilia se missurum dixit. pro pace cum Achæis, induciæ impetratæ, donec bellum cum Philippo finiretur.

XL. De Argis quoque disceptatio ab Attalo Rege est nata: quum fraude Philoclis proditam urbem vi ab eo teneri argueret: ille ab ipsis Argivis, [a] ut se defenderet, accitum. Concionem Argivorum rex postulabat, ut id sciri posset. Nec tyrannus abnuere: sed deductis ex urbe præsidiis, liberam concionem; non immixtis Lacedæmoniis declaraturam quid Argivi vellent, præberi debere dicebat rex. Tyrannus negavit deducturum. Hæc disceptatio sine exitu fuit. de colloquio discessum: sexcentis Cretensibus ab tyranno datis Romano; induciisque inter Nicostratum Prætorem Achæorum & Lacedæmoniorum tyrannum in quatuor menses factis. Inde Quintius Corinthum est profectus: & ad portam cum Cretensium cohorte accessit, ut Philocli præfecto urbis appareret tyrannum à Philippo descisse. Philocles & ipse ad imperatorem Romanum in colloquium venit: hortantique ut extemplo transiret, urbemque traderet, ita respondit; ut distulisse rem magis, quàm negasse videretur. A Corintho Quintius Anticyram trajecit: inde fratrem ad tentandam Acarnanum gentem misit. Attalus [1] ab Argis Sicyonem est profectus. Ibi & civitas novis honoribus veteres regis honores auxit: & rex [b] ad id, quod sacrum Apollinis agrum grandi quondam pecuniâ redemerat eis, tum quoque ne sine aliqua munificentia præteriret civitatem sociam atque amicam, [2] decem talenta argenti dono dedit: & [3] decem millia medimnûm frumenti. atque ita Cenchreas ad naves rediit. Et Nabis [c] firmato præsidio Argis Lacedæmonem regressus, quum ipse viros spoliasset; ad fœminas spoliandas [4] uxorem Argos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc simul plures genere inter se junctas domum arcessendo, blandiendoque ac minando, non aurum modo iis, sed & postremò vestem quoque, mundumque omnem muliebrem ademit.

INTERPRETATIO.

a *Ut ipsos tueretur.*

b *Præter quàm quòd carò redemerat, sacros Apollini agros,* &c.

c *Firmo præsidio collocato.*

NOTÆ.

cui nunc nomen *Agios Adrianos* ex Sophiano.

1. *Ab Argis.*] Dixit post Homerum Livius *Argos* pro Argivorum regione: nam ipsam urbem Argos non intrasse Attalum apparet ex narratione ipsa.

2. *Decem talenta argenti.*] Gall. 24000. *livres.*

3. *Decem millia medimnûm frumenti.*] Gall. 5000. *Cestiers de blé mesure de Paris.*

4. *Uxorem Argos remisit.*] Nabidis uxor *Apega* tali viro digna.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM

LIBER XXXIII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

TITUS Quintius Flamininus proconsul cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. L. Quintius Flamininus frater proconsulis, Acarnanes, Leucade urbe, quod caput Acarnanum, expugnatâ, in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prætor à Celtiberis cum exercitu cæsus est. Attalus à Thebis ob subitam valetudinem Pergamum translatus decessit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data est. L. Furius Purpureo & Claudius Marcellus consules, Bojos, & Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphavit. Annibal frustra in Africa bellum molitus, & ob hoc Romanis per epistolas adversæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum qui legatos ad Carthaginiensium senatum de eo miserant, profugus ad Antiochum regem Syriæ se contulit; bellum contra Romanos parantem.

1 HÆc per hiemem gesta. Initio autem veris Quintius Attalo Elatiam excito, Bœotorum gentem, incertis ad eam diem animis fluctuantem, ditionis suæ facere cupiens, profectus per Phocidem quinque millia ab Thebis, quod caput est Bœotiæ, posuit castra. Inde postero die cum 2 unius signi militibus, & Attalo, Urb. cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

NOTÆ.

1. *Hæc per hiemem gesta.*] Desiderabatur ferè dimidia pars hujus libri ante Lugdunensem anni 1621. editionem, in qua, magno bono publico, ea quæ anteà deperdita erant, ex Bambergensi codice prodierunt, cæteris MS. in hac parte deficientibus ad caput usque decimum septimum. Incipiebant enim reliqui ab his verbis: *Iis partibus cohærens Acarnania quingentos fermè passus, &c.* ubi nunc meliùs legitur, *arctis faucibus cohærens Acarnania*. Hanc priorem hujus libri partem notis illustravit Horrion: Gallice vertit F. Malherbeus.

2. *Unius signi militibus.*] An *centuriam* intelligit *signi* nomine, an *Manipulum*, qui duabus centuriis constabat? Hoc posterius Lipsio placet milit. Rom. lib. 2. dial. 8. quanquam suum cuique centuriæ, id est, dimidio manipulo vexillum fuisse agnoscit, non Vegetio tantùm, sed Polybio ipsoque Livio auctoribus: sed nec signa peditum propriè vexilla temporibus istis; & quemadmodum

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo

[3] legationibusque, quę frequentes undique convenerant, pergit ire ad urbem, jussis legionibus hastatis, [4] (ea duo millia militum erant) sequi se, mille passuum intervallo distantes. Ad medium fermè viæ Bœotorum prętor Antiphilus obvius fuit: cętera multitudo è muris adventum imperatoris Romani regisque prospeculabatur. rara arma, paucique milites circa eos apparebant: hastatos, sequentes procul, anfractus viarum vallesque interjectæ occulebant. Quum jam adpropinquaret urbi, velut obviam egredientem turbam salutaret, tardiùs incedebat. Caussa erat moræ, ut hastati consequerentur. Oppidani, [5] ante lictorem turbâ actâ, insecutum confestim agmen armatorum, non antè, quàm ad hospitium imperatoris ventum est, conspexere. Tum, velut proditâ dolo Antiphili Prętoris urbe captâque, obstupuerunt omnes. Et apparebat nihil liberæ consultationis concilio, quod in diem posterum indictum erat, Bœotis relictum. [6] Texerunt dolorem, quem & nequicquam & non sine periculo ostendissent.

II. In concilio Attalus primus verba fecit. Orsus à majorum suorum, suisque, & communibus in omnem Græciam, & propriis in Bœotorum gentem meritis; [1] segnior jam & infirmior, quàm ut contentionem dicendi sustineret, obmutuit, & concidit. Et dum regem auferunt perferuntque, parte membrorum captum, paulisper concio intermissa est. Aristænus inde Achęorum prętor, eò cum majori auctoritate auditus, quòd non alia, quàm quę Achęis suaserat, Bœotis suadebat. Pauca ab ipso Quintio adjecta: fidem magis Romanam, quàm arma, aut opes extollente verbis. Rogatio inde [2] à Platęensi Dicęarcho, lata, recitataque de

NOTÆ.

duo Centuriones, ita duo vexillarii seu signiferi in uno manipulo esse potuerunt, quorum posterior nonnisi deficiente priore signum ferret. Adde quod si centuriæ cuique signum suum assignetur, unius signi sexaginta hic tantùm milites erunt: exiguus numerus comitando ac tuendo Imperatori rem arduam tentanti.

3. *Legationibusque.*] *Legationes* dixit pro *legatis* diversarum Græciæ civitatum, ad Quintium missis. Sic Jurisc. *custodias* appellant *reos*, qui in custodia detinentur.

4. *Ea duo millia.*] In legione quatuor fermè millia peditum erant, quorum sexcenti Triarii; reliqui in Hastatos & Principes divisi; Hac ratione Hastatorum numerus non excedebat mille septingentos: sed aliquando augebatur numerus militum ultra consuetum morem legionum, ad quinque millia.

5. *Antè lictorem turbâ actâ.*] Minus probabiliter scribit Gron. *oppidani antè lictorum turbâ acti:* Neque enim propriè dici videtur lictorum turba qui magistratibus Romanis præter Consules, non facilè plures aderant quàm sex.

6. *Texerunt dolorem.*] Scriptum erat *texere in* à Librario: unde Gron. verisimiliter facit, *texere tamen.*

1. *Segnior jam.*] Fortè *senior*, ut conjectat Gron. sic apud Virg.

Jam senior, sed cruda Deo viridisque senectus.

2. *A Plateensi Dicæarcho.*] Apparet *Dicæarchum* pro summo magistratu sumi, desumpto nomine à justo principatu: quemadmodum Puteoli in Campania *Dicæarchia* cognomen tulerunt, quasi qui justè regerentur. Aliàs *Dicæarchus* proprium nomen est Philosophi atque Oratoris. Apparet quoque Bœotorum

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

societate cum Romanis jungendâ, nullo contra dicere audente, omnium Bœotiæ civitatum suffragiis accipitur, jubeturque. Concilio dimisso, Quintius tantùm Thebis moratus, quantùm Attali repens casus coegit, postquàm non vitæ præsens periculum vis morbi attulisse, sed membrorum debilitatem visa est, relicto eo ad curationem necessariam corporis, Elatiam, unde profectus erat, rediit: Bœotis quoque, sicut priùs Achæis, ad societatem adscitis, & quoniam tuta ea pacataque ab tergo relinquebantur, omnibus jam cogitationibus in Philippum, & quod reliquum belli erat, conversis.

III. Philippus quoque primo vere, postquàm legati ab Roma nihil pacati retulerant, delectum per omnia oppida regni habere instituit, in magna inopia juniorum: absumpserant enim per multas jam ætates continua bella Macedonas, ipso quoque regnante: & navalibus bellis adversus Rhodios, Attalumque, & terrestribus adversus Romanos ceciderat magnus numerus. ita & tyrones ab decem & sex annis milites scribebat, & emeritis quidam stipendiis, quibus modò quidquam reliqui roboris erat, ad signa revocabantur. Ita suppleto exercitu, secundum vernum æquinoctium omnes copias 1 Dium contraxit, ibique stativis positis, exercendo quotidie milite, hostem opperiebatur. Et Quintius per eosdem fermè dies ab Elatia profectus, præter Thronium 2 & Scarpheam, ad Thermopylas pervenit. Ibi concilium Ætolorum, 3 Heracleam indictum tenuit, consultantium quantis auxiliis Romanum ad bellum sequerentur. Cognitis sociorum decretis, tertio die ab Heraclea Xynias progressus, in confinio Ænianum Thessalorumque positis castris, Ætolica auxilia opperiebatur. Nihil morati Ætoli sunt. Pheneâ duce duo millia peditum cum equitibus quadringentis venerunt. Ne dubium esset quid expectasset, confestim Quintius movit castra. Transgresso in Phthioticum agrum 4 quingenti Gortynii Cretensium, duce Cyda-

N O T Æ.

Remp. hoc tempore sic fuisse constitutam, ut Thebanorum in cæteras urbes perpetuum non esset imperium, sed per urbes reliquas ambularet, & nunc penes Platæarum Prætorem esset. Porrò *Platææ*, urbis nomen est, quæ in Bœotia ad Asopum fluvium sita, septuaginta stadiis ab Thebis, quà Athenas ibatur. Ad *Plataas* victus est Mardonius Xerxis dux à Pausania Spartano. Bello autem Peloponnesiaco *Platæa* à Thebanis Lacedæmoniorum sociis obsessæ captæque: tunc primùm, ni fallor, inventâ circumvallatione duplici, interiori adversus obsessos, exteriori adversus auxilia. Sed paulò post recepta hæc urbs ab Atheniensibus fuit.

1. *Dium.*] Urbs fuit Macedoniæ in Pieria regione ad sinum Thermaïcum: nomen retinet; Italis *Dio*.

2. *Et Scarpheam.*] Fuit *Scarphia*, sive *Scarphe* oppidum Locrorum qui circa Cnemidem, ad sinum Maliacum, sive Oetæum, non procul Boagrii ostio: nunc *Bondoniza*, ut censet Molet.

3. *Heracleam indictum.*] Hæc *Heraclea Thrachinia* cognomine, inter Asopum & Sperchium flumina in sinum Maliacum se exonerantia, ad septentrionem Thermopylarum sita fuit.

4. *Quingenti Gortynii.*] Urbs olim fuit Cretæ insulæ, *Gortyna*: nunc pagus no-

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

te & trecenti Apolloniatæ, a haud dispari armatu se conjunxêre: nec ita multò pòst Amynander 5 cum Athamanum peditum ducentis & mille.

IV. Philippus cognitâ profectione ab Elatia Romanorum, ut cui de summa rerum adesset certamen, adhortandos milites ratus, multa jam sæpè memorata de majorum virtutibus, simul de militari laude Macedonum quum disseruisset, ad ea quæ tum maximè animos terrebant, quibusque erigi ad aliquam spem poterant, venit. Acceptæ 1 ad Aoum flumen in angustiis cladi, territâ Macedonum phalange, 2 ad Atracem vi pulsos Romanos opponebat: & illic tamen ubi infessas fauces Epiri non tenuissent, primam culpam fuisse eorum, qui negligenter custodias servassent: secundam in ipso certamine, levis armaturæ mercenariorumque militum. Macedonum verò phalangem, & tunc stetisse, & loco æquo justâque pugnâ semper mansuram invictam. 3 Decem & sex millia militum hæc fuere; robur omne virium & regni. Ad hoc 4 duo millia Cetratorum quos Peltastas appellant, Thracumque & Illyriorum, (5 Trallis nomen est genti) par numerus bina millia erant, & mixti ex pluribus gentibus mercede conducti auxiliares mille fermè, & duo millia equitum. Cum iis copiis Rex hostem opperiebatur. Romanis fermè par numerus erat, a equitum copiis tantùm, quod Ætoli accesserant, superabant.

V. Quintius 1 ad Thebas Phthioticas castra quum movisset, spem na-

INTERPRETATIO.

a *Simili armaturâ* sive *armorum genere.*

a *Superiores erant* Romani, *ideo tantùm, vel eatenus solùm, quatenus eis se adjunxerant Ætoli.*

NOTÆ.

mine *Gurtina*, sub Ida monte, non procul Gnosso.

5. *Cum Athamanum peditum ducentis & mille.*] Usitatiùs, *cum mille ducentis Athamanibus*. Sed maluit Livius variandæ phraseos causâ, quasi ex Athamanibus, sive ex numero, vel gente Athamanum.

1. *Ad Aoum flumen.*] De prælio ad Aoum vide lib. 32. cap. 12. Plut. ad *Apsum* ait commissum hoc prælium. Sed hæc duo flumina non multùm inter se distant.

2. *Ad Atracem vi pulsos.*] De *Atrace* oppido Pelasgiotidis ad Peneum lib. 32. cap. 15. Id oppidum frustrà obsessum à Quintio, qui coactus est Anticyram & maritimum tractum petere: xxxij. 17. & 18. Ideo cladi ad Aoum, ubi territa à Romanis Macedonum phalanx, vi pulsos à Macedonibus ad Atracem Romanos Philippus opponebat. Horrion mavult *territâ à Macedonum phalange ad Atracem vi pulsos*, &c. ut territæ phalangis Philippus non meminerit, sed acceptam ad Aoum cladem abunde pensatam velit Romanis terrâ per vim pulsis atque ad maritima compulsis.

3. *Decem & sex millia peditum.*] Ecce numerum phalangis Macedonicæ.

4. *Duo millia Cetratorum quos Peltastas appellant.*] A breviori scuto, in formam Lunæ semiplenæ, atque ita sine umbone, appellationem sortiebatur hoc militum genus. *Cetram* vocabant Barbari, Græci πέλτην.

5. *Trallis nomen est genti.*] Illyriorum genus fuere *Tralli*, quorum regio *Trallia*, diversi à Trallibus Lydiæ in minori Asia. De illis supra xxxj. 35.

1. *Ad Thebas Phthioticas.*] Aliæ fuere à Thebis Bœoticis & Ægyptiacis hæ Thebæ in Phthiotide Thessaliæ regione ad

ctus per Timonem principem civitatis prodi urbem, cum paucis equitum levisque armaturæ ad muros successit. Ibi ª adeo frustrata spes est, ut non certamen modò cum erumpentibus, sed periculum quoque atrox subiret; ni castris exciti repentè pedites equitesque in tempore subvenissent. Et postquàm nihil conceptæ temerè spei succedebat, urbis quidem ampliùs tentandæ in præsentia conatu absistit; cæterum satis gnarus jam in Thessalia regem esse, nondum comperto quam in regionem venisset, milites per agros dimissos, vallum cædere & parare jubet. ² Vallo, & Macedones, & Græci usi sunt, sed usum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ipsius munitionis firmamentum aptaverunt. Nam & majores & magis ramosas arbores cædebant, quàm quas ferre cum armis miles posset, & quum castra his antè objectis sepsissent, facilis molitio eorum valli erat. nam & quia rari stipites magnarum arborum eminebant, multique & validi rami præbebant, quod rectè manu caperetur, duo aut summum tres juvenes connixi arborem unam evellebant, quâ vulsâ portæ instar, extemplo patebat, nec in promptu erat quod obmolirentur. Romanus leves, & bifurcos plerosque, & trium, aut cum plurimum, quatuor ramorum vallos cædit, ut & suspensis ab tergo armis ferat plures simul aptè miles; & ita densos affigunt implicantque ramos, ut neque quæ cujusque stipitis palma sit, pervideri possit; adeo acuti, aliusque per alium immissi radii locum ad inserendam manum non relinquunt, ut neque prehendi, quod trahatur, neque trahi, cùm inter se innexi rami vinculum invicem præbeant, possit, & si evulsus fortè est unus, nec loci multùm aperit, & alium reponere perfacile est.

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

VI. Quintius postero die, vallum secum ferente milite, ut paratus omni loco castris ponendis esset, progressus modicum iter, sex fermè millia à Pheris quum consedisset, speculatum in qua parte Thessaliæ

INTERPRETATIO.

ª *Ita eum spes sua decepit.*

NOTÆ.

sinum Pelasgicum, nunc *Zeiton.*

2. *Vallo, & Macedonas.*] Notandum discrimen inter Græcorum & Romanorum Vallos. Horum hac in re morem describit accuratè Polyb. L. 17. cujus verborum interpretatio lucem huic Livii loco afferre potest: rectè, inquit, defigunt seu pangunt (Vallos scilicet) implicantes alios aliis: ita ut neque facilè distingui possit qui sint rami sive cornua cujusque defossorum in terra stipitum, neque qui stipites seu valli sint cujusque rami. Unde fit ut si quis vellere conetur, nec iis manum facilè admovere possit, quòd densi & invicem incurvati, ac strictè connexi sint: & si apprehendat, vix tamen possit extrahere: tum quod omnes eorum commissuræ proprium robur habeant ex terra cui infixi inhærent; tum quod si unus è ramis trahatur, non statim avelli queat, ob multas propagines mutuò consertas, quæ ramo cuique cohærent. Nec verò facilè contingit, ut duo tresve hostes eumdem palum apprehendant: quod si fortè acciderit ut unus & alter extrahatur, ne spatium quidem apertum adeo patet, ut nisi ægrè aditum

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

hostis esset, quidve pararet, misit. [1] Circa Larissam erat rex, qui certior jam factus, Romanum ab Thebis Pheras movisse, defungi quamprimùm & ipse certamine cupiens, ducere ad hostem pergit, & quatuor millia ferè à Pheris posuit castra. Inde postero die quum expediti utrinque ad occupandos super urbem tumulos processissent, pari fermè intervallo ab jugo, quod capiendum erat, quum inter se conspecti essent, constiterunt, nuncios in castra remissos, qui quid sibi, cum præter spem hostis occurrisset faciendum esset, consulerent, quieti opperientes. Et illo quidem die nullo inito certamine in castra revocati sunt. postero die circa eosdem tumulos equestre prœlium fuit: in quo non minima Ætolorum opera regii fugati, atque in castra compulsi sunt. Magnum utrisque impedimentum ad rem gerendam fuit ager consitus crebris arboribus, hortique, ut in suburbanis locis, & coarctata itinera maceriis, & quibusdam locis interclusa. Itaque pariter ducibus consilium fuit excedendi eâ regione, & velut ex prædicto, [2] ambo Scotussam petierunt: Philippus spe frumentandi inde: Romanus ut prægressus corrumperet hosti frumenta. Per diem totum, quia colles perpetuo jugo intererant, nullo conspecta inter se loco agmina ierunt. Romani ad Eretriam Phthiotici agri, Philippus [3] super amnem Onchestum posuit castra. ne postero quidem die, cùm [4] Philippus ad Melambium, quod vocant Scotussæi agri, Quintius circa Thetidium Pharsaliæ terræ possuisset castra, aut hi, aut illi ubi hostis esset, satis compertum habuerunt. Tertio die primò nimbus effusus, dein caligo noctis simillima Romanos metu insidiarum tenuit.

VII. Philippus maturandi itineris caussa, [a] post imbrem nubibus in terram demissis, nihil deterritus, signa ferri jussit. sed tam densa caligo obcæcaverat diem, ut neque signiferi viam, nec signa milites cernerent; agmen ad incertos clamores vagum velut errore nocturno turbaretur. Supergressi tumulos, [1] qui Cynoscephalæ vocantur, relictâ

INTERPRETATIO.

[a] *Non deterritus est, quamvis densa nebula terra incumberet, visumque impediret.*

NOTÆ.

In castra non præbeat.

1. *Circa Larissam.*] Hic *Larissam* intellige Thessaliæ totius metropolim ad Peneum.

2. *Ambo Scotussam.*] Fuit in Magnesia ad Pelasgiotidis fines: & adhuc priscum nomen servare dicitur.

3. *Super amnem Onchestum.*] In Thessalia fuit hic amnis, Polybio teste, ad *Micalessum*, vulgò *Malacasa*. Suspicor eum esse qui Magnesiam aliquâ ex parte dividit à Pelasgiotide, atque inter Elatiam Pelasgicam ac Tempe defluit in Peneum.

4. *Philippus ad Melambium.*] *Melambium* Scotusæi, *Thetidium* Pharsalici tractus loca fuere; illud in Pelasgiotide, hoc in Phthiotide: & *Thetidei* meminit Euripides ejusque Scholiastis initio Andromaches, citante Horrione.

1. *Qui Cynoscephalæ vocantur.*] Fuere hi inter Scotusam & Pharsalum in con-

ibi

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

ibi statione firma peditum, equitumque, posuerunt castra. Romanus eisdem ad Thetidium castris quum se tenuisset, exploratum tamen ubi hostis esset, decem turmas equitum, 2 & mille pedites misit: monitos ut ab insidiis, quas dies obscurus apertis quoque locis tecturus esset, præcaverent. Ubi ventum ad insessos tumulos est, pavore mutuo injecto velut torpentes quieverunt. dein nunciis retrò in castra ad duces missis, ubi primus terror ab nec opinato visu consedit; non diutiùs certamine abstinuere. Principio à paucis procurrentibus lacessita pugna est, deinde 3 subsidiis tuentium pulsos aucta: in qua quum haudquaquàm pares Romani, alios super alios nuncios ad ducem mitterent, premi sese; quingenti equites, & duo millia peditum, maximè Ætolorum, cum duobus tribunis militum properè missa, rem inclinatam restituerunt: versâque fortunâ, Macedones laborantes, opem regis per nuncios implorabant. Sed ut qui nihil minus illo die 4 propter effusam caliginem quam prælium exspectasset, magnâ parte hominum omnis generis pabulatum missa, aliquandiu inops consilii trepidavit: deinde postquàm nuncii instabant, & jam juga montium detexerat nebula, & in conspectu erant Macedones, in tumulum maximè editum inter alios compulsi, loco se magis, quàm armis tutantes; committendam rerum summam in discrimen utcunque ratus, ne partis indefensæ jactura fieret; Athenagoram ducem mercede militantium cum omnibus, præter Thracas, auxiliis, & equitatu Macedonum, ac Thessalorum mittit. eorum adventu, depulsi ab jugo Romani, non antè restiterunt, quàm in planiorem vallem perventum est. Ne effusâ detruderentur fugâ, plurimùm in Ætolis equitibus præsidii fuit. is longè tum optimus eques in Græcia erat: 5 pedite inter finitimos vincebantur.

VIII. 1 Lætior res quam pro successu pugnæ nunciata, quum alii super alios recurrentes ex prœlio clamarent fugere pavidos Romanos, invitum & cunctabundum, & dicentem temerè fieri, non locum sibi placere, non tempus, perpulit, ut educeret omnes copias in aciem. Idem & Romanus, magis necessitate quàm occasione pugnæ inductus

INTERPRETATIO.

1 *Nuncius felicioris successus quàm re-verà erat, ad Philippum perlatus, &c.* *eum cunctantem impulit ad prælium committendum.*

NOTÆ:

finio Pelasgiotidis, Phthiotidis & Magnesiæ provinciarum Thessalicarum, non procul Eretria. Nomen habuere à similitudine Caninorum capitum.

2. *Et mille pedites.*] Mille *Velites* scripsisse Livium auguratur Gronovius ex Polybio, qui εὐζώνους vocat.

3. *Subsidiis tuentium pulsos.*] In Mss. erat *tuentum plissis*: correxit Quærengus. Horrioni placuerat *subsidiis utrinque missis*, & idem utriusque sensus.

4. *Propter effusam caliginem.*] Scribit Gronovius *offusam*, rectè: rationem reddit 4. observ. *offusa* est objecta oculis.

5. *Pedite ...... vincebantur.*] Vulgò *pedites*: quod tolerari potest, significat

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego & Q. Minuc. Rufo.

fecit. dextrum cornu, elephantis ante signa instructis, in subsidiis reliquit: lævo cum omni levi armatura in hostem vadit, simul admonens, *cum iisdem Macedonibus pugnaturos, quos ad Epiri fauces, montibus fluminibusque septos, victâ naturali difficultate locorum, expulissent, acieque expugnassent: cum iis quos P. Sulpicii prius ductu*, b 1 *obsidentes Eordaæ aditum vicissent. Famâ stetisse, non viribus, Macedoniæ regnum. Eam quoque famam tandem evanuisse*. Jam perventum ad suos in ima valle stantes erat, qui adventu exercitus imperatorisque, pugnam renovant, impetuque facto rursus avertunt hostem. Philippus cum Cetratis, & cornu dextro peditum, robore Macedonici exercitûs, quam phalangem vocabant, propero cursu ad hostem vadit. Nicanori ex purpuratis uni, ut cum reliquis copiis confestim sequatur, imperat. Primò ut in jugum evasit, & jacentibus ibi paucis armis corporibusque hostium, prœlium eo loco fuisse, pulsosque inde Romanos, & pugnari prope castra hostium vidit, ingenti gaudio est elatus: mox refugientibus suis & terrore verso, paulisper, incertus an in castra reciperet copias, trepidavit: deinde ut adpropinquabat hostis, & præterquàm quòd cædebantur aversi, nec nisi defenderentur, servari poterant, ac ne ipsi quidem in tuto jam receptus erat; coactus c nondum adsecutâ parte suorum periculum summæ rerum facere, equites, levemque armaturam, qui in prœlio fuerant, dextro in cornu locat. Cetratos & Macedonum phalangem, hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem gerere jubet. simul ne facilè perrumperetur acies dimidium de fronte demptum introrsus porrectis ordinibus duplicat, ut longa potiùs, quàm lata acies esset. simul & densari ordines jussit, ut vir viro, arma armis jungerentur.

IX. Quintius his, qui in prœlio fuerant, inter signa & ordines acceptis, tuba dat signum. Raró aliàs tantus clamor dicitur in principio pugnæ exortus. nam fortè utraque acies simul conclamavere. nec solùm qui pugnabant, sed subsidia etiam, 1 quique tum maximè in prœlium veniebant. Dextro cornu rex, loci plurimùm auxilio, ex jugis altioribus pu-

INTERPRETATIO.

b *Quos Macedonas vicerant Romani, cum illi angustias insedissent, quibus in Eordaam ingressus patebat.*

c *Cùm adhuc pars Macedonum abesset à reliquo exercitu, quem nondum erat consecuta.*

NOTÆ.

enim superatos à vicinis Aetolos, si pedites pugnarent: *quand ils se battoient à pied*. Meliùs tamen *pedite*, id est, peditatu inferiores erant.

1. *Obsidentes Eordaa aditum.*] Scriptum fuerat, *obsidentes in eodem aditu*: sed non in iisdem faucibus victus fuerat Philippus à Sulpicio, in quibus à T. Quintio nuper fusus erat; hæc enim pugna ad Aoum commissa est lib. 32. cap. 11. & 12. Sulpicii autem victoria ad Octolophum & in aditu Eordææ lib. 31. cap. 36. & seqq. ideo verisimili conjecturâ Gron. emendavit *obsidentes Eordaa aditum*.

1. *Quique tum maximè in prælium.*]

gnans, vincebat: sinistro a tum cum maximè adpropinquante phalangis parte, quæ novissimi agminis fuerat, sine ullo ordine trepidabatur. Media acies quæ propior dextrum cornu erat, stabat spectaculo velut ad se nihil pertinentis pugnæ intenta: 2 phalanx, quæ venerat, agmen magis quàm acies, aptiorque itineri quàm pugnæ, vixdum in jugum evaserat. In hos incompositos Quintius 3 quanquam pedem referentes in dextro cornu suos cernebat, elephantis priùs in hostem actis, impetum facit, ratus partem profligatam cætera tracturam. Non dubia res fuit. extemplo terga vertêre Macedones, terrore primo bestiarum aversi, & cæteri quidem hos pulsos sequebantur: unus è tribunis militum extemplo capto consilio, 4 cum viginti signorum militibus relictâ eâ parte suorum, quæ haud dubiè vincebat, brevi circuitu dextrum cornu hostium aversum invadit. Nullam aciem ab tergo adortus non turbasset; cæterùm ad communem omnium in tali re trepidationem accessit, quòd phalanx Macedonum gravis atque immobilis, 5 nec circumagere se poterat, b nec hoc qui a fronte paulò ante pedem referentes, tunc ultrò territis instabant, patiebantur. Ad hoc, loco etiam premebantur, quia jugum ex quo pugnaverant, dum per proclive pulsos insequuntur, tradiderant hosti ad terga sua circumducto. Paulisper in medio cæsi, deinde omissis plerique armis capessunt fugam.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

X. Philippus cum paucis peditum equitumque, primò tumulum altiorem inter cæteros 1 cepit, ut specularetur, quæ in levâ parte suorum fortuna esset: deinde, postquàm fugam effusam animadvertit, & omnia circa juga signis 2 atque armis fulgere, tum & ipse acie excessit. Quintius quum cedentibus institisset, repentè quia erigentes hastas Macedonas

INTERPRETATIO.

a *In sinistro cornu* Macedonum, *cum eo ipso momento appropinquaret postrema pars phalangis, & nondum ordinata in aciem, sed incomposita esset, trepidatio erat.*

b *Neque circumagi phalangem sinebant Romani, qui paulò quidem anteà pedem referebant: nunc autem instabant Macedonibus territis impressione Tribuni militum à tergo urgentis.*

NOTÆ.

Gall. *& ceux qui ne faisoient que d'arriver au combat.*

2. *Phalanx qua venerat.*] Non improbabilis Gronovii est conjectura ex Polyb. *phalanx quæ læva erat.*

3. *Quanquam pedem referentes in dextro cornu suos cernebat.*] Imo sanè in lævo cornu, quod dextro Macedonum cornui oppositum, ut notat Gron. firmatque Polybii testimonio,

4. *Cum viginti signorum militibus.*] Per signa videntur intelligi manipuli, sic erunt Centuriæ quadraginta.

5. *Nec circumagere se poterat.*] Quia scilicet phalanx densis ultra modum constabat ordinibus, ut superiori capite dictum est: adeo ut spatium inter cohærentes milites vix relinqueretur. Unde se vertere, & circumagere non poterant.

1. *Cepit, ut specularetur.*] In Mſ. post verbum *cepit*, erat lacuna, quæ Romæ impleta est, insertâ particulâ, *ut*: Horrion ejus loco reposuit, *unde*.

2. *Atque armis fulgere, tum & ipse.*] Ex eo quod scriptum erat, *tom*, priores

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

conspexerat, quidnam pararent incertus, paulisper novitate rei constituit signa; deinde, ut accepit hunc morem esse Macedonum tradentium sese: parcere victis 3 in animum habebat. Ceterùm ab ignaris militibus omissam ab hoste pugnam & quid imperator vellet, impetus in eos factus, & primis cæsis, cæteri in fugam dissipati sunt. Rex effuso cursu Tempe petit. Ibi ad Gonnos diem unum substitit, ad excipiendos si qui prœlio superessent. Romani victores in castra hostium spe prædæ irruunt: verùm ea magnâ jam ex parte, direpta ab Ætolis inveniunt. Cæsa eo die octo hostium millia, quinque capta. Ex victoribus septingenti fermè ceciderunt. 4 Si Valerio quis credat omnium rerum immodicè numerum augenti; quadraginta millia hostium eo die sunt cæsa; capta, ubi modestius mendacium est, quinque millia septingenti, signa militaria ducenta unum & quadraginta. Claudius quoque duo & triginta millia hostium cæsa scribit, capta quatuor millia & trecentos. Nos non minimo potissimùm numero credidimus, sed Polybium secuti sumus, non incertum auctorem, cùm omnium Romanarum rerum, tùm præcipuè in Græcia gestarum.

XI. Philippus collectis ex fuga, qui variis casibus pugnæ dissipati vestigia ejus secuti fuerant, missisque Larissam ad commentarios regios comburendos, ne in hostium venirent potestatem, in Macedoniam cessit. Quintius, captivis prædâque venundatis, partim militi concessis, Larissam est profectus; haud dum satis gnarus quam regionem petisset rex, quidve pararet. 1 Caduceator eò regius venit; specie ut induciæ essent, donec tollerentur ad sepulturam, qui in acie cecidissent; revera a ad petendam veniam legatis mittendis. Utrumque ab Romano impetratum. adjecta & illa vox, *bono animo esse regem ut juberet*: quæ maximè Ætolos offendit, b tumentes jam querentesque, *mutatum victoriâ imperatorem. Ante pugnam omnia magna parvaque communicare cum sociis solitum, nunc omnium expertes consiliorum esse: suo ipsum arbitrio cuncta agere: cum Philippo jam gratiæ privatæ locum quærere; ut dura atque aspera belli Ætoli*

INTERPRETATIO.

a *Ad petendum commeatum & liberam facultatem ad eum veniendi.*

b *Irâ turgidos & cum indignatione conquerentes.*

NOTÆ.

fecerant, *eum*: rectè Gron. fecit *Romanis*: ut esset *signis & armis fulgere Romanis; & ipse acie excessit*.

3. *In animum habebat*.] Romæ correctum est, scriptumque ad marginem, *in animo*. Sed potuit Livius Plautum imitari, apud quem in Amphitryone legitur: *numero mihi in mentem fuit*. Nec inusitatum Livio accusandi casum post præpositionem *in*, loco ablativi, subjicere: & *in animum habebat*, pro *induxerat in animum*.

4. *Si Valerio*.] Prior calculus cæsorum captorumque Macedonum ex Polybio est, (quem sequitur post nostrum Plutarchus.) Valerius Antias omnia mirum in modum amplificat: paulò modestior Claudius Quadrigarius.

1. *Caduceator Regius*.] Romani Feciales vocabant à se missos pacis, induciarum,

exhauserint, pacis gratiam, & fructum Romanus in se vertat. Et haud dubiè decesserat iis aliquantùm honoris. Sed cur negligerentur, ignorabant. [c] Donis regiis imminere credebant invicti ab eâ cupiditate animi virum: sed & succendebat non immeritò Ætolis ob insatiabilem aviditatem prædæ, & arrogantiam eorum, victoriæ gloriam in se rapientium, [2] quæ vanitate suâ omnium aures offendebat: & Philippo sublato, fractis opibus Macedonici regni, Ætolos habendos Græciæ dominos cernebat. Ob eas caussas multa sedulò, ut viliores levioresque apud omnes essent, & viderentur, faciebat.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XII. Induciæ quindecim dierum datæ hosti erant, & cum ipso rege constitutum conloquium; cujus priusquàm tempus veniret, in consilium [1] advocavit socios. Retulit quas leges pacis placeret dici. Amynander Athamanum rex paucis sententiam absolvit; *ita componendam pacem esse, ut Græcia etiam absentibus Romanis satis potens tuendæ simul pacis libertatisque esset*. Ætolorum asperior oratio fuit, qui pauca præfati [2] *rectè atque ordine imperatorem Romanum facere, quod quos belli socios habuisset, cum iis communicaret pacis consilia. falli autem eum totâ re, si aut* Romanis *pacem, aut Græciæ libertatem satis firmam se credat relicturum, nisi Philippo aut occiso, aut regno pulso: quæ utraque proclivia esse, si fortunâ uti vellet*. Ad hæc Quintius, *negare Ætolos, aut moris Romanorum memores, aut sibi ipsis convenientem sententiam dixisse; & illos prioribus omnibus conciliis conloquiisque, de conditionibus pacis semper, non ut ad internecionem bellaretur, disseruisse, & Romanos, præter vetustissimum morem victis parcendi, præcipuum clementiæ documentum dedisse, pace Hannibali & Carthaginiensibus data. Omittere se Carthaginienses. Cum Philippo ipso quoties ventum in colloquium, nec unquam ut cederet regno actum esse: an quia victus prælio foret, inexpiabile bellum factum? Cum armato hoste infestis animis concurri debere: adversus victos, mitissimum quemque,* [3] *animum maximum habere. Libertati Græciæ videri graves Macedonum*

INTERPRETATIO.

c *Existimabant Quintium, qui vir erat animo adversus lucri cupiditatem invicto, inhiare muneribus à Philippo Rege accipiendis.*

NOTÆ.

belli internuncios: missos verò ab aliis gentibus *Caduceatorum* nomine appellabant à caduceo, quòd eorum insigne: Græcis κήρυκες dicebantur, eodem vocabulo quo præcones.

2. *Quæ vanitate suâ*.] Melius quod subjecit Gron. *quæ vanitate suâ omnium aures offendebant*, nimirùm Ætoli.

1. *Advocavit socios*.] Nempè T. Quintius Flamininus.

2. *Rectè atque ordine*.] Alexandro Ætolo hunc sermonem tribuit Polyb.

3. *Animum maximum habere*.] In scripto non extat τὸ *animum*: unde conjicit Horrion *mitissimum quemque maximum haberi*: & potest τὸ *mitissimum* vel de *homine* quovis accipi, vel etiam de *animo*: atque hoc nomen repeti aut intelligi potest ex præcedenti membro, ubi scriptum, *infestis animis*.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

reges. si regnum gensque tollatur, Thracas, Illyrios, 4 *Gallos deinde, gentes feras & indomitas, in Macedoniam se, & in Græciam effusuras. Ne proxima quæque amoliendo, majoribus gravioribusque aditum ad se facerent.* Interfanti deinde Phæneæ prætori Ætolorum testificantique, si elapsus eo tempore Philippus foret, mox gravius eum rebellaturum: *Desistite tumultuari,* inquit, *ubi consultandum est.* 5 *Non iis conditionibus illigabitur pax, ut movere bellum possit.*

XIII. Hoc dimisso concilio, postero die rex ad fauces, quæ ferunt in Tempe 1 (is datus erat locus colloquio) venit: tertio die datur ei Romanorum ac sociorum frequens concilium. Ibi Philippus per quam prudenter iis, sine quibus pax impetrari non poterat, suâ potiùs voluntate omissis, quàm ut altercando extorquerentur, quæ priore colloquio aut imperata à Romanis, aut postulata ab sociis essent, omnia se concedere, de cæteris senatui permissurum dixit. Quanquam vel inimicissimis omnibus præclusisse vocem videbatur, Phæneas tamen Ætolus cunctis tacentibus. *Quid nobis* (inquit) *Philippe, reddisne tandem* 2 *Pharsalum & Larissam Cremasten, & Echinum, & Thebas Phthias?* Quum Philippus nihil morari diceret quominùs reciperent; disceptatio inter imperatorem Romanum & Ætolos orta est de Thebis: nam eas populi Romani jure belli factas esse, Quintius dicebat, quòd integris rebus, exer-

NOTÆ.

4. *Gallos deinde.*] De quibus Gallis intelligendum dubitari potest. Sunt qui de *Gallis* Asiaticis, qui & *Galatæ* accipiendum hic Livium putent. Sed hi, quamvis ante annos fermè 80. Macedoniæ Reges ex ordine quatuor, Ptolemæum Ceraunum, Meleagrum, Antipatrum, Sosthenem bello victos interfecissent, Græciam populati essent, templumque Delphicum spoliassent; nunc tamen longius dissiti erant à Græcia, quàm ut valdè timenda esset eorum irruptio, intercedente inter utramque regionem Ægæo mari, quod nec Galatia attingebat. Timendi ergo fuere *Scordisci*, quam Gallicam ad Danubium gentem circa Sirmium habitasse, Triballis finitimam, diuque ingentem terrarum tractum inter Danubium & Macedoniam obtinuisse ex Strab. lib. 7. ex Livii Epit. 63. aliisque auctoribus constat. Eorum originem Justinus sic describit lib. 32. cap. 2. *Galli bello adversus Delphos infeliciter gesto, in quo majorem vim numinis quàm hostium senserant; amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem vestigia quà venerant, antiquam patriam repetivere. Ex his manus quædam in confluente Danubii & Sabi consedit, Scordiscosque se appellari voluit. Tectosagi autem cùm in antiquam patriam Tolosam venissent, &c.*

5. *Non iis conditionibus illigabitur pax.*] Fœdera & pacificationes vinculorum genus sunt, quibus homines invicem quasi ligantur. Mallet hic itaque Gronovius, *non iis conditionibus illigabitur pacis*, Philippus scilicet, *ut movere bellum possit*: illigatus certè ne se quidem movere facile potest. Conjiciebat Rubenius non malè, *non iis conditionibus illi dabitur pax.*

1. *Is datus erat locus colloquio.*] Placet Gronovio, *dictus erat locus,* ut apud Cæsarem 1. belli Gallici: *dies colloquio dictus est.* Nolim tamen vulgarem lectionem damnare.

2. *Pharsalum.*] Nota Cæsaris & Pompeii prælio est *Pharsalus* Thessaliæ urbs in Phthiode ad Enipeum amnem, qui in Peneum fluit. Decurtato vocabulo dicitur hodie *Farsa.*

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

citu ab se admoto [3] vocati in amicitiam, quum potestas liberà desciscendi ab rege esset, regiam societatem Romanæ præposuissent. Phæneas, & pro societate belli, quæ ante bellum habuissent, restitui Ætolis æquum censebat, & ita in fœdere primo cautum esse, ut belli præda, rerumque quæ ferri agique possent, Romanos; ager, urbesque captæ [4] Ætolos sequerentur. *Vos*, inquit, *ipsi*, Quintius, *societatis istius leges rupistis, quo tempore relictis nobis cum Philippo pacem fecistis: quæ si maneret, captarum tamen urbium illa lex foret. Thessaliæ civitates suâ voluntate in ditionem nostram venerunt.* Hæc cum omnium sociorum adsensu dicta, Ætolis [5] non in præsentia modò gravia auditu, sed mox belli etiam caussæ, magnarumque ex eo cladium iis fuerunt. Cum Philippo ita convenit, ut Demetrium filium, & quosdam ex amicorum numero obsides & ducenta talenta daret: de cæteris Romam mitteret legatos. ad eam rem quatuor mensium induciæ essent. Si pax non impetrata ab senatu foret, obsides pecuniamque reddi Philippo [d] receptum est. Caussa Romano imperatori non alia major fuisse dicitur pacis maturandæ, quàm quòd Antiochum bellum transitumque in Europam moliri constabat.

XIV. Eodem tempore, atque, ut quidam tradidere, eodem die ad Corinthum Achæi ducem regium Androsthenem justo prœlio fuderunt. Eam urbem pro arce habiturus Philippus adversus Græciæ civitates, [a] & principes inde evocatos per speciem conloquendi, quantùm equitum dare Corinthii ad bellum possent, retinuerat pro obsidibus, & præter quingentos Macedonas, mixtosque ex omni genere auxiliorum octingentos, [1] quod jam antè ibi fuerat, mille Macedonum eò miserat, & mille ac ducentos Illyrios, Thracasque, & Cretenses, [2] qui in utraque parte militabant, octingentos. His additi Bœoti, Thessalique, & Acarnanes mille, scutati omnes, & ex ipsorum Corinthiorum juventute impleta ut essent sex millia armatorum, [b] fiduciam Androstheni fece-

INTERPRETATIO.

d *Promissum est*, seu *convenit*.

a *Et tanquam obsides retinuerat primarios civitatis viros, quos ad se vocaverat prætextu agendi cum illis de numero equitum, quos mittere possent Corinthii ad bellum gerendum.*

b *Androstheni animos addiderant ut prælium committeret.*

NOTÆ.

3. *Vocati in amicitiam.*] Cives Thebarum Phthioticarum.

4. *Ætolos sequerentur.*] Id est, pertinerent ad Ætolos. Gall. *demeurassent aux Etoliens.*

5. *Non præsentia modò.*] Jubet Gronovius scribi, *non in præsentia modò:* sed non id voluit Livius, nec est quod arguatur, opponit enim rerum præsentium statum, sive res quæ tunc præsentes erant rebus posteà secutis.

1. *Quod jam antè ibi fuerant.*] Videtur deesse vox *præsidium*: nisi velit quis τὸ *quòd* quasi adverbialiter sumi, pro *quantùm*, seu certè pro, *qui numerus*, sicuti paulò antè, *quantùm equitum*.

2. *Qui in utraque parte militabant.*] Hoc notat, ne quis miretur hos Cre-

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo,

runt acie decernendi. 3 Niceratus prætor Achæorum Sicyone erat cum duobus millibus peditum, centum equitibus, sed imparem se & numero & genere militum cernens, mœnibus non excedebat. Regiæ copiæ peditum equitumque vagæ, 4 Pellenensem, 5 & Phliasium, 6 & Cleonæum agrum, depopulabantur. Postremò exprobrantes metum hosti, in fines Sicyoniorum transcendebant: navibus etiam circumvecti, omnem oram Achajæ vastabant. Quum id effusiùs hostes, &, ut fit ab nimiâ fiduciâ, negligentiùs etiam facerent, Niceratus spem nactus nec opinantes eos aggrediendi circa finitimas civitates nuncium occultum mittit, quo die, & quot ex quaque civitate armati, 7 ad Apelaurum (Stymphaliæ terræ is locus est) convenirent. Omnibus ad diem edictam paratis, profectus inde extemplo, per Phliasiorum fines, nocte Cleonas, insciis omnibus quid pararet, pervenit. Erant autem cum eo quinque millia peditum, 8 β ex quibus armatura levis, & trecenti equites cum iis copiis dimissi, qui specularentur, quam in partem hostes effunderent sese, opperiebantur.

XV. Androsthenes, omnium ignarus, Corintho profectus, 1 ad Nemeam (amnis est Corinthium & Sicyonium interfluens agrum)

N O T Æ.

tenses in exercitu Philippi, cùm etiam Cretenses viderit suprà cap. 3. in exercitu Quintii.

3. *Niceratus.*] Gron. *Nicostratum* putat scribendum, quo nomine lib. 32. cap. 39. & 40. appellatur.

4. *Pellenensem.*] Fuit hæc *Pellene*, sive *Pellina* oppidum Achajæ propriæ Peloponnesi provinciæ in confinio Sicyoniorum, hodie incolis *Diacopten*, ut ajunt, 60. stadiis à Corinthiaco sinu.

5. *Et Phliasium.*] *Phlius* Peloponnesi oppidum erat in Sicyonia montana, diversum ab Argolico ejusdem nominis: hodie *Tri*; ut vult Sophianus; vel *Foica*, ut Pinetus; nisi potiùs omninò periit.

6. *Et Cleonæum agrum.*] Oppidum Argolidis in confinio Corinthiacæ fuit *Cleonæ*, paulò suprà Nemeam, hodie *Sanvasili*, auctore Nigro.

7. *Ad Apelaurum Stymphaliæ.*] Locum fuisse haud magni nominis *Apelaurum* ex eo apparet quod ejus mentio apud Geographos non invenitur; sed *Stymphalus*, seu *Symphalum* urbs erat Arcadiæ in Argolidis confinio ad fontes amnis cognominis. Nunc *Vulsi* appellari vult Pinetus. Niger verò *Longanico*. Nota est *Stymphalis*, seu *Stymphalia* palus: unde nomen avibus, quas in fabulis Herculem sagittis confecisse narratur. Hinc procul *Stymphalis* Macedoniæ occiduæ regiuncula.

8. *Ex quibus armatura levis.*] Refingit hunc locum Gron. deletâ voce *copiis*: & sic scribit: *ex quibus armaturam levem, & trecentos equites cum iis demissos, qui specularentur quam in partem hostes effunderent sese, opperiebatur.* Sed nec levis hæc textûs mutatio est, & mirum si ex tam exiguis copiis tota levis armatura cum trecentis equitibus ad speculandum missa. Fateor tamen emendatione aliquâ opus, ut idoneus eruatur sensus. Videndum, num ita legi non incommodè possit: *erant autem cum eo quinque millia peditum, ex quibus armatura levis, & trecenti equites. Ex iis copiis, dimissis qui specularentur quam in partem hostes effunderent sese, opperiebatur:* sic τὸ *ex quibus armatura levis* indicabant leviter armatos in numero illo quinque millium comprehendi; & dimisso haud ita magno numero speculatorum, stetisse Nicostratum sive Niceratum apud Cleonas, opperientem qui nunciarent adventum hostium.

1. *Ad Nemeam.*] Nomen est fluvii in

castra

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

castra locat. Ibi parte dimidiâ exercitûs dimissâ, dimidiam trifariam divisit, & omnes equites discurrere ad depopulandos simul Pellenensium Sicyoniumque agros, & Phliasium, jubet. Hæc tria diversa agmina discessêre. quod ubi Cleonas ad Niceratum perlatum est, extemplo validam mercenariorum manum præmissam ad occupandum saltum, per quem transitus in Corinthium est agrum, ante signa equitibus ut prægrederentur locatis, ipse confestim agmine duplici sequitur. Parte unâ mercenarii milites ibant cum levi armatura, alterâ clypeati, dein aliarum gentium exercitus robur erat. Jam [2] haud procul castris aberant pedites equitesque, & Thracum quidam in vagos palatosque per agros hostes impetum fecerunt, quum repens terror castris infertur. [3] Trepidare dux, ut qui hostes nusquam, nisi rarò, in collibus ante Sicyonem, non audentes agmen demittere in campos, vidisset; ad Cleonas quidem accessuros nunquam credidisset. revocari tubâ jubet vagos à castris dilapsos. Ipse raptim capere arma jussis militibus, infrequenti agmine [4] portâ egressus, [5] per flumen instruit aciem. Cæteræ copiæ vix colligi atque instrui cum potuissent, primum hostium impetum non tulerunt. Macedones, & maximè omnium frequentes ad signa fuerant, & diù ancipitem victoriæ spem fecerunt: postremò fugâ cæterorum nudati, quum duæ jam acies hostium ex diverso, levis armatura ab latere, clypeati cetratique à fronte urgerent; & ipsi re inclinatâ primò retulêre pedem: deinde impulsi terga vertunt, & plerique abjectis armis, nullâ spe castrorum tuendorum relictâ, Corinthum petierunt. Niceratus mercenariis militibus ad hos persequendos, equitibus Thracumque auxiliis in populatores agri Sicyonii missis, magnam ubique cædem edidit; majorem propè quàm in prœlio ipso. Ex iis quoque qui Pellenem Phliuntaque depopulati erant, incompositi partim omniumque ignari, ad castra revertentes, in hostium stationes tanquam in suas inlati sunt: partim [a] ex discursu id quod erat, suspicati, ita se in fugam passim sparserant, ut ab ipsis agrestibus errantes circumvenirentur. Ceciderunt eo die mille & quingenti, capti trecenti. [6] Achaja omnis magno liberata metu.

INTERPRETATIO.

a *Cùm currentes huc illuc suos viderent, in suspicionem venerunt rei gestæ.*

NOTÆ.

sinum Corinthiacum defluentis, qui nunc *Langia*, & urbis etiam Argolicæ, ubi *Ludi Nemei*, à septem Argivis ducibus adversus Thebanos proficiscentibus instituti, in honorem Archemori, & in cujus sylva interfectus leo inter Herculis labores numeratur. Vide lib. 27. cap. 32.

2. *Haud procul castris.*] Androsthenis scilicet castris appropinquabant Achæorum copiæ.

3. *Trepidare dux.*] Macedo Androsthenes.

4. *Portâ egressus.*] Castrorum suorum.

5. *Per flumen.*] Rectiùs opinor *super flumen*, ut vult Gron.

6. *Achaja omnis.*] Peloponnesi regio.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XVI. Priusquàm dimicaretur ad Cynoscephalas, L. Quintius [1] Corcyram excitis Acarnanum principibus, quæ sola Græciæ gentium in societate Macedonum manserat, initium quodam ibi motus fecit. Duæ autem maximè caussæ eos tenuerant in amicitia regis; una fides insita genti, altera metus odiumque Ætolorum. Concilium Leucadem indictum est. Eò neque cuncti convenêre Acarnanum populi, nec ipsis qui convenerant, idem placuit. sed & [2] principes & magistratus pervicerunt, ut privatum decretum Romanæ societatis fieret. Id omnes qui absfuerant, ægrè passi, & in hoc fremitu gentis à Philippo missi duo principes Acarnanum, Androcles & Echedemus, non ad tollendum modò decretum Romanæ societatis valuerunt, sed etiam ut Archelaüs & Bianor, principes gentis ambo, quòd auctores ejus sententiæ fuissent, proditionis in concilio damnarentur, & Zeuxidæ prætori, quod de ea re retulisset, imperium abrogaretur. Rem temerariam, sed eventu prosperam damnati fecerunt. Suadentibus namque amicis, cederent tempori, & Corcyram ad Romanos abirent, statuerunt, offerre se multitudini, & aut eo ipso lenire iras, aut pati quod casus tulisset. Quum se frequenti concilio intulissent, primò murmur ac fremitus admirantium, silentium mox à verecundia simul pristinæ dignitatis ac misericordia præsentis fortunæ ortum est. potestate quoque dicendi factâ, principio suppliciter, procedente autem oratione, ubi ad crimina diluenda ventum est, cum tanta fiducia, quantam innocentia dabat, disseruerunt: postremò ultrò aliquid etiam queri, & castigare iniquitatem simul in se crudelitatemque ausi, ita adfecerunt animos, ut omnia, quæ in eos decreta erant, frequentes tollerent. neque eò minus redeundum in societatem Philippi, abnuendamque Romanorum amicitiam, censerent.

XVII. [1] Leucade hæc sunt decreta: id caput Acarnaniæ erat, eoque in concilium omnes populi conveniebant. Itaque quum hæc repentina mutatio Corcyram ad legatum Flamininum perlata esset, extemplo cum classe profectus Leucadem, [2] ad Heræum quod vocant, naves adplicuit. Inde cum omni genere tormentorum machinarumque, quibus expugnantur urbes, ad muros accessit; ad primum terrorem ratus inclinari animos posse. Postquam pacati nihil ostendebatur; tum vincas

N O T Æ.

1. *Corcyram excitis.*] Insula Epiro proxima est *Corcyra* ad oram Thesprotiæ, è regione Buthroti, à Chersocrate ex genere Bacchiadarum Corinthiorum occupata, ejectis Colchis, qui eò ab Jasone & Medeâ advecti fuisse dicebantur: Hodie *Corfu*, Venetis paret.

2. *Principes & Magistratus.*] Ex Primariis aliqui, Archelaüs nempe & Bianor: Magistratus verò Zeuxidas Prætor.

1. *Leucade.*] Fuit *Leucas* Corinthiorum colonia: ibi petra fuit, sive promontorium ex quo amantes in mare se præcipites agebant: quò spectát illud Stat.

Et de nimboso saltem Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.

Urbs ejus insulæ caput à Mahumette II. capta est: nunc *Santa Maura* dicitur, Piratarum Turcicorum sedes.

2. *Ad Heræum.*] Apparet portum fuisse Leucadi vicinum.

turresque erigere, & arietem admovere muris cœpit. Acarnania universa, 3 inter Ætoliam atque Epirum posita, solem occidentem & mare Siculum spectat. 4 Leucadia nunc insula, & vadoso freto, quod perfossum manu est, ab Acarnania divisa, tum peninsula erat, occidentis regione arctis faucibus cohærens Acarnaniæ. Quingentos fermè passus longæ fauces erant: latæ haud ampliùs centum & viginti. in his angustiis Leucas posita est, colli applicata verso in orientem, & Acarnaniam. Ima urbis plana sunt, jacentia ad mare: quo Leucadia ab Acarnania dividitur. Inde terrâ marique expugnabilis est. nam & vada sunt stagno similiora, quam mari: a & campus terrenus omnis, operique facilis. Itaque multis simul locis aut subruti, aut ariete decussi ruebant muri. Sed quàm urbs ipsa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hostium animi. die ac nocte intenti reficere b quassata muri, obstruere quæ patefacta ruinis erant; prœlia impigrè inire, & armis magis muros quàm seipsos mœnibus tutari. diutiusque spe Romanorum obsidionem eam extraxissent, ni exules quidam Italici generis Leucade habitantes, ab arce milites accepissent. eos tamen ex superiore loco magno cum tumultu decurrentes, acie in foro instructâ justo prœlio aliquandiu Leucadii sustinuerunt. Interim & scalis capta multis locis mœnia, & per stragem lapidum ac ruinas transcensum in urbem. jamque ipse legatus magno agmine circumvenerat pugnantes. pars in medio cæsi, pars armis abjectis dediderunt se victori. Et post dies paucos audito prœlio, quod ad Cynoscephalas pugnatum erat, omnes populi Acarnaniæ in deditionem legati venerunt. Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XVIII. Iisdem diebus, omnia simul inclinante fortunâ, Rhodii quoque ad vindicandam à Philippo continentem regionem (1 Peræam vocant) possessam à majoribus suis, Pausistratum prætorem cum octingentis Achæis peditibus, 2 mille & nongentis ferè armatis ex vario genere auxiliorum

INTERPRETATIO.

a *Cultura idoneus, non asper & sylvestris.* b *Partem murorum quæ quassata erat.*

NOTÆ.

3. *Inter Ætoliam atque Epirum.*] A plerisque Geographis Acarnania Epiro adscribitur, ut Ætolia Helladi sive Achajæ.

4. *Leucadia nunc Insula.*] Nomen Insulæ *Leucadia*, urbis *Leucas*. Fuit olim pars continentis: post à Corinthiis perfosso Isthmo in Insulam redacta, & ventorum flatibus marisque eluvie sæpè continenti reddita, sæpe revulsa, & vadoso mari, seu maris stagno nunc quoque divisa. Hic desinit lacuna de qua initio hujus libri.

1. *Peræam vocant.*] *Peræa* dicta Rhodiis Cariæ pars, à Græco πέρα, quod est *ultra*: Est itaque Περαία quasi *transfretalis*, quod esset trans fretum seu mare quo à Caria Rhodus dividitur.

2. *Mille & nongentis ferè armatis.*] Num & Achæi pedites armati, ut ii auxiliares ex eo capite ab illis fuerint distinguendi? Forte scribendum *mille ut nongentis dispari armatu*: ita enim malim, quàm *leviter armatis*; convenit quippe tam diversis ex nationibus collectos non eâdem fuisse armaturâ.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

collectis, miserunt, [3] Galli, [4] & Nisuetæ, & [5] Pisuetæ, [6] Tamiani, & [7] Arei, ex Africa, & [8] Laodiceni ex Asia erant. cum his copiis Pausistratus [9] Tendeba in Stratonicensi agro, locum peropportunum, ignaris regiis, [10] qui tenuerant, occupavit. In tempore & ad id ipsum [11] excitum auxilium mille Achæi pedites cum centum equitibus supervenerunt. Theoxenus iis præerat. Dinocrates, regius præfectus, recuperandi castelli caussa primò castra ad ipsa Tendeba movit; inde ad alterum castellum, item Stratonicensis agri, [12] Astragon vocant. omnibusque ex præsidiis, quæ multifariam disjecta erant, devocatis, & [13] ab ipsa Stratonicea Thessalorum auxiliaribus, [14] Alabanda, ubi hostes erant, ducere pergit. Nec Rhodii pugnam detrectaverunt. atque castris, in propinquum collatis, extemplo in aciem descensum est. Dinocrates quingentos Macedonas dextro cornu, lævo [15] Agrianas locat: in medium accipit contractos ex castellorum (Cares maximè erant) præsidiis: equites cornibus circumdat. a [16] Cretensium auxiliares Thracumque Rhodia cohors dextro cornu, sinistro mercena-

INTERPRETATIO.

a Ex parte Rhodiorum *auxiliares ex Creta, & cohors Thracum, in cornu dextro positi, habuere in sinistro mercenarios*, nempè Achæos, &c.

NOTÆ.

3. *Galli.*] Ex Galatia Asiatica, de quibus anteà.

4. *Et Nisuetæ.*] Oppidum Africæ propriæ maritimum fuit *Nisua*, non procul Clupea. Nunc teste Fazello *Nubia*.

5. *Pisuetæ.*] *Pisya* sive *Pithus*, urbs Cariæ apud Steph.

6. *Tamiani.*] *Tamiam* urbem in Britannia invenio apud Ptol. *Tamiam* regionem in Arabia; sed hæc nihil ad rem. An de populis urbis Tamiatis in Ægypto intelligendus hic Livius, hæreo.

7. *Arei.*] *Arii* fuere regni Persici populi, de quibus accipi potest hic locus. Distinguendum igitur quod sequitur, *ex Africa*, ut intelligantur Afri milites, ex Africa propriè dicta, diversi ab Areis.

8. *Laodiceni ex Asia.*] Plures fuere hujus nominis in Asia urbes, sed hic *Laodiceni*, opinor, Lydiæ urbis, ad Lycum sitæ, quæ adhuc *Laudichia*: est enim in Asia propriè dicta.

9. *Tendeba.*] Castellum sive oppidum Cariæ, apud Stephanum. Anteà legebatur, *Pausistratus tendebat*, nullo sensu: egregiè restituit Freinshemius.

10. *Qui tenuerant.*] Quid hoc sit, non facilè divina veris: satis verisimilis apparet Rubenii conjectura, reponentis, *qui Thera erant*; nam *Thera* urbs fuit Peræx, opposita Rhodo Insulæ apud Ptol. & Steph.

11. *Excitum auxilium.*] A Rhodiis.

12. *Astragon.*] Cariæ quoque ignobile oppidum.

13. *Ab ipsa Stratonicea.*] Macedonum colonia in Caria fuit hæc *Stratonicea*.

14. *Alabanda.*] Ejusdem Cariæ fuit oppidum. Dictum volunt ab equo, quem Cares *Alam* vocabant, & à victoria, quæ iisdem *Banda*. Fuit olim opulentissima ex Stephano: Hodie à Turcis *Eblebanda* vocatur, Leunclavio teste.

15. *Agrianas locat.*] *Agriani* vel *Agrienses*, populi erant Thraciæ, Odrysarum, ni fallor, pars, inter Hæmum montem & Hebrum flumen ad amnem Agrianem.

16. *Cretensium auxiliares, Thracumque Rhodia cohors.*] Miratur Gron. unde Cretensium & Thracum auxiliares Rhodiis; sed de Cretensibus utcumque fert, & verò in utrisque partibus militasse jam notavit Livius. Aliquos etiam Thracum po-

rios milites, lectam peditum manum, habuêre: medios mixta ex pluribus gentibus auxilia: equites levisque armaturæ quod erat, cornibus circumjectum. Eo die steterunt tantùm acies utræque super ripam, qui tenui aquâ interfluebat, torrentis: paucisque telis emissis, in castra receperunt sese. Postero die eodem ordine instructi, majus aliquanto prœlium quàm pro numero edidêre pugnantium. nec enim plus terna millia peditum fuêre, & centeni fermè equites: cæterùm non numero tantùm, nec armorum genere, sed animis quoque paribus, & æquâ spe pugnaverunt. 17 Achæi primi, torrente superato, in Agrianas impetum fecêre; deinde tota propè cursu transgressa amnem acies est. Diu anceps pugna stetit. 18 numero Achæi mille & ipsi quadringentos loco expulêre. Inclinat dein dextrum omne cornu. Macedones usque dum ordine 19 & velut stipata phalanx consistebat, moveri nequiverunt. postquàm lævo latere nudato circumjacere hastas in venientem ex transverso hostem conati sunt: turbati extemplo, tumultum primo inter se fecerunt: terga deinde vertunt: postremò abjectis armis, in præcipitem fugam effusi, Bargylias petentes fugerunt. Eodem & Dinocrates perfugit. Rhodii quantum diei superfuit, secuti, receperunt sese ad castra. Satis constat, si confestim victores Stratoniceam perissent, recipi eam urbem sine certamine potuisse. Prætermissa ejus rei occasio est, dum in castellis vicisque Peræ recipiendis tempus teritur. Interim animi eorum qui Stratoniceam præsidio obtinebant, confirmati sunt. mox & Dinocrates cum iis, quæ prœlio supererant; copiis intravit muros. Nequicquam inde obsessa oppugnataque urbs est. recipi nisi aliquanto post per Antiochum non potuit. Hæc in Thessalia, hæc in Achaja, hæc in Asia per eosdem fermè dies gesta.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XIX. Philippus quum audisset 1 Dardanos transgressos fines ab

NOTÆ.

pulos eodem more usos esse nihil vetat: neque enim omnes Macedonibus parebant: nec difficilius fuit milites ex Thracia quàm ex Africa Nisuetas, & Achæos è Græcia, in Asiam ad Rhodios mari pervenire.

17. *Achæi primi.*] Mercenarii *Achæi* paulò antè locantur in sinistro cornu Rhodiorum, quod sine dubio cornui dextro Macedonum oppositum fuit, apud quos lævum cornu tenuisse dicuntur *Agrianes*. Mendum sanè hic aut ibi irrepsisse apparet; fuerint igitur Achæi in dextro Rhodiorum cornu, ut oppositos pellerent Agrianas.

18. *Numero Achæi mille & ipsi quadringentos.*] Rectè, opinor, Gron. scribit: *numero Achæi mille & ipsos octingentos loco expulere*, id est, Agrianes, qui & ipsi, pari cum Achæis numero, mille & octingenti erant. Primùm enim octingentos Achæos habuit Pausistratus, quibus mille alios Theoxenus paulò post adjunxisse scribitur.

19. *Et velut stipata phalanx.*] Rectè utitur particulâ *velut*, quæ rem extenuat; Macedones enim hic tantùm quingenti numerabantur, phalanx sexdecim millium erat; sed hi quingenti phalangis more stipati & conferti stabant.

1. *Dardanos transgressos fines ab contemptu concessi velut regni.*] Ideo velut concessum regnum ait, quod Philippus

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego & Q. Minuc. Rufo.

contemptu concessi tum regni, superiora Macedoniæ evastare; quamvis toto propè orbe terrarum, undique se suosque profligante fortunâ, urgebatur, tamen morte tristius ratus Macedoniæ etiam possessione pelli, delectu raptim per urbes Macedonum habito, cum sex millibus peditum & quingentis equitibus [2] circa Stobos Pelagoniæ improviso hostes oppressit. Magna multitudo hominum in prœlio, major prædandi cupidine palata per agros cæsa est. quibus fuga expeditior fuit, ne tentato quidem casu pugnæ in fines suos redierunt. Eâ unâ [a] expeditione non pro reliquo statu fortunæ factâ: refectis suorum animis, [3] Thessalonicam sese recepit. [4] Non tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne simul & cum Philippo foret bellandum, quàm opportunè jam [5] Antiocho in Syria moliente bellum, Philippus est superatus: nam præterquàm quòd faciliùs cum singulis, quàm si in unum ambo simul contulissent vires, bellatum est. Hispania quoque sub idem tempus magno tumultu ad bellum consurrexit. Antiochus quum priore æstate omnibus quæ [6] in Cœle Syria sunt, civitatibus Ptolemæi in suam potestatem

INTERPRETATIO.

a *Cùm feliciter hæc Philippo expeditio in reliquis rebus, quæ malè ubique ipsi successisset, non juxta statum fortunæ ipsius succedebant.*

NOTÆ.

proximam Dardanis regni sui partem, ipsis quasi in prædam reliquisset, detractis scilicet eâ parte præsidiis, ut copias haberet quas opponeret Romanis; quâ de causâ contemnebatur. De Dardanis porro dictum lib. 26. cap. 25. & lib. 27. cap. 39.

2. *Circa Stobos Pæonia.*] Pæonia Macedoniæ provincia fuit, ad utramque Axii ripam, atque ad Erigonum usque protensa. Stobi urbs ad eundem fluvium sita, quam Pæoniæ Livius attribuit: à Ptolemæo assignatur Pelagoniæ: sed Pelagones Plinio inter Pæoniæ gentes numerantur: estque hæc Pæonia longè diversa à Pannonia circa Istrum, quanquam Græci Pæoniæ nomine ad illam significandum sæpè abutuntur. Urbs nunc *StanKico* appellatur.

3. *Thessalonicam sese recepit.*] Quam urbem priùs *Thermas* vocabant, eam à se instauratam Cassander de nomine uxoris suæ (quæ Alexandri magni soror) vocavit Thessalonicam, ad intimum Thermaïcum sinum in Amphaxitide Macedoniæ regione. Urbs hodie *SaloniKi*: emporium adhuc celebre apud Turcas: Vendita Venetis fuerat ab Andronico Palæologo, sed capta est à Mahumete secundo.

4. *Non tam in tempore.*] Sensus est: non minùs opportunè atque in tempore à Romanis impositum fuisse bello Macedonico finem, superato Philippo, quum jam Antiochus bellum moliebatur, quàm opportunè finitum fuerat bellum Punicum secundum, cùm iisdem Romanis immineret Philippus.

5. *Antiocho in Syria moliente.*] Hic Antiochus cognomento Magnus Seleuci Callinici filius Syriæ rex, à Seleuco Nicatore sextus in ordine regum numeratur.

6. *In Cœle Syria.*] *Syria Cœle*, sive *Cava*, pars est Syriæ latè sumptæ, inter Syriam propriè dictam, Phœniciam, & Palæstinam: ejus caput Damascus. Fuere & in ea Cæsarea Philippi, Heliopolis, &c. Dicitur hodie *Boca & Bocalbalbec*, si Postello fides, ab urbe *Balbec*, quam sunt qui Heliopolim veterum esse putent. Hæc provincia Ptolemæo V. in dotem ab Antiocho data

redactis, in hiberna [7] Antiochiam concessisset; nihilo quietiores postea res habuit. omnibus enim regni viribus connixus, quum ingentes copias terrestres maritimasque comparasset, principio veris præmissis terra cum exercitu filiis duobus Ardue ac Mitridate, jussisque [8] Sardibus se opperiri, ipse cum classe centum tectarum navium, ad hoc levioribus navigiis [9] cercurisque ac lembis ducentis, proficiscitur: simul per omnem oram Ciliciæque & Cariæ tentaturus urbes, [10] quæ in ditione Ptolemæi essent; simul Philippum (necdum enim debellatum erat) exercitu navibusque adjuturus.

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XX. Multa egregia Rhodii pro fide erga populum Romanum, proque universo nomine Græcorum, terrâ marique ausi sunt: nihil magnificentius quàm quod eâ tempestate non territi tantâ mole imminentis belli, legatos ad regem [1] miserunt Nephelida, (promontorium Ciliciæ est, [2] inclytum fœdere antiquo Atheniensium) si eo non contineret copias suas, se obviam ituros; non ab odio ullo, sed ne conjungi eum Philippo paterentur, & impedimento esse Romanis liberantibus Græciam. [3] Coracesium eo tempore Antiochus operibus oppugnabat. [4] Zephyrio, [5] & Solis

N O T Æ.

fuerat, cùm filiam Cleopatram nuptum ei daret.

7. *Antiochiam concessisset.*] Plures *Antiochiæ* memorantur: hæc omnium maxima, & ideo cognomento *magna*, Syriæ ac totius Orientis primaria fuit, à Seleuco rege ad Orontem fluvium condita in patris Antiochi memoriam; vel potiùs à Seleuco instaurata: Antigonus enim, unus & ipse ex Alexandri ducibus, priùs extruxerat, ac de suo nomine Antigoniam appellaverat. Terræ motu ferè concidit, ita ut hodie in ruinis fermè jaceat, *Antachia* Turcis dicta.

8. *Sardibus se opperiri.*] Præmissi *Sardes* ab Antiocho filii sunt cum terrestribus copiis. *Sardes* autem, sive *Sardis* Lydiæ Metropolis, non procul Tmolo monte suprà Pactolum fluvium. Hodie *Sardia* Turcis: diversa longè à Sardica Mœsiæ superioris urbe, quæ nunc *Sophia*, Græcis, Turcisque, Bulgaris autem *Triadizza*.

9. *Cercurisque.*] Genus est navigii prægrandis *Cercurus*, à Cypriis inventum.

10. *Quæ in ditione Ptolemæi essent.*] Hæ regiones à Ptolemæo Evergete sororis Berenices necem in Seleucum Callinicum ulciscente subactæ, per discordiam Seleuci & Antiochi Hieracis fratrum, remanserant penes Ægyptios. Vide Justin. lib. 27. Appianum in Syriacis, ac Josephum.

1. *Miserunt Nephelida.*] Fuit *Nephelis* urbs Ciliciæ Tracheæ sive Asperæ, ad Anemurium promontorium, inter Antiochiam ad Tragum, & Seleuciam ad Calycadnum.

2. *Inclytum fœdere antiquo Atheniensium.*] Innuit fœdus quod Cimon Atheniensis, mari ac terrâ eadem die victor, ab Artaxerxe I. Persarum Rege, cui Longimano cognomen, sub initium Olympiadis 84. expresserat: quo cautum erat ne ultrà Chelidonias insulas ad Sacrum Lyciæ promontorium versus occasum, navigare Persis armatis liceret, qua de re Plut. & Cornel. Nepos in Cimone.

3. *Coracesium eo tempore.*] Initium Asperæ sive occidentalis Ciliciæ in Pamphyliæ confinio fuit *Coracesium*, oppidum ad mare in petra prærupta situm.

4. *Zephyrio.*] Urbs & promontorium Ciliciæ erat *Zephyrium* juxta Solos. Fuit & aliud Zephyrium promontorium sub ostiis ferè Calycadni: hodie *Tarsu* appellari auctor est Niger.

5. *Et Solis.*] Ciliciæ campestris initium fuit *Soli*, sive *Soloe* inter Lamum &

Urb. Cond. an. 556. Coss. C. Cornel. Cethego & Q. Minuc. Rufo.

[6] & Aphrodisiade, [7] & Coryco, & [8] superato Anemurio (promontorium id quoque Ciliciæ est) [9] Selinunte recepto, omnibus his aliisque ejus oræ castellis, aut metu aut voluntate sine certamine in deditionem acceptis, Coracesium præter spem [a] clausis portis tenebat eum. Ibi legati Rhodiorum auditi. & quanquam ea legatio erat, quæ accendere regium animum posset, temperavit iræ: &, legatos se Rhodum missurum, respondit: *Isque mandaturum, ut renovarent* [b] *vetusta jura cum ea civitate, sua majorumque suorum: & vetarent eos adventum pertimescere regis. Nihil his aut sociis eorum noxæ futurum fraudive. nam Romanorum amicitiam se non violaturum. Argumento & suam recentem ad eos legationem esse, & senatus honorifica in se decreta, responsaque*. Tum fortè legati redierunt ab Roma, comiter auditi, dimissique, ut tempus postulabat, incerto adhuc adversus Philippum eventu belli. Quum hæc legati regis in concione Rhodiorum agerent, nuncius venit, debellatum ad Cynoscephalas esse. Hoc nuncio accepto, Rhodiis, adempto metu à Philippo omni, erat consilium obviam eundi classe Antiocho. Illam alteram curam non omiserunt, tuendæ libertatis civitatum sociarum Ptolemæi, quibus bellum ab Antiocho imminebat. nam alias auxiliis juverunt, alias providendo ac [c] præmonendo conatus hostis: caussaque libertatis fuerunt [10] Cau-

INTERPRETATIO.

a *Occlusis portis Antiochum distinebat & morabatur.*

b *Et pristina sua & majorum fœdera cum civitate Rhodiorum renovarent, affirmarentque nihil esse cur adventu Antiochi terrerentur.*

c *Monendo eos de conatibus & consiliis Antiochi.*

NOTÆ.

Cydnum fluvios, suprà Zephyrium promontorium: ab Achæis & Rhodiis condita ex Strab. Diogenes Laërtius à Solone colonos Athenis eo missos ait, qui sermonis patrii nitorem brevi corruperunt, & minùs congruâ verborum structurâ uti cœpere. Unde factum, ut qui eâ parte peccarent, ii σολοικίζειν dicerentur: atque hinc solœcismi nomen pro vitio sermonis usurpatum.

6. *Et Aphrodisiade.*] *Aphrodisias* hæc Ciliciæ quoque urbs fuit, & templum Veneris, inter Celenderim & Seleuciam: hodie *San Theodoro*, alia ab Aphrodisiade quæ Cariæ Metropolis.

7. *Et Coryco.*] Nomen urbis & promontorii est *Corycus*, suprà quod est antrum Corycium, in quo Crocus optimus nascitur: sita est inter Calycadnum & Latmum fluvios: nunc *Curco*.

8. *Superato Anemurio.*] Duo sunt ejusdem nominis loca in Cilicia: alterum juxta Nephelidem, ubi & oppidum ejusdem nominis, quà continens ad Cyprum proximè accedit: alterum verò ultra Calycadnum, teste Strabone, quod & aliis Zephyrium dici videtur, diversum ab eo, de quo anteà dictum. Hic illud accipiendum videtur quod est ad Nephelida inter Corycum & Selinuntem.

9. *Selinunte recepto.*] *Selinus*, Turcis nunc *Islenos*, Ciliciæ ejusdem urbs, ad fluvii cognominis ostium, Antiochiæ Ciliciæ ad occasum hibernum est.

10. *Cauneis.*] *Caunus* Cariæ urbs in finibus Lyciæ, ad ostia ferè Calbis fluvii; pestilenti cœlo ex calore nimio, noxio-

neis

neis, [11] Mindiis, [12] Halicarnassensibus [13] Samiisque. [14] Non operæ est persequi, ut quæque acta in his locis sint, quum ad ea, quæ propriè Romani belli sunt, vix sufficiam.

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

XXI. Eodem tempore & Attalus rex æger Thebis Pergamum advectus moritur; altero & septuagesimo anno: quum quatuor & quadraginta annos regnasset. Huic viro, præter divitias, [1] nihil ad spem regni fortuna dederat. his simul prudenter, simul magnificè utendo, effecit, primum ut sibi, deinde ut aliis non indignus videretur regno. Victis deinde prœlio uno Gallis, quæ tum gens recens adventu terribilior Asiæ erat, regium ascivit nomen, cujus magnitudini semper animum æquavit. Summa justitia suos rexit: [a] unicam fidem sociis præstitit: [2] uxorem ac [3] liberos quatuor superstites habuit. mitis ac munificus amicis fuit. regnum adeo stabile ac firmum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio ejus descenderit. Quum is status rerum in Asia Græciaque & Macedonia esset, vix dum terminato cum Philippo bello, [4] pace certè nondum perpetratâ, ingens in Hispania ulteriore coortum est bellum. M. Helvius eam provinciam obtinebat. Iis literis senatum certiorem fecit, *Colcam & Luscinium regulos in armis*

INTERPRETATIO.

a *Eidem eximiam*.

NOTÆ.

que incolis solo, quemadmodum testatur Strabo: nunc *La Rossa*, ut Castaldus est auctor.

11. *Myndiis.*] Cariæ quoque urbs maritima fuit *Myndus*, sive Doridis, quæ pars Cariæ, ad Jassicum sinum, inter Bargylias & Halicarnassum. Leunclavius nunc *Mentese* vocari putat à Turcis, quorum ibi præfectus residet. Sed in Tabulis Geographicis recentioribus longè hinc, ortum versus, abest *Mentese*, mediterranea omninò civitas.

12. *Halicarnassensibus.*] *Halicarnassus* Cariæ dominorum regia, ad extremum sinum Ceramicum: quondam *Zephyra* dicta: ibi Mausoli sepulchrum fuit, & Salmacis fons, ex quo bibentes mollitiem contrahere credebantur: unde fabulæ locus de Salmacide & Hermaphrodito. Hodie *Castel di San Pietro* Italis, ut vult Niger.

13. *Samiisque.*] Insula Ægæi maris *Samos* sive *Samus*, inter Icariam Insulam, & Trogilium Joniæ promontorium, contra Ephesum urbem. Patria fuit Pythagoræ: nunc quoque nomen servat: Italis *Samo*.

14. *Non operæ est persequi.*] Quod operæ pretium non putat Livius prosequi Antiochi acta in hac Asiæ minoris parte, id videre poteris apud Polyb. lib. 4. & 5. & apud Appian. in Syriacis.

1. *Nihil ad spem regni.*] Successit Attalus Eumeni patrueli, hæredi Philetæri eunuchi, à quo primùm occupata fuerat contra Lysimachum Pergamena civitas. Sed illorum neuter Regis titulum usurpaverat. Hujus immensæ produntur divitiæ ante successionem Pergamenam ex Antiochide matre, Achæi filiâ, qui partem minoris Asiæ pupillo Antiocho Magno occupaverat. Ab hoc Attalo dictæ *Attalicæ* vestes, opesque.

2. *Uxorem.*] Apolloniadem Cyzicenam de plebe mulierem.

3. *Liberos quatuor.*] Eumenem scilicet regni successorem, Attalum Juniorem, Philetærum, & Athenæum, qui cum fratre summâ concordiâ vixerunt.

4. *Pace .... nondum perpetratâ.*] Satis nova loquendi forma, *pacem perpetrare*: sed tamen in pangendis fœderibus primariæ partes penes *patrem patratum* erant.

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo.

esse. [5] *Cum Colca decem & septem oppida, cum Luscino validas urbes*, [6] *Cardonem & Bardonem*, & [7] *maritimam oram omnem, quæ nondum animos nudaverat, ad finitimorum motus consurrecturam*. His literis à M. Sergio Prætore, cujus jurisdictio inter cives erat, recitatis, decreverunt Patres, ut comitiis prætorum perfectis, cui prætori provincia Hispania obvenisset, is primo quoque tempore de bello Hispaniæ ad senatum referret.

XXII. Sub idem tempus Consules Romam venerunt, quibus in æde Bellonæ senatum habentibus, postulantibusque triumphum ob res prosperè bello gestas, C. Atinius Labeo, & C. Ursanius Trib. plebis, ut separatim de triumpho agerent Consules postularunt: communem se relationem de ea re fieri non passurus, ne par honos in dispari merito esset. Cumque Minucius utrique provinciam Italiam obtigisse diceret; communi animo consilioque se & collegam res gessisse, Cornelius adjiceret; Bojos adversus transgredientes Padum, ut Insubribus Cenomanisque auxilio essent, depopulante vicos eorum atque agros collega, ad sua tuenda aversos esse; Tribuni *res tantas bello gessisse Cornelium fateri, ut non magis de triumpho ejus quàm de honore Diis immortalibus habendo dubitari posset. Non tamen nec illum, nec quenquam alium civem tantùm gratiâ atque opibus valuisse, ut quum sibimet triumphum impetrasset, collegæ eundem honorem impudenter petenti daret. Q. Minucium in Liguribus levia prœlia, vix digna dictu fecisse: in Gallia magnum numerum militum amisisse. Nominabant etiam tribunos militum T. Juvencium*, & [1] *Cneum Labeonis fratrem, qui adversa pugna cum multis aliis viris fortibus civibus ac sociis occidissent. Oppidorum paucorum ac vicorum falsas, & in tempus simulatas*, [a] *sine ullo pignore deditiones factas esse*. Hæc inter consules tribunosque altercationes biduum tenuerunt, victique perseverantiâ tribunorum consules, separatim retulerunt.

INTERPRETATIO.

a Non verè & ex fide, sed per simulationem dedita esse oppida: cùm nec dati obsides essent, nec cautio alia illorum fidei accepta.

NOTÆ.

5. *Cùm Colca decem & septem oppida.*] Apud Polyb. *Colychas* appellatur, quem noster lib. 28. duodetriginta oppidis regnasse ait: unde suspicatur Sigon. hic legendum *viginti & septem oppida*.

6. *Cardonem & Bardonem.*] Patet, ni fallor, *Cardonem* fuisse idem oppidum, quod nunc quoque *Cardona* vocatur in Catalonia & Diœcesi Solsonensi, ad Cardonerum amnem, (qui in Rubricatum defluit) Ducatûs titulo cognitum, ubi mons salsus, non salis tantùm, sed vini generosi ferax, *Medulius* veteribus: hujus populi *Onenses* Plinio. *Bardo* autem quo loco fuerit minùs liquet: fortè ubi hodie *Berga*, Cardonæ ad ortum, oppidum non pœnitendum.

7. *Maritimam oram quæ nondum animos nudaverat.*] *Laletanos* cæterosque Iberici maris accolas indicat. Rectè autem Gelenius, *animos nudaverat*, id est, *patefecerat*, quod sanè melius quàm *mutaverat*, ut vulgò legebatur.

1. *Cn. Labeonis fratrem.*] Aliàs *Cneium Labeonem ejus fratrem*: aut adoptivum aut uterinum fuisse probant; diversa fa-

XXIII. Cn. Cornelio omnium consensu decretus triumphus. & Placentini Cremonensesque addiderunt favorem consuli, gratias agentes, commemorantesque, obsidione se esse ab eo liberatos. Plerosque etiam, quum apud hostes essent, [1] servitute [b] exceptos. Q. Minucius [a] tentatâ tantùm relatione, quum adversum omnem senatum videret [2] in monte Albano se triumphaturum, & jure imperii consularis & multorum clarorum virorum exemplo, dixit. Cn. Cornelius de Insubribus Cenomanisque in magistratu triumphavit. multa signa militaria tulit, multa Gallica spolia captivis carpentis transvexit: multi nobiles Galli ante currum traducti; inter quos quidam Amilcarem ducem Pœnorum fuisse, auctores sunt. Cæterùm magis in se convertit oculos Cremonensium, Placentinorumque colonorum [3] turba pileatorum, currum sequentium. Tulit in triumpho [4] ducenta triginta septem millia quingentos æris; [5] argenti bigati septuaginta novem millia. [6] septuagenos æris militibus divisit: duplex equiti, triplex centurioni. Q. Minucius Consul de Liguribus Bojisque Gallis in monte Albano triumphavit. is triumphus, ut loco, & fama rerum gestarum, & quod [7] sumptum non erogatum ex ærario omnes sciebant, inhonoratior fuit: ita signis, carpentisque, & spoliis fermè æquabat. Pecuniæ etiam propè par summa fuit: æris translata ducenta & quinquaginta quatuor millia: argenti bigati quinquaginta tria millia, & ducenti. militibus centurionibusque & equitibus item in singulos datum, quod dederat collega.

Urb. cond. an. 556. Coss. C. Corn. Cethego, & Q. Minuc. Rufo,

XXIV. Secundum triumphum consularia comitia habita. creati Consules L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus. Prætores postero die

INTERPRETATIO.

a *Cùm vix* de triumpho suo *referre apud senatum cœpisset*.

NOTÆ.

miliarum nomina.

1. *Servitute exceptos.*] Num potiùs, *exemptos*, vel *è servitute ereptos*, ut vult Gronov. Dicitur tamen nonnunquam *excipere*, pro *extrahere*, sive *eximere*, ut apud Virgil. 9. Æneid.

— *ipsum illum clypeum cristasque rubentes*

Excipiam sorti.

2. *In monte Albano se triumphaturum.*] Hoc genus, seu potiùs simulacrum triumphi, Magistratus aliqui usurpaverant pro negato sibi vero triumpho.

3. *Turba pileatorum.*] Hi Coloni pileum gestabant, tanquam datæ sibi aut redditæ libertatis indicium.

4. *Ducenta triginta septem millia quingentos æris.*] Nummos scilicet æreos, qui si asses tantùm ejus temporis, nempe unciales fuere, modica fuerit quantitas; neque enim tredecim millia librarum nostrarum attingeret.

5. *Argenti bigati septuaginta novem millia.*] Hi, si denarii fuere, bigæ signo percussi, triginta & unum millia & sexcentas libras non excedent.

6. *Septuagenos æris,*] Hi nummi pretio assis unius, ac denarii, obolique nostratium fermè responderent: sic conficientur tres libræ Franciæ cum assibus octodecim ac denariis novem.

7. *Sumptum non erogatum ex ærario omnes sciebant.*] Nota sumptus triumphorum ex ærario populi factos: sed nimirùm compensabantur spoliis victarum gentium in ærarium illatis.

facti, Q. Fabius Buteo, Tib. Sempronius Longus, Q. Minucius Thermus, Manius Acilius Glabrio, L. Apustius Fullo, C. Lælius. Exitu ejus anni literæ à T. Quintio venerunt, se signis collatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse: hostium exercitum fusum, fugatumque. Hæ literæ priùs in senatu à Sergio prætore, deinde ex auctoritate Patrum in concione sunt recitatæ. Ob res prosperè gestas in dies quinque supplicationes decretæ. Brevi pòst legati & à T. Quintio & ab rege venerunt. Macedones deducti extra urbem [1] in villam publicam: ibique iis locus & [a] lautia præbita: & ædem Bellonæ senatus est habitus. Haud multa verba facta, quum Macedones, quæcumque senatus censuisset, [2] id regem facturum esse dicerent. Decem legati more majorum, quorum ex consilio L. Quintius imperator leges pacis Philippo daret, decreti, adjectumque ut in eo numero legatorum P. Sulpicius, & P. Villius essent: qui consules provinciam Macedoniam obtinuissent. [3] Cosanis eo die postulantibus ut sibi colonorum numerus augeretur, mille adscribi jussi: dum ne quis in eorum numero esset, qui post L. Cornelium & T. Sempronium consulem hostis fuisset. [4] Ludi Romani eo anno in circo scenaque ab ædilibus curulibus, P. Cornelio Scipione, & Cn. Manlio Vulsone, & magnificentiùs quàm aliàs facti, & lætiùs propter res bello benè gestas spectati: totique ter instaurati: plebeji septies instaurati. Acilius Glabrio, C. Lælius eos ludos fecerunt. Ex argento mulctaticio tria signa ænea, Cereri Liberoque & Liberæ, posuerunt.

Urb. Cond. ann. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

XXV. L. Furius & M. Claudius Marcellus consulatu inito, quum de provinciis ageretur, & Italiam utriq; senatus provinciam decerneret; ut Macedoniam cum Italia sortirentur, petebant. Marcellus provinciæ cupidior, pacem simulatam ac fallacem dicendo, & rebellaturum, si exercitus inde deportatus esset, regem, dubios sententię Patres fecerat. Et forsitan obtinuissent

INTERPRETATIO.

a *Subministrata sunt* per Quæstores legatis advenientibus *munera ad Lautitiam & elegantiam cultûs ac mensæ*.

NOTÆ.

1. *In villam publicam.*] Fuit ea villa extra urbem in campo Martio, ut & Templum Bellonæ.

2. *Id regem facturum.*] Imò *ea regem facturum*; nisi suprà scribamus *quodcumque* pro *quæcumque*.

3. *Cosanis.*] Dicti sunt à *Cosa*, (quæ & *Cossa*) urbe in ora Tusciæ, nunc *Lansedonia*, ad montem Argentarium, & Portum Herculis.

4. *Ludi, &c. septies instaurati.*] *Instauratos* dicit sæpiùs *exhibitos*. Isti Ludi Plebeji instituti fuere vel statim ab exactis regibus, vel post secessionem in montem Aventinum reconciliatâ senatui plebe, ut scribit Pædianus in primam Cic. Verr. Plebeji autem dicti, quia ab Ædilibus plebis curabantur. Hi Circenses erant, & ita diversi à Scenicis, ut & à Romanis (quos etiam magnos vocabant in honorem Jovis, Junonis & Minervæ celebrari solitos.) Hi quoque

consules, ni Q. Marcius rex, & C. Atinius Labeo, tribuni plebis, se intercessuros dixissent: ni priùs ipsi ad plebem tulissent, vellent, juberentne cum rege Philippo pacem esse. Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est. omnes quinque & triginta tribus, uti rogatæ, jusserunt. Et quò magis pacem ratam esse in Macedonia vulgò lætarentur, tristis ex Hispania nuncius allatus effecit, vulgatæque literæ, *C. Sempronium Tuditanum proconsulem, in citeriore Hispania prælio victum: exercitum ejus fusum fugatumque, & illustres viros in acie cecidisse. Tuditanum cum gravi vulnere latum ex prælio, haud ita multò pòst expirasse.* Consulibus ambobus Italia provincia, cum his legionibus, quas superiores consules habuissent, decreta, & ut quatuor legiones novas scriberent; duas, quæ quo senatus censuisset, mitterentur, & T. Quintius Flamininus cum duabus legionibus provinciam eodem exercitu obtinere jussus: imperium [5] ei prorogatum satis jam antè videri.

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

XXVI. Prætores deinde provincias sortiti. L. Apustius Fullo urbanam jurisdictionem, Manius Acilius Glabrio inter cives & peregrinos, Q. Fabius Buteo Hispaniam ulteriorem, Q. Minucius Thermus citeriorem; C. Lælius Siciliam, Tib. Sempronius Longus Sardiniam. Q. Fabio Buteoni, & Q. Minucio, quibus Hispaniæ provinciæ evenerant, Consules legiones singulas ex quatuor ab se scriptis quas videretur, uti darent, decretum est. sociûm ac nominis Latini quaterna millia peditum, trecenos equites. hique primo quoque tempore in provincias ire jussi. Bellum in Hispania quinto post anno exortum est, quàm simul cum Punico bello fuerat finitum. Priusquàm hi prætores ad bellum propè novum, quia tum primùm suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce [1] ad arma ierant, proficiscerentur, aut ipsi consules ab urbe moverent, procurare, ut assolet, prodigia, quæ nunciabantur, jussi. L. Julius Sequestris in Sabinos proficiscens, fulmine ipse equusque exanimati fuerant: ædes Feroniæ in Capenate de cœlo tacta erat: ad Monetæ duarum hastarum spicula arserant: lupus Æsquilinâ portâ ingressus, frequentissimâ parte urbis, quum in forum decurrisset, Tusco vico [2] atque Æquimelio, per portam Capenam propè intactus evaserat. Hæc prodigia majoribus hostiis sunt procurata.

XXVII. Iisdem diebus Cn. Cornelius Lentulus, qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispaniam obtinuerat, quum ex senatus-

NOTÆ.

& ipsi Circenses initio, ac posteà etiam Scenici fuerunt. Fiebant autem Plebeji xvij. Kalendas Novembris, plerunque per triduum: & quoties instaurabantur, dabatur ab Ædilibus epulum.

5. *Ei prorogatum.*] Decreto anni super.

1. *Ad arma ierant.*] Hispani.

2. *Atque Æquimelio.*] Vulgò *atque in de Melio*. Emendavit Sigon. rectè: nam *Melium* Romæ incognitum. *Intemelium* oppidum Liguriæ: *Æquimelium* autem Romæ, ubi anteà Sp. Melii ædes, quæ solo æquatæ, ipso ob suspicionem affectatæ tyrannidis per Servilium Ahalam interfecto, ut scribunt Liv. lib. 4. cap. 16. & Cic. pro domo sua.

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

consulto ovans urbem esset ingressus, tulit præ se [1] auri mille & quingenta quindecim pondo, [2] argenti viginti millia, signati [3] denariûm trigin a quatuor millia, & quingentos quinquaginta. L. Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tentatâ quidem triumphi spe, [4] quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit: & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem, & matris Matutæ, unum in Maximo Circo fecit: & his fornicibus signa aurata imposuit. Hæc per hiemem fermè acta. Hibernabat eo tempore Athenis Quintius, à quo quum multa socii peterent, Bœoti petierunt, impetraveruntque, ut hi, qui suæ gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur. id à Quintio facilè impetratum; non quia satis dignos eos credebat, sed quia, Antiocho rege jam suspecto, favor conciliandus nomini Romano apud civitates erat. [a] Restitutis, confestim apparuit, quàm nulla inita apud Bœotos gratia esset. nam & ad Philippum gratias agentes pro redditis hominibus, perinde atque ipsi id à Quintio & Romanis datum esset, miserunt: & comitiis proximis [b] Bœotarchen nullam aliam ob caussam Brachyllam quendam, quàm quòd præfectus Bœotorum apud regem militantium fuisset, fecerunt, præteritis Zeuxippo, & Pisistrato, aliisque qui Romanæ societatis auctores fuerant. Id ægrè & in præsentia hi passi, & in futurum etiam metum ceperunt, quum ad portas propè sedente exercitu Romano ea fierent: quidnam se futurum esset profectis in Italiam Romanis; Philippo ex propinquo socios adjuvante, & infesto his, qui partis adversæ fuissent.

XXVIII. Dum Romana arma propinqua habebant, tollere Brachyllam principem fautorum regis statuerunt. & tempore ad eam rem capto, quum in publico epulatus reverteretur domum temulentus, prosequentibus mollibus viris, qui joci causâ convivio celebri interfuerant; ab sex armatis, quorum tres Italici, tres Ætoli erant, circumventus occiditur. Fuga comitum, & quiritatio facta, & tumultus tota urbe discurrentium cum luminibus. percussores proxima porta evaserunt. Luce prima concio frequens, velut extante indicio, ad vocem præconis [1] convocata in theatro erat. Palàm ab suo comitatu, & obscœnis illis viris fremebant interfectum: animis autem Zeuxippum auctorem destinabant cædis. In præsentia

INTERPRETATIO.

a *Post redditos eos captivos.* b *Prætorem sive supremum Ducem Bœotorum.*

NOTÆ.

1. *Auri mille & quingenta quindecim pondo.*] Huic quantitati respondent libræ Francicæ 173400.

2. *Argenti viginti millia.*] Hoc est, librarum nostrarum millia septuaginta duo.

3. *Denariûm triginta quatuor millia & quingentos quinquaginta,*] Huic summæ æquipollent fermè libræ nostrates 13820.

4. *Quinquaginta millia pondo.*] Efficiunt hæc quinquaginta millia ponderibus nostris & æstimatione hodierna, librarum 173400.

1. *Convocata in theatro erat.*] Ut apud

placuit comprehendi eos, qui simul fuissent, quæstionemque ex his haberi. qui dum quæruntur, Zeuxippus, consimili animo avertendi ab se criminis caussa in concionem progressus, errare ait homines, qui tam atrocem cædem pertinere ad illos semiviros crederent. multaque in eam partem probabiliter argumentatus quibus fidem apud quosdam fecit, nunquam si conscius esset, oblaturum se multitudini, mentionemve cædis nullo lacessente facturum fuisse. [a] Alii non dubitare, obviam eundo impudenter criminis suspicionem averti. Torti post paulò insontes, quum scirent ipsi opinionem omnium, ea pro indicio usi, Zeuxippum & Pisistratum nominaverunt: nullo adjecto, cur scire quicquam viderentur, argumento. Zeuxippus tamen cum Stratonida quodam nocte perfugit [2] Tanagram: suam magis conscientiam quam indicium hominum nullius rei consciorum metuens. Pisistratus, spretis indicibus, Thebis mansit. Servus erat Zeuxippo, totius internuncius & minister rei; [3] quem indicem Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit. literas ad Zeuxippum mittit, servum conscium tolleret. Non tam idoneum ad celandam rem eum videri sibi, quàm ad agendam fuerit. Has qui tulit literas, jussit Zeuxippo dare quanprimùm. is, quia non sibi conveniendi ejus copia fuit, ipsi illi servo, quem ex omnibus domino fidissimum credebat, tradidit: & adjecit, à Pisistrato de re magnopere pertinente ad Zeuxippum esse. Conscientia ictus, quum extemplo traditurum eas affirmasset, aperit. Perlectis literis pavidus Thebas refugit. & Zeuxippus quidem fuga servi motus, Athenas, tutiorem exilio locum ratus, concessit. De Pisistrato aliquæ quæstiones tormentis habitæ: & sumptum supplicium est.

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

XXIX. [1] Efferavit ea cædes Thebanos Bœotosque omnes ad execrabile odium Romanorum; Zeuxippum principem gentis id facinus conscisse. ad rebellandum neque vires, neque ducem habebant. Proximum bello quod erat, in latrocinium versi, alios hospites, alios vagos per hiberna milites, ad varios commeantes usus [a] excipiebant. quidam ipsis in itineribus ad notas latebras insidiantibus, pars in deserta per fraudem

INTERPRETATIO.

a Non *ambigebant alii quin* Zeuxippus *avertere à se voluisset suspicionem criminis, ultrò sese offerendo*, ejusque facta in concilio *per* summam *impudentiam* mentione.

a *Insidiis capiebant* milites Romanos.

NOTÆ.

Romanos in comitiis, sic apud Græcos in theatro habebantur populi conciones atque concilia.

2. *Tanagram.*] Bœotiæ oppidum *Tanagra*, aliàs *Græa*, teste Pausan. ad ostia ferè Asopi Bœotici in Euripum sese exonerantis: nunc Castaldo *Anatoria*.

3. *Quem ...... eo ipso timore ad indicium protraxit.*] Pisistratus nempè, servo Zeuxippi diffidens: metu ne ab eo denunciaretur crimen, ipsum impulit ad illud denunciandum.

1. *Efferavit ea cædes.*] Aliàs, *efferaverat cædes*: Periz. mavult, *efferaverat ea res*,

Urb. Cond. Ann. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

diverſoria devecti deductique opprimebantur. poſtremo non tantum odio, ſed etiam aviditate prædæ ea facinora faciebant: quia negotiandi fermè cauſſa argentum in zonis habentes [b] in commeatibus erant. Quum primò pauci, dein in dies plures deſiderarentur, [c] infamis eſſe Bœotia omnis cœpit: & timidiùs quàm in hoſtico egredi caſtris miles. Tum Quinctius legatos ad quærendum de latrociniis per civitates mittit. Plurimi pedites [2] circa Copaidem paludem inventi: ibi ex limo eruta extractaque ex ſtagno cadavera, ſaxis aut amphoris, ut pondere traherentur in profundum, annexa. multa facinora [3] Acræphiæ, [4] & Coroneæ facta inveniebantur. Quinctius primò noxios tradi ſibi juſſit. & pro quingentis militibus (tot enim intercepti erant) [5] quingenta talenta, Bœotos conferre. Quorum neutrum quum fieret, verbis tantùm civitates excuſarent, nihil publico conſilio factum eſſe; [6] miſſis Athenas [7] & in Achajam legatis, qui teſtarentur ſociis, juſto pioque bello ſe perſecuturum Bœotos, & cum parte copiarum P. Claudio Acræphiam ire juſſo, cum parte Coroneam circumſedit: evaſtatis priùs agris, quà ab Elatia duo diverſa agmina iere. Hac perculſi clade Bœoti, quum om-

INTERPRETATIO.

b *Commeabant huc illuc* ducum ſuorum permiſſu.

c *Peſſima de univerſa Bœotia invaluit fama*, tanquam de regione infeſta Romanis, ob latrocinia incolarum; ideoque *milites minùs caſtris exire audebant, quàm ſi in hoſtili terra* fuiſſent.

NOTÆ.

2. *Circa Copaidem paludem.*] *Copa* oppidum Bœotiæ fuit, lacui appoſitum, in quem Cephiſus amnis ex Phocide influit: mox per cuniculum in Euripum delabens. Itaque ab oppido lacui ſeu paludi nomen: oppido autem ipſi à remo, cujus uſum incolæ primi inveniſſe dicebantur; eſt enim Κώπη. Græcè idem quod *remus* Latinè.

3. *Acræphiæ*,] Bœotiæ quoque oppidum fuit *Acræphia* inter Copaidem paludem, quà ex ea Cephiſus exit, & capita Aſopi atque Iſmeni fluminum, Copis ad ortum.

4. *Et Coroneæ.*] Imminet *Coronea*, Copaidi lacui quà parte Cephiſum excipit; ad occaſum Coparum loco edito ſita. Ad eam Ageſilaus Lacedæmoniorum rex Thebanos cum Athenienſibus ſociiſque aliis prælio vicerat. Vocatur adhuc *Corone*, teſte Pineto.

5. *Quingenta talenta.*] Decies centena millia librarum noſtrarum cum ducentis millibus, 1200000.

6. *Miſſis Athenas.*] Caput Atticæ ac totius Græciæ fuit urbs *Athenæ*, Cecropia primùm dicta à Cecrope rege; pòſt *Athenæ* ab urbis præſide Minerva, quæ Græcis Ἀθήνη. Reges habuit ſeptemdecim per annos 485. Deinde Reſpublica fuit armis ac literis inclyta. Nunc ſub Turcis in mediocris oppidi formam redacta, ſuis aliquatenus legibus adhuc vivit, retento ferè veteri apud incolas nomine *Athine*, Turcis ut ajunt *Sethine*. Vide commentarium Gallicum nuper editum de antiquis & hodiernis Athenis, & Sponii Medici Diarium peregrinationis Orientalis, eadem linguâ.

7. *Et in Achajam.*] Nòn uno modo ſumitur Achajæ & Achæorum ſive Achivorum appellatio: modò generaliter pro Græcia univerſa: modò paulò ſtrictiùs pro Hellade, ſive Græcia propriè dicta à

Philippo

nia terrore ac fuga complessent, legatos mittunt. qui quum in castra non admitterentur, Achæi Athenienſesque supervenerunt. Plus auctoritatis Achæi habuerunt, deprecantes: [8] ac ni impetrassent pacem Bœotis, bellum simul gerere decreverunt: Per Achæos Bœotis copia adeundi alloquendique Romanum facta est, jussisque tradere noxios, & mulctæ nomine [9] triginta talenta conferre, pax data: & ab oppugnatione recessum.

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M Claud. Marcello.

XXX. Post paucos dies decem legati ab Roma venerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est. *Omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent. quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret: his quæ in Asia essent, Euromo [1] Pedasisque & Bargyliis, & Jasso, & [2] Myrina, & Abydo, & [3] Thasso, [4] & Perintho: eas quoque enim placere liberas esse. De Cianorum libertate, Quintius Prusiæ Bithynorum regi scriberet, quid senatui & decem legatis placuisset. Captivos, transfugasque reddere Philippum Romanis, & [5] naves omnes tectas tradere; quin & regiam unam inhabilis propè magnitudinis, [6] quam sexdecim versus remorum agebant. Ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum.*

NOTÆ.

cujus partes Attica cum Megaride, Bœotia, Locris triplex, Phocis ac Doris; quibus Ptolemæus Ætoliam adjicit. Hic verò sumitur pro Achaja propriè dicta, quæ Peloponnesi pars est ad sinum Corinthiacum, adjunctis ejusdem Peloponnesi civitatibus in fœdus Achaicum ascitis.

8. *Ac ni impetrassent.*] Mavult Gronovius, *nam ni impetrassent.*

9. *Triginta talenta conferre.*] Septuaginta duo librarum nostratium millia.

1. *Pedasisque.*] *Pedasa* sive *Pedasus* Plinio, urbs fuit Cariæ Mediterranea. Stephanus scribendum putat Πήδασα.

2. *Myrina.*] Æolidis in Asia minori maritima urbs fuit *Myrina* seu *Myrrhina* ad sinum Smyrnæum, Septentrionem versus, inter Eleam & Cymen: nunc *Marhani* apud Leunclavium, aut *Gircona*, ex Moletio.

3. *Thasso.*] Insula est Ægæi maris *Thassus* sive *Thasos* ad oram Thraciæ, non procul Nessi fluminis ostio: feracissima fuit, vini præsertim. Vrbem cognominem habet à Pariis conditam, auctore Strabone, hodieque *Thasso*.

4. *Et Perintho.*] *Perinthus*, quæ & *Heraclea*, Thraciæ urbs est ad Propontidem, 60. millibus pass. à Byzantio in provincia Europæ: nunc vulgò *Heraclea*.

5. *Naves omnes tectas.*] Tectas naves longas invenere Thasii auctore Plinio lib. 7. Eæ sunt constratæ tabulato, unde milites pugnare possint: nam anteà ex prora tantùm & puppi pugnabatur, ut scribit idem Plin.

6. *Quam sexdecim versus remorum agebant.*] Non à remorum numero, sed a singulis ordinibus seu versibus dicuntur biremes, triremes, & quinqueremes: Græcis διήρεις, τριήρεις, πεντήρεις: si duos remos addideris singulis quinqueremium ordinibus, fiet septiremis, sive ἑπτήρης, qualem Pyrrhus habuisse dicitur. Sed crescente remorum in singulis ordinibus numero, augenda erat cum longitudine altitudo navigii. Alexander magnus, ex Plin. instituit naves ad duodecim ordines: Ptolemæus Soter ad quindecim, auctore Philostephano, apud eumdem Plin., Plutarchus id Demetrio adscribit. Ptolemæus autem Philadelphus duas habuisse triginta ordinum, aliasque viginti, duodecim, tredecim &c. scribitur ab Athenæo lib. 5. Tandem Ptolemæum Philopatorem quadraginta ordinum navem ædificandam curasse testa-

Urb.cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M.Claud. Marcello.

Bellum extra Macedoniæ fines ne injussu senatûs gereret. 7 *Mille talentûm daret populo Romano: dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum.* Valerius Antias 8 quaternûm millium pondo argenti, vectigal in decem annos, 9 triginta quaterna millia pondo, & ducenta, præsens viginti millia pondo. idem nominatim adjectum scribit, ne cum Eumene Attali filio (novus is tum rex erat) bellum gereret. In hæc obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. Adjicit Valerius Antias, Attalo absenti Æginam insulam, elephantosque dono datos, & Rhodiis Stratoniceam Cariæ, atque alias urbes, quas Philippus tenuisset: Atheniensibus insulas datas, Paron, 10 Imbrum, 11 Delum, Scyrum.

XXXI. Omnibus Græciæ civitatibus hanc pacem approbantibus, soli Ætoli id decretum decem legatorum clam mussantes carpebant. *literas inanes vanâ specie libertatis adumbratas esse. Cur enim* 1 *alias Romanis tradi urbes, nec nominari eas, alias nominari* 2 *& sine traditione juberi liberas esse? nisi ut quæ in Asia sint, liberentur, longinquitate ipsa tutiores: quæ in Græcia sint,* 3 *ne nominatæ intercipiantur, Corinthus, & Chalcis, &*

NOTÆ.

tur idem Plutarchus ducentos octoginta cubitos longam, altam vero cubitos duodequinquaginta, quæ nautis quadringentis, remigibus quater millenis instructa, & paulò minùs ter millenis militibus caperet. Sed ea ad spectaculum magis & pompam, quàm ad usum comparata, parùm ab immobilibus ædificiis differebat. Eam describit Athenæus idem lib. 5. Dipnosophiston.

7. *Mille talentûm daret.*] Librarum Gallicarum vicies centena & quadringenta millia: *deux millions quatre cens mille livres.*

8. *Quaternûm millium pondo argenti.*] Centum quadraginta quatuor millia librarum Francicarum.

9. *Triginta quaterna millia pondo, & ducenta, præsens viginti millia pondo.*] Hæc valdè turbata. Conjicit Gron. scripsisse Livium: *Valerius Antias quaternûm millium pondo argenti vectigal in decem annos, præsens tricena quaterna millia & ducenta viginti pondo.* Hanc summam Gallicè sic expresseris 1231920.

10. *Imbrum.*] Insula est Ægæi maris *Imbros*, seu *Imbrus* Latinè, Samothraciæ vicina, inter Lemnum & Chersonesum Thracicam, vulgò Italis *Lembro.*

11. *Delum.*] Ægæi maris exigua est Insula *Delos*, Cycladum una, Rheneæ proxima ad ortum, inter Tenum ad Septentrionem, & Syrum ac Paron ad meridiem: Apollinis natalibus & oraculo apud veteres celeberrima; ubi Græciæ ærarium, & in qua nec parere, nec defunctos sepelire, nec canem alere fas erat, auctore Thucydide: hodie *Saile*, cui conjuncta est Rhenia, quam partem vocant *Fermene.*

1. *Alias Romanis tradi urbes.*] Ejus rei nulla mentio superiori capite: recurrendum ad lib. 32. cap. 33. ubi restituenda dicuntur Romanis ea Illyrici loca, quæ post pacem in Epiro factam Philippus occupasset, quod à Philippo promissum fuisse refert deinde sociis Quintius, ejusdem lib. cap. 35.

2. *Et sine traditione juberi liberas esse.*] Quid mirum non tradi Romanis aliisve quæ liberæ futuræ sint? Porrò, quamvis meliùs sit, *juberi*, quàm ut vulgò legitur *jubere*, ut congruat cum *nominari*: si tamen intelligatur Romanos jubere, perinde fuerit; atque hæc variare noster amat. Sic extremo hoc capite 31. *Ipsis tutius esse manere paulisper sub tutela præsidii Romani, quàm pro Philippo Antiochum dominum accipi.*

3. *Ne nominatæ intercipiantur.*] Malim *nec nominatæ*: ut scilicèt intelligatur civitates quæ in Græcia Europæa sitæ præsidiis Philippi teneantur, nec nominatim memorentur in tabulis pacifica-

Urb. cond. ann. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

Oreum, cum Eretria, & Demetriade. Nec tota ex vano criminatio erat. dubitabatur enim de Corintho, & de Chalcide, & Demetriade, quia in senatusconsulto, quo missi decem legati ab urbe erant, cæteræ Græciæ atque Asiæ haud dubiè liberabantur: de his tribus urbibus legati, quod tempora reipublicæ postulassent, id è republica fideque sua facere statuere jussi erant. Antiochus rex erat, quem transgressurum in Europam, [a] quum primum ei res suæ placuissent, non dubitabant. ei tam opportunas ad occupandum patere urbes nolebant. Ab Elatia Anticyram cum decem legatis, inde [5] Corinthum trajecit. ibi consilia decem legatorum tractabantur. Identidem Quintius, liberandam omnem Græciam, si Ætolorum linguas retundere, si veram charitatem, majestatem, apud omnes nominis Romani vellent esse: si fidem facere, ad liberandam Græciam, non ad transferendum à Philippo ad se imperium, se mare trajecisse. Nihil contra ea de libertate urbium alii dicebant. cæterùm ipsis tutius esse manere paulisper sub tutela præsidii Romani, quàm pro Philippo Antiochum dominum accipi. Postremò ita decretum est: *Corinthus redderetur Achæis, ut in [4] Acrocorintho tamen præsidium esset: Chalcidem ac Demetriadem retineri, donec cura de Antiocho decessisset*.

XXXII. [1] Isthmiorum [a] statum ludicrum aderat; semper quidem & alias frequens; quum propter spectaculi studium insitum genti, quo [2] certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis visuntur; tum quia propter opportunitatem loci, [3] per duo diversa maria omnium Græcorum undique conventus erat. Sed exspectatione erecti, qui deinde status futurus Græciæ, quæ sua fortuna esset: alii non taciti solùm

INTERPRETATIO.

a Statim atque statum rerum suarum satis firmum esse existimaret.

a Præfixum ludorum Isthmiorum *tempus*,

NOTÆ.

tionis, ad Romanos transferendas esse, nempe Corinthum, &c.

4. *In Acrocorintho.*] *Acrocorinthus* arx erat Corinthi in mediâ urbe excelsoque monte, in verticem acutum desinente, (quò ascensus 30. est stadiorum) assurgente undique in justam altitudinem, ac maxime præcipiti, ab ea parte quæ septentrionem spectabat. In vertice fuit Veneris templum, & sub eodem vertice fons Pirene effluxu carens, & tamen semper plenus aqua pellucida; ubi Pegasum volucrem equum, cùm biberet, captum esse ferunt à Bellerophonte.

5. *Corinthum trajecit.*] Quintius.

1. *Isthmiorum.*] Inter quatuor sacros Græciæ agones sive ludos præcipuos, fuere *Isthmia*, seu Isthmici ludi, instituti à Glauco filio Sisyphi, Bellerophontis patre, in honorem Melicertæ sive Palæmonis; vel potiùs à Theseo in honorem Neptuni, ut Plut. tradit. Nomen habuere à loco in quo celebrabantur, ab Isthmo nempè Corinthiaco. Eorum victores pineâ coronâ donabantur.

2. *Certamina omnis generis.*] Quinquertium intelligit, certamina scilicet quinque generum, saltûs, cursûs, disci, jactûs seu jaculationis, & luctæ.

3. *Per duo maria.*] Sinus Corinthiacum & Saronicum, quorum ille Jonii maris, hic Ægæi quodammodò, pars.

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

opinabantur, sed sermonibus etiam ferebant: [4] Romani ad spectaculum consederunt, & præco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam, unde solenni carmine ludicrum indici solet, processit: & tuba silentio facto ita pronunciat: SENATUS POPULUSQUE ROMANUS, ET T. QUINTIUS IMPERATOR, PHILIPPO REGE, MACEDONIBUSQUE DEVICTIS, LIBEROS, IMMUNES, SUIS LEGIBUS ESSE JUBET CORINTHIOS, PHOCENSES, LOCRENSESQUE OMNES, ET INSULAM EUBOEAM: ET [5] MAGNETAS, THESSALOS, [6] PERRHOEBOS, [7] ACHÆOS PHTHIOTAS. [8] Percensuerat omnes gentes, quæ sub ditione Philippi regis fuerant. Auditâ voce præconis, majus gaudium fuit, quàm quod universum homines caperent. Vix satis credere se quisque audisse, alii alios intueri mirabundi velut somnii vanam speciem. quod ad quenque pertineret, suarum aurium fidei minimum credentes, proximos interrogabant. Revocatus præco, quum unusquisque non audire, sed videre libertatis suæ nuncium averet: [9] iterum pronunciaret eadem. Tum à certo jam gaudio tantus cum clamore plausus est ortus, totiesque repetitus, ut facilè appareret, nihil omnium bonorum multitudini gratius quàm libertatem esse. Ludicrum deinde ita raptim peractum est, ut nullius nec animi nec oculi spectaculo intenti essent. adeo unum gaudium præoccupaverat omnium aliarum sensum voluptatum.

XXXIII. Ludis verò dimissis, cursu propè omnes tendere ad Imperatorem Romanum: ut ruente turbâ in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas [1] lemniscosque jacientium, [2] haud procul periculo fue-

N O T Æ.

4. *Romani*.] Nempè legati decem.

5. *Et Magnetas*.] Populos nimirùm Magnesiæ, quæ provincia erat Thessaliæ, a qua tamen aliquando distinguitur.

6. *Perrhæbos*.] Perhœborum non una sedes fuit: ad Pindum montem, quo Ætolia atque Epirus à Thessalia distermінantur, aliquando habitarunt. Strabo lib. 1. eos ad Ossam montem locare videtur, ut & Ænianes: & sic versus Peneum: Plin. lib. 4. cap. 2. in Ætolia ponit cum Athamanibus.

7. *Achæos*.] Iidem sunt hi Achæi Thessalici cum Phthiotis, distincti ab aliis Thessalis, quo nomine hic veniunt non tantùm Thessaliotæ, sed etiam Pelasgiotæ & Estiæotæ.

8. *Percensuerat omnes gentes*.] Hi quidem, qui nominati fuerant sub ditione Philippi ferè omnes erant. Sigonius tamen legit: *percensuit inde omnes gentes, quæ sub ditione Philippi regis fuerant*; vult enim alios etiam subjectos Philippo populos postea fuisse nominatos qui scilicet priùs Macedoniæ contributi, *Dolopas* nempè, *Orestas*, *Lycum*, *Parthinos*. Sed hi, præter Dolopas, cùm essent in Illyrii ora, Romanis cedebant, nec nominabantur inter eos, quibus reddebatur libertas. Quanquàm reverà *Orestis*, ac *Dolopibus* reddita paulo post decreto legatorum Romanorum, cap. proximè sequenti.

9. *Iterum pronunciaret*.] Vel repete τὸ *quum*, vel lege *pronunciavit*.

1. *Lemniscosque jacientium*.] *Lemnisci* Festo *Fasciolæ* sunt coloratæ dependentes ex coronis: ex eo dictæ quod antiquissimum coronarum genus ex lana fuit. Græcis autem *lana* dicitur τὸ λῆνος, Doricè λᾶνος. Verbum esse Syracusanum, quo strictæ angustæque tæniæ significantur notat Hesychius.

2. *Haud procul periculo fuerit*.] Gall. si

Urb. cond. ann. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello,

rit. Sed erat trium fermè & triginta annorum, & quum robur juventæ, tum gaudium ex tam insigni gloriæ fructo, vires suppeditabant. nec præsens omnium modò effusa lætitia est; sed per multos dies gratis & cogitationibus & sermonibus revocata: *Esse aliquam in terris gentem, quæ suâ impensâ, suo labore, ac periculo bella gerat pro libertate aliorum: nec hoc finitimis, aut propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti junctis præstet: maria trajiciat, ne quod toto orbe terrarum injustum imperium sit,* 3 *& ubique jus, fas, lex potentissima sint. Una voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Asiæ urbes. Hoc spe concipere audacis animi fuisse: ad effectum adducere, virtutis & fortunæ ingentis.*

XXXIV. Secundùm ista jam Quinctius, & decem legati, legationes regum, gentium, civitatumque audivêre. Primi omnium regis Antiochi vocati legati sunt. his eadem, quæ ferè Romæ erant, verba 1 sine fide rerum jactata. Nihil jam perplexè, ut antè, quum dubiæ res incolumi Philippo erant, sed apertè pronunciatum, ut excederet Asiæ urbibus, quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuissent: 2 abstineret liberas omnesque Græcas. Ante omnia denuntiatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias trajiceret. Dimissis regis legatis, conventus gentium civitatumque est haberi cœptus. eoque maturiùs peragebatur, quod decreta decem legatorum civitates nominatim pronunciabant. Orestis (Macedonum ea gens est) quòd primi ab rege defecissent, suæ leges redditæ. Magnetes & Perrhœbi, & Dolopes, liberi quoque pronunciati. Thessalorum genti, præter libertatem concessam, * Achæi Phthiotæ dati; Thebis Phthioticis & Pharsalo excepto. Ætolos de Pharsalo & Leucade postulantes, ut ex fœdere sibi restituerentur, ad senatum rejecerunt. 3 Phocenses, Locrenses, & quæ sicut antè fuerant adjecta, decreti auctoritate his contribuerunt. Corinthus, & Triphylia, & Heræa (Peloponnesi & ipsa urbs est) reddita Achæis. Oreum & Eretriam decem legati Eu-

NOTÆ.

s'en fallut peu qu'il ne fust accablé par la foule.

3. *Jus, fas, lex*] *Jus* lex humana est; *Fas* lex divina, si Isidorum sequimur 5. etymol. 2. sed ille jus divinum cum naturali permiscet. Inter illa tria hoc discrimen est quòd *fas* propriè de jure naturali, *jus* hoc loco de jure gentium; *lex* autem de jure proprio civitatis gentisve cujusque dicatur. Quò spectat illud Cic. pro Milone, *Clodium nihil delectat quod aut per naturam fas sit, aut per leges liceat.*

1. *Sine fide rerum jactata.*] Ita Moguntiæ editum: meliùs quàm quod Gelen subjicit *jactantibus*: significatur enim eadem ab Legatis Antiochi apud Quintium Corinthi dicta de amicitia regis, quæ Romæ apud senatum, in speciem magis quàm ex vero jactata fuerant, verba nempe & voces, non res quibus fidendum esset: sed iis apertè responsum à Quintio.

2. *Abstineret liberas omnesque Græcas.*] Non immeritò conjicit Gronovius *sineret liberas omnes esse Græcas*, nempè urbes.

* *Achæi Phthiotæ.*] Hi Achæi in Thessalia, Thessaliotis contributi: at Achæis Peloponnesiacis reddita Corinthus, Triphylia, Heræa, ut statim dicitur.

3. *Phocenses, Locrenses, & quæ sicut antè fuerant adjecta his contribuerunt.*] Lege cum Ursino, *Phocenses, Locrensesq*

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

meni regi Attali filio dabant. dissentiente Quintio, venit res in arbitrium senatûs: senatus his civitatibus libertatem dedit, Carysto adjecto. Plevrato, [4] Lycus & Parthini dati: Illyriorum utraque gens sub ditione Philippi fuerat. Amynandrum tenere jusserunt castella, quæ per belli tempus Philippo capta ademisset.

XXXV. Dimisso conventu, decem legati partiti munia inter se, ad liberandas suæ quisque regionis civitates discesserunt: P. Lentulus Bargylias, [1] L. Stertinius Hephæstiam & Thassum & Thraciæ urbes, P. Villius & L. Terentius ad regem Antiochum, Cn. Cornelius ad Philippum. qui de minoribus rebus editis mandatis percunctatus, [2] si consilium non utile solùm, sed etiam salutare admittere auribus posset, quum rex, gratias quoque se acturum diceret, si quid, quod in rem suam esset, expromeret; magnopere ei suasit, quoniam pacem impetrasset, ad societatem amicitiamque petendam mitteret Romam legatos. ne si quid Antiochus moveret, exspectasse, & temporum opportunitates captasse ad bellandum videri posset. Ad Tempe Thessalica Philippus est conventus. qui quum se missurum extemplo legatos respondisset; Cornelius Thermopylas, ubi frequens Græciæ statis diebus esse solet conventus, ([3] Pylaicum appellant) venit: Ætolos præcipuè monuit, ut constanter & fideliter in amicitia populi Romani permanerent. Ætolorum principes alii interquesti sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset: alii ferociùs incusarunt, exprobraveruntque, non modò vinci sine Ætolis Philippum, sed ne transire quidem in Græciam Romanos potuisse. Adversus ea respondere (ne in altercationem excederet res) quum supersedisset Romanus; omnia eos æqua impetraturos, si Romam misissent, dixit. itaque [a] ex auctoritate ejus decreti legati sunt. Hunc finem bellum cum Philippo habuit.

INTERPRETATIO.

a *Eo auctore* Ætoli *decreverunt legatos* Romam mittere.

N O T Æ.

que, sicut antè fuerant. Concesserunt nimirùm legati Phocensibus, & Locris, ut conjuncti agerent, quemadmodum prius ἐν τῷ συμπολιτείᾳ, aut Phocensibus ipsis ac Locrensibus, liberis pronunciatis, contribuerunt quæ antè eorum ditionis fuerant.

4. *Lycus & Parthini.*] Vulgò legebatur *Lingus & Partheni*: correxit Sigon. legitque *Lycus* (quæ urbs est Eordæorum) *& Parthini* (ut Capitolini lapides habent.) Vrsinus mavult *Lychnidus & Parthini*; probabili conjectura: ait enim Polyb. legatos decem Romanos dedisse Plevrato Lychnidunta & Parthon.

1. *L. Stertinius Hephæstiam.*] Pro Stertinio *Titillium* nominare videtur Plutarchus in Thraciam missum. Quam autem *Hephæstiam* vocat, ea *Hephæstias* Plinio & Ptolemæo dicitur; estque urbs Lemni insulæ, nunc *Cocchino*.

2. *Si consilium.*] Si pro *an* vel *utrùm*.

3. *Pylaicum appellant.*] *Pylæ*, id est, Portæ, generali nomine fauces dicuntur sive angusti transitus inter montes. Hic Pylarum sive *Thermopylarum* nomine Oetæ montis angustiæ intelliguntur, ad quem Pylea quoque Trachiniæ oppidum fuit: conventus autem Pylaicus ibi habebatur.

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

XXXV. Quum hæc in Græcia Macedoniaque & Asia gererentur, Etruriam infestam propè conjuratio servorum fecit. [a] ad quærendam opprimendamque eam Manlius Acilius prætor, cui inter cives peregrinosque jurisdictio obtigerat, cum una ex duabus legione urbana missus, alios jam congregatos pugnando vicit; ex his multi occisi, multi capti: alios verberatos crucibus affixit, qui principes conjurationis fuerant: alios dominis restituit. Consules in provincias profecti sunt. Marcellum Bojorum ingressum fines, fatigato per diem totum milite viâ faciendâ: castra in tumulo quodam ponentem, Corolamus regulus Bojorum cum magna manu adortus, ad tria millia hominum occidit, & illustres viri aliquot in illo tumultuario prœlio ceciderunt: inter quos præfecti sociûm, T. Sempronius Gracchus, M. Junius Silanus, & tribuni militum de legione secunda, A. Ogulnius & P. Claudius. castra tamen ab Romanis impigrè permunita retentaque, quum hostes [b] à prospera pugna nequicquam oppugnassent. Stativis deinde eisdem per dies aliquot sese tenuit; dum & saucios curaret, & à tanto terrore animos militum reficeret. Boji, ut est gens minimè ad moræ tædium patiens, in castella sua vicosque dilapsi sunt. Marcellus Pado confestim trajecto in agrum Comensem, ubi Insubres [1] Comensibus ad arma excitis castra habebant, ducit legiones: in ipso itinere prœlium committunt: & primò [2] adeò acriter invaserunt, ut antesignanos impulerint. quod ubi animadvertit, veritus ne moti semel pellerentur, cohortem Marsorum opposuit: & equitum Latinorum omnes turmas in hostem emisit. Quorum quum primus secundusque impetus retudisset inferentem se ferociter hostem, confirmata & reliqua acies Romana restitit primò, deinde signa acriter intulit. nec ultra sustinuerunt certamen Galli, quin terga verterent, atque effusè fugerent. In eo prœlio supra quadraginta millia hominum cæsa, Valerius Antias scribit: & [3] quingenta septem signa militaria capta, & carpenta quadringenta triginta duo, & aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius, in Capitolio Jovi donum in æde positum, scribit. Castra eo die Gallorum expugnata direptaque. & Comum oppidum

INTERPRETATIO.

a *Ut de ea* conjuratione *inquireret, eamque tolleret.*

b *Statim à prælio secundo*, seu victoria.

NOTÆ.

1. *Comensibus ad arma excitis.*] *Comenses* pagus fuere Insubrum: oportet itaque totam Insubrum gentem non statim in armis fuisse, sed paulatim remotiores à Pado Comenses reliquis se adjunxisse; nisi Comenses ab Insubribus distinguere Marcellus voluit triumphi titulos aucturus.

2. *Adeo acriter invaserunt.*] Romanos scilicet Galli.

3. *Quingenta septem signa.*] Ut in cæsorum numero Valerius Antias more suo victoriam hanc augere potuit: ita & in numero signorum militarium à Roma-

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

intra dies paucos captum. Castella inde duodetriginta ad consulem defecerunt. Id quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Bojos priùs, an Insubres consul exercitum induxerit, adversamque prospera pugna obliteraverit: an victoria ad Comum parta, deformatâ clade in Bojis accepta sit.

XXXVII. Sub hæc tam variâ fortunâ gesta, L. Furius Purpureo alter consul 1 per tribum Sapiniam in Bojos venit. Jam 2 Castro Mutilo appropinquabat, quum veritus ne intercluderetur simul à Bojis Liguribusque; eàdem viâ quâ adduxerat, reduxit, & magno circuitu per aperta, eòque tuta loca, ad collegam pervenit. dein junctis exercitibus primum Bojorum agrum usque ad 3 Felsinam oppidum populantes peragraverunt. Ea urbs cæteraque castella, & Boji ferè omnes, præter juventutem, quæ prædandi causâ in armis erat, (tunc in devias sylvas recesserat) in ditionem venerunt. In Ligures deinde traductus exercitus. Boji negligentiùs coactum agmen Romanorum, quia ipsi procul abesse viderentur, improvisò aggressuros se rati, per occultos saltus secuti sunt. quos non adepti, Pado repentè navibus trajecto, 4 Lævos Libuosque quum pervastassent, redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agresti præda in agmen incidunt Romanum. Celeriùs prœlium acriusque commissum, quàm si tempore locoque ad certamen destinatis, præparatis animis concurrissent. Ibi quantam vim ad stimulandos animos ira haberet, apparuit. nam ita cædis magis quàm victoriæ avidi pugnarunt Romani, ut vix nuncium cladis hosti relinquerent. Ob eas res gestas, consulum literis Romam allatis, supplicatio in triduum decreta est. Brevi pòst Marcellus Romam venit; triumphusque ei magno consensu Patrum est decretus. Triumphavit in Magistratu de Insubribus, Comensibusque. Bojorum triumphi spem collegæ reliquit: quia ipsi propriè adversa pugna in ea gente evenerat, collegæ secunda. Multa spolia hostium captivis carpentis traducta: multa militaria signa lata, 5 æris trecenta viginti

N O T Æ.

nis captorum, & *quingenta* fortè pro *quinquaginta* scripsisse.

1. *Per tribum Sapiniam.*] Umbriam significat, ubi *Sapis* fluvius, nunc *Savio*, ad cujus dextram oppidum adhuc *Sapinium*, vulgo *Sapigno*. ex adverso Sarsinæ, in confinio Romandiolæ, & Ducatûs Urbinensis.

2. *Castro Mutilo.*] *Castellum* hoc *Mutilum* in Apennini radicibus, Blondo & aliis est *Modigliana*, quà Ducis Tusciæ ditio ultra Apenninum inter Faventinum & Foro Liviensem agrum excurrit: Cluverio est *Medolo*, sive *Medola*, oppidum supra Mutinam situm, versus Carfanianam vallem: diversum tamen à *Mutila* Istriæ, quæ nunc fortè *Medulino*.

3. *Felsinam.*] Eadem est quæ posteà *Bononia*.

4. *Lævos.*] Vide lib. 5. cap. 35. ubi & de Libuis, sive Libicis.

5. *Æris trecenta viginti millia.*] Si assium uncialium (quales hoc tempore apud Romanos) pretium spectes, singuli non multùm denarios tredecim Turonenses ac dimidium excedent, fietque summa octodecim millium librarum nostrarum, aut non multò amplior. Quòd si æris libræ Romano pondere fuerunt, tunc per millia

millia argenti Bigati ducenta triginta quatuor millia. [6] in pedites singulos dati ʒ octingenti æris: triplex equiti, centurionique. Urb. cond. an. 557.

XXXVIII. Eodem anno Antiochus rex, [1] quum hibernasset Ephesi, omnes Asiæ civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus: reliquas quidem, aut quia locis planis positæ erant, aut quia parùm mœnibus armisque ac juventuti fidebant, haud difficulter jugum accepturas. [2] Smyrna & [3] Lampsacus libertatem usurpabant, periculumque erat, [4] ne si concessum his foret, [5] quos metuebat, Smyrnam in Æolide Joniaque, Lampsacum in Hellesponto, aliæ urbes sequerentur. Igitur & ipse ab Ephesso ad Smyrnam obsidendam misit: & [6] quæ Abydi copiæ erant, præsidio tantùm modico relicto, duci ad Lampsacum oppugnandum jussit. Nec vi tantùm terrebat: sed per legatos leniter alloquendo castigandoque temeritatem & pertinaciam, spem conabatur facere, [7] brevi quæ peterent habituros. & tum satis & ipsis & omnibus aliis apparere, ab rege impetratam eos libertatem, non per occasionem raptam habere. Adversus quæ respondebant,

Coss. L. Fur.Purpur. & M.Claud. Marcello.

N O T Æ.

duodenarium numerum multiplicanda erit quantitas.

6. *In pedites singulos dati octingenti æris.*] Nummos æreos octingentos pro assibus, qui eo tempore in usu, accipio: sic fient quinque & quadraginta libræ Turonenses cum denariis quatuor. Putat Gron. pro *octingentis* legendum *octogenos*: & credibile esse negat Marcellum plus è tenui hac prædâ Gallicâ largitum esse, quàm T. Quintium è Macedonica, qui ducenos quinquagenos militibus suis viritim divisit: aut quàm Scipionem è Syriaca, qui nonnisi quinos & vicenos denarios distribuit.

1. *Cùm hibernasset Ephesi.*] Fuit *Ephesus* clarissima Joniæ urbs, caput Asiæ propriæ, non procul ostio Caystri fluminis, ad Ægæum mare, inter Smyrnam & Miletum. Ab Amazonibus condita fertur: habuitque templum Dianæ celeberrimum, quod inter septem orbis miracula habebatur. Hodie amisso pristino splendore, vocatur Italis *Efeso*; Gallis *Ephese*: Turcis, quibus subest, *Figena*, ut ajunt.

2. *Smyrna.*] Una fuit ex præcipuis Joniæ civitatibus, priùs *Naulochos* dicta, à Smyrne Amazone, ut volunt, appellationem pòst sortita. Eam plerique Homeri patriam censent; nomen dedit sinui Smyrnæo, qui pars Ægæi maris, Meletem fluvium ibi excipit. Nunc tractus illius caput, nomen retinet apud Christianos, Turcis *Ismir* vocatur: commercio celebris.

3. *Lampsacus.*] Minoris Asiæ urbs est in Mysia minori, quæ postea Hellespontus, translato nomine à vicino mari, cujus faucibus imminet ex adverso Callipolis Thraciæ oppidi, ad os Propontidis, vulgò nunc *Lampsico*, Turcis dominantibus *Lepsek*.

4. *Ne si concessum his foret, quos metuebat.*] Lege, *quod metuebat*, ad refer ad sequentia: Gronovius vult, *ne si concessum his foret, quasi tabe Smyrnam*, &c. *aliæ urbes sequerentur*.

5. *In Æolide Joniaque.*] In Jonia fuit *Smyrna*, sed vicina Æolidi: non itaque vult Smyrnam in Æolide fuisse, sed urbes alias quæ in Æolide & Jonia erant, exemplum Smyrnæ in vindicanda libertate secuturas.

6. *Et quæ Abydi copiæ erant.*] *Abydo*; pòst civium cladem impositum à Philippo præsidium vidimus lib.31. cap.18. Id deductum posteà pacis legibus lib. 32. c.33. & hujus lib. c.30. unde igitur novum atque ab Antiocho præsidium? nimirùm, ut alia Philippi loca, sic Abydum vacuam præsidio Antiochus occupaverat. Vide cap.39.

7. *Brevi quæ peterent habituros.*] Per-

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

Nihil neque mirari, neque succensere Antiochum debere, si spem libertatis differri non satis æquo animo paterentur. Ipse initio veris, navibus ab Ephelo profectus, [8] Hellespontum petit: terrestres copias, [9] Madytum trajicit, Chersonesi urbem: terrestri navalem exercitum junxit. & quia clauserant portas, circumdedit mœnia armatis, & jam opera admoventi, deditio est facta: idem metus tum incolentes alias Chersonesi urbes in deditionem dedit. [10] Lysimachiam inde omnibus simul navalibus terrestribusque copiis venit. quam quum desertam ac stratam propè ruinis invenisset, (ceperant autem, direptamque incenderant Thraces paucis antè annis) cupido eum restituendi nobilem urbem, & loco sitam opportuno, cepit. Itaque omni curâ simul est aggressus, & tecta murosque restituere, & partim redimere servientes Lysimachienses, partim fugâ sparsos per Hellespontum Chersonesumque conquirere contrahereque: partim novos colonos, spe commodorum propositâ adscribere, & omni modo frequentare. simul ut Thracum summoveretur metus, ipse parte dimidiâ terrestrium copiarum ad depopulandum proxima Thraciæ est profectus: partem, navalesque socios omnes reliquit in operibus reficiendæ urbis.

XXXIX. Sub hoc tempus & C. Cornelius, missus ab senatu ad dirimenda inter Antiochum Ptolemæumque reges certamina, [1] Selymbriæ substitit: & decem legatorum P. Lentulus à Bargyliis, P. Villius & L. Terentius à Thasso, Lysimachiam petierunt. eodem & à Selymbria L. Cornelius, & ex Thracia post paucos dies Antiochus convenerunt. Primus congressus cum legatis, & deinceps invitatio benigna & hospitalis fuit. ut de mandatis statuque præsenti Asiæ agi cœptum est, animi exasperati sunt. Romani omnia acta ejus, ex quo tempore è Syria classe solvisset, displicere senatui non dissimulabant, restituique Ptolemæo civitates omnes, quæ

NOTÆ.

spicua magis hæc oratio erit, si ex conjectura Gronovii legamus, *brevi quam peterent habituros, sed cùm satis . . . apparet*, &c. Per *quæ peterent*, vel *quam peterent*, intellige *libertatem*, cujus spes tunc Lampsacenis fiebat, postquàm constitisset eam regio munere concessam, non rebellione ab ipsis quæsitam esse.

8. *Hellespontum petit.*] *Hellespontus* duo significat: propriè quidem angustum mare inter Ægæum & Propontidem, quo Asia dividitur ab Europa: sic dictum, ut fabulæ volunt, ab Helle Phryxi sorore ibi submersâ: prætereà tractum illum terræ Asiaticæ qui eidem mari incumbit.

9. *Madytum trajicit Chersonesi urbem.*] Legebatur anteà *ab Abydo trajicit Chersonesi urbem*. Vidit Glar. deesse nomen illius urbis Chersonesi Thraciciæ, ad quam trajecit Antiochus; & pro *ab Abydo*, substituit *Madytum*: quæ reverà urbs est in Chersoneso Thracica.

10. *Lysimachiam inde.*] Urbs quoque Chersonesi è præcipuis fuit *Lysimachia*, in ora Hellesponti, à Lysimacho è regione Cardiæ condita; quæ quoniam in Isthmo sex millia passuum lato posita est, *Examilion* posteà dici cœpit.

1. *Selymbriæ substitit.*] Inter Byzantium & Perinthum urbs est *Selymbria*, sive *Selybrea* in Thracia ad Propontidem, adhuc satis ampla, etsi mœnibus nudata: vulgò *Selyvrea*.

Urb. Cond. ann. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

ditionis ejus fuissent, æquum censebant. *Nam quod ad eas civitates attineret, quas à Philippo possessas Antiochus per occasionem, averso Philippo in Romanum bellum, intercepisset, id verò ferendum non esse; Romanos per tot annos terrâ marique tanta pericula ac labores exhausisse, Antiochum belli præmia habere. Sed ut in Asiam adventus ejus dissimulari ab Romanis, tanquam nihil ad eos pertinens, potuerit; quod jam etiam in Europam omnibus navalibus terrestribusque copiis transierit, quantum* 2 *à bello aperto Romanis abesse? Illum quidem, etiamsi in Italiam trajiciat, negaturum.*

XL. Ad ea Rex, *satis jam antè videre se, Romanos inquirere, quid regi Antiocho faciendum: at quousque terrâ marique progrediendum fuerit ipsis, non cogitare. Asiam nihil ad populum Romanum pertinere: nec magis illis inquirendum esse, quid Antiochus in Asia, quàm Antiocho, quid in Italia populus Romanus faciat. Quod ad Ptolemæum attineat, cui ademptas civitates querantur; sibi cum Ptolemæo & amicitiam esse; & id agere se,* 1 *ut brevi etiam affinitas jungatur. Nec ex Philippi quidem adversâ fortunâ spolia ulla se petisse: aut adversus Romanos* 2 *in Europam trajecisse (cum copiis, sed ut Chersonesi urbes Thraciæque recuperaret. Earum enim imperium ad se in primis pertinere; quippe quod ab initio regnum Lysimachi) fuerit: quo victo omnia, quæ illius fuissent, jure belli* 3 *Seleuci facta sint, existimare suæ ditionis esse. Occupatis majoribus suis rerum aliarum alia cura, primò quædam ex his Ptolemæum, deinde & Philippum usurpando aliena possedisse: sicut quædam ex proxima Thracia, quæ indubitate Lysimachi fuerint.* 4 *Ad ea* 3 *facienda in antiquum venisse: & Lysimachiam deletam Thracum impetu, de integro condere, ut Seleucus filius eam sedem regni habeat.*

NOTÆ.

2. *A bello aperto Romanis.*] Inseri jubet Gronovius præpositionem, ut sit, *cum Romanis*. Potest tamen sic accipi τὸ *Romanis*, in dandi casu, quasi dicas, *Romanorum respectu*, Gall. *à l'égard des Romains*. Facit quod subjicitur, *illum quidem*, nempè Antiochum, etiamsi *in Italiam trajiciat negaturum*, supple se Romanis bellum inferre.

1. *Ut brevi etiam affinitas jungatur.*] Et verò paulò pòst Cleopatra Antiochi hujus magni filia, Ptolemæo Epiphani nupsit, eique velut in dotem attulit Cælesyriam, Phœnicen, & Judæam, quas pater Antiochus occupaverat, Ægyptiis ademptas.

2. *In Europam trajecisse.*] Lacuna hic erat quam explevit Sigonius ex Polyb.

3. *Seleuci facta sint.*] Post Alexandri Magni mortem, ejus præcipui duces provincias sibi creditas regum titulo tenuerunt, extinctâ stirpe regiâ: Antigonus minorem Asiam, Ptolemæus Ægyptum, Seleucus Babyloniam & regiones trans Euphratem, Græciam Demetrius Antigoni filius, Lysimachus Thraciam maritimam cum Bithyniæ parte, Cassander Macedoniam. Sed post Antigonum à reliquis prœlio ad Hypsum commisso cæsum, Asia minor inter Seleucum, Lysimachum, & Ptolemæum divisa est, Cassandro mortuo, Demetrius Macedoniam aliquandiu tenuit, quâ pulsus à Pyrrho & Lysimacho, atque à suis in Asia desertus, Seleuco sese dedere coactus est: inde Lysimachus bello adversus Seleucum suscepto victus est; ab hoc dicti Seleucidæ, ejusque nunc abnepos Antiochus erat.

3. *Ad ea facienda in antiquum.*] Num *ad ea sarcienda*: aut ut placet Gronovio, *ad ea redigenda in antiquum jus?*

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

XLI. His disceptationibus per dies aliquot habitis, [1] rumor sine ullo satis certo auctore allatus de morte Ptolemæi regis, ut nullus exitus imponeretur sermonibus. nam dissimulabat pars utraque [2] se audisse; & L. Cornelius, cui legatio ad duos reges, Antiochum Ptolemæumque mandata erat, spatium modici temporis ad conveniendum Ptolemæum petebat; ut priùs quàm moveretur aliquid in nova possessione regni, perveniret in Ægyptum; & Antiochus suam fore Ægyptum, [3] si tum occasio esset, censebat. Itáque dimissis Romanis, relictoque Seleuco filio cum terrestribus copiis ad restituendam, ut instituerat, Lysimachiam; ipse omni classe navigans Ephesum, legatis ad Quintium missis, [4] qui ad fidem de societate agerent, oram Asiæ legens, pervenit [5] in Lyciam. [6] Patarisque cognito vivere Ptolemæum, navigandi quidem in Ægyptum omissum consilium est. [7] Cyprum nihilominus tendens, quum [8] Chelidonium promontorium superasset, paulisper seditione remigum est retentus, [9] in Pamphylia [10] circa Eurymedontem amnem. Inde profectum eum ad

NOTÆ.

1. *Rumor . . . . . allatus.*] Subaudi *effecit*, aut quid simile: nempè *rumor allatus* effecit ut *nullus exitus imponeretur* negotio, &c.

2. *Se audisse.*] *Illum* scilicet *rumorem*.

3. *Si tum occasio esset.*] Si nimirùm tunc Ptolemæi mors occasionem ipsi præberet invadendæ Ægypti. Non displicet Glareani correctio, *Si tum occasioni non deesset*, id est, si eâ occasione uteretur.

4. *Qui ad fidem de societate agerent.*] Suspicatur Gron. legendum, *qui ibidem de societate agerent*: vel intelligendum est, *qui de societate agerent ad fidem faciendam* animi ad pacem inclinantis.

5. *In Lyciam.*] In Asia minori *Lycia* est regio inter Cariam & Pamphyliam, cujus pars Borealis sive interior Phrygiæ contermina, *Mylias* dicta: hodie Turcis *Aidinelli*, ut Castaldus & alii volunt; vel potius *Mentese*, ut Tabulæ Geographicæ testantur.

6. *Patarisque.*] Lyciæ urbs *Patara*, *orum*, ad ostium Xanthi fluvii, Apollinis oraculo quondam clara, qui sex mensibus hiemalibus ibi responsa dabat, sex rèliquis apud Delum insulam. Hodie *Patera* Sophiano, *Patarea* Castaldo.

7. *Cyprum.*] Insula est è majoribus Mediterranei maris, Veneri sacra, Syriaco, Cilicio & Pamphilio mari cincta, ab occasu in ortum protensa, cujus urbes præcipuæ *Salamis* (posteà *Constantia*, hodie *Famagusta*) ortum versus: Paphos versùs occasum; Amathus ad meridiem, Lapithus, & Soli, ad septentrionem. À Richardo Angliæ rege in transitu subacta, Lusinianis regibus paruit: his erepta à Turcis imperante Selimo anno 1575. Metropolim hodie habet Leucosiam, vulgò *Nicosia*, in meditullio ferè sitam; nunc Gallis *l'Isle de Chypre*, Turcis *Cupru-Ada*.

8. *Chelidonium promontorium.*] A *Chelidonii* exiguis Pamphylii maris Insulis, quæ Lyciæ adjacent, nomen accepit hoc promontorium, quod & *Sacrum* appellatur, in sinus Attalici ingressu versus occasum; crediturque Plinio pars Tauri montis eo usque procurrentis.

9. *In Pamphylia.*] Inter Lyciam ad occasum, & Ciliciam ad ortum *Pamphylia* est, regio litoralis mari suo imminens, ad meridiem Pisidiæ, hodie *Settalia* ex Giravæ sententia, pars occidentalis Caramaniæ: caput urbium olim *Side*; nunc *Attalia*, sive *Satalia*.

10. *Circa Eurymedontem.*] Pamphyliæ fluvius est *Eurymedon*, à Tauro monte per Asperdum urbem in sinum Attalicum magnâ aquarum vi defluens; ad cujus ostia victi à Cimone Atheniensi Persæ terrestri prœlio, eodem die, quo

Urb. cond. an. 557. Coss. L. Fur. Purpur. & M. Claud. Marcello.

capita (quæ vocant) [11] Sari fluminis, fœdâ tempestas obortâ propè cum omni classe demersit. [a] multæ naves ejectæ: multæ ita haustæ mari, ut nemo in terram enaverit. Magna vis hominum ibi interiit, non remigum tantùm militumque ignotorum, sed etiam insignium amicorum. Collectis reliquiis naufragii, quum [b] res non in eo esset, ut Cyprum tentaret; minus opulento agmine quàm profectus erat, [12] Seleuciam redit. ibi subduci navibus jussis (jam enim hiems instabat) ipse in hiberna Antiochiam processit.

XLII. In hoc statu regum erant res. Romæ eo primùm anno [1] triumviri epulones facti, C. Licinius Lucullus, [2] P. Manlius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Læca. his triumviris item, ut pontificibus, lege datum togæ prætextæ habendæ jus. Sed magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quæstoribus urbanis, Q. Fabio Labeoni, & L. Aurelio. Pecuniâ opus erat, quod ultimam pensionem pecuniæ in bellum collatæ persolvere placuerat privatis. Quæstores ab auguribus, pontificibus, quod stipendium per bellum non contulissent, [3] petebant. ab sacerdotibus tribuni nequicquam appellati, omniumque annorum, per quos non dederant, [4] exactum est. Eodem anno duo mortui pontifices, novique in eorum locum suffecti, M. Marcellus consul in locum T. Sempronii Tuditani, qui prætor in Hispania decesserat: & L. Valerius in locum M. Corne-

INTERPRETATIO.

a *Illisa ad litus naves*. b *In eo statu*.

NOTÆ.

ad Cyprum Insulam classe ab eodem exuti fuerant.

11. *Sari fluminis*.] *Sarus* hic, à Samnitico & Caramanico diversus, suprà Comana, Cappadociæ olim, posteà Armeniæ minoris urbem, ortus, in Ciliciam campestrem fluit, & per Alejum campum in sinum Issicum se exonerat, inter Cydnum Tharsi, & Pyramum Adanæ fluvios.

12. *Seleuciam redit*.] Multæ fuere ejus nominis urbes, à Seleuco ferè Nicatore conditæ: hanc in Cilicia Aspera fuisse non est ambiguum; & est *Seleucia Trachiotis*, ad Calycadnum fluvium, adhuc nomen servans, Græcis Turcisque *Seleflia*, duodecim milliaribus distans à mari, ad cujus litus priùs condita fuerat sub Hormiæ cognomine, auctore Plinio. Quòd autem redisse huc dicitur Antiochus, intelligendum est eum huc retrò navigasse, neque enim anteà illum eò venisse memoratur.

1. *Triumviri epulones*.] Initio tres tantùm fuere sacris epulis curandis præfecti volentibus Pontificibus, propter sacrificiorum multitudinem, ut Cic. loquitur 3. de Orator. Posteà septem fuerunt, ut ex Gell. lib. 1. cap. 12. & Plin. Juniore lib. 2. Epist. ad Arrianum intelligi potest.

2. *P. Manlius*.] In scriptis non paucis scriptum est *T. Romulejus*: quod nomen optimi critici observant in multis codicibus imperitiâ Librariorum irrepsisse loco *Tribuni*: unde Gronov. existimat hic scripsisse Livium, *C. Licinius Lucullus Tribunus*: Sigonius, *C. Licinius Lucullus*, deinde *P. Manlius*, qui haud dubiè inter primos triumviros epulones; nam libro 40. traditur Q. Fulvium triumvirum epulonem in locum P. Manlii esse factum, & fuit hic Manlius ex gente Manlia plebeja:

3. *Petebant*.] Pecuniam.

4. *Exactum est*.] Stipendium.

Urb. Cond. Ann. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone,

lii Cethegi. Et Q. Fabius Maximus augur mortuus est admodum adolescens; priusquam ullum magistratum caperet: nec eo anno augur in ejus locum est suffectus. Comitia inde consularia habita à M. Marcello consule. creati consules L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato. Prætores inde facti C. Fabricius Luscinus, C. Atinius Labeo, Cn. Manlius Vulso, Ap. Claudius Nero, P. Manlius, P. Porcius Læca. Ædiles curules, M. Fulvius Nobilior, & C. Flaminius, tritici decies centum millia [a] binis æris populo diviserunt: id C. Flaminii [b] honoris caussa ipsius, patrisque, advexerant Siculi Romam. Flaminius gratiam ejus communicaverat cum collega. Ludi Romani & apparati magnificè sunt, & ter toti instaurati. Ædiles plebis Cn. Domitius Ænobarbus, & Scribonius curio maximus, multos [c] pecuarios ad populi judicium adduxerunt: tres ex his condemnati sunt; ex eorum mulctaticiâ pecuniâ [5] ædem in Insula Fauni fecerunt. Ludi plebis per biduum instaurati, & epulum fuit ludorum caussa.

XLIII. L. Valerius Flaccus, & M. Porcius, quo die magistratum inierunt, de provinciis quum ad senatum retulissent, Patres censuerunt, *Quum in Hispania tantùm glisceret bellum, ut jam consulari & duce & exercitu opus esset, placere, consules Hispaniam citeriorem & Italiam provincias aut comparare inter se, aut sortiri. Utri Hispania provincia evenisset, eum duas legiones & quinque millia sociûm Latini nominis & quingentos equites secum portare, &* [1] *naves longas viginti ducere. Alter Consul duas legiones scriberet. His Galliam provinciam obtineri satis esse, fractis proximo anno Insubrum & Bojorum animis.* Cato Hispaniam, Valerius Italiam est sortitus. Prætores deinde provincias sortiti, C. Fabricius Luscinus urbanam, C. Atinius Labeo peregrinam, Cn. Manlius Vulso Siciliam, Ap. Claudius Nero Hispaniam ulteriorem, P. Porcius Læca Pisas, ut ab tergo Liguribus esset, P. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur. T. Quintio, suspectis non solum Antiocho & Ætolis, sed etiam Nabide Lacedæmoniorum tyranno, prorogatum in annum imperium est, duas legiones ut haberet. in eas si quid supplementi opus esset, consules scribere & mittere in Macedoniam

INTERPRETATIO.

a *Duobus assibus in singulos modios datis*: Gallicè *deux sous trois deniers le boisseau, les douze faisant le septier de Paris.*

b *In gratiam atque honorem tum ipsius C. Flaminii, tum patris ejus.*

c *Pecudum magistros* seu potiùs *qui pecorum negotiationem exercebant.*

NOTÆ.

5. *Ædem in insula Fauni fecerunt.*] Ædem nimirùm Fauno dicatam in insula Tiberina.

1. *Naves longas viginti.*] Longâ nave primum Jasonem navigasse auctor Philostephanus apud Plinium libro 7. cap. 56. Differunt autem *longæ naves* ab onerariis; illas remis agi solitas ad bellicum usum colligitur ex Cæsare 4. de bello Gallico, ipsoque Livio lib. 27. ubi de obsidione portûs Tarentini: *c'estoient des Galeres.*

jussi. Appio Claudio prætér legionem, quam Q. Fabius habuerat, duo millia peditum & ducentos equites novos conscribere permissum. Par numerus peditum equitumque novorum P. Manlio in citeriorem Hispaniam decretus: & legio eadem quæ fuerat sub Minucio prætore data. Et P. Porcio Lææ ad Etruriam circa Pisas duo millia peditum & quingenti equites ex Gallico exercitu decreti. In Sardinia prorogatum imperium Sempronio Longo.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porcio Catone.

XLIV. Provinciis ita distributis, consules priusquàm ab urbe proficiscerentur, ver sacrum ex pontificum jussu fecêre; quod A. Cornelius Mammula Prætor voverat, de senatûs sententia, populique jussu, Cn. Servilio, C. Flaminio consulibus; annis post uno ac viginti factum est, quàm votum. Per eosdem dies C. Claudius Ap. filius, Pulcher, augur in Q. Fabii Maximi locum, qui priore anno mortuus erat, lectus inauguratusque est. Mirantibus jam vulgò hominibus, quòd Hispania movisset bellum, negligi: literæ à Q. Minucio allatæ sunt, *Se* [1] *ad Turbam oppidum cum Budare & Besaside imperatoribus Hispanis, signis collatis prosperè pugnasse. duodecim millia hostium cæsa. Budarem imperatorem captum: cæteros fusos fugatosque.* His literis lectis, minus terroris ab Hispanis erat, unde ingens bellum exspectatum fuerat. Omnes curæ post adventum utique decem legatorum in Antiochum regem conversæ. Hi expositis priùs quæ cum Philippo acta essent, & quibus legibus data pax, non minorem belli molem restare ab Antiocho docuerunt. *Ingenti classe, egregio terrestri exercitu in Europam eum trajecisse. nisi avertisset vana spes, ex vaniore rumore orta, Ægypti invadendæ, mox bello Græciam arsuram fuisse. Neque enim ne Ætolos quidem quieturos, quum ingenio inquietam, tum iratam Romanis gentem. Hærere & aliud in visceribus Græciæ ingens malum; Nabin nunc Lacedæmoniorum, mox si liceat, universæ Græciæ futurum tyrannum; avaritiâ & crudelitate omnes famâ celebratos tyrannos æquantem. Cui si Argos velut arcem Peloponneso impositam tenere liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus, nequicquam liberatam à Philippo Græciam fore pro rege,* [2] *si nihil aliud, longinquo, vicinum tyrannum dominum habituram.*

INTERPRETATIO.

a *Cùm homines stuperent, quòd contemneretur bellum ab Hispanis motum:*

NOTÆ.

1. *Ad Turbam oppidum.*] Statum rerum Hispanicarum per hæc tempora discere possumus ex cap. 21. & 25. hujus lib. Anno superiore ulteriorem Hispaniam sortitus fuerat Q. Fabius Buteo, at citerior Q. Minucio Thermo obtigerat, à quo nunc literæ. Vnde apparet *Turbam* oppidum fuisse in citeriore provincia; sed cujus populi fuerit non satis constat: *Turbulam* invenio apud Ptolemæum in Bastitanis. Nicolaus Sanso sumit pro urbe Aragoniæ Episcopali, quæ nunc *Teruel*.

2. *Si nihil aliud.*] Vt ostendat plùs timendum libertati Græcorum à Nabide quàm à Philippo, ait, vel hoc ipso hunc

Urb. cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porcio Catone.

XLV. Hæc quum jam ab gravibus auctoribus, tum qui omnia per sesipsos explorata referrent, audirent [a] majores; [1] quod ad Antiochum attineret, maturanda his, quum rex quacunque de caussa in Syriam concessisset: de tyranno consultatio visa est. Quum diu disceptatum esset, utrum jam caussæ satis videretur, cur decerneretur, aut permitterent T. Quintio: quod ad Nabin Lacedæmonium attineret, faceret quæ è republica censeret esse, permiserunt, [b] eam rem esse rati, quæ maturata dilatave non tam magni momenti ad summam rem populi Romani esset. Magis id animadvertendum esse, quid Annibal & Carthaginienses, si cum Antiocho ortum foret bellum, acturi essent. Adversæ Annibali factionis homines principibus Romanis, amicis quisque suis, identidem scribebant, *Nuncios literasque ab Annibale ad Antiochum missas, & ab rege ad eum clam legatos venisse. Ut feras quasdam nunquam mitescere: sic immitem, implacabilem ejus viri animum esse.* [c] *marcescere* [2] *otio situque civitatem, queri eum, &* [3] *inertiâ operis; nec sine armorum sonitu, excitari posse.* Hæc probabilia memoria prioris belli, per unum illum non magis gesti, quàm moti, faciebat. Irritaverat etiam recenti facto multorum potentium animos.

XLVI. Judicum ordo Carthagine eâ tempestate dominabatur; eò maximè quòd iidem [1] perpetui judices erant. Res, fama, vitaque omnium in illorum potestate erat. qui unum ejus ordinis, idem omnes adversos habebat; nec accusator apud judices infensos deerat. [a] Horum in tam impo-

INTERPRETATIO.

a *Majores natu ex senatoribus.*

b *Cùm existimarent id ejusmodi esse, ut,* &c.

c *Scribebant Annibalem conqueri, quòd civitas Carthaginiensis otio & quasi situ marcesceret.*

a *Cùm ii sic effranatè regnum exercerent, & potentiâ suâ non ut inter cives uterentur, sed abuterentur tanquam tyranni, Annibal imperator dictus est.*

NOTÆ.

minùs metuendum, quòd longinquus esset. Itaque *si nihil aliud*, idem valet ac *quamvis nulla alia causa discriminis inter utrumque afferretur*: nempè quòd hic rex, ille tyrannus; hic paulò liberalior & humanior, ille avaritiâ & crudelitate infamis: sufficeret quòd ille è proximo immineret, Philippus longiùs abesset.

1. *Quod ad Antiochum attineret.*] Hæc verba si deleveris, clarior fiet sententia: & verò minùs probabile est Livium nostrum, qui mirus variandi artifex, bis intra alterum aut tertium versum eâdem loquendi formâ usum, *quod ad Antiochum attineret*, & statim, *quod ad Nabin Lacedæmonium attineret* alioqui adjiciendum esset aliquid, veluti *differenda*, supple consultatio visa est; vel *dilata* eo scilicet quod ad Antiochum attineret.

2. *Otio situque.*] Anteà scriptum erat: *marcescere otio tum queri civitatem eum*, quod licèt paulò intricatius videatur, non tamen adeò depravatum, quidquid velit Gelen. ut non eundem reddat sensum.

3. *Et inertiâ operis.*] Mavult Ruben. *& inertiâ sopiri*, non incommodè, ut Gronovius ait: dixit tamen Cic. pro Quintio, *inertiam laboris*.

1. *Perpetui judices erant.*] *Suffetes* dictos alibi notavimus ex Hebraico שפטים à radice שפט, quod est judicare.

tenti

tenti regno (neque enim civiliter nimiis opibus utebantur) Prætor factus Annibal, vocare ad se quæstorem. 2 a Idem pro nihilo habuit. nam & adversæ factionis erat: b & quia ex quæstura in judices, potentissimum ordinem, referebantur, jam pro futuris mox opibus animos gerebat. Enimvero indignum id ratus Annibal, viatorem ad prehendendum quæstorem misit: subductumque in concionem, non ipsum magis, quàm ordinem judicum, præ quorum superbia atque opibus nec leges quicquam essent, nec magistratus, accusavit. & ut secundis auribus accipi orationem animadvertit, & infimorum quoque libertati gravem esse superbiam eorum; legem extemplo promulgavit, pertulitque; Ut in singulos annos judices legerentur, ne quis biennium continuum judex esset. Cæterùm, quantam eo facto ad plebem inierat gratiam, tantum magnæ partis principum offendebat animos. Adjecit aliud, quo, bono publico, sibi proprias simultates irritavit. Vectigalia publica partim negligentiâ dilabebantur; c partim prædæ ac divisui principum quibusdam & magistratibus erant: quin & pecunia quæ in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur, deerat, tributumq; grave privatis imminere videbatur.

Vrb. Cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

XLVII. Annibal postquam vectigalia quanta terrestria maritimaque essent, & in quas res erogarentur, animadvertit, & quid eorum ordinarii reipublicæ usus consumerent, quantum peculatus averteret; 1 omnibus residuis pecuniis exactis tributo privatis remisso, satis locupletem rempublicam fore ad vectigal præstandum Romanis, pronunciavit in concione, & præstitit promissum. Tum verò isti, quos paverat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi & irati, Romanos in Annibalem, 2 & ipsos caussam odii quærentes, instigabant. Itaque diu repugnante Scipione Africano, quia parum ex populi Romani dignitate esse ducebat, 3 subscribere odiis accusationibusque Annibalis, & factionibus Carthaginiensium inserere pu-

INTERPRETATIO.

b *Et quoniam quæstores, post hunc magistratum solebant referri in numerum judicum (qui ordo potentissimus erat) hic quæstor, jam tum elatum habebat animum pro ratione opum & potentia, quam mox se habiturum sperabat.*

c *Partim cedebant in prædam, & dividebantur inter aliquos è primariis viris & magistratibus.*

NOTÆ.

2. *Idem pro nihilo.*] Refert ad Quæstorem: ordo tamen orationis videtur ad Annibalem, ut referatur postulare: unde non immeritò Gronovius scribendum censet, *id is pro nihilo habuit*, aut simile quid.

1. *Omnibus residuis pecuniis.*] *Residua* sunt *pecuniæ* publicæ, quæ apud aliquem ex locatione; emptione; alimentariâ ratione, aliâve causâ receptæ resederunt; sive in aliquem publicum usum acceptæ, retentæ nec erogatæ sunt.

2. *Et ipsos caussam odii.*] Cum ipsi quoque Romani prætextum odii in Annibalem quærerent.

3. *Subscribere odiis accusationibusq; An-*

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

blicam auctoritatem; nec satis habere bello vicisse Annibalem, nisi velut accusatores 4 calumniam in eum jurarent, a ac nomen deferrent; tandem pervicerunt, ut legati Carthaginem mitterentur, qui 5 apud senatum eorum arguerent, Annibalem cum Antiocho rege consilia belli faciendi inire. Legati tres missi, C. Servilius, M. Claudius Marcellus, Q. Terentius Culleo, qui quum venissent, ex consilio inimicorum Annibalis, quærentibus caussam adventûs, dici jusserunt, venisse ad controversias, quæ cum Masanissa rege Numidarum Carthaginiensibus essent dirimendas. id creditum vulgo. Annibalem unum se peti ab Romanis non fallebat; & ita pacem Carthaginiensibus datam esse, ut inexpiabile bellum adversus se unum maneret. Itaque cedere tempori & fortunæ statuit: & præparatis jam omnibus antè ad fugam, obversatus eo die in foro, avertendæ suspicionis caussâ, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus ignaris consilii est egressus.

XLVIII. Quum equi quo in loco jussi erant præsto fuissent, nocte viâ citra regionem quandam 1 Agri Vocani transgressus, postero die mane 2 inter Achollam & Tapsum 3 ad suam turrim pervenit. Ibi eum parata instructaque remigio excepit navis. ita Africâ Annibal excessit, 4 sæpiùs patriæ quàm suorum eventûs miseratus. Eo die in Cercinam insulam trajecit. ubi quum in portu naves aliquot onerarias cum mercibus invenisset, & ad egressum eum è nave concursus salutantium esset factus; percontantibus, legatum se Tyrum dici jussit. veritus tamen ne qua earum navis nocte profecta Tapsum aut Achollam nunciaret, se Cercinæ vi-

INTERPRETATIO.

a *Annibalem, quasi delato apud judices ejus nomine accusarent.*

NOTÆ.

nibalis.] Passivè hic accipe *accusationes Annibalis*, non quas in alios ipse intenderet, sed quas in ipsum intenderent alii.

4. *Calumniam in eum jurarent.*] Sumitur *Calumnia* generaliter pro injusta qualibet vexatione, & fraude: *calumniam* autem *jurare*, sive juramentum calumniæ præstare soliti erant litigatores initio litis; interposito scilicet jurejurando se non calumniandi animo litem instituere, aliisque de caussis; Scipio itaque senatui & populo exprobrat, quod tanquam privatam litem inferre velint Annibali.

5. *Apud senatum eorum.*] *Civitas* nomen est collectivum, quemadmodum *populus*: non male igitur post nomen Carthaginis, quo significantur cives Carthaginienses, subjicitur *senatus eorum* in numero multitudinis.

1. *Agri Vocani.*] Scribendum existimo, *agri Volani*: est enim *Vol* locus in Africa Propria, non procul Tunete, quem Ptolemæus lib. 4. cap. 5. memorat inter Maxulam veterem & Themisam. Ortelius tamen *Vocanum* agrum locat in ora ab Adrumeto Clupeam versus.

2. *Inter Achollam.*] Meminere *Acholla* Ptol. & Strabo in Africa Propria, inter Tapsum & Ruspas: fortè eadem quæ Hirtio *Acilla*.

3. *Ad suam turrim pervênit.*] *Annibalis Turris* ultra Tapsum Carthagine venientibus, citra Achollam fuit, in ora maris Africi orientali.

4. *Sæpiùs patriæ quàm suorum.*] Quidni, *quàm suos eventus*, ut vult Gronovius.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

sum; sacrificio apparari jusso, magistros navium mercatorésque invitari jussit: & [5] vela cum antennis [5] & navibus corrogari, ut umbra (etenim media æstas fortè erat) cœnantibus in litore fieret. Quantum res & tempus patiebatur apparatæ celebratæque ejus diei epulæ sunt: multoque vino in serum noctis convivium productum. Annibal, quum primum fallendi eos, qui in portu erant, tempus habuit, navem solvit. cæteri sopiti quum postero die tandem ex somno pleni crapulæ surrexissent, [6] id quod serum erat, aliquot horas remis in naves collocandis & aptandis armamentis, absumpserunt. Carthagine & multitudinis assuetæ domum Annibalis frequentare, concursus ad vestibulum ædium est factus; & ut non comparere eum vulgatum est, in forum turba convenit, principem civitatis quærentium, & alii fugam conscisse (id quod erat) alii fraude Romanorum interfectum, idque magis, ferebant: variosque vultus cerneres, ut in civitate aliorum alias partes foventium factionibus. Visum deinde Cercinæ eum tandem allatum est.

XLIX. Romani legati quum in senatu exposuissent, *Compertum Patribus Romanis esse, & Philippum regem antè ab Annibale maximè accensum, bellum populo Romano fecisse, & nunc literas nunciosque ab eo ad Antiochum regem profectos: haud quieturum antè, quam bellum toto orbe terrarum concisset.* [1] *Ne his debere impunè esse, si satisfacere Carthaginienses populo Romano vellent:* [2] *nihil eorum sua voluntate, nec publico consilio factum esse.* Carthaginienses responderunt, quicquid æquum censuissent Romani, facturos esse. Annibal prospero cursu [3] Tyrum pervenit: exce-

NOTÆ.

5. *Vela cum antennis & navibus corrogari.*] Desperatum hoc Gronovio: nihil tamen apertius, si quis mentem Annibalis spectet, verentis ne navis aliqua nocte proficisceretur: quod ne fieri posset nihil certius quàm ut reverà *corrogarentur*, id est, peterentur ex cunctis simul navibus vela & antennæ. Ita *corrogati dicuntur nummi*. Et à Cic. 3. ad Attic. lib. Epist. 90. *Quidam corrogati convenerunt*. Item ad Herenn. 4. *negotium dederat ut vasa, vestimenta, pueros corrogaret*. Vela autem & antennæ umbraculis ad solis ardorem repellendum faciendis accommodata esse quis non videt?

6. *Id quod serum erat.*] Nempè ad nunciandum Annibalis discessum. Fateor tamen planius futurum, si scripsisset Livius, ut Gronovio placet, *id quod quæsitum erat*, nempè ab Annibale.

1. *Ne his debere impune esse.*] *Ne* aliquando pro *nec*, *ne quidem*, ut apud nostrum lib 43. *neque enim ne his cunctationem aperuerat suam*, pro *ne his quidem*. Et Cic. 2. de Invent. *Meretrix coronam auream ne habeto*. Jam τὸ *his* refertur ad Annibalem & nuncios: pro *ne his* subjicit dubitanter Gronov. *Pœnis impunè debere esse si satisfacere populo Romano*, &c. deleto hic nomine, *Carthaginienses*, tanquam quod ab interprete intrusum fuerit.

2. *Nihil eorum suâ voluntate*]Deesse hic aliquid videtur, velut & *demonstrare*. *nihil earum rerum suâ voluntate factum esse*: nisi velis hoc responsum esse Carth.

3. *Tyrum pervenit.*] Ab Agenore Phœnicum rege condita creditur urbs *Tyrus* in Insula, quæ pòst ab Alexandro Magno juncta continenti. *Sarra* quoque dicta, & hodie *Sur*: sed eversa funditus fuit anno Christi 1292. à Sultano Ægypti: unde hodie in ruinis jacet.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

ptusque 4 à conditoribus Carthaginis, ut alia patria, vir tam clarus omni genere honorum, paucos moratus dies, 5 Antiochiam navigat. ibi profectum jam regem quum audisset, filium ejus solenne ludorum 6 ad Daphnen celebrantem convenisset: comiter ab eo exceptus, nullam moram navigandi fecit. Ephesi regem est consecutus, fluctuantem adhuc animo, incertumque de Romano bello, sed haud parvum momentum animo ejus ad moliendum, adventus Annibalis fecit. Ætolorum quoque eodem tempore alienati ab societate Romana animi sunt: quoniam legatos Pharsalum & Leucadem, & quasdam alias civitates ex primo fœdere petentes, senatus ad Quintium rejecit.

NOTÆ.

4. *A Conditoribus Carthaginis.*] A Tyriis, quorum majores Carthaginem condiderant, ut mirum non sit Annibalem Tyri tanquam in antiqua patria acceptum fuisse.

5. *Antiochiam navigat.*] *Antiochia* magna Epidaphne cognomine; ad discrimen aliarum ejusdem nominis urbium, urbs fuit, ex quatuor partibus constans, quæ & singulæ suo proprio, & omnes communi muro circumdatæ erant. Primam partem condiderat Seleucus Nicator Antigoni filius, incolis ex Antigonia traductis, quam paulò antè Antigonus Philippi filius in propinquo extruxerat. Secunda pars addita fuerat à civibus ipsis, auctâ plebis multitudine. Tertia opus fuit Seleuci Callinici. Quartam post hæc tempora adjecit Antiochus Epiphanes. Hæc urbs caput & regia Syriæ fuit, potentiâ & multitudine haud multò inferior Seleuciâ Parthorum, aut Alexandriâ Aegypti. Nunc semidiruta nomen retinet apud Christianos, *Antachia* Turcis dicitur: sub Græcis Imperatoribus *Theopolis* cognominata fuit.

6. *Ad Daphnen.*] Mediocris vicus fuit *Daphne*, ubi lucus ingens atque opacus ad Orontem fluvium, stadiis 40. distans ab Antiochia magna. In medio luci Fanum erat Apollinis & Dianæ, atque asylum, eoque ad festa celebranda conveniebant Antiochenses, & alii finitimi, auctore Stra. lib. 16.

FINIS LIBRI XXXIII.

TITI LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
LIBER XXXIV.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

LEX Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico [1] *de fingendis cultibus matronarum tulerat, cum maxima contentione abrogata est: quum Porcius Cato auctor fuisset, ne ea lex aboleretur. Is in Hispaniam profectus bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacavit. T. Quintius Flamininus bellum adversus Lacedæmonios, & Tyrannum eorum Nabidem prospere gestum, datâ iis pace, qualem ipse voluit, liberatisque Argis, qui sub ditione tyranni erant, finivit. Senatus tunc primùm secretus à populo ludos spectavit: ut id fieret, Sex. Ælius Petus, & C. Cornelius Cethegus, censores intervenerunt, cum indignatione plebis.* [2] *coloniæ pleræque deductæ sunt. M. Porcius Cato de Hispania triumphavit. Res præterea in Hispania, & adversus Bojos, & Insubres Gallos feliciter gestæ referuntur. T. Quintius Flamininus, qui Philippum Macedonum regem, & Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicerat, Græciamque omnem l.beraverat, ob hanc rerum gestarum multitudinem, triduo triumphavit. Legati Carthaginiensium nunciaverunt, Annibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. Tentaverat autem Annibal per Aristonem Tyrium, sine literis Carthaginem missum, ad rebellandum Pœnos concitare.*

N O T Æ.

1. *De stringendis cultibus matronarum.*] Sigon. ex veteri libro correxerat *de fingendis*, quam scripturam Gronovius adjuvandam ait unâ literâ, mutato scilicet g, in i, ut fit *de finiendis*. Et sanè *finire cultum matronarum* est modum finemque cultui & luxui statuere quâ ratione paulò pòst dicitur, *si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem*: & *finire* pro eodem valet ac *definire* seu *præfinire*. Sed vulgatam lectionem stare nihil prohibet, & *de stringendis*, eumdem efficit sensum ac *de finiendis*: simplex enim verbum *stringere*, sumi potest pro composito *adstringere*, aut *constringere*, seu quod idem est, *arctâre*, *comprimere*: ita rectè dicitur infrà cap.3. *quibus omnibus* (juribus) *constrictas vix tamen continere potestis*: & lib.35. cap.7. *multis fœnebribus constricta avaritia*.

2. *Colonia pleraque deducta.*] Vulgò *coloniæ plures*:

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porcio Catone.

I. INter bellorum magnorum, aut vixdum finitorum, aut imminentium curas, intercessit res parva dictu, sed quæ studiis in magnum certamen excesserit. M. Fundanius, & L. Valerius tribuni plebis ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis, Q. Fabio, Ti. Sempronio consulibus in medio ardore Punici belli, *Ne qua mulier* [1] *plus semunciâ auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur:* [2] *neu juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propiùs inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussâ, veheretur.* M. & P. Junii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur. nec eam se abrogari passuros ajebant. Adsuadendum dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum faventium adversantiumque legi complebatur. Matronæ, nulla nec auctoritate, nec verecundia, nec imperio virorum, contineri limine poterant: omnes vias urbis, aditusque in forum obsidebant: viros descendentes ad forum orantes; ut florente republicâ, crescente in dies privatâ omnium fortunâ, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Augebatur hæc frequentia mulierum indies. Nam etiam ex oppidis conciliabulisque convenerat.

II. Jam & consules prætoresque, & alios magistratus adire & rogare audebant. cæterùm minimè exorabilem alterum utique consulem M. Porcium Catonem habebant: qui pro lege, [a] quæ abrogabatur, ita disseruit: *Si in sua quisque nostrûm matrefamiliæ, Quirites, jus & majestatem viri retinere instituisset, minus cum universis fœminis negotii haberemus. nunc domi victa libertas nostra impotentiâ muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, universas horremus. equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus* [1] *in aliqua insula conjuratione muliebri ab stirpe sublatum esse.* [2] *Ab nullo genere non æquè summum periculum est; si cœtus & concilia, & secretas consultationes esse sinas. Atque ego vix statuere apud animum meum possum,*

INTERPRETATIO.

a *Quæ in eo erat, ut abrogaretur*, seu *de qua abroganda agebatur*.

NOTÆ.

1. *Plus semuncia auri.*]. Apud nos purioris auri uncia hodie tribus & quinquaginta fermè libris Franciicis aut paulò ampliùs æstimatur. Itaque Romanis matronis lex Oppia in auro vix ultra viginti & sex librarum ac dimidiæ pretium ad cultum corporis indulgebat.

2. *Nec juncto vehiculo*] Id est, nec curru, nec carpento, nec rhedâ aliove genere vehiculi, quod junctis jumentis seu bigis ageretur: lecticam igitur tantùm eis fortè concedebat, aut sellam gestatoriam.

1. *In aliqua Insula.*] In Lemno Insula maris Ægei, ubi cæteris in mares sævientibus, sola Hypsipyle patrem Thoantem servasse memoratur.

2. *Ab nullo genere.*] *Genus* hominum hic pro natione seu gente accipi videtur, ut barbari & immites populi designentur.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

utrum pejor ipsa res, b *an pejore exemplo agatur. Quorum alterum ad nos consules, reliquosque magistratus; alterum ad vos, Quirites, magis pertinet. nam utrum è republica sit, necne, id quod ad vos fertur*, c *vestra æstimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc* d *consternatio muliebris, sive suâ sponte, sive auctoribus vobis, M. Fundani, & L. Valeri, facta est, haud dubiò ad culpam magistratuum pertinens, nescio vobis, Tribuni, an consulibus magis sit deformis. vobis, si fœminas ad concitandas tribunicias seditiones jam adduxistis: nobis, si ut plebis quondam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam paulò antè per medium agmen mulierum in forum perveni. quod nisi me verecundia* 3 *singularum magis majestatis & pudoris, quàm universarum tenuisset, ne compellatæ à consule viderentur, dixissem: Qui hic mos est in publicum procurrendi & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? Istud ipsum suos quæque domi rogare non potuistis? An blandiores in publico quàm in privato, & alienis quàm vestris estis? quanquam ne domi quidem vos, si sui juris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur abrogarenturve, curare decuit. Majores nostri nullam* 4 *ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum. nos (si Diis placet) jam etiam rempublicam capessere eas patimur, & foro quoque, & concionibus, & comitiis immiscerі. Quid enim nunc aliud per vias & compita faciunt, quàm quod aliæ rogationes tribunorum plebis suadent, aliæ legem abrogandam censent? Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali*, e *& sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimum hoc eorum est, quæ iniquo animo fœminæ sibi, aut moribus aut legibus injuncta patiuntur. omnium rerum libertatem, imò licentiam (si vera dicere volumus) desiderant. quid enim* e *si hoc expugnaverint, non tentabunt?*

III. *Recensete omnia muliebria jura, quibus licentiam earum alligaverint majores nostri, per quæque subjecerint viris: quibus omnibus constrictas vix tamen continere potestis. Quid si carpere singula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini; tolerabiles vobis eas fore creditis? extemplo, simul pares esse cœperint, superiores erunt. At, Hercule, ne quid novum in eas rogetur, recusant. non jus, sed injuriam deprecantur. Imò ut quàm acce-*

INTERPRETATIO.

b *An potiùs malo more.*
c *Vestrum est judicare.*
d *Hic fœminarum tumultus.*
e *Si extorserint* & quasi per vim *obtinuerint quod postulant.*

NOTÆ.

3. *Singularum.*] Aliquarum scilicet respectus, quæ cæteris clariores ætate, natalibus, &c.

4. *Ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt.*] Id est, *sine tutore*: erant enim olim Romanæ mulieres in perpetua tutela, ut nec contrahere possent nisi tutore auctore; cum essent vel in potestate patrum, vel in tutela fratrum, quandiu innuptæ manebant; nubentes autem conventione in manum transirent in familiam & potestatem maritorum, quibus loco filiarum erant.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

pistis, jussistis suffragiis vestris legem quam usu tot annorum & experiendo, comprobastis, hanc ut abrogetis: id est, ut unam tollendo legem cæteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo quæritur, [1] *si majori parti, & in summam prodest, si quod cuiquam privatim officiet jus, id destruet ac demolietur, quid attinebit universos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audire quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum, ac vix foro se & concione abstineant. Ut captivi ab Annibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum? Procul absit, absitque semper talis fortuna reipublicæ. sed tamen quum fuit,* [2] *negastis hoc piis precibus earum. At non pietas nec solicitudo pro suis, sed religio congregavit eas.* [3] *Matrem Idæam à Pessinunte ex Phrygia venientem acceptura sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri?* [4] *Ut auro & purpurâ fulgeamus, inquit, ut carpentis festis profestisque diebus, velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis, & ereptis suffragiis vestris, per urbem vectemur: ne ullus modus sumptibus, nec luxuriæ sit.*

IV. *Sæpe me querentem de fœminarum, sæpe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam magistratuum sumptibus audistis, diversisq; duobus vitiis, avaritiâ & luxuriâ civitatem laborare: quæ pestes omnia magna imperia everterunt. Hæc ego quò melior lætiorq; in dies fortuna reipublicæ est, imperiũq; crescit: & jam in Græciam Asiamq; transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eò plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quàm nos illas. Infesta, mihi credite, signa* [1] *ab Syracusis illata sunt huic urbi. jam nimis multos audio* [2] *Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesq; &* [3] *antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.*

NOTÆ.

1 *Si majori parti & in summam prodest.*] Hic legum finis statuitur ab Aristotele.

2. *Negastis hoc piis precibus earum.*] Vide suprà cap.32.

3. *Matrem Idæam.*] Cybelen, cujus simulacrum, vel potiùs saxum, ab urbe Phrygiæ Pessinunte, non procul Idâ monte posita, translatum fuit (suprà lib.10.) & solemniter olim à matronis exceptum, quod nunc per interrogationem & ironiam dicit Cato, ut indicet horum nunc nihil agi.

4. *Ut aureo & purpura fulgeamus, inquit.*] Ita scripti & veteres editiones, non, *inquiunt*, ut Moguntini mutarunt. Est enim formula, quâ veteres scriptores utuntur in proponendis quæ adversus eorum dicta objici possunt, quasi intelligatur aliquis contradicturus, è numero scilicet adversariorum.

1. *Ab Syracusis illata sunt.*] Vult Cato victos esse Romanos, & debilitatam eorum masculam virtutem illecebris voluptatum invectis Romam à populis quos ipsi devicerant, quique luxuriæ dediti deliciis diffluebant, inter quos vel primi habebantur Syracusani. Huc pertinet quod Vellejus lib. 2. ait, *potentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit.*

2. *Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes.*] Vellejus idem lib.1. de L. Mummio loquens, qui harum elegantiarum rudis, captâ Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, jusserat prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros: non dubitat *quin magis pro Republica fuerit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quàm in tantum ea intelligi: & quin hac prudentiâ illa imprudentiâ decori publico fuerit convenientior.*

3. *Antefixa fictilia.*] *Antefixa* unico vo-

Ego

Ego hos malo propitios Deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoriâ per legatum Cineam Pyrrhus non virorum modò, sed etiam mulierum animos donis tentavit. nondum lex Oppia ad coërcendam luxuriam muliebrem lata erat: 4 *tamen nulla accepit. Quam caussam fuisse censetis? Eadem fuit, quæ majoribus nostris, nihil de hac re lege sanciendi. nulla erat luxuria, quæ coërceretur. Sicut antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: sic cupiditates priùs natæ sunt quàm leges, quæ iis modum facerent.* 5 *Quid legem Liciniam excitavit de quingentis jugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi?* 6 *Quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vectigalis jam & stipendiaria plebs esse senatui cœperat? Itaque minime mirum est, nec Oppiam, nec aliam ullam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret; quum aurum & purpuram data & oblata ultrò non accipiebant. Si nunc cum illis donis* 7 *Cineas urbem circumiret; stantes in publico invenisset quæ acciperent. Atque ego nonnullarum cupiditatum ne caussam quidem aut rationem inire possum. nam ut quod alii liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris, aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid unaquæque vestrûm veretur, ne in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parsimoniæ, vel paupertatis: sed utrumque lex vobis demit, quum id quod habere non licet, non habetis. Hanc, inquit, ipsam exæquationem non fero, illa locuples. cur non insignis auro & purpura conspicior? cur paupertas aliarum sub hac legis specie latet, ut quod habere non possunt, habituræ, si liceret, fuisse videantur? Vultis hoc certamen uxoribus vestris injicere, Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla alia possit; pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Næ, simul pudere, quod non oportet, cœperit; quod oportet, non pudebit. quæ de suo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum, & qui exoratus & qui non exoratus erit! quum quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgò alienos viros rogant, & quod majus est, legem & suffragia rogant; & à quibusdam*

Urb. Cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

NOTÆ.

cabulo dicuntur apud Festum, quæ ex opere figlino tectis affiguntur sub stillicidio. Hic simulacra significantur ex argilla, qualia apud priscos Romanos in templis fixa colebantur: quò alludit Poëta:

Quique erat in parva fictilis æde Deus.

4. *Tamen nulla accepit.*] Id testatur Varro lib. 2. de vita populi Romani: *quá abstinentiâ,* inquit, *viri mulieresque Romæ fuerint, apparet, quòd à rege munera eorum voluerit nemo accipere.*

5. *Quid legem Liciniam.*] A C. Licinio Stolone tribuno plebis lata est hæc lex de modo agrorum, ne quis plusquàm quingenta jugera agri possideret, suprà lib. 6. cap. 35. cujus auctor suâ ipse posteà lege damnatus, lib. 7. cap. 16.

6. *Legem Cinciam.*] Lata est lex Cincia muneralis, ut vocat Plautus, M. Claudio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss. Ann. Urb. Cond. 549. à M. Cincio Alimento tribuno plebis, suasore Q. Fabio Maximo, ut Cicero est auctor, lib. de senectute. Ea lege cavebatur, ne cui liceret ob causam orandam munus accipere, ut Festus tradit, & Tacit. lib. 11. Annal. cautum etiam erat ne plus ducentis aureis donare liceret, extra quàm si conjunctis personis donaretur.

7. *Cineas.*] Pyrrhi legatus;

Urb. Cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porcio Catone.

impetrant, adversus te & rem tuam, & liberos tuos inexorabiles: simul lex modum sumptibus uxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare, Quirites, futuram rem, quò fuit antequàm lex de hoc ferretur. Et hominem improbum non accusari tutius est, quàm absolvi: & luxuria non mota tolerabilior esset, quàm erit nunc, ipsis vinculis, [*] *sicut fera bestia irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo. vos quod faxitis, Deos omnes fortunare velim.*

V. Post hæc tribuni quoque plebei, qui se intercessuros professi erant, quum pauca in eandem sententiam adjecissent; tum L. Valerius [1] pro rogatione ab se promulgatâ ita disseruit: *Si privati tantùm ad suadendum dissuadendumque id quod à nobis rogatur, processissent, ego quoque quum satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra exspectassem. nunc quum vir gravissimus consul M. Porcius, non auctoritate solùm, quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiam longa & accurata insectatus sit rogationem nostram; necessum est paucis respondere. qui tamen plura verba in castigandis matronis, quàm in rogatione nostrâ dissuadendâ consumpsit: & quidem ut in dubio poneret, utrum id quod reprehenderet, matronæ suâ sponte, an nobis auctoribus fecissent. Rem defendam, non nos: in quos jecit magis hæc consul verbo tenus, quàm ut re insimularet. Cœtum & seditiones, & interdum secessionem muliebrem appellavit, quod matronæ in publico vos rogassent, ut legem in se latam per bellum temporibus duris, in pace & florente ac beatâ republica abrogaretis. Verba magna, quæ rei augendæ causâ conquirantur, & hæc & alia esse scio: & Catonem oratorem non solùm gravem sed interdum etiam trucem esse scimus omnes, quum ingenio sit mitis. Nam quid tandem novi matronæ fecerunt, quod frequentes in caussa ad se pertinente in publicum processerunt? Nunquam ante hoc tempus in publicum apparuerunt? Tuas adversus te* [2] *Origines revolvam. Accipe quoties id fecerint, & quidem semper bono publico. Jam à principio, regnante Romulo, quum* [3] *Capitolio ab Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur; nonne intercursu matrona-*

NOTÆ.

[*] *Sicut fera bestia irritata, deinde emissa.*] Scripti habent in multitudinis numero *sicut feræ bestiæ*: quod non improbaverim; sed quæ sequuntur, *irritatæ & emissæ ea*, cum Gronovio, malim in singularis nec quidquam vetat luxuriam multis feris comparari. Sic noster de Philippo lib. 33. *nosse se spiritus ejus, nosse animum ferarum, modò quæ claustris & vinculis teneantur*, &c.

1. *Pro rogatione à se promulgatâ.*] Legem intelligit, quam laturum se professus erat L. Valerius, ut Oppia abrogaretur.

2. *Origines.*] *Originum* libros composuerat M. Cato, in quibus Italicarum urbium initia accuratissimè collegisse dicitur à Dionysio Halicarn. vel quibus potiùs res gestas populi Romani exposuit, ut Verrius & Festus notant: quâ de re Cornelius Nepos in fragmento quod superest è posteriori libro de Vitis excellentium Imperatorum, exscriptus à Gerardo Vossio lib. 1. de Historicis Latinis cap. 5. Quæ sub nomine Originum Catonianarum initio superioris sæculi prodierunt ex Annii Viterbiensis officina, his nihil inficetius & minus Catone dignum Sabellicus & alii jamdiù adverterunt.

3. *Capitolio ab Sabinis capto.*] Suprà lib. 1. cap. 13.

narum inter acies duas prœlium sedatum est? Quid? regibus exactis, quum Coriolano Marcio duce [4] legiones Volscorum castra ad quintum lapidem posuissent; nonne id agmen, quo obruta hæc urbs esset, matronæ averterunt? [5] Jam urbe captâ à Gallis aurum, quo redempta urbs est, nempè matronæ consensu omnium in publicum contulerunt. Proximo bello (ne antiqua repetam) nonne & quum pecunia opus fuit, [6] viduarum pecuniæ adjuverunt ærarium; & quum Dii quoque novi ad opem ferendam dubiis rebus arcesserentur, matronæ universæ ad mare profectæ sunt [7] ad matrem Idæam accipiendam? Dissimiles, inquit, caussæ sunt. nec mihi caussas æquare propositum est. nihil novi factum, purgare satis est. Cæterum, quod in rebus ad omnes pariter viros fœminasque pertinentibus fecisse eas nemo miratus est; in caussa propriè ad ipsas pertinente miramur fecisse? Quid autem fecerunt? superbas medius fidius aures habemus, si quum domini servorum non fastidiant preces, nos rogari ab honestis fœminis indignamur.

Urb. Cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

VI. *Venio nunc ad id de quo agitur, in quo duplex consulis oratio fuit. nam & legem ullam omnino abrogari est indignatus: & eam præcipuè legem, quæ luxuriæ muliebris coercendæ caussa lata esset. Et illa communis pro legibus, visa consularis oratio est: & hæc adversus luxuriam, severissimis moribus conveniebat. Itaque periculum est, nisi quid in utraque re vani sit, docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim, quemadmodum ex his legibus [1] quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis caussa in æternum latæ sunt; nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit; sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerunque bellum abrogat: quæ in bello, pax: ut in navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt. Hæc quum ita naturâ distincta sint, ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? [2] An vetus regia lex, simul cum ipsa urbe nata? [3] An (quod secundum est) à decemviris ad condenda jura creatis in duodecim tabulis scripta? Sine qua quum majores nostri non existimarint matronale decus servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque fœminarum abro-*

NOTÆ.

4. *Legiones Volscorum.*] Lib. 2. cap. 40.

5. *Jam urbe captâ à Gallis.*] Lib. 5. c. 48.

6. *Viduarum pecuniæ adjuverunt ærarium.*] Vide suprà lib. 24. cap. 18. & hujus lib. cap. 6. Addi potest à Servio Tullio equitibus, ut equos alerent, viduas locupletiores attributas lib. 1. cap. 43.

7. *Ad Matrem Idæam.*] De Cybele Deûm matre advectâ ex Phrygia, & à matronis exceptâ, suprà lib. 29. cap. 14.

1. *Quæ perpetuæ utilitatis caussâ in æternum latæ sunt.*] Vide Sophoclem in Oedipo tyranno, & Joannem Sarisber. lib. 4. de nugis curialium, cap. 7.

2. *An vetus regia lex.*] An hæc lex, inquit Valerius, de qua agitur, ea est, quâ olim Romulo regi delata est suprema potestas?

3. *An quod secundum.*] An agitur hic lege 12. tab. quæ secundum post Regiam obtinuit auctoritatis locum, de qua lib. 3. cap. 33. & seqq.

Urb. Cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

gemus? Quis igitur nescit, novam istam legem esse, Q. Fabio, Ti. Sempronio consulibus viginti annis ante latam? sine qua quum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogatâ eâ effundantur in luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem; verendum foret, ne abrogata incitaret. cur sit autem lata, ipsum indicavit tempus. Annibal in Italia erat victor ad Cannas: jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat: ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur. defecerant socii. non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: [4] servi quibus arma darentur, ita ut pretium pro iis bello perfecto dominis solveretur, emebantur: [5] in eandem diem pecuniæ, frumentum & cætera quæ belli usus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi erant: servos ad remum, numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus: [6] aurum & argentum omne, à senatoribus ejus rei initio orto, in publicum conferebamus: viduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant: [a] cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti, & æris domi haberemus. Tali tempore in luxuria & ornatu matronæ occupatæ erant, ut ad eam coercendam lex Oppia desiderata sit, quum, quia [7] Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, senatus finiri luctum triginta diebus jussit. Cui non apparet, [8] inopiam & miseriam civitatis, quia omnium privatorum pecuniæ in usum publicum vertendæ erant, istam legem scripsisse; tandiu mansuram, quamdiu causa scribendæ legis mansisset? Nam si qua tunc, temporis caussâ, aut decrevit senatus, aut populus jussit, in perpetuum servari oportet, cur pecunias reddimus privatis? cur publica præsenti pecunia locamus? cur servi qui militent, non emuntur? cur privati non damus remiges, sicut dedimus?

VII. *Omnes alii ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum reipublicæ sentient: ad conjuges tantùm nostras, pacis & tranquillitatis*

INTERPRETATIO.

a Hæc definita erat quantitas auri, argenti, æris facti & signati, quam excedere non licebat privatis, ut quidquam ultra eam apud se retinerent.

NOTÆ.

4. *Servi quibus arma darentur.*] Vide lib. 22. cap. 57.

5. *In eandem diem pecunia, frumentum,* &c.] Significatur numerandam eodem tempore publicanis fuisse pecuniam ex ærario, ut & frumentum & alia ad bellum necessaria præberent. Est enim *dies pecuniæ*, tempus quo solvenda est pecunia debita, ut apud Cic. lib. 10. ad Atticum Epist. 5. *diem pecuniæ Idus Novembres esse*. Et lib. 8. Epist. 10. *alios non solvere, aliorum diem nondum venisse*.

6. *Aurum & argentum omne.*] Vide lib. 26. cap. 36.

7. *Cereris sacrificium.*] Lib. 22. cap. 36.

8. *Inopiam & miseriam civitatis istam legem scripsisse.*] Ita scripti optimi & veteres editiones, elegantiùs sanè quàm quod Sigonius subjecit, *ob inopiam & miseriam civitatis.* &c. *istam legem scriptam esse*. Eâdem ratione Plinius lib. 8. Epist. 18. *quò laudabilius testamentum;*

Vrb. Cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

publicæ fructus non perveniet? Purpura viri utemur,[1] *prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpurâ togis utentur, magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romæ infimo generi,*[2] *magistris vicorum, togæ prætextæ habendæ jus permittemus; nec id ut vivi solùm habeant tantum insigne, sed etiam*[3] *ut cum eo crementur mortui: fœminis duntaxat purpuræ usum interdicemus; & quum tibi viro liceat purpurâ in veste stragula uti, matremfamiliæ tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosius instratus erit, quàm uxor vestita? Sed in purpura quæ teritur, absumitur, injustam quidem, sed aliquam tamen caussam tenacitatis video: in auro vero, in quo præter manus pretium*[4] *nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? præsidium potius in eo est & ad publicos & ad privatos usus, sicuti experti estis. Nullam æmulationem inter se singularum, quando nulla haberet, esse ajebat. At, Hercule, universis dolor & indignatio est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint: quum insignes eas esse auro & purpura, quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi; tanquam in illarum civitatibus, non in sua, imperium sit. Virorum hoc animos vulnerare posset: quid muliercularum censetis, quas etiam parva movent? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica his contingere possunt. Munditiæ & ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt: his gaudent & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt majores nostri. Quid aliud in luctu, quàm purpuram atque aurum deponunt? quid quum eluxerunt, sumunt? quid in gratulationibus supplicationibusque, nisi excellentiorem ornatum adjiciunt? Scilicet, si legem Oppiam abrogaveritis, non vestri arbitrii erit, si quid ejus vetare volueritis, quod nunc lex vetat. minùs filiæ, uxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt.*[5] *Nunquam salvis suis exuitur servitus muliebris. & ipsæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum,*

NOTÆ.

quod pietas, fides, pudor scripsit. Figura est, quâ rebus attribuitur, quod personis convenit.

1. *Prætextati in Magistratibus.*] Usum purpuræ apud Romanos triplici tantùm hominum generi attribuit Valerius, Magistratibus, Sacerdotibus, pueris nobilibus. At Plinius lib. 9. cap. 36. duo addit genera, Senatores & Triumphatores, his verbis: *Distinguit ab equite curiam: Diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat, in triumphali miscetur auro. Quapropter excusata & purpuræ sit insania.*

2. *Magistris vicorum.*] Per singulos vicos creabantur è plebe cujusque viciniæ quatuor *Vico-Magistri*, sive *Magistri vicorum*, qui eorum curam gererent sub regionum curatoribus, Suetonio teste in Augusto cap. 30. Hos Vico-Magistros prætextis ornatos fuisse, cùm ludos compitalitios in honorem Deorum Larium facerent, scribit Asconius ad Cic. orat. in Pison.

3. *Ut cum eo crementur mortui.*] Alludit ad hunc morem Virgil. 6. Æneid. ubi de Miseno mortuo ait:

Purpureasque super vestes, velamina nota Conjiciunt.

4. *Nihil intertrimenti fit.*] Gallicè, *qu'il n'y ait point de dechet.*

5. *Nunquam salvis suis.*] Mulieres, cùm in perpetua suorum tutela essent, nunquam eximi è potestate poterant nisi

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

quàm in legis malunt esse. & vos in manu & tutela, non in servitio debetis habere eas: & malle patres vos aut viros, quàm dominos dici. Invidiosis nominibus utebatur modò consul; seditionem muliebrem & secessionem appellando. 6 Id enim periculum est, ne Sacrum Montem, sicut quondam irata plebs, aut Aventinum capiant. Patiendum a *huic infirmitati est, quodcunque vos censueritis. quo plus potestis, eo moderatius imperio uti debetis.*

VIII. Hæc quum contra legem proque lege dicta essent, aliquanto major frequentia mulierum postero die sese in publicum effudit, unoque agmine omnes tribunorum januas obsederunt, qui collegarum rogationi intercedebant: nec antè abstiterunt, quàm remissa intercessio ab tribunis esset. Nulla deinde dubitatio fuit, quin omnes tribus legem abrogarent. anno vigesimo post abrogata est, quàm lata. M. Porcius consul postea quàm abrogata est Oppia lex, extemplo viginti quinque navibus longis, quarum quinque sociorum erant, 1 ad Lunæ portum profectus, eodem exercitu convenire jusso, & edicto per oram maritimam misso, navibus omnis generis contractis, ab Luna proficiscens edixit, ut 2 ad portum Pyrenæi sequerentur. inde se frequenti classe ad hostes ituros. Prætervecti 3 Ligustinos montes, 4 sinumque Gallicum, ad diem quam edixerat, convenerunt, 5 inde Rhodam ventum: & præsidium Hispanorum, quod in castello erat, vi dejectum. Ab Rhoda secundo vento Emporias perventum. Ibi copiæ omnes præter socios navales, in terram expositæ.

IX. Jam tunc Emporiæ duo oppida erant muro divisa. Unum Græci habebant à Phocæa, unde & Massilienses oriundi: alterum Hispani

INTERPRETATIO.

a *Imbecillitas illarum*, (nempè mulierum) *cogit eas pati quidquid viris videtur.*

NOTÆ.

morte parentum, vel maritorum.

6. *Id enim periculum est.*] Ironicè dictum.

1. *Ad Lunæ portum.*] Etruriæ urbs & portus fuit *Luna*, ad ostia Macræ fluvii, & ad promontorium sui nominis, in Ligurum confinio, quibus hoc oppidum tribuunt Mela, & Strabo ad dextram amnis ripam constituentes. Cluverius fuisse putat, ubi nunc *Lerice*. Alii volunt in locum Lunæ excisæ successisse oppidum, quod vulgò *Sarzana*; quod probat post Blondum Holstenius, Plinii & Ptolemæi fidem secutus, qui Lunam ab Etrusca posuere Macræ ripa, ubi adhuc ingentes visuntur ruinæ civitatis *Lunensis* à Normannis deletæ: cujus rei fidem astruit, quòd adhuc circumfusus ager *il Lunegiano* dicitur.

2. *Ad Portum Pyrenæi.*] Intelligit haud dubiè *portum Veneris Pyrenæa*, qui in extrema Galliæ ora fuit ad Illiberim: hodie *Port de Vendres* in Comitatu Ruscinonensi.

3. *Ligustinos montes.*] Alpes nẽpè Liguriæ.

4. *Sinumque Gallicum.*] Mare quod Galliam Narbonensem alluit, ab ostio Rhodani ad Veneris promontorium; atque hinc ad Sardiniam, inde ad Baleares ferè insulas protensum, sinus Gallicus appellatur: hodie vulgò *Golfe de Leon*, nautis formidatus.

5. *Inde Rhodam ventum.*] Fuit quidem in Gallia Narbonensi *Rhoda* ad Rhodani ostium, hodie *Pecais*, Rhodiorum colonia. Sed hæc *Rhoda*, seu *Rhode*, de qua Livius agit, trans Pyrenæos in ora est Hispaniæ inter Illiberim & Emporias, his propior in Indigetibus, nunc *Roses*.

ſed Græcum oppidum in mare expoſitum, totum orbem muri minùs quadringentos paſſus patentem habebat: Hiſpanis retractior à mari trium millium paſſuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni ab Divo Cæſare poſt devictos Pompeji liberos adjecti. nunc in corpus unum confuſi omnes; Hiſpanis priùs, poſtremò & Græcis in civitatem Romanam aſcitis. Miraretur qui tum cerneret aperto mari ab altera parte, ab altera Hiſpanis, tam feræ & bellicoſæ genti [1] objectos, quæ res eos tutaretur: [2] diſciplina erat, cuſtos infirmitatis, quam inter validiores [a] optimè timor continet. Partem muri verſam in agros egregiè munitam habebant, una tantùm in eam regionem porta impoſita: cujus aſſiduus cuſtos ſemper aliquis ex magiſtratibus erat. nocte pars tertia civium in muris excubabant: neque moris tantùm aut legis cauſſa, ſed quanta, ſi hoſtis ad portas eſſet, ſervabant vigilias & [b] circumibant cura. Hiſpanum neminem in urbem recipiebant. ne ipſi quidem temerè urbe excedebant. ad mare patebat omnibus exitus. porta ad Hiſpanorum oppidum verſa nunquam niſi frequentes, pars tertia ferè, cujus proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Cauſſa exeundi hæc erat: commercio eorum Hiſpani [c] imprudentes maris gaudebant: mercarique & ipſi ea, quæ externa navibus inveherentur, & agrorum [3] exigere fructus, volebant. hujus mutui uſus deſiderium, ut Hiſpana urbs Græcis pateret, faciebat. Erant etiam eò [4] tutiores, quod ſub umbra Romanæ amicitiæ latebant. quam ſicut minoribus viribus, quàm Maſſilienſes, pari colebant fide. tunc quoque conſulem exercitumque comiter ac benignè acceperunt. Paucos ibi moratus dies Cato dum exploraret, ubi & quantæ hoſtium copiæ eſſent; ut ne mora quidem ſegnis eſſet, omne id tempus exercendis militibus conſumpſit. Id erat fortè tempus

Urb. cond. an. 558. Coſſ. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

INTERPRETATIO.

a *Quæ ut ſervetur, nihil meliùs efficit quàm metus.*

b *Tantâ curâ vigilias obſervabant, quantâ obſervare debuiſſent, ſi hoſtem habuiſſent ad portas.*

c *Rei maritimæ penitùs ignari.*

NOTÆ.

portu & arce nobilis in ora Catalanniæ & Ampuritano tractu.

1. *Objectos.*] Nempe Græcos in anguſto oppido, hinc Hiſpanis expoſitos, inde mari.

2. *Diſciplina erat.*] Repete ex ſuperiori, *quæ eos tutabatur.*

3. *Exigere fructus.*] Sic habent ſcripti omnes, & editi ante Gelenium, qui malebat *exhibere*: ſed *exigere fructus* vel *merces* Latinè dicitur pro eo quod nos Gallicè dicimus, *ſe défaire d'une marchandiſe*: quaſi dicas; *abigere à ſe, expellere.* Ita Columella lib. 10.

Et celebres fortis Fortunæ dicite laudes
Mercibus exactis, hilariſque recurrite in hoſtes.

Eſt enim, *mercibus exactis*, idem ac *diſtractis venditiſve*. Apud Quintilianum quoque Declam. 9. *Sacroſanctus mercator opportunum mercis exactum, puto, invenit*: ubi *exactus* haud dubiè pro venditione, *le debit.* Eademque ratione Horat. 2. Epiſt. ait.

Laudat venales qui vult extrudere merces.

4. *Tutiores.*] Græci,

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porcio Catone.

anni, ut frumentum in areis haberent. itaque redemptoribus vetitis frumentum parare, ac Romam dimissis, Bellum, inquit, seipsum alet. Profectus ab Emporiis agros hostium urit, vastatque: omnia fugâ & terrore complet.

X. Eodem tempore M. Helvio decedenti ex ulteriore Hispania cum præsidio sex millium, dato ab Appio Claudio prætore, Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Illiturgi occurrunt. Viginti millia armatorum fuisse, Valerius scribit; duodecim millia ex iis cæsa, oppidum Illiturgi receptum, & puberes omnes interfectos. Inde ad castra Catonis Helvius pervenit. & quia tuta jam ab hostibus regio erat, præsidio in ulteriorem Hispaniam remisso, Romam est profectus, & ob rem feliciter gestam ovans urbem est ingressus. [1] Argenti infecti tulit in ærarium [2] quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo: [3] & signati bigatorum septemdecim millia viginti tria; [4] & Oscensis argenti viginti millia quadringenta triginta octo. Caussa triumphi negandi senatui fuit, quòd alieno auspicio, & in aliena provincia pugnasset. Cæterùm biennio pòst redierat, quum provincia successori Q. Minuccio tradita, annum insequentem retentus ibi longo & gravi morbo fuisset. itaque duobus modò mensibus antè Helvius ovans urbem est ingressus, quam successor ejus Q. Minucius triumpharet. Hic quoque tulit [5] argenti pondo triginta quatuor millia octingenta [6] bigatorum septuaginta octo millia, & [7] Oscensis argenti ducenta septuaginta octo millia.

XI. In Hispania interim consul haud procul Emporiis castra habebat. Eò legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus unus filius erat, venerunt: quærentes, castella sua oppugnari; nec spem ullam esse resistendi, [1] nisi præsidium Romani misissent. Quina millia militum

NOTÆ.

1. *Argenti infecti.*] *Infectum* opponitur facto, quod nos dicimus, *mis en œuvre*. At *infectum* Gallicè est *l'argent en barre, ou lingot.*

2. *Quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo.*] Hæc summa nunc responderet quinquaginta tribus millibus librarum nostratium, ac prætereà trecentis quinquaginta duabus libris.

3. *Et signati bigatorum septemdecim millia viginti tria.*] Supple argenti pondo: & fient nobis 612828. libræ: alioquin dicendum esset, *septemdecim millia viginti tres*, supple bigati nummi seu denarii bigis signati: quâ ratione summa esset perexigua, nec multò major sex millibus atque octingentis libris Francicis.

4. *Et Oscensis argenti viginti millia quadringenta triginta octo.*] *Oscense* argentum ab *Osca* Ilergetum civitate (quæ nunc *Huesca* in Aragonia) dictum: quod vel ibi cusum, vel è proximis fodinis erutum; atque ibi defœcatum. Summa efficeret septingenta triginta quinque librarum millia cum septingentis sexaginta octo libris.

5. *Argenti pondo triginta quatuor millia octingenta.*] Gallicè *douze cens cinquante deux mille huit cens livres.*

6. *Bigatorum septuaginta octo millia.*] Facit numerus ut bigatorum duntaxat millia intelligam, non bigatorum libras. Erunt igitur fermè librarum Francicarum vicies centena quadraginta octo millia, cum octingentis libris. 248800.

7. *Oscensis argenti ducenta septuaginta octo millia.*] Summa ingens, centies centenum atque octo millium, Gallicè, *dix millions huit mille livres.*

1. *Nisi præsidium Romani misissent.*] Sic est in scriptis & prioribus Gelenio editio-

satis

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porcio Catone.

satis esse: nec hostes si tanta manus venisset, mansuros. Ad ea consul, *Moveri quidem vel periculo eorum vel metu dicere. Sed sibi nequaquam tantum copiarum esse, ut quum magna vis hostium haud procul absit, cum qua mox signis collatis dimicandum sibi in dies expectet, dividendo exercitum, minuere tutò vires posset.* Legati ubi hæc audierunt, flentes ad genua consulis provolvuntur. Orant: *Ne se in rebus tam trepidis deserat. Quo enim se repulsos ab Romanis ituros? nullos se socios, nihil usquam in terris aliud spei habere. Potuisse se extra id periculum esse, si [a] decedere fide, si conjurare cum cæteris voluissent. nullis minis, nullis terriculis se motos, sperantes satis opis & auxilii sibi in Romanis esse. Id si nullum sit, si sibi à consule negetur, Deos hominesque se testes facere, invitos & coactos se, ne eadem quæ Saguntini passi sunt patiantur, defecturos: & cum cæteris potius Hispanis, quàm solos perituros esse.*

XII. Et illo quidem die sic sine responso dimissi. Consulem nocte, quæ insecuta est, anceps cura agitare: nolle deserere socios: nolle minuere exercitum; quod aut moram sibi ad dimicandum, aut in dimicando periculum afferre posset. Stat sententia, non minuere copias, ne quid interim hostes inferant ignominiæ: sociis spem pro re ostentandam censet. Sæpè [1] vana pro veris, maximè in bello valuisse: & credentem se aliquid auxilii habere, perinde atque haberet, ipsa fiducia & sperando atque audendo servatum. Postero die legatis respondit, *Quanquam vereatur ne suas vires, aliis eas commodando minuat; tamen [a] illorum se temporis ac periculi magis quàm sui rationem habere. Denunciari militum parti tertiæ ex omnibus cohortibus jubet, ut cibum, quem in naves imponant, maturè coquant.* Navesque in diem tertium expediri jussit. Duos ex legatis Bilistagi atque Ilergetibus nunciare ea jubet; filium reguli comiter habendo & muneribus, apud se retinet. Legati verò non ante profecti, quàm impositos in naves milites viderunt: id pro haud dubio jam nunciantes, non suos modò, sed etiam hostes fama Romani auxilii adventantis impleverunt.

XIII. Consul [1] ubi satis quod in speciem fuit, ostentatum est, revocari ex navibus milites jubet. ipse quum jam id tempus anni appeteret, quo geri res possent; castra hiberna mille passuum ab Emporiis posuit. inde per occasiones nunc hac parte, nunc illa modico præsidio castris re-

INTERPRETATIO.

a *Fidem violare à Romanis deficiendo.*

a *Necessitatem & periculum ipsorum se proprio discrimini anteponere.*

NOTÆ.

nibus qui scripserat, *nisi præsidio miles Romanus esset.*

1. *Vana pro veris.*] Spes non ratò loco rei valet, & *multa quæ neque vera sunt neque fieri possunt, si credantur tantùm, utilitatem afferunt.* Sanè apud nostrum lib. 27. cap. 47. *Fama bellum conficit.*

1. *Ubi satis quod in speciem fuit.*] Anteà scribebant, *quod in spem fuit.* Et verò intelligi potest Catonem ostentasse Ilergetibus quantum ad spem ipsis faciendam sufficeret. Rotundius tamen vi-

Urb. Cond. an. 558. Coſſ. C. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

licto, prædatum milites in hoſtium agros educebat. Nocte fermè proficiſcebantur, ut & quàm longiſſimè à caſtris procederent, & inopinantes opprimerent, & exercebat ea res novos milites, & hoſtium magna vis excipiebatur: nec jam egredi extra munimenta caſtellorum audebant. Ubi ſatis admodum & ſuorum & hoſtium animos eſt expertus, convocari tribunos præfectoſque & equites omnes & centuriones juſſit. *Tempus*, inquit, *quod ſæpè optaſtis, venit: quo vobis poteſtas fieret virtutem veſtram oſtendendi. Adhuc prædonum magis quàm bellantium militaſtis more: nunc juſta pugna hoſtes cum hoſtibus conſeretis manus. non agros inde populari, ſed urbium opes haurire licebit. Patres noſtri*, [2] *quum Hiſpania Carthaginienſium & imperatores ibi & exercitus eſſent*, [a] *ipſi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent; tamen addere hoc in fœdere voluerunt, ut imperii ſui Iberus fluvius eſſet finis. Nunc, quum duo prætores, quum conſul, quum tres exercitus Romani Hiſpaniam obtineant, Carthaginienſium jam propè decem annis nemo in his provinciis ſit; imperium nobis citra Iberum amiſſum eſt. Hoc armis & virtute recuperetis oportet: & nationem rebellantem magis temerè quàm conſtanter bellantem, jugum quo ſe exuit, accipere rurſus cogatis.* In hunc modum maximè adhortatus, pronunciat, ſe nocte ad caſtra hoſtium ducturum. ita ad corpora curanda dimiſſi.

XIV. Mediâ nocte quum auſpicio operam dediſſet, profectus, ut locum quem vellet, priuſquàm hoſtes ſentirent, caperet; præter caſtra hoſtium circumducit, & primâ luce acie inſtructâ ſub ipſum vallum tres cohortes mittit. Mirantes barbari à tergo apparuiſſe Romanum, diſcurrêre ipſi ad arma. interim conſul apud ſuos. *Nuſquam niſi in virtute ſpes eſt, milites*, inquit, *& ego ſedulò ne eſſet, feci. inter caſtra noſtra & nos medii hoſtes. ab tergo hoſtium ager eſt. quod pulcherrimum, idem tutiſſimum eſt; in virtute ſpem poſitam habere*. Sub hæc [1] cohortes recipi jubet, ut barbaros ſimulatione fugæ eliceret. Id quod crediderat, evenit. pertimuiſſe & cedere rati Romanos, porta erumpunt: & quantum inter caſtra ſua & hoſtium aciem relictum erat loci armatis complent. [a] Dum trepidant acie inſtruendâ, conſul jam paratis ordinatiſque omnibus, incompoſitos aggreditur. equites primos ab utroque cornu in pugnam educit. ſed in dextro extemplo pulſi, cedenteſque trepidi, etiam pediti terrorem

INTERPRETATIO.

a *Ipſi, Patres noſtri* Romani ſcilicet ante nos.

a *Dum turbati aciem inſtruunt*:

NOTÆ.

detur Catonem ſatis habuiſſe auxilium in ſpeciem oſtentare, aut oſtentare per ſimulationem quantum ſatis eſſet.

2. *Cum Hiſpania Carthaginienſium*.] Supple *eſſet*; id enim ineſt ſequenti verbo pluralis numeri *eſſent*: in poteſtate ſcilicet Carthaginienſium.

1. *Cohortes recipi jubet*.] Tres nempè cohortes, quas ſub vallum hoſtium miſerat: & *recipi* pro *ſe recipere*.

Urb. Cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

intulêre. Quod ubi vidit consul, duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci jubet: & ab tergo se ostendere, priusquàm concurrerent peditum acies. is terror objectus hosti, rem metu Romanorum equitum inclinatam æquavit. tamen adeo turbati erant dexteræ alæ equites pedites que, ut [b] quosdam consul manu ipse reprehenderit, & adversos in hostem verterit. ita & quandiu missilibus pugnatum est, anceps pugna erat: & jam à dextra parte, unde terror & fuga cœperat, [c] ægrè Romanus restabat. A sinistro cornu, & a fronte urgebantur barbari: & cohortes ab tergo instantes pavidi respiciebant. [2] Ut emissis soliferreis [3] falaricisque gladios strinxerunt, tum velut redintegrata est pugna, non cæcis ictibus procul ex improviso vulnerabantur: sed pede collato, tota in virtute ac viribus spes erat.

XV. Fessos jam suos consul ex secunda acie subsidiariis cohortibus in pugnam inductis, accendit. nova acies facta. integri recentibus telis fatigatos adorti hostes primùm acri impetu velut cuneo perculerunt: deinde dissipatos in fugam averterunt: effusoque per agros cursu, castra repetebantur. Ubi omnia fuga completa vidit Cato; ipse ad secundam legionem quæ in subsidio posita erat, equo revehitur: & signa præ se ferri, plenoque gradu ad castra hostium oppugnanda [1] succedere jubet. si quis extra ordinem avidiùs procurrit, & ipse interequitans [2] sparo percutit, & tribunos centurionesque castigare jubet. Jam castra hostium oppugnabantur: saxisque [3] & sudibus & omni genere telorum summovebantur à vallo Romani. ubi recens admota legio est; tum & oppugnantibus animus crevit, & infensius hostes pro vallo pugnabant.

INTERPRETATIO.

b *Ipse Cato retraxerit manus apprehensos, verteritque in hostem.*

c *Vix resistebant Romani.*

NOTÆ.

2. *Ut emissis soliferreis.*] Genus teli fuit *soliferreum*; sic dictum, quòd esset ex solo & solido ferro, sive ferreum totum; tracto nomine ex lingua Oscorum, quibus *Sollo* dicebatur, Festo auctore, id quod Romani totum vocabant: *solon* itaque Oscis, quod Græcis ὅλον (deductum ex Hebraïco כול *col*) quemadmodum sex & septem Latinè, quæ Græcè ἕξ ἑπτά.

3. *Falaricisque.*] Diximus *Falaricam* esse telum missile quo utuntur ex Falis, id est, ex locis extructis dimicantes, ut Festus loquitur. Nonius *Falas* explicat turres ligneas. Isid. *Falaricam* telum ingens esse ait, torno factum, habens ferrum cubitale, & ignem affixum, stuppâ nempè ferro circumligatâ. Ejus hic usus erat, ex Marcello Donato, ut etiamsi non penetrasset in corpus, sed in scuto hæsisset, tamen cùm medium mitteretur, conceptumque ipso motu, inflammatâ stuppâ & pice, multò majorem ignem deferret, arma omittere cogeret, nudumque militem ad insequentes ictus præberet.

1. *Succedere jubet.*] Signa, id est, milites signa secutos.

2. *Sparo percutit.*] Agrestis teli genus erat *sparus*. Virgil. 11. Æneid.

agrestisque manus armat sparus.

3. *Et sudibus.*] Notum *sudes* appellari vallos sive paxillos igni torrefactos,

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

Consul omnia oculis perlustrat, ut qua minima vi resistitur, eâ parte irrumpat. ad sinistram portam infrequentes videt: eo secundæ legionis principes hastatosque inducit. Non sustinuit impetum eorum statio 4 quæ portæ opposita erat. & cæteri, posteaquàm intra vallum hostes vident, ipsis castris exuti, signa armaque abjiciunt. cæduntur in portis suometipsi agmine in arcto hærentes: secundani terga hostium cædunt, cæteri castra diripiunt. Valerius Antias supra quadraginta millia hostium cæsa eo die scribit. Cato ipse haud sanè detrectator laudum suarum, multos cæsos ait; numerum non scribit.

XVI. Tria eo die laudabilia fecisse putatur. unum, quòd circumducto exercitu, procul navibus suis, castrisque, ubi spem nisi in virtute haberent, inter medios hostes prœlium commisit: alterum, quod cohortes ab tergo hostibus objecit: tertium quòd secundam legionem cæteris omnibus effusis ad sequendos hostes pleno gradu sub signis compositam, instructamque subire ad portam castrorum jussit. Nihil deinde à victoriâ cessatum: quum receptui signo dato suos spoliis onustos in castra reduxisset, paucis horis noctis ad quietem datis, ad prædandum in agros duxit. Effusius ut sparsis hostibus fugâ, prædati sunt. quę res non minùs, quàm pugna pridie adversa Emporitanos Hispanos, accolasque eorum in deditionem compulit. multi & aliarum civitatum, qui Emporias perfugerant, dediderunt se. quos omnes, appellatos benignè, vinoque & cibo curatos, domos dimisit. Confestim inde castra movit: & quacumque incedebat agmen, legati dedentium civitates suas occurrebant. & quum Tarraconem venit, jam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat, captivique & Romani, & sociûm ac Latini nominis variis casibus in Hispania oppressi, donum consuli à barbaris reducebantur. Fama deinde vulgatur, consulem in Turdetaniam exercitum ducturum, & ad devios montanos profecturum, etiam falso perlatum est. Ad hunc vanum, & sine auctore ullo rumorem, 1 Bergistanorum civitatis septem castella defecerunt. eos deducto exercitu consul sine memorando prœlio in potestatem redegit. Haud ita multò post iidem, regresso Tarraconem consule, priusquàm inde quoquam procederet, defecerunt. Iterum subacti: sed non eadem venia victis fuit. sub corona veniere omnes, ne sæpiùs 2 pacem solicitarent.

INTERPRETATIO.

2 *Pacem turbarent.*

NOTÆ.

quod teli rustici genus est.

4. *Quæ porta opposita erat.*] An potiùs *apposita*, ut est in Colb.

1. *Bergistanorum civitatis septem castella.*] Civitatem dixit pro populo sive gente, quemadmodum Cæsari civitas Helvetiorum civitas Heduorum. *Bergistani* autem iidem fuisse videntur cum *Vergistanis*, quibus nomen à *Vergio* oppido Lacetanorum, de quo mox cap. 22. hodie fortè *Berga* in Catalonia & Vicaria Cerveræ: quanquam Mariana à *Berga* pago Oscæ

XVII. Interim P. Manlius prætor, exercitu vetere à Q. Minucio, cui successerat, accepto, adjuncto & Appii Claudii Neronis ex ulteriore Hispania vetere item exercitu, in Turdetaniam proficiscitur. Omnium Hispanorum maximè imbelles habentur Turdetani. freti tamen multitudine suâ obviam ierunt agmini Romano. Eques immissus turbavit extemplo aciem eorum, [a] pedestre prœlium nullius fermè certaminis fuit. milites veteres, periti hostium bellique, haud dubiam pugnam fecerunt. Nec tamen ea pugna debellatum est. decem millia Celtiberûm [1] mercede Turduli conducunt, alienisque armis parabant bellum. Consul interim rebellione Bergistanorum ictus, cæteras quoque civitates ratus per occasionem idem facturas; arma omnibus cis Iberum Hispanis ademit. quam rem adeò ægrè passi, ut multi mortem sibimetipsis consciscerent: ferox genus nullam vitam rati sine armis esse. Quod ubi consuli renunciatum est, senatores omnium civitatum ad se vocari jussit, atque iis, *Non nostra*, inquit, *magis quàm vestra refert, vos non rebellare. siquidem id majore Hispanorum malo, quàm exercitus Romani labore, semper adhuc factum est. Id ut ne fiat, uno modo arbitror caveri posse, si effectum erit* [2] *ne possitis rebellare. Volo id quàm mollissimâ viâ consequi. Vos quoque in ea re consilio me adjuvate. Nullum libentiùs sequar, quàm quod vosmetipsi attuleritis.* Tacentibus, spatium se ad deliberandum dierum paucorum dare dixit. quum revocati secundo quoque concilio tacuissent: uno die muris omnium dirutis, ad eos, qui nondum parebant, profectus, ut in quamque regionem venerat, omnes, qui circa incolebant, populos in deditionem accepit. [3] Segesticam tantùm gravem atque opulentam civitatem, vineis & pluteis cepit.

Urb. cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

INTERPRETATIO.

a *In hoc prœlio pedites Turdetani vix certarunt.*

NOTÆ.

urbi Aragonicæ finitimo, *Bergistanos* deducit: ubi forsan *Belgidum* Ptolemæi.

1. *Mercede Turduli conducunt.*] Ita Scripti & editi veteres: Sigonius ex suo codice scripsit *Turdetani*. Et sanè apparet eandem utramque gentem & Celtiberis vicinam fuisse. Sic ergo *Turdetani*, & *Turduli*, quos tanquam diversos posteà distinxerunt Plin. & Ptol. ejusdem generis fuerint populi, quorum alii ab aliis orti, quemadmodum de Samnitibus & Sabinis observatum est. Steph. certè Turdetaniæ regionis incolas *Turditanos* & *Turdulos*, imò & ex Artemidoro *Turtos* vocat: & ipse Cato in orat. de consulatu apud Charisium, *Turtam* dicit pro *Turdetania*. *Itaque porrò in Turtam proficiscor servatum illos*. Sed postquam in duas gentes divisa sunt hæc nomina, Bæticæ partem occidentalem sibi vendicarunt *Turdetani*, quorum caput *Hispalis*; orientalem ferè *Turduli*, quorum princeps urbs *Corduba*.

2. *Ne possitis rebellare.*] Postremum hoc verbum non immeritò Gronovius suspicatur non esse Livii, sed è margine irrepsisse hujus verbi iterationem.

3. *Segesticam tantùm.*] *Segestica* Insula est Pannoniæ, quà Colapis fluvius in Savum influit, juxta Sisciam, nunc *Sisaken*, in Croatia. *Segedam* fortè legendum, quam Plinius nominat inter Bætim & Oceani oram, atque cognominatam *Augurinam*. Nicolaus Sanso Turdulis attribuit, & in Cordubensi conventu locat inter Virgaonem ad occasum, & Ubedam ad ortum. Ambrosius Moralis hanc Segesticam eamdem facit cum Se-

Urb. Cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

XVIII. Eò majorem habebat difficultatem in subigendis hostibus, quàm qui primi venerant in Hispaniam: quod ad illos tædio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant; huic [1] ex usurpatâ libertate in servitutem velut asserendi erant: & ita mota omnia accepit, ut alii in armis essent, alii obsidione ad defectionem cogerentur: nec, nisi in tempore subventum tum foret, ultra sustentaturi fuerint. Sed in consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per se adiret atque ageret, nec cogitaret modò imperaretque quæ in rem essent, sed pleraque ipse [2] per se transigeret; nec in quemquam omnium graviùs severiusque, quam in semetipsum imperium exerceret; parsimoniâ & vigiliis & labore cum ultimis militum certaret; nec quicquam in exercitu suo præcipui præter honorem atque imperium haberet.

XIX. Difficilius bellum in Turdetania prætori P. Manlio Celtiberi, mercede exciti [1] ab hostibus, sicut antè dictum est, faciebant. itaque eò consul, arcessitus literis prætoris, legiones duxit. [2] Ubi eò venit (castra separatim Celtiberi & Turdetani habebant) cum Turdetanis extemplo levia prœlia, incursantes in stationes eorum Romani facere: semperque victores ex quamvis temerè cœpto certamine abire. Ad Celtiberos in colloquium tribunos militum ire consul, atque iis trium conditionum electionem ferre, jubet. Primam, si transire ad Romanos velint, & duplex stipendium accipere, quam quantum à Turdetanis pepigissent: alteram, si domos abire, publicâ fide acceptâ, nihil eam rem noxæ futuram, quòd hostibus se Romanorum junxissent: tertiam, si utique bellum placeat, diem locumque constituant, ubi secum armis decernant. A Celtiberis [a] dies ad consultandum petita. concilium im-

INTERPRETATIO.

a *Tempus postulaverunt Celtiberi ad deliberandum.*

NOTÆ.

gisa, à qua Segisenses vel Segienses populi conventûs Cesar-Augustani apud Plin. putatque ibi fuisse ubi nunc *Seges* inter Soriam, quæ olim Numantia, & Uxamam. At *Segisam* antè laudatus Sanso procul inde in Bastitanis verisimiliùs ponit ad montem Argentarium, circa *Castel-Segura*. Sanè ex tota auctoris narratione hanc ego urbem & trans Iberum, & procul à Bætica ac Turdetanis fuisse colligo: unde, quamvis fortè *Segesticam* scripserit Livius, obversante ipsius menti bellorum sui temporis Pannonicorum memoriâ: tamen *Senticam* legi oportere facilè inducor ut credam: quæ Vaccæorum urbs non ignobilis, Morali & Vasæo *Zamora*. Nicolao Sansoni est *Albade Tormes*, in regno Legionis, ejusque parte quam Terram Campestrem appellant.

1. *Ex usurpata libertate.*] Apud Jurisconsultos *usurpare* est utendo retinere, & sic interrumpere possessionem alterius. Hic autem *usurpandi* verbum sumitur pro eo quod est *uti*, ut usurpare honorem, usurpare civitatem, id est pro cive se gerere. Eo igitur sensu dixit Livius, *ex usurpatâ libertate*, id est, postquàm pro liberis diu se gesserunt.

2. *Per se transigeret.*] Ipse nimirùm perficeret sine alterius ope aut ministerio.

1. *Ab hostibus.*] Ab ipsis Turdetanis, qui Romanorum hostes.

2. *Ubi eò venit.*] In Turdetaniam.

Urb. Cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porcio Catone.

mixtis Turdetanis habitum magno cum tumultu: eò minus decerni quicquam potuit. Quum incertum bellum an pax cum Celtiberis esset; commeatus tamen haud secus quàm in pace, ex agris castellisque hostium Romani portabant: [b] perinde sæpe munimenta eorum, velut communi pacto commercio privatis induciis ingredientes. Consul ubi hostes ad pugnam elicere nequit: primum prædatum sub signis aliquot expeditas cohortes [3] in agrum integræ regionis ducit: deinde audito, [4] Seguntiæ Celtiberûm omnes sarcinas impedimentaque relicta, eò pergit ducere ad oppugnandum. Posteaquàm nulla moventur re, persoluto stipendio, non suis modò, sed etiam prætoris militibus, relictoque omni exercitu in castris prætoriis, ipse cum septem cohortibus ad Iberum est regressus.

XX. Eâ tam exiguâ manu oppida aliquot cepit. defecêre ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani. Lacetanos, deviam & sylvestrem gentem, quum insita feritas continebat in armis: tum conscientia; dum consul exercitusque Turdulo bello est occupatus, depopulatorum subitis incursionibus [1] sociorum. Igitur ad oppidum eorum oppugnandum consul ducit non Romanas modò cohortes, sed juventutem etiam meritò infensorum iis sociorum. Oppidum longum, in latitudinem haudquaquam tantundem patens habebant. quadringentos inde fermè passus constituit signa. ibi delectarum cohortium stationem relinquens, præcepit eis, ne se ex eo loco antè moverent, quàm ipse ad eos venisset. cæteras copias ad ulteriorem partem urbis circumducit. Maximum ex omnibus auxiliis numerum [2] Suessetanæ juventutis habebat. eos ad murum oppugnandum su-

INTERPRETATIO.

b *Primùm quidem Romani ex hostico liberè pabulabantur & frumentabantur: deinde intra Celtiberorum præsidia, quasi pacta essent induciæ, sæpè ingrediebantur.*

NOTÆ.

3. *In agrum integræ regionis.*] In agrum scilicet hostilem, eâ parte quæ adhuc intacta erat à populationibus.

4. *Seguntiæ Celtiberûm.*] *Seguntiam* Celtiberûm dixit Livius, distinctionis causâ, quia plura fuerunt ejusdem nominis oppida in Hispania. Hæc *Seguntia*, vel *Segontia*, quam Celtiberis noster adscribit, quia in eorum confinio sita; Plin. Arevacis (qui fortè Celtiberorum pars) tribuit; eadem videtur cum ea quæ Ptolemæo *Segortia lacta* (duobus, ni fallor, nominibus in unum per Librariorum errorem conjunctis) dicta. Arevacis etiam contribuitur, inter Uxamam & Numantiam posita hodie *Siguenza* vocatur, estque Episcopatus & Academia in utriusque Castellæ veteris & novæ confinio circa fontes Henaris amnis. Altera Saguntia Ptolemæo & Plinio, aliàs *Sarguntia* in Bætica fuit, Turdetanorum urbs: nunc pagus nomine *Gisgonza* ad Guadeleten amnem in Andalusia & regno Hispalensi. Est & tertia apud Ptolemæum in Vardulis *Segontia Paramica*, cui respondet *Segura*, vel, Sansonis judicio, *Segame* in Guipuscoa regione.

1. *Sociorum.*] Populi Romani.

2. *Suessatanæ juventutis.*] Legendum puto, *Vascitanæ*, cujus populi nomen servare videtur Arragoniæ montanæ oppidum *Viescas*, in Diœcesi Jacetana,

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

bire jubet. Quorum ubi arma signaque Lacetani cognovêre; memores quàm sæpè in agro eorum impunè persultassent, quoties ipsos signis collatis fudissent, fugassentque: patefactâ repentè porta, universi in eos erumpunt. Vix clamorem eorum, nedum impetum Suessetani tulêre: quod posteaquàm, sicut futurum ratus erat, consul fieri etiam vidit; equo citato subter murum hostium ad cohortes advehitur: atque eas arreptas, effusis omnibus ad sequendos Suessetanos, quà silentium ac solitudo erat, in urbem inducit: priusque omnia cepit, quàm se reciperent Lacetani: mox ipsos nihil præter arma habentes in deditionem accepit.

XXI. Confestim inde victor [1] ad Vergium castrum ducit. receptaculum id maximè prædonum erat: & incursiones in agros pacatos provinciæ ejus fiebant. Transfugit inde ad consulem princeps Vergestanus: & purgare se ac populares cœpit. Non esse in manu ipsis rempublicam. prædones receptos totum suæ potestatis id castrum fecisse. Consul eum domum redire, conficta aliqua probabili cur abfuisset causa, jussit. Quum se muros subisse cerneret, intentosque prædones ad tuenda mœnia esse; tum uti cum suæ factionis hominibus meminisset arcem occupare. Id uti præceperat, factum. Repentè anceps terror, hinc muros ascendentibus Romanis, illinc arce capta, barbaros circumvasit. Hujus potitus loci consul, eos qui arcem tenuerant, liberos esse cum cognatis suaque habere jussit: Vergestanos cæteros quæstori ut venderet, imperavit: de prædonibus supplicium sumpsit. Pacata provincia, vectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque, quibus tum institutis locupletior in dies provincia fuit. Ob has res gestas in Hispania, supplicationem in triduum Patres decreverunt.

XXII. Eadem æstate alter consul L. Valerius Flaccus in Gallia cum Bojorum manu propter Litanam sylvam signis collatis secundo prœlio conflixit. Octo millia Gallorum cæsa traduntur: cæteri omisso bello in vicos suos atque agros dilapsi. Consul reliquum æstatis circa Padum Placentiæ & Cremonæ exercitum habuit, restituitque quæ in iis oppidis bello diruta fuerant. Quum hic status rerum in Italia Hispaniaque esset, T. Quintio in Græcia ita hibernis actis, ut exceptis Ætolis, quibus nec pro spe victoriæ præmia contigerant, nec diu quies placere poterat, universa Græcia simul pacis libertatisque perfruens bonis, egregiè statu suo gauderet; nec magis in bello virtutem Romani ducis, quàm in victoria temperantiam justitiamque & moderationem miraretur; senatusconsultum, quo bellum adversus Nabin Lacedæmoniorum decretum

N O T Æ.

quæ Oscensi proxima.

1. *Ad Vergium castrum.*] *Vergium* vel *Bergium*, videtur esse oppidum, quod nunc quoque *Berga* appellatur in Catalonia. Bergustanos hic habet Colbertinus, ubi alii Vergistanos: notus est literarum *b* & *v* promiscuus usus apud Hispanos.

erat,

erat, affertur. Quo lecto Quintius, conventu Corinthum omnium sociarum civitatum legationibus in diem certam edicto, ubi frequentes undique principes convenerunt, ita ut ne Ætoli quidem abessent; tali oratione est usus: *Bellum adversus Philippum non magis communi animo consilioque Romani & Græci gesserunt, quàm utrique suas caussas belli habuerunt. Nam & Romanorum amicitiam, nunc Carthaginienses hostes eorum juvando, nunc hic sociis nostris oppugnandis violaverat: & in vos talis fuit, ut nobis, etiamsi nostrarum oblivisceremur injuriarum, vestræ injuriæ satis digna causa belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex vobis pendet. Refero enim ad vos, utrum* 1 *Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide occupatos pati velitis sub ditione ejus esse: an æquum censeatis nobilissimam vetustissimamque civitatem, in media Græcia sitam, repeti in libertatem, & eodem statu, quo cæteras urbes Peloponnesi & Græciæ esse. Hæc consultatio, ut videtis, tota de re pertinente ad vos est; Romanos nihil contingit, nisi quatenus liberatæ Græciæ unius civitatis servitus, non plenam nec integram gloriam esse sinit. Cæterùm si vos nec cura ejus civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne serpat latiùs contagio ejus mali,* 2 *nos æqui bonique facimus. De hac re vos consulo, staturus eò, quod plures censueritis.*

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

XXIII. Post orationem Romani imperatoris, percenseri aliorum sententiæ cœptæ sunt. Quum legatus Atheniensium quantum poterat gratiis agendis Romanorum in Græciam merita extulisset, imploratos auxilium adversus Philippum tulisse opem: non rogatos ultrò adversus tyrannum Nabin offerre auxilium; indignatusque esset hæc tanta merita sermonibus tamen aliquorum carpi futura calumniantium, quum fateri potiùs præteritorum gratiam deberent, apparebat incessi Ætolos. Igitur Alexander princeps gentis invectus primùm in Athenienses, qui libertatis quondam duces & auctores, assentationis propriæ gratiâ communem causam proderent. questus deinde, *Achæos Philippi quondam milites, postremùm ab inclinatâ ejus fortunâ transfugas, & Corinthum recepisse, & id agere, ut Argos habeant: Ætolos primos hostes Philippi, semper socios Romanorum, pactos in fædere suas urbes agrosque fore devicto Philippo, fraudari* 1 *Echino & Pharsalo*; insimulavit fraudis Romanos, *Quod vano titulo libertatis ostentato, Chalcidem & Demetriadem præsidiis tenerent: qui Philippo cunctanti deducere inde præsidia, objicere semper soliti sunt; nunquam, donec Demetrias, Chalcisque, & Corinthus, te-*

NOTÆ.

1. *Argos ..... ab Nabide occupatos.*] Tradita ei fuerat à Philipo lib. 32. cap. 38.

2. *Nos æqui bonique facimus.*] Quod ut plurimùm dicitur *æqui boni consulere*, Livius maluit, *æqui bonique facere*, id est, æquo animo accipere, vel ferre, pro bono & æquo habere. Sic Cic. 7. ad Attic. epist. 7. *tranquillissimus autem animus meus, qui totum illud æqui boni fecit.* Gallicè dicimus: *prendre en bonne part.*

1. *Echino.*] Ppthiotidis in Thessalia urbs maritima fuit *Echinus*, inter Larissam Cremasten & Phalaram suprà Maliacum sinum, cui oppositæ in Eubœa insula Athenæ Diades.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

nerentur, liberam Græciam fore. Postremò, qui remanendi in Græcia retinendique exercitus, Argos & Nabin caussam facerent, deportarent legiones in Italiam. Ætolos polliceri, aut conditionibus & voluntate sua Nabin præsidium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos in potestate consentientis Græciæ esse.

XXIV. Hæc vani loquentia primùm Aristænum prætorem Achæorum excitavit. *Ne istuc*, inquit, *Jupiter Optimus Maximus sirit, Junoque regina, cujus in tutela Argi sunt, ut illa civitas inter tyrannum Lacedæmonium & latrones Ætolos præmium sit posita in eo discrimine, ut miseriùs à nobis decipiatur, quàm ab illo capta est. Mare interjectum ab istis prædonibus non tuetur nos, T. Quinti. Quid, si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum nobis est? Linguam tantùm Græcorum habent, a sicut speciem hominum. Moribus ritibusque efferatioribus, quàm ulli barbari, immanes belluæ vivunt. Itaque vos rogamus, Romani, ut & ab Nabide Argos recuperetis; & ita res Græciæ constituatis, ut ab latrocinio quoque Ætolorum satis pacata hæc relinquatis.* Romanus, cunctis undique increpantibus Ætolos, *responsurum se fuisse iis dixit, nisi ita infensos omnes in eos videret, ut sedandi potius, quàm irritandi essent. Contentum itaque opinione eâ, quæ de Romanis Ætolisque esset, referre se dixit, quid de Nabidis bello placeret, nisi redderet Achæis Argos?* Quum omnes bellum decressent: auxilia ut pro viribus suis quæque civitates mitterent, est hortatus. Ad Ætolos legatum etiam misit: magis b ut nudaret animos, id quòd evenit, quàm spe impetrari posse.

XXV. Tribunis militum, ut exercitum ab Elatia arcesserent, imperavit. Per eosdem dies & Antiochi legatis de societate agentibus respondit, a Nihil se absentibus decem legatis sententiæ habere. Romam eundum ad senatum iis esse. Ipse copias eductas ab Elatia ducere Argos pergit. atque ei circa Cleonas Aristænus prætor cum decem millibus Achæorum, equitibus mille occurrit: & haud procul inde junctis exercitibus posuerunt castra. Postero die in campum Argivorum descenderunt: & quatuor ferè millia ab Argis locum castris capiunt. Præfectus præsidio b Laconum erat Pythagoras; gener idem tyranni, & uxoris ejus frater: qui sub adventum Romanorum & utrasque arces (nam 1 duas habent Argi) & loca alia quæ aut opportuna, aut

INTERPRETATIO.

a *Sicut homines sunt specie tenus*, duntaxat.

b *Ut consilia* Ætolorùm *detegeret, potius* (ut & fecit) *quàm quòd speraret fore ut quidquam auxilii ab eis obtineret.*

a *Non habere se copiam respondendi, & sententiam dicendi, quandiù abessent legati decem* à senatu decreti.

b *Militibus Lacedæmoniorum qui in præsidio apud Argos.*

NOTÆ.

1. *Duas habent Argi.*] Modo *Argos* in numero singulari & neutro genere, modò in numero multitudinis & genere masculino *Argi* dicuntur: estque nomen ejus urbis, quæ post Spartam seu Lacedæmonem celeberrima in Peloponneso

suspecta erant, validis præsidiis firmavit. sed inter agenda hæc, pavorem injectum adventu Romanorum dissimulare haudquaquam poterat: & ad externum terrorem, intestina etiam seditio accessit. Damocles erat Argivus, adolescens majoris animi quàm consilii, qui primò, jurejurando interposito, de præsidio expellendo cum idoneis collocutus, dum vires adjicere conjurationi studet, incautior fidei æstimator fuit. Colloquentem eum cum suis satelles à præfecto missus quum accerseret, sensit proditum consilium esse: hortatusque conjuratos qui aderant, ut potiùs quàm [c] extorti morerentur, arma secum caperent: atque ita cum paucis in forum ire pergit, clamitans, ut qui salvam rempublicam vellent, auctorem & ducem se libertatis sequerentur. Haud sanè movit quemquam, quia nihil usquam spei propinquæ, nedum satis firmi præsidii cernebant. Hæc vociferantem eum Lacedæmonii, circumventum cum suis interfecerunt. comprehensi deinde quidam & alii: ex iis occisi plures, pauci in custodiam conjecti. multi proximâ nocte funibus per murum demissi ad Romanos transfugerunt.

Urb. cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

XXVI. Quintius affirmantibus iis, si ad portas Romanus exercitus fuisset, non sine effectu futurum eum motum fuisse; & si propiùs castra admoverentur, non quieturos Argivos; misit expeditos pedites equitesque, qui [1] circa Cylarabin (gymnasium, id est, minus trecentos passus ab urbe) cum erumpentibus à porta Lacedæmoniis prœlium commiserunt, atque eos haud magno certamine compulerunt in urbem. & castra eo ipso loco, ubi pugnatum erat, imperator Romanus posuit. Diem inde unum [a] in speculis fuit, si quid novi motus oriretur. posteaquàm oppressam metu civitatem vidit, advocat concilium de oppugnandis Argis. Omnium principum Græciæ, præter Aristænum, eadem sententia erat; quum caussa belli non alia esset, [2] inde potissimùm ordiendum bellum. Quintio id nequaquam placebat, sed Aristænum contra omnium consensum differentem, cum haud dubiâ approbatione audi-

INTERPRETATIO.

c *Morerentur inter tormenta.* a *Speculando expectavit.*

NOTÆ.

fuit, & ab Homero cognominatur Achaïcum & plerunque Hippium vel Hippoboton, id est, equestre seu equorum alumnum, ut distinguatur ab aliis Argis, ut à Pelasgico in Thessalia, Amphilochico in Epiro, Orestico in Macedoniæ & Epiri confinio. Sumitur aliquando *Argos* apud eundem Poëtam pro regione, sive Thessalia, sive Græcia universa.

1. *Circa Cylarabin.*] An à Cylarabi aut Cyllabaro Stheneli filio Argivorum rege nomen acceperat hoc gymnasium sive locus exercitationis causâ comparatus?

2. *Inde potissimùm ordiendum bellum.*] In manu exaratis scriptum ferè est *ordiendi belli*, quod refertur ad superiora: *principum sententiæ erat ordiendi belli*: quo genere loquendi usus est sæpiùs Cicero, ut pro Sextio: *superioris anni reipublicæ naufragium*. Et lib. 10. ad famil. epist. 3. *maximâ orbitate reipublicæ talium virorum*. Et apud Cæsar. 1. de bello civ. *potentium ostentatio sui*. Ita Vellejus lib. 1. cap. 4. *ut mos est hominum parvula initia*

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

vit. & ipse adjecit, *quum pro Argivis adversus tyrannum bellum susceptum sit, quid minus conveniens esse, quàm omisso hoste Argos oppugnari? Se verò caput belli Lacedæmonem & tyrannum petiturum*. Et dimisso concilio, frumentatum expeditas cohortes misit. Quod maturi erat circa, demessum & convectum est. viride, ne hostes mox haberent, protritum & corruptum. Castra deinde movit, & 3 Parthenio monte superato, 4 præter Tegeam tertio die 5 ad Caryas posuit castra. Ibi priusquàm hostium intraret agrum, sociorum auxilia exspectavit. Venerunt Macedones à Philippo mille quingenti, & Thessalorum equites quadringenti. nec jam auxilia, quorum affatim, sed commeatus finitimis urbibus imperati morabantur Romanum. Navales quoque magnæ copiæ conveniebant. Jam ab Leucade Lucius Quintius cum quadraginta navibus venerat: jam Rhodiæ decem & octo tectæ naves: jam Eumenes res circa Cycladas insulas erat cum decem tectis navibus, triginta lembis, mixtisque aliis minoris formæ navigiis. ipsorum quoque Lacedæmoniorum exules permulti tyrannorum injuriâ pulsi, spe recuperandæ patriæ in castra Romana convenerant. Multi autem erant jam per aliquot ætates, 6 ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem alii ab aliis pulsi. Princeps erat exulum Agesipolis, cujus jure gentis regnum Lacedæmone erat: pulsus infans ab Lycurgo tyranno post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedæmone fuit.

XXVII. Quum terrâ marique tantum belli circumstaret tyrannum & prope nulla spes esset vires suas hostiumque æstimanti, non tamen omisit bellum: sed & à Creta mille delectos juventutis eorum excivit, quum mille jam haberet: & tria millia mercenariorum militum, decem millia popularium cum castellanis agrestibus in armis habuit:

N O T Æ.

pertinaci studio prosequendi.

3. *Parthenio monte superato.*] Arcadiæ mons est *Parthenius* in Argolidis confinio, inter Argos & Tegeam: ita fortè appellatus, quòd virgines, quæ παρθένοι sacra in eo facere solitæ.

4. *Præter Pegeam*.] Urbs Arcadiæ fuit *Tegea* ex novem pagis conflata, ubi sepultus Orestes. Tegæa Ptolemæo nòn procul Mantinea.

5. *Ad Caryas.*] *Caryam* Lyciæ oppidum invenio apud Ptolemæum: at hæ *Cariæ* in Laconia locantur à Sansone & Laurembergio: Livius tamen videtur in Arcadiæ finibus locasse; quandoquidem ibi Quintium Lacedæmoniis bellum inferentem, ait, Castra ad Caryas habuisse, priusquàm hostium intraret agrum. Sed non in ipso oppido, verùm ad millia passuum aliquot castra habere potuit.

6. *Ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem.*] Extincto Cleomene primus Lacedæmone, coactâ electione, tyrannidem regni titulo invasit Lycurgus Olympiade 140. circa annum Romæ conditæ 538. Hunc secuti Machanidas, & Nabis, sublato Pelope puero, Lycurgi ultimi filio. Ab initio itaque tyrannidis vix viginti anni ad hunc L. Valerii & M. Catonis consulatum fluxerant. Non itaque plures ætates ex eo tempore numerandæ: siquidem ætas seu generatio triginta annis æstimari solet. Verùm & Cleomenes ipse ante annos fermè quadraginta, etsi è regum sanguine, multa tyrannicè patrarat; & ante illum Ephori in Agidem regem ejusque familiam indignè ac plusquam tyrannicè sævierant.

& foſſâ valloque urbem communivit. & ne quid inteſtini motus oriretur, metu & acerbitate pœnarum tenebat animos. Quoniam ut ſalvum vellent tyrannum, ſperare non poterat, quum ſuſpectos quoſdam civium haberet; eductis in campum omnibus copiis, 1 (Dromon ipſi vocant) poſitis armis ad concionem vocari juſſit Lacedæmonios, atque eorum concioni ſatellites armatos circumdedit. & pauca præfatus, *Cur ſibi omnia timenti caventique ignoſcendum in tali tempore foret: & ipſorum referre, ſi quos ſuſpectos ſtatus præſens rerum faceret, prohiberi potiùs ne quid moliri poſſint, quàm puniri molientes. Itaque quoſdam ſe in cuſtodia habiturum, donec ea quæ inſtet tempeſtas prætereat. Hoſtibus repulſis (à quibus, ſi modò proditio inteſtina ſatis caveatur, minus periculi eſſe) extemplo eos emiſſurum.* Sub hæc citari nomina octoginta fermè principum juventutis juſſit. atque eos, ut quiſque ad nomen reſponderat, in cuſtodiam tradidit: nocte inſequenti omnes interfecti. 2 Ilotarum deinde quidam (hi ſunt jam inde antiquitùs caſtellani, agreſte genus) transfugere voluiſſe inſimulati, per omnes vicos ſub verberibus acti necantur. hoc terrore 3 obſtupuerant multitudinis animi ab omni conatu novorum conſiliorum. Intra munitiones copias continebat, nec parem ſe ratus, ſi dimicare acie vellet: & urbem relinquere tam ſuſpenſis & incertis omnium animis metuens.

Urb. cond. ann. 558. Coſſ. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

XXVIII. Quintius ſatis jam omnibus paratis profectus ab ſtativis, die altero ad 1 Sellaſiam ſuper Oenunta fluvium pervenit: quo in loco Antigonus, Macedonum rex, cum 2 Cleomene Lacedæmoniorum tyranno, ſi-

N O T Æ.

1. *Dromon ipſi vocant.*] *Dromos* propriè Curſum ſignificat: hîc ſpecialiter ſumitur pro campo ubi juventus Spartana curſu, luctâ, &c. exercebatur extra urbem, quemadmodum Romana in campo Martio.

2. *Ilotarum.*] Apud Spartanos Εἵλωτες appellabantur Laconiæ regionis incolæ ruſticani qui ſervorum erant loco. Sub Heraclidarum adventum in ſocietatem accepti fuerant: brevi pòſt ab Agide rege coacti ſunt Lacedæmoniis tributum pendere. Sed cùm, reliquis obtemperantibus, rebellaſſent qui urbem Helos tenebant; perdomiti ac ſervituti addicti ſunt, ut ſcribit Strabo, eâ lege, ut ejuſmodi ſervos neque libertate donare, neque extra fines vendere liceret. Eos ajunt primos *Ilotas* dictos fuiſſe, deinde ipſis adjunctos Meſſenios poſtquam à Lacedæmoniis ſubacti ſunt. Magnam illorum partem Cleomenes ſervituti exemerat. Et poſterioribus temporibus octodecim oppida ab ejuſmodi jugo liberavit Auguſtus: unde Eleutherolacones dicti.

3. *Obſtupuerant multitudinis animi ab omni conatu.*] Ellipſis eſt. Vult enim eos adeo attonitos ac ſtupefactos fuiſſe, ut ab omni rerum novandarum cogitatione penitus abhorrerent.

1. *Ad Sellaſiam.*] Mediterraneum Laconiæ oppidum fuit *Sellaſia*, Cleomenis clade nobilitatum.

2. *Cleomene Lacedæmoniorum tyranno.*] Hic Cleomenes, tertius ejus nominis, & poſtremus Spartanorum rex ex Heraclidarum Euryſthenidarum ſtirpe, tyrannus vocatur, tum quòd peregrinâ matre contra patrias leges natus eſſet, tum quòd pleraque per vim adminiſtraſſet ſublatis è medio Ephoris: victus ab Antigono, Macedoniæ rege, in Ægyptum fugit, ubi tumultum excitare au-

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

gnis collatis dimicasse dicebatur. inde, quum audisset 3 ascensum difficilis & arctæ viæ esse, brevi per montes circuitu præmissis qui munirent viam, lato satis & patente limite 4 ad Eurotam amnem sub ipsis propè fluentem mœnibus, pervenit. ubi castra metantes Romanos Quintiumque ipsum cum equitibus atque expeditis prægressum a auxiliares tyranni adorti, in terrorem ac tumultum conjecerunt, nihil tale expectantes: quia nemo his obvius toto itinere fuerat, ac veluti pacato agro transierant. Aliquandiu peditibus equites, equitibus pedites vocantibus, quum in se cuique minimum fiduciæ esset, trepidatum est. tandem signa legionum supervenerunt: & quum primi agminis cohortes inductæ in prœlium essent; qui modò terrori fuerant, trepidantes in urbem compulsi sunt. Romani quum tantùm à muro recessissent ut extra ictum teli essent, acie directâ paulisper steterunt. Posteaquàm nemo hostium contra exibat; redierunt in castra. Postero die Quintius propè flumen præter urbem sub ipsas 5 Menelaii montis radices ducere copias instructas pergit. primæ legionariæ cohortes ibant: levis armatura & equites agmen cogebant. Nabis intra murum instructos paratosque sub signis habebat mercenarios milites, in quibus omnis fiducia erat; ut ab tergo hostem aggrederetur. posteaquàm extremum agmen præteriit, tum ab oppido, eodem quo pridie eruperant tumultu, pluribus simul locis erumpunt. App. Claudius agmen cogebat: qui ad id quod futurum erat, ne inopinatum accideret, præparatis suorum animis; signa extemplo convertit, totumque in hostem agmen circumegit. Itaque velut rectæ acies concurrissent, justum aliquandiu prœlium fuit. tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt. quæ minus infida ac trepida fuisset, ni Achæi locorum prudentes institissent. hi & cædem ingentem ediderunt, & dispersos passim fugâ plerosque armis exuerunt. Quintius 6 prope Amyclas posuit castra. inde quum perpopulatus omnia circumjecta urbi frequentis & amœni agri loca esset, nullo jam hostium portâ excedente, movit ca-

INTERPRETATIO.

a Cretenses, *qui inter auxiliares Nabidis.*

NOTÆ.

sus in Ptolemæum Philopatora, ejus jussu interfectus est.

3. *Ascensum difficilis & arctæ viæ esse.*] Reg. Cod. qui fuit Naudæi, habet, *accessum difficilem & arctas vias esse:* Colb. unus *accessum difficilis & arctæ viæ esse,*

4. *Ad Eurotam amnem.*] A Stymphalo Arcadiæ monte, non procul Alphei fontibus ortus *Eurotas*, per Laconiam fluens, Spartam alluit, atque in sinum Laconicum exit. Hodie *Basilipotamo*, alio nomine dictus quondam *Neris*, unde adhuc accolis *Iris*, ut Niger testatur.

5. *Menelaii montis radices.*] Arcadiæ mons seu collis potiùs est *Menelajus* ad Laconiæ limites: ad quem locus quoque vel regiuncula ejusdem nominis ex Polybio.

6. *Propè Amyclas.*] Ad lævam Eurotæ paulò infrà Lacedæmonem fuit urbs

ſtra ad flumen Eurotam. inde vallem 7 Taygeto ſubjectam, agroſque ad mare pertinentes evaſtat. Urb. cond. an. 558. Coſſ. L. Valer. Flacc. & M. Porcio Catone.

XXIX. Eodem ferè tempore L. Quintius maritimæ oræ oppida, partim voluntate; partim metu aut vi recepit. certior deinde factus 1 Gythium oppidum, omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum eſſe; nec procul à mari caſtra Romana abeſſe; omnibus id copiis aggredi conſtituit. Erat eo tempore valida urbs, & multitudine civium incolarumque, & omni bellico apparatu inſtructa. In tempore Quintio rem haud facilem aggredienti, Rex Eumenes & claſſis Rhodiorum ſupervenerunt. ingens multitudo navalium ſociorum è tribus contracta claſſibus intra paucos dies omnia, quæ ad oppugnationem urbis terrâ marique munitæ facienda opera erant, effecit. Jam teſtudinibus admotis murus ſubruebatur: jam arietibus quatiebatur. Itaque una crebris ictibus everſa eſt turris; quodque circa muri erat, caſu ejus proſtratum: & Romani ſimul à porta, unde aditus planior erat, a ut diſtenderent ab apertiore loco hoſtes; ſimul per patefactum ruinâ iter irrumpere conabantur. nec multùm abfuit, quin, qua intenderant, penetrarent. ſed tardavit impetum eorum ſpes objecta dedendæ urbis, mox deinde eadem turbata. Dexagoridas & Gorgopas pari imperio præerant urbi. Dexagoridas miſerat ad legatum Romanum traditurus urbem. & quum ad eam rem tempus & ratio conveniſſet, à Gorgopa proditor interficitur. intentiuſque ab uno urbs defendebatur: & difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius cum quatuor millibus delectorum militum ſuperveniſſet. Is quum b ſupercilio haud procul diſtantis tumuli ab urbe inſtructam aciem oſtendiſſet, & ex altera parte L. Quintius ab operibus ſuis terrâ marique inſtaret; tum verò deſperatio Gorgopam quoque coëgit id conſilii, quod in altero morte vindicaverat, capere: & pactus ut abducere inde milites, quos præſidii causâ habebat, liceret, tradidit Quintio urbem. Priuſquam Gythium traderetur, Pythagoras præfectus Argis relictis, tradita cuſtodia urbis Timocrati Pellenenſi, cum mille mercenariis militibus, & duobus millibus Argivorum, Lacedæmonem ad Nabin venit.

INTERPRETATIO.

a *Ut obſeſſos diſtraherent à* defendenda *ruina quâ aperti erant muri*.

b *In vertice collis vicini*.

NOTÆ.

Amyclæ, ad Taygeti montis radices, quapropter *Taygeta* quoque eſt appellata, & quondam *Limna*, Caſtoris & Pollucis natalibus clara, nunc *Vordona*, teſte Nigro. Alia fuit in Auruncis Latii novi populis urbs maritima eodem nomine, ad quam pertinet adagium, *Amyclas ſilentium perdidit*.

7. *Taygeto ſubjectam*.] Laconiæ mons *Taygetus*, vel plurali numero *Taygeta*, ſuprà Tænarum fuit, non longè à mari, vulgò *Maina*, & accolæ *Mainope*.

1. *Gythium oppidum*.] Ad ſinum Laconicum fuit *Gythium*, ſive *Gytheon* portus tutiſſimus & navale Lacedæmoniorum, ubi olim incenſæ fuerant eorum

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porcio Catone.

XXX. Nabis sicut primo adventu Romanæ classis, & traditione oppidorum maritimæ oræ conterritus erat, sic [1] parvâ spe quum acquievisset, Gythio ab suis retento; postteaquàm id quoque traditum Romanis audivit esse; quum ab terra, [2] omnibus circa hostium, nihil spei esset; à mari quoque toto se interclusum; cedendum fortunæ ratus, caduceatorem primùm in castra misit ad explorandum, si paterentur legatos ad se mitti. qua impetrata re, Pythagoras ad imperatorem venit, nullis cum aliis mandatis, quàm ut tyranno colloqui cum imperatore liceat. Concilio advocato, quum omnes dandum colloquium censuissent, dies locusque constituitur. In mediæ regionis tumulos modicis copiis sequentibus quum venissent, relictis ibi in statione conspecta utrinque cohortibus, Nabis cum delectis custodibus corporis, Quintius cum fratre & Eumene rege, & Sosilao Rhodio, & Aristæno Achæorum prætore, tribunisque militum paucis descendit.

XXXI. Ibi [a] permisso, ut, seu dicere priùs, seu audire mallet, ita cœpit tyrannus: *Si ipse per me, T. Quinti, vosque qui adestis, causam excogitare, cur mihi aut indixisetis bellum, aut inferretis, possem; tacitus eventum fortunæ meæ expectassem. nunc imperare animo nequivi, quin priusquàm perirem, cur periturus essem scirem. Et hercule, si tales essetis, quales esse Carthaginienses fama est, apud quos nihil societatis fides sancti haberet; in me quoque vobis quid faceretis minus pensi esse non mirarer. Nunc cùm vos intueor, Romanos esse video, qui rerum divinarum fœdera, humanarum fidem socialem sanctissimam habeatis. Quum me ipse respexi,* [b] *eum esse spero, cui & publicè sicut cæteris Lacedæmoniis, vobiscum vetustissimum fœdus sit: & meo nomine privatim amicitia ac societas, nuper Philippi bello renovata. At enim ego eam violavi & averti quod Argivorum civitatem teneo.* [1] *Quomodo hoc tuear? Re, an tempore? Res mihi duplicem defensionem præbet. nam & ipsis vocantibus ac tradentibus urbem eam accepi, non occupavi. & accepi, quum Philippi partium, non in vestra societate esset.* [c] *Tempus autem eo me liberat, quod quum jam Argos*

INTERPRETATIO.

a *Cum* Nabidi *optio data esset, utrum mallet* eligendi, *ut vel ipse prior verba faceret*, vel *audiret* loquentem Quintium.

b *Confido & censeo me illum esse qui*, &c.

c *At tempus* quo Argos accepi, à violati fœderis criminatione idcircò *me absolvit, quòd*, &c.

NOTÆ.

naves à Tolmide Atheniensi duce, nunc *Palæopoli* Nigro.

1. *Parvâ spe quum acquievisset.*] Gall. *après s'estre repû de quelque legere esperance, tandis que ses gens seroient encore maistres de Gythion.*

2. *Omnibus circa hostibus.*] Au cùm omnes hostes circa urbem essent, Romani Achæi, Asiani cum Eumene, & Rhodii: an potius legendum *omnibus circa hostilibus*, ut Gronovio visum?

1. *Quomodo hoc tuear?*] Antiphrasis

haberem,

haberem, societas mihi vobiscum convenit: & ut vobis mitterem ad bellum auxilia, non ut Argis præsidium deducerem, pepigistis. At, hercle, in ea controversia, quæ de Argis est, superior sum, & æquitate rei, quod non vestram urbem, sed hostium: quod volentem, non vi coactam accepi: & vestrâ confessione, quod in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Cæterùm 2 *nomen tyranni* 3 *& facta premunt, quod servos ad libertatem voco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc respondere possum: me qualiscumque sum, eundem esse, qui fui, quum tu ipse mecum, T. Quinti, societatem pepigisti. Tum me regem appellari à vobis memini: nunc tyrannum vocari video. Itaque si ego nomen imperii mutassem, mihi meæ inconstantiæ; quum vos mutetis, vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitudinem servis liberandis auctam, & egentibus divisum agrum attinet; possum quidem & in hoc me jure temporis tutari. Jam feceram hæc, qualiacumque sunt, quum societatem mecum pepigistis, & auxilia in bello adversum Philippum accepistis. Sed si nunc ea fecissem, non dico, quid in eo vos læsissem, aut vestram amicitiam violassem? sed illud, me more atque instituto majorum fecisse. Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt. Nihil comparare singula necesse. vos à censu equitem, à censu peditem legitis: & paucos excellere opibus, plebem subjectam esse illis vultis.* 4 *Noster legumlator non in paucorum manu rempublicam esse voluit, quem vos senatum appellatis: nec excellere unum aut alterum ordinem in civitate:* 5 *sed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit, ut multi essent, qui arma pro patria ferrent. Pluribus me peregisse,* 6 *quàm pro patriæ sermone brevitatis fateor. Et breviter peroratum esse potuit; Nihil me, posteaquàm vo-*

Vrb. Cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

N O T Æ.

est & ironica interrogatio. Vult enim eam rem facilè à se defendi posse.

2. *Nomen tyranni.*] Idem initio valuisse *tyranni* ac regis nomen cuivis notum: posteà in odium vertit, & tyrannum à rege aliter Aristoteles, aliter Polybius distinguit. Ex Cornelii Nepotis sententia in Miltiade, ille propriè *tyrannus* est, qui in civitate libera imperium sibi per vim & contra leges arrogat.

3. *Et facta premunt,*] *Premendi* verbum de reis sæpè dicitur, pro eo quod est *urgere, obesse*. Tac. 3. Annal. *Non temperante Tiberio quin premeret* (Silanum) *voce, vultu*, &c. sic apud Plinium Secund. lib. 1. epist. 11. *quem, ut premebat atrocitas criminis, ita peracta damnationis miseratio tuebatur*

4. *Noster legumlator.*] *Lycurgus* Eunomi filius, ex Proclidarum sive Eurypontidarum stirpe (tritum enim duas fuisse Heraclidarum simul apud Spartanos regnantium familias.) Is Charilai fratris filii tutelam gerens, Laconibus leges sine scripto tulit. Inter alia instituta seu dictata, ad severitatem & militarem animi magnitudinem composita, duo in primis sanxerat, agri totius æqualem inter omnes cives divisionem, & ne urbs mœnibus muniretur, sed civium animis atque pectoribus.

5. *Sed per æquationem fortunæ ac dignitatis,* &c.] Regii duo & Colb. habent, *peræquationem fore ad dignitates credidit:* quod hunc sensum ferre potest, *æqualitatem usui futuram* seu *valituram* ad hoc *ut dignitates & munera publica meliùs administrarentur.*

6. *Quàm pro patria sermone brevitatis.*] Proverbio locum fecit Laconica brevitas. Non secundùm hunc morem se loquutum agnoscit Nabis.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

biscum amicitiam institui, cur ejus vos pœniteret, commisisse.

XXXII. Ad hæc Imperator Romanus: *Amicitia &* [1] *societas nobis nulla tecum,* [2] *sed cum Pelope rege Lacedæmoniorum justo ac legitimo facta est. Cujus jus tyranni quoque, qui posteà per vim tenuerunt Lacedæmone imperium (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) usurparunt; sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti. Nam quid minus conveniret quàm nos, qui pro libertate Græciæ adversus Philippum gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam? & tyranno, quàm qui unquam, sævissimo & violentissimo in suos? nobis verò, etiamsi Argos nec cepisses per fraudem, nec teneres, liberantibus omnem Græciam, Lacedæmon quoque vindicanda in antiquam libertatem erat, atque in leges suas: quarum modò, tanquam æmulus Lycurgi, mentionem fecisti. An, ut ab Jasso & Bargyliis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis: Argos & Lacedæmonem, duas clarissimas urbes, lumina quondam Græciæ, sub pedibus tuis relinquemus: quæ titulum nobis liberatæ Græciæ servientes deforment? At enim cum Philippo Argivi senserunt. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. Satis compertum habemus, duorum, aut summùm trium in ea re, non civitatis culpam esse: tam hercle, quàm in te tuoque præsidio arcessendo accipiendoque in arcem, nihil sit publico consilio actum. Thessalos, & Phocenses & Locrenses, consensu omnium scimus partium Philippi fuisse. tamen quum cæteram liberavimus Græciam, quid tandem censes in Argivis, qui insontes publici consilii sint, facturos? Servorum ad libertatem vocatorum, & egentibus hominibus agri divisi crimina tibi objici dicebas. non quidem nec ipsa mediocria: sed quid ista sunt præ iis, quæ à te tuisque quotidie alia super alia facinora eduntur? Exhibe liberam concionem vel Argis, vel Lacedæmone, si audire juvat vera* [3] *dominationis impotentissimæ crimina. Ut omnia alia vetustiora omittam, quam cædem Argis Pythagoras iste gener tuus penè in oculis meis edidit? quam tu ipse, quum jam propè in finibus Lacedæmoniorum essem? Agedum, quos in concione comprehensos, omnibus audientibus civibus tuis, in custodia te habiturum esse pronunciasti; jube vinctos produci, ut miseri parentes, quos falsò lugent, vivere sciant.* [4] *Enim ut jam ita sint hæc, quid ad vos, Romani? Hoc tu dicas liberantibus Græciam? hoc iis, qui ut liberare possent, mare trajecerunt, terrâ marique gesserunt bel-*

NOTÆ.

1. *Societas nobis nulla tecum.*] Nabis tamen post prius cum T. Quintio colloquium sexcentos Cretenses Romanis miserat, auxilium adversus Philippum; & inducias cum Achæis fecerat: sed mota eo colloquio disceptatio de Argis sine exitu fuerat. Suprà lib. 32. cap. 39. & 40.

2. *Sed cum Pelope.*] De hoc Lycurgi tyranni filio puero, vide Polybium lib. 4. & Diodori excerptâ lib. 23. apud Henr. Vales.

3. *Dominationis impotentissima crimina.*] Nabidis crudelissima & indignissima in Lacedæmonios & Argivos facinora, præterquam quòd ex parte referuntur lib. 31. cap. 25. lib. 32. cap. 40. atque hujus libri cap. 27. describuntur à Polybio lib. 13. & Plut. in T. Quintio.

4. *Enim ut ita sint hæc,*] *Enim* pro *et* e,

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

lum? Vos tamen, inquis, vestramque amicitiam ac societatem propriè non violavi. Quoties vis te id arguam fecisse? Sed nolo pluribus: summam rem complectar. Quibus igitur amicitia violatur? Nempè his duabus rebus maximè, si socios meos pro hostibus habeas: si cum hostibus te conjungas. [5] *Utrum non à te factum est? nam &* [6] *Messenen uno atque eodem jure fœderis,* [7] *quo & Lacedæmonem in amicitiam nostram acceptam, socius ipse sociam nobis urbem vi atque armis cepisti: & cum Philippo hoste nostro, non societatem solùm, sed, si Diis placet, affinitatem etiam per Philoclem præfectum ejus pepigisti: & bellum adversum nos gerens, mare circa Maleam infestum navibus piraticis fecisti: & plures propè cives Romanos, quàm Philippus, cepisti atque occidisti: tutiorque Macedoniæ ora, quàm promontorium Maleæ commeatus ad exercitus nostros portantibus navibus fuit. Proinde Parcesis fidem ac jura societatis jactare, & omissâ populari oratione, tanquam tyrannus & hostis loquere.*

XXXIII. Sub hæc Aristænus, nunc monere Nabin, nunc etiam orare, ut dum liceret, dum occasio esset, sibi, ac fortunis suis consuleret. Referre deinde nominatim tyrannos civitatum finitimarum cœpit: qui deposito imperio, restitutâque libertate suis, non tutam modò, sed etiam honoratam inter cives senectutem egissent. His dictis invicem, auditisque, nox propè diremit colloquium. Postero die Nabis Argis se cedere ac deducere præsidium, quando ita Romanis placeret, & captivos perfugas redditurum dixit. Aliud si quid postularent, scriptum ut ederent petiit, ut deliberare cum amicis posset. Ita & tyranno ad consultandum tempus datum est: & Quintius sociorum etiam principibus adhibitis, habuit concilium. Maximæ partis sententia erat, *Perseverandum in bello esse, & tollendum tyrannum. nunquam aliter tutam libertatem Græciæ fore. Satius multò fuisse, non moveri bellum adversus eum, quàm omitti motum. & ipsum velut comprobatâ dominatione firmiorem futurum: auctore injusti imperii assumpto populo Romano. & exemplo multos in aliis civitatibus ad insidiandum libertati civium suorum incitaturum.* Ipsius Imperatoris animus ad pacem inclinatior erat. videbat enim, compulso intra mœnia hoste, nihil præter obsidionem restare. Eam autem fore diuturnam. *Non enim*

N O T Æ.

nim, seu *enimverò*. Hæc Quintius ait quasi Nabidis nomine, objicientis quæcunque in ipsum dicantur, etiamsi vera essent, nihil tamen ad Romanos pertinere: cui dicto statim respondet ipse Quintius.

5. *Utrum non à te factum.*] Sic legas ex scriptis, an cum editis, *utrumque à te factum*, eadem erit sententia.

6. *Messenen.*] Caput Messeniæ in Peloponneso, sinui suo imposita, ad ostium Balyræ, nunc *Mossenigo* Nardo, aliis *Petali*, vicus magis quàm urbs.

7. *Quo & Lacedæmonem.*] A primo rege nomen accepit *Lacedæmon*, ut Sparta (Vicina, mox Juncta) ab ejus uxore, vel à Sparto filio Phoronei regis: non modò Peloponnesi clarissima, sed inter Græciæ urbes unis Athenis vix inferior fuit, seu magnitudinem spectes, seu rerum gestarum gloriam: ad Eurotam fluvium sita; sine muris, loco arcis Acropolin habuit in edito colle. Ejus loco successit *Misitra* in Tzaconia.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacc. & M. Porc. Catone.

Gythium, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset, sed Lacedæmonem validissimam urbem viris armisque oppugnaturos. Unam spem fuisse, si qua admoventibus exercitum dissensio inter ipsos ac seditio excitari posset. quum signa portis propè inferri cernerent, neminem se movisse. Adjiciebat & cum Antiocho infidam pacem, Villium legatum inde redeuntem nunciare: multò majoribus quàm antè, terrestribus navalibusque copiis in Europam eum transisse. Si occupasset obsidio Lacedæmonis exercitum, quibus aliis copiis adversus regem tam validum ac potentem bellum gesturos? Hæc propalam dicebat: illa tacita suberat cura, ne novus consul Græciam provinciam sortiretur, & inchoati belli victoria successori tradenda esset.

XXXIV. Quum adversus tendendo nihil moveret socios, simulando se transire in eorum sententiam, omnes in assensum consilii sui traduxit. *Benè vertat*, inquit, *obsideamus Lacedæmonem, quando ita placet. Cæterùm quum res tam lenta, quam ipsi scitis, oppugnatio urbium sit, & obsidentibus prius sæpe quàm obsessis tædium afferat; jam nunc hoc ita proponere vos animis oportet; hibernandum circa Lacedæmonis mænia esse. Quæ mora si laborem tantùm ac periculum haberet, ut & animis & corporibus ad sustinenda ea parati essetis, hortarer vos. Nunc impensâ quoque magnâ eget in opera, in machinationes, & tormenta, quibus tanta urbs oppugnanda est; in commeatus nobis vobisque in hiemem expediendos. Itaque* [a] *ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum antè vestris civitatibus censeo, explorandumque, quid quæque animi, quid virium habeat. Auxiliorum satis superque habeo: sed quò plures sumus, pluribus rebus egebimus. Nihil jam præter nudum solum ager hostium habet. Ad hoc hiems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.* Hæc oratio primùm animos omnium ad respicienda cuique domestica mala convertit; segnitiem, invidiam & obtrectationem domi manentium adversus militantes: libertatem [b] difficilem ad consensum, inopiam publicam, [1] malignitatem conferendi ex privato. Versis itaque subitò voluntatibus facere, quod è republica populi Romani sociorumque esse crederet, imperatori permiserunt.

XXXV. Inde Quintius adhibitis legatis tantùm tribunisque militum, conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit. *Sex mensium induciæ ut essent Nabidi Romanisque, & Eumeni regi, & Rhodiis. Legatos extemplo mitterent Romam, T. Quintius & Nabis, ut pax ex auctoritate senatûs confirmaretur. Ex qua die scriptæ conditiones pacis editæ Nabidi*

INTERPRETATIO.

a *Ne* post susceptam obsidionem *casu aliquo perculsi laboretis.*

b *Quæ* libertas unoquoque suæ sententiæ tenace, *impedit ne homines inter se facilè conveniant.*

NOTÆ.

1. *Malignitatem conferendi.*] *Malignitas* hic non tam pro malitia & perversitate dici videtur, quàm pro nimiâ parsimonia, & avaritia: ut apud nostrum lib. 5, *malignitas prædæ partitæ*, hoc est, parcè nec satis liberaliter divisa præda.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

forent, ea dies ut induciarum principium esset: & ut ex ea die intra decimum diem ab Argis cæterisque oppidis, quæ in Argivorum agris essent, præsidia omnia deducerentur: vacuaque & libera traderentur Romanis. ne quod inde [1] *mancipium regium publicumve aut privatum educeretur; & si qua antè educta forent,* [2] *dominis rectè restituerentur. Naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet: neve ipse navem ullam, præter duos lembos, qui non plus quam sexdecim remis agerentur, haberet. Perfugas, captivos, omnibus sociis populi Romani civitatibus redderet, & Messeniis omnia quæ compararent, quæque domini cognoscerent. Exulibus quoque Lacedæmoniis liberos & conjuges restitueret, quæ earum viros sequi voluissent: invita ne qua exulis comes esset. Mercenariorum militum Nabidis; qui aut in civitates suas, aut ad Romanos transissent, iis res suæ omnes rectè redderentur. In Creta insula ne quam urbem haberet: quas habuisset, redderet Romanis. Ne quam societatem cum* [3] *ulla Cretensium,* [4] *aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret. Civitatibus omnibus quas ipse restituisset, quæque se suaque in fidem ac ditionem populi Romani tradidissent, omnia præsidia deduceret: seque ipse suosque ab his abstineret. Ne quod oppidum, ne quod castellum in suo alienove agro conderet. Obsides ex ita futura, daret quinq; quos imperatori Romano placuisset: filium in his suum: &* [5] *talenta centum argenti in præsenti, & quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo.*

XXXVI. Hæc conscripta, castris propius urbem motis, Lacedæmonem mittuntur. nec sanè quicquam eorum satis placebat tyranno: nisi quod præter spem reducendorum exulum mentio nulla facta erat. maximè autem omnium ea res offendebat, quod & naves [1] & maritimæ civitates ademptæ erant. Fuerat autem ei magno fructui mare, omnem oram à Maleæ prædatoriis navibus infestam habenti. juventutem præterea civitatum earum ad supplementum longè optimi generis militum habebat. Has conditiones, quanquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, vulgo tamen omnes fama ferebant: vanis, ut ad cæteram

NOTÆ.

1. *Ne quod Mancipium regium.*] Indicari videntur mancipia sive servi per quos exercebantur agri publici: alioqui non video cur mancipia sua ex Argolide dimissâ educere Nabis vetaretur: nisi fortè eos servos publicos privatosque Argivorum Nabis sibi vindicaverat.

2. *Dominis rectè restituerentur.*] Formula est à Jurisconsultis usurpari solita, cum quid sine fraude & sine vitio reddi, restituive domino, aut dari fierive alter stipulatur, alter promittit: ita ut *rectè* idem sit ac *bonâ fide, suo loco, & congruo tempore.*

3. *Cum ulla Cretensium.*] Repete *urbe*, ex superioribus.

4. *Aut quoquam aliò.*] *Aliò* dixit pro *alibi*, & *quoquam aliò* pro *ullo alio in loco*: ut significet non tantùm societates aut fœdera cum civitatibus Cretensium Nabidi prohiberi; sed etiam cum aliis civitatibus extra eam Insulam.

5. *Talenta centum argenti.*] Gallicè, 240000. libras.

1. *Et maritimæ civitates ademptæ erant.*] Laconiæ civitatum Nabidi ademptarum nulla in fœderis legibus mentio: intellige quas Nabis in Creta habebat; aut etiam quas per oram sitas navibus circa Maleam promontorium dispositis deprædari solitus erat; ideoque pro suis habebat.

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porcio Catone.

fidem, sic ad secreta tegenda, satellitum regiorum ingeniis. Non tam omnia universi, quam ea quæ ad quemque pertinerent, singuli carpebant. qui exulum conjuges in matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid possederant; a tanquam amissuri, non reddituri, indignabantur. servis liberatis à tyranno non irrita modò futura libertas, sed multò fœdior, quàm fuisset antè, servitus, redeuntibus in iratorum dominorum potestatem, ante oculos obversabatur. mercenarii milites & pretia militiæ casura in pace ægrè ferebant, & reditum sibi nullum esse in civitates videbant; infensas non tyrannis magis, quàm satellitibus eorum.

XXXVII. Hæc inter se primò in circulis ferentes fremere: deinde ad arma subitò discurrerunt. Quo tumultu quum per se satis irritatam multitudinem cerneret tyrannus, concionem advocari jussit. ibi quum ea quæ imperarentur ab Romanis, exposuisset, & graviora atque indigniora quædam falsò affinxisset, & ad singula nunc ab universis, nunc à partibus concionis acclamaretur, interrogavit. *Quid se respondere ad ea, aut quid facere vellent:* Propè unà voce omnes, *Nihil respondere, bellum geri* jusserunt. & pro se quisque, qualia multitudo solet, bonum animum habere, & benè sperare jubentes, fortes fortunam adjuvare, ajebant. His vocibus incitatus tyrannus, & Antiochum Ætolosque adjuturos pronunciat: & sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. Exciderat pacis mentio ex omnium animis; & in stationes non ultra quieturi discurrunt. Paucorum lacessentium excursio, & emissa jacula extemplo Romanis dubitationem, quin bellandum esset, exemerunt. Levia inde prœlia per quatriduum primum sine ullo satis certo eventu commissa. quinto die propè justa pugna adeò paventes in oppidum Lacedæmonii compulsi sunt, ut quidam milites Romani terga fugientium cædentes per intermissa, ut tunc erant, mœnia urbem intrarint.

XXXVIII. Et tunc quidem Quintius satis eo terrore coercitis excursionibus hostium, nihil præter ipsius oppugnationem urbis superesse ratus; missis qui omnes navales socios a Gythio arcesserent, ipse interim cum tribunis militum ad visendum urbis situm mœnia circumvehitur. 1 Fuerat quondam sine muro Sparta. tyranni nuper locis patentibus planisque objecerant murum: altiora loca, & difficiliora aditu, stationibus armatorum pro munimento objectis tutabantur. Ubi satis omnia inspexit; corona oppugnandam ratus, omnibus copiis (erant autem Romanorum

INTERPRETATIO.

a *Quasi ageretur, non de restituendis rebus alienis,* quas dominis ademerant: *sed de amittendis* propriis, quas semper habuissent.

NOTÆ.

1. *Fuerat sine muro Sparta.*] Censebat Lycurgus nequaquam sine mœnibus esse civitatem, quæ viris fortibus muniretur: atque in eandem sententiam Agesilaüs armatos cives ostendens: *hæc sunt,* ajebat, *Spartæ mœnia.*

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

sociorumque, simul peditum equitumque, simul terrestriumque ac navalium copiarum ad quinquaginta millia hominum) urbem cinxit. Alii scalas, alii ignem, alii alia quibus non oppugnarent modò, sed etiam terrerent, portabant. jussi clamore sublato subire undique omnes, ut quà primùm occurrerent, quàve opem ferrent, ad omnia simul paventes Lacedæmonii ignorarent. Quod roboris in exercitu erat, trifariam divisum. 2 parte unâ à Phœbeo, altera 3 à Dictynneo, tertia ab eo loco 4 quem Heptagonias appellant (omnia autem hæc aperta sine muro loca sunt) aggredi jubet. Quum tantus undique terror circumvasisset; primo tyrannus & ad clamores repentinos, & ad nuncios trepidos motus, ut quisque maximè laboraret locus, aut ipse occurrebat, aut aliquos mittebat. deinde circumfuso undique pavore, ita obtorpuit, ut nec dicere quod in rem esset, nec audire posset: nec inops modò consilii, sed vix mentis compos esset.

XXXIX. Romanos primò sustinebant in angustiis Lacedæmonii: ternæque acies tempore uno locis diversis pugnabant. deinde crescente certamine, nequaquàm erat prœlium par. missilibus enim Lacedæmonii pugnabant, à quibus se & magnitudine scuti perfacilè Romanus tuebatur miles, & quòd alii vani, alii leves admodum ictus erant. nam propter angustias loci, confertamque turbam, non modò ademittenda eum procursu, quo plurimùm concitantur tela, spatium habebant: sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur. Itaque ex adverso missa tela, nulla in corporibus, rara in scutis hærebant. à circumstantibus ex superioribus locis quidam vulnerati sunt: mox progressos jam etiam ex tectis non tela modò, sed tegulæ quoque inopinantes perculerunt. Sublatis deinde supra capita scutis continuatisque ita inter se, ut non modò a ad cæcos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quicquam esset, testudine factâ subibant. & primò angustiæ paulisper sua hostiumque refertæ turba tenuerunt: posteaquàm in patentiorem viam urbis paulatim urgentes hostem processere; non ultrà vis eorum atque impetus sustineri poterant. Quum terga vertissent La-

INTERPRETATIO.

a *Ad vulnera in incertum libratis è longinquo missilibus inferenda.*

NOTÆ.

2. *Parte unâ à Phœbeo.*] Meursius in Lectionibus Atticis restituit ab *Ephebæo*, cujus Pausanias meminit. Erat autem *Ephebæum* locus, ni fallor, ubi juventus exercebatur: *Phœbeum* locus Phœbo Apollini dicatus.

3. *Dictynnao.*] *Dictynnæum* templum erat Dianæ cognomento Dictynnæ dicatum in Tityro monte Cretæ, ex Strabone. Cujus exemplo ejusdem nominis templum habuere Spartani. Dictynnæ autem nomine dicta est Diana à retibus, quæ Græcè Δίκτυα, sive quod piscatione delectaretur, non secùs ac venatione: sive quòd Diana, vel potiùs Brytomartys eximiæ pulcritudinis puella Dianæ cara, cùm Minoïs vim fugiens in mare desiliisset, incidit in retia, & sic servata est.

4. *Quem Heptagonias.*] A septem an-

Urb. cond. an. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

cedæmonii, & effusâ fugâ superiora peterent loca; Nabis quidem, ut captâ urbe trepidans, quânam ipse evaderet, circumspectabat. Pythagoras quum ad cætera animo officioque ducis fungebatur; tum verò unus, ne caperetur urbs, caussa fuit. succendi enim ædificia proxima muro jussit. quæ quum momento temporis arsissent, ut adjuvantibus ignem, qui aliàs ad extinguendum opem ferre solent, ruere in Romanos tecta; nec tegularum modò fragmenta, sed etiam ambusta tigna ad armatos pervenire, & flammâ latè fundi, fumus terrorem etiam majorem quàm periculum facere. Itaque & qui extra urbem erant Romanorum, tum maximè impetus facientes recessere à muro: & qui jam intraverant, ne incendio à tergo oriente intercluderentur ab suis, receperunt sese. & Quintius posteaquàm quid rei esset, vidit, receptui canere jussit. ita jam à capta propè urbe revocati redierunt in castra.

XL. Quintius plus ex timore hostium quàm ex re ipsa spei nactus, per triduum insequens territavit eos: nunc prœliis lacessendo, nunc operibus intersepiendo quædam; ne exitus ad fugam esset. His comminationibus compulsus tyrannus, Pythagoram rursus oratorem misit, quem Quintius primò aspernatus, excedere castris jussit. deinde suppliciter orantem, advolutumque genibus, tandem audivit. Prima oratio fuit, omnia permittentis arbitrio Romanorum: deinde, quum ea velut vana & sine effectu nihil proficerent, eò deducta res est, ut his conditionibus, quæ ex scripto paucis antè diebus editæ erant, induciæ fierent: pecuniaque & obsides accepti. Dum oppugnatur tyrannus, Argivi nunciis aliis propè super alios afferentibus, a tantùm non jam captam Lacedæmonem esse, erecti & ipsi, simul eò quòd Pythagoras cum parte validissima præsidii excesserat, contempta paucitate eorum, qui in arce erant, duce Archippo quodam præsidium expulerunt. Timocratem Pellenensem, quia clementer præfuerat, vivum fide data emiserunt. 1 Huic lætitiæ Quintius supervenit; pace data tyranno, dimissisque ab Lacedæmone Eumene & Rhodiis, & L. Quintio fratre ad classem.

XLI. Læta civitas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die stata propter belli mala prætermissum, in adventum Romani exercitus ducisque indixerunt: 1 præfeceruntque ludis ipsum imperatorem. Multa erant quæ gaudium cumularent. reducti cives ab Lacedæmone erant, quos nuper Pythagoras,

INTERPRETATIO.

a *Parùm abesse quin capta esset Lacedæmon.*

NOTÆ.

gulis inditum huic loco nomen, res ipsa loquitur.

1. *Huic lætitiæ.*] Argivorum qui jam liberati.

1. *Præfeceruntque ludis ipsum imperatorem.*] Agonothetam scilicet Quintium instituerunt.

quosque

Urb. Cond. ann. 558. Coss. L. Valer. Flacco, & M. Porc. Catone.

quosque antè Nabis abduxerant: redierant, qui post compertam à Pythagora conjurationem, & cæde jam cœptâ effugerant: libertatem ex longo intervallo, libertatisque auctores Romanos, quibus causa bellandi cum tyranno [2] ipsi fuissent, cernebant. testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis libertas est Argivorum. Achæis quantum restituti Argi & in commune Achajæ concilium lætitiæ afferebant; tantum serva Lacedæmon relicta, & lateri adhærens tyrannus, non sincerum gaudium præbebant. Ætoli verò eam rem omnibus conciliis lacerare. *Cum Philippo non antè desitum bellari, quàm omnibus excederet Graciæ urbibus. tyranno relictam Lacedæmonem:* [3] *regem autem legitimum, quia in Romanis fuerat castris, cæterosque nobilissimos cives in exilio victuros.* [4] *Nabidis dominantis satellitem factum populum Romanum.* Quintius ab Argis Elatiam, unde ad bellum Spartanum profectus erat, copias reduxit. [5] Sunt, qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum tradant, sed castris adversus Romana castra positis. diuque cunctatum, quum Ætolorum auxilia exspectasset, coactum ad extremum acie confligere, impetu in pabulatores suos ab Romanis facto; eo prœlio victum, castrisque exutum pacem petisse: quum cecidissent quindecim millia militum, capta plus quatuor millia essent.

Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempr. Longo.

XLII. Eodem ferè tempore & T. Quintio de rebus ad Lacedæmonem gestis, & ab M. Porcio consule, ex Hispania literæ allatæ. utriusque nomine ternos in dies supplicatio à senatu decreta est. L. Valerius consul quum post fusos circa Litanam sylvam Bojos, quietam provinciam habuisset, comitiorum causâ Romam rediit: & creavit consules P. Cornelium Scipionem Africanum iterum, & Tib. Semproniūm Longum. Horum patres primo anno secundi Punici belli consules fuerant. Prætoria inde comitia habita. creati P. Cornelius Scipio, & duo Cn. Cornelii, Merenda & Blasio, & Cn. Domitius Ænobarbus, & Sex. Digitius, & T. Juvencius Thalna. Comitiis perfectis consul in provinciam rediit. Novum jus eo anno à Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in colo-

NOTÆ.

2. *Ipsi.*] Argivi.

3. *Regem autem legitimum.*] Quis hic fuerit legitimus rex Lacedæmoniorum, qui in Romanis castris fuerat, discimus ex cap. 26. sub finem. Nempè *Agesipolis* erat, pulsus infans ab Lycurgo tyranno, post mortem Cleomenis.

4. *Nabidis dominantis satellitem factum populum Romanum.*] Scripti habent *Titum Romeleum*, aut *Titus Romulens:* in editis vulgò scriptum erat, *Tribunum militum*. Gelenius, *populum Romanum* pro eo subjecit. Mihi placet Rubenii emendatio legentis *Titum Romanum*: tum quòd minùs distet ab exaratis manu codicibus: tum quòd Quintius solo ferè pronomine Titus à Græcis appellabatur, ut constat ex Polybio & Plutarcho.

5. *Sunt qui non ex oppido proficiscentem.*] Glar. hic deesse aliquid suspicabatur, quòd dubitaret qui fieri posset, ut Nabis castra sua poneret adversus castra Romanorum, si ex urbe sua non fuerat profectus. Sigonius nihil vitii continere hunc locum ostendit: sed aliam de loco pugnæ Nabidis cum Romanis auctorum sententiam à Livio proferri, nimirùm ex castris ante urbem

Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempronio Longo.

niam Romanam nomina dedisset, 1 cives Romani essent. Puteolos, 2 Salernumque 3 & Buxentum ascripti coloni, qui nomina dederant, quum ob id se pro civibus Romanis ferret, senatus judicavit, 4 non esse eos cives Romanos.

XLIII. Principio anni quo P. Scipio Africanus iterùm, & Tit. Sempronius Longus consules fuerunt, legati Nabidis tyranni Romam venerunt duo. His extra urbem in æde Apollinis senatus datus est. pax, quæ cum T. Quintio convenisset, ut rata esset, petierunt, impetraruntque. De provinciis quum relatum esset, senatus frequens in eam sententiam ibat: ut quoniam in Hispania & Macedonia debellatum foret, consulibus ambobus, Italia provincia esset. Scipio, satis esse Italiæ unum consulem censebat: alteri decernendam Macedoniam esse. *Bellum grave ab Antiocho imminere. jam ipsum suâ sponte in Europam transgressum. Quid deinde facturum censerent: quum hinc Ætoli, haud dubiè hostes, vocarent ad bellum, illinc Annibal Romanis cladibus insignis imperator stimularet?* Dum de provinciis consulum disceptatur, prætores sortiti sunt. Cn. Domitio urbana jurisdictio, T. Juvencio peregrina evenit. 1 P. Cornelio Hispania ulterior, Sex. Digitio citerior: 2 duobus Cn. Corneliis, Blasioni Sicilia, Merendæ Sardinia. In Macedoniam novum exercitum transportari non placuit. eum qui esset ibi, reduci in Italiam à Quintio, ac dimitti. item eum exercitum dimitti, qui cum M. Porcio Catone in Hispania esset. Consulibus ambobus Italiam provinciam esse, & duas urbanas eò legio-

NOTÆ.

positis contra castra Romanorum exiisse eum ad pugnandum.

1. *Cives Romani essent.*] Hoc tentatum à Ferentinatibus, non igitur impetratum. Et sanè eo pacto paulatim civitas Romana ad Latinos propagata esset, quod nolebat Senatus populusque Romanus. Habuerunt igitur jus tantùm Latii, nec utebantur jure privato Romanorum: sed suffragiorum potestatem habebant permittente Romano Magistratu; &, qui eorum in civitate sua magistratum gessissent, fiebant cives Romani. Vide Sigonium lib. 2. de antiquo jure Italiæ cap. 3.

2. *Salernumque.*] In Picentinis qui Campaniæ Felicis velut Lacinia, Salernum sinui Pæstano imminet, qui hodie ab ea civitate Salernitanus. Caput est Principatûs citerioris in regno Neapolitano; Portu, Archiepiscopatu, & Academiâ nobile, nomenque adhuc retinet, vulgò *Salerno*.

3. *Et Buxentum.*] Fuit *Buxentum* in Lucania, quæ nunc *Basilicata*, à buxo, cujus copia ibi nascitur, desumpto nomine; Straboni *Pyxus*; ad Laüm sinum. Portum habuit, & vicinum promontorium, quod nunc vulgò *Capo Lanfresco* apud Holstenium. Urbs hodie aliis *Pisciota*: Cluverio *Policastro*, Ducatus in Principatu citeriori.

4. *Non esse eos cives Romanos.*] Cùm hæ Coloniæ essent civium Romanorum, quid obest quominus in eas adscripti, cives Romani haberentur? Id, opinor, ita accipiendum, ut plenum non haberent jus civitatis: nam in colonias deducti, quamvis jure Quiritium uterentur in rebus privatis: non tamen publico jure civium Romanorum fruebantur.

1. *P. Cornelio Hispania ulterior.*] Hic Cornelius ab Africano diversus est, vel Cneji filius, vel Nasica: quod discriminis causâ addendum fuisse censet non malè Glar.

2. *Duobus Cneiis Corneliis.*] Clariùs *Cn. Cornelio Blasioni*, Sicilia; *Cn. Corne-*

nes scribere, ut dimissis, quos senatus censuisset, exercitibus, octo omninò Romanæ legiones essent.

Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempronio Longo.

XLIV. Ver sacrum factum erat priore anno, M. Porcio, & L. Valerio consulibus. id quum P. Licinius pontifex, non esse rectè factum, collegio primùm, deinde ex auctoritate collegii Patribus renunciasset, de integro faciendum arbitratu pontificum censuerunt; ludosque magnos, qui unà voti essent, tantà pecunià, quantà assoleret, faciendos. Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Kalendas Martias, & pridie Kalendas Majas, P. Cornelio Scipione & Tiberio Sempronio Longo consulibus. Censorum inde comitia habita sunt. creati censores Sex. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus, principem senatus P. Scipionem consulem, quem & priores censores legerant, legerunt. tres omninò senatores, neminem curuli honore usum, prætererunt. Gratiam quoque ingentem apud eum ordinem pepererunt, quòd ludis Romanis, Ædilibus Curulibus imperarunt, 1 ut loca senatoria secernerent à populo. nam anteà in promiscuo spectabant. Equitibus quoque perpaucis adempti equi, nec in ullum ordinem sævitum. Atrium Libertatis & Villa publica ab iisdem refecta amplificataque. Ver sacrum, ludique votivi, quos voverat Ser. Sulpicius Galba consul, facti. Quum spectaculo eorum occupati animi omnium essent, Q. Pleminius, qui propter multa in Deos hominesque scelera Locris admissa, in carcerem conjectus fuerat, comparaverat homines, qui pluribus simul locis urbis nocte incendia facerent; ut in consternata nocturno tumultu civitate refringi carcer posset, ea res indicio consciorum palàm facta, delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, 2 necatusque.

XLV. Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, 1 Vulturnum, 2 Liternum; treceni homines in singulas. Item Salernum, Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ sunt. deduxère triumviri, Tiberius Sempronius Longus, qui tum consul erat, M. Servilius, Q. Minucius Thermus. Ager divisus est, qui Campanorum fuerat. 3 Sipontum

N O T Æ.

lo Merenda, Sardinia.

1. *Ut loca senatoria.*] In Orchestra Senatoribus data sunt *loca*, unde Ludos Scenicos spectarent seorsim à plebe: quod Asconius Pædian. in Orat. pro Cornel. factum ait ab Ædilibus Curulibus jussu Censorum S. Ælii Pœti, C. Cornelii Cethegi.

2. *Necatusque.*] Enectà laqueo gulà, ut arbitror: quemadmodum Lentulo factum, apud Sallust. in bello Catilinario.

1. *Vulturnum.*] Oppidum fuit ad ostium Vulturni fluvii lævà ripà, inter Sinuessam & Liternum. Hodie *Castello di Volturno* in Terra Laboris.

2. *Liternum.*] Aliis Linternum, maritimum erat Campaniæ oppidum, inter Vulturnum & Cumas, ad ostium fluvii cognominis, qui & *Clanis*. Huc secessit Scipio Africanus urbis pertæsus, ibique interiit. Ex eo Turris superest, vulgò *Torre di Patria*.

3. *Sipontum item.*] In Apulia Daunia, quæ nunc *Capitanata*, oppidum *Sipontum* fuit, sive *Sipûs*, ut Græci vocant, non procul Cerbali ostio, qui nunc *Candelaro*, sub monte Gargano. A Saracenis eversa hæc urbs, eique successit

Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempronio Longo.

item in agrum, qui Arpinorum fuerat, coloniam civium Romanorum alii triumviri, D. Junius Brutus, M. Bæbius Tamphilus, M. Helvius deduxerunt. [4] Tempsam item, & Crotonem civium Romanorum coloniæ deductæ. Tempsanus ager de Brutiis captus erat. Brutii Græcos expulerant: Crotonem Græci habebant. Triumviri Cn. Octavius, L. Æmilius Paulus, C. Pletorius Crotonem; Tempsam [5] L. Cornelius Merula, & C. Salonius deduxerunt. Prodigia quoque alia visa eo anno Romæ sunt, alia nunciata. In foro & comitio & Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt: & terra aliquoties pluit, & caput Vulcani arsit. Nunciatum est, [6] Interamnæ lac fluxisse: pueros ingenuos Arimini sine oculis ac naso; & in Piceno agro non manus, non pedes habentem natum. Ea prodigia ex pontificum decreto procurata, & sacrificium novendiale factum; [7] quod Adriani nunciaverant, in agro suo lapidibus pluisse.

XLVI. In Gallia L. Valerius Flaccus proconsul circa Mediolanum cum Gallis Insubribus, & Bojis, qui Dorulaco duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnavit. decem millia hostium sunt cæsa. Per eos dies collega ejus M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit. tulit in eo triumpho [1] argenti infecti viginti quinque millia pondo. [2] bigati centum viginti tria millia, [3] Oscensis quingenta quadraginta: [4] auri pondo mille quadringenta. Militibus ex præda divisit, in singulos [5] ß ducenos septuagenos æris, triplex equiti. Tiberius Sempronius consul in provinciam profectus in Bojorum primùm agrum legiones duxit. Bojorix tunc regulus eorum, cum duobus fratribus tota gente concitata ad rebellandum, castra locis idoneis po-

NOTÆ:

Manfredonia. Nomen tamen retinet in ruinis vulgò *Siponto*.

4. *Tempsam item.*] *Tempsa* vel *Temese* in Brutiis ad oram maris Ausonii, inter Ocinari & Lameti amnium ostia: hodie specula tantùm, vulgò *Torre Loppa* Cluverio, in extremâ ad meridiem Calabria citeriori, non procul Martorano.

5. *L. Cornelius Merula & C. Solonius deduxerunt.*] Desiderari videtur tertii triumviri nomen: nisi Tempsam colonos Duumviri tantùm præter morem deduxerunt.

6. *Interamnæ lac fluxisse.*] Tres in Italia hoc nomine civitates memorantur, in Umbria, in Volscis, & in Piceni agro Prætutiano. Ad hac postremam referri hoc portentum, augurari licet.

7. *Quod Adriani.*] Cùm duplex Adria fuerit, altera in Venetia, altera in Piceno; pertinet, ni fallor, hoc prodigium ad Picenos Adrianos; nam alii ab Româ longiùs distant.

1. *Argenti infecti viginti quinque millia pondo.*] Respondent huic summæ librarum Gallicarum nongenta millia.

2. *Bigati centum viginti tria millia.*] Si denarios accipiamus, non multùm aberit ea quantitas à quinquaginta millibus librarum: erunt enim 49290. libræ.

3. *Oscensis quingenta quadraginta.*] Supple millia pondo: fiet non mediocris pecuniæ vis, centies octuagies centena millia librarum nostratium: *dix-huit millions de livres*.

4. *Auri pondo mille quadringenta.*] Redderent hodiernâ apud nos æstimatione septingenta octoginta quatuor librarum Francicarum millia. 784000. libræ.

5. *Ducenos septuagenos æris.*] Asses adhuc unciales, fierent in pedites singulos, pecuniâ nostrâ, quindecim ferme libræ.

Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempronio Longo.

fuit: ut appareret dimicaturos, si hostis fines intrasset. Consul ubi quantæ copiæ, quanta fiducia esset hosti, sensit: nuncium ad collegam mittit, ut si videretur ei, maturaret venire. se tergiversando in adventum ejus rem extracturum. Quæ caussa consuli cunctandi, eadem Gallis, (præterquàm quòd cunctatio hostium animos faciebat) rei maturandæ erat, ut priusquàm conjungerentur consulum copiæ, rem transigerent. per biduum tamen nihil aliud, quàm steterunt parati ad pugnandum si qui contra egrederentur: tertiò vi subiere ad vallum, castraque ab omni simul parte aggressi sunt. Consul extemplo arma capere milites jussit. armatos inde paulisper continuit: ut & stolidam fiduciam hosti augeret, & disponeret copias, quibus quæque portis erumperent. Duæ legiones [a] duabus principalibus portis signa efferre jussæ. sed in ipso exitu ita conferti obstitere Galli, ut clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est. nec dextris magis gladiisque gerebatur res, quàm scutis corporibusque ipsis obnixi urgebant: Romani, ut signa foras efferrent; Galli, ut aut ipsi in castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent. nec antè in hanc aut illam partem moveri acies potuerunt, quàm Q. Victorius primi pili centurio, & C. Atinius Tribunus militum quartæ hic, ille secundæ legionis (rem in asperis prœliis semper tentatam) signa adempta signiferis in hostes jecerunt. dum repetunt enixè signum, priores secundani se portâ ejecêre.

XLVII. Jam hi extra vallum pugnabant, quartâ legione in porta hærente, quum alius tumultus [1] ex aversa parte castrorum est exortus. [2] in portam quæstoriam irruperant Galli: resistentesque pertinaciùs occiderant L. Postumium quæstorem, cui Tympano fuit cognomen, & M. Atinium, & P. Sempronium, præfectos sociûm, & ducentos fermè milites. Capta ab ea parte castra erant, donec [a] cohors extraordinaria missa à consule ad tuendam quæstoriam portam, & eos qui intra vallum erant, partim occidit, partim expulit castris, & irrumpentibus obstitit. Eodem ferè tempore & quarta legio cum duabus extraordinariis cohortibus portâ erupit. ita simul tria prœlia circa castra locis distantibus erant: clamoresque dissoni ad incertos suorum eventus à præsenti

INTERPRETATIO.

a *Per duas portas quæ ad latera castrorum juxta principia.*

a *Sociorum delectorum cohors.*

NOTÆ.

1. *Ex aversâ parte castrorum.*] *Aversam* interpretor pro *diversa*: prior enim pugna duplex ad principales portas quibus aversum nihil in castris Romanorum, aut adversum propriè, nisi diversa pars dicatur quæ prætorio à tergo, vel quæ procul aberat à locis ubi primùm pugnatum. Aliàs legitur *ex adversa parte*; fortè quòd castris hostium opposita.

2. *In portam quæstoriam.*] Hanc Lipsius eandem facit cum prætoria, cui opposita Decumana. Alii cum hac confundunt, quam opponunt prætoriæ.

Urb. cond. ann. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Tib. Sempronio Longo.

certamine animos pugnantium avertebant. Usque ad meridiem æquis viribus, ac propè pari spe, pugnatum est. labor & æstus mollia & fluida corpora Gallorum, & minimè patientia sitis, quum decedere pugna coëgisset, in paucos restantes impetum Romani fecerunt, fusosque compulerunt in castra. Signum inde receptui à consule datum est. ad quod pars major receperunt sese; pars certaminis studio, & spe potiundi castris hostium perstitit ad vallum. Romanorum paucitate contempta, Galli universi ex castris erumpunt: fusi inde Romani, quæ imperio consulis noluerant, suo pavore ac terrore castra repetunt. ita varia hinc atque illinc nunc victoria, nunc fuga fuit. Gallorum tamen ad undecim millia, Romanorum quinque millia, sunt occisa.

XLVIII. Galli recepere in intima finium sese. Consul Placentiam legiones duxit. Scipionem alii conjuncto exercitu cum collega, per Bojorum Ligurumque agros populantem isse, quoad progredi sylvæ paludesque passæ sint, scribunt: alii, nulla memorabile re gesta, comitiorum causa rediisse Romam. Eodem hoc anno T. Quintius Elatiæ, quo in hiberna reduxerat copias, totum hiemis tempus jure dicundo consumpsit: mutandisque iis, quæ aut ipsius Philippi, aut præfectorum ejus licentia in civitatibus facta erant, quum suæ factionis hominum vires augendo, jus ac libertatem aliorum deprimeret. Veris initio Corinthum, conventu edicto, venit. ibi omnium civitatum legationes in concionis modum circumfusas est allocutus: orsus ab inita primùm Romanis amicitia cum Græcorum gente, & imperatorum, qui ante se in Macedonia fuissent, suisque rebus gestis. Omnia cum approbatione ingenti sunt audita; præterquàm quum ad mentionem Nabidis ventum esset: *id minimè conveniens liberanti Græciam videbatur, tyrannum reliquisse, non suæ solùm patriæ gravem, sed omnibus circa civitatibus metuendum; hærentem visceribus nobilissimæ civitatis.*

XLIX. Nec ignarus hujus habitus animorum Quintius, si sine excidio Lacedæmonis fieri potuisset, fatebatur, *Pacis cum tyranno mentionem admittendam auribus non fuisse. nunc quum aliter quàm ruina gravissima civitatis opprimi non posset, satius visum esse, tyrannum debilitatum, ac totis propè viribus ad nocendum cuiquam ademptis, relinqui, quam intermori vehementioribus, quàm quæ pati posset, remediis civitatem sinere; in ipsa vindicta libertatis perituram.* Præteritorum commemorationi subjecit, *Proficisci sibi in Italiam, atque omnem exercitum deportare, in animo esse. Demetriadis Chalcidisque præsidia intra decimum diem audituros deducta: Acrocorinthum ipsis extemplo videntibus vacuam Achæis traditurum: ut omnes scirent, utrum Romanis an Ætolis mentiri mos esset; qui malè commissam libertatem populo Romano* [a] *sermonibus distulerint, & mutatos pro Macedonibus Romanos dominos. Sed illis nec quid dicerent, nec quid fa-*

INTERPRETATIO.

a *Diffamaverint dictis* suis.

cerent, quicquam unquam pensi fuisse. Reliquas civitates monere, ut ex factis non ex dictis, amicos pensent: intelligantque, quibus credendum, & à quibus cavendum sit. Libertate modicè utantur. temperatam eam salubrem, & singulis & civitatibus esse: nimiam & aliis gravem, & ipsis qui habeant b *effrenatam & praecipitem esse. Concordiae in civitatibus principes, & ordines inter se, & in commune omnes civitates consulerent. adversus consentientes nec regem quenquam satis validum, nec tyrannum fore. Discordiam & seditionem omnia opportuna insidiantibus facere; quum pars quae domestico certamine inferior sit, externo potius se applicet, quàm civi cedat. Alienis armis partam, externa fide redditam libertatem suâ curâ custodirent, servarentque. ut populus Romanus dignis datam libertatem, ac munus suum benè positum sciret.* Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempronio Longo.

L. Has velut parentis voces quum audirent, manare omnibus gaudio lachrymae, adeo ut ipsum quoque confunderent dicentem. Paulisper fremitus approbantium dicta fuit: monentiumque aliorum alios, ut eas voces velut oraculo missas in pectora animosque demitterent. Silentio deinde facto petiit ab iis, ut cives Romanos, si qui apud eos in servitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliam. *Ne ipsis quidem honestum esse, in liberatâ terrâ liberatores ejus servire.* Omnes acclamarunt; gratias se inter caetera etiam ob hoc agere, quòd admoniti essent, ut tam pio, tam necessario officio fungerentur. Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Annibal, quum à suis non redimerentur, venumdederat. Multitudinis eorum argumentum est, quod Polybius 1 scribit γ centum talentis eam rem Achaeis stetisse: quum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent: Mille enim ducentos ea ratione Achaja habuit. Adjice nunc pro portione quot verisimile sit totam Graeciam habuisse. Nondum conventus dimissus erat, quum respiciunt praesidium ab Acrocorintho descendens, protinus ad portam duci atque abire. Quorum agmen imperator secutus, prosequentibus cunctis, servatorem liberatoremque acclamantibus salutatis, dimissisque eis, eadem qua venerat via Elatiam rediit. inde cum omnibus copiis Appium Claudium legatum dimittit. per Thessaliam atque Epirum ducere Oricum jubet, atque ibi se opperiri. inde namque in animo esse, exercitum in Italiam trajicere. & L. Quintio fra-

INTERPRETATIO.

b *Dissolutam seu inconsideratam esse ac periculosam cuiuique obnoxiam:*

NOTAE.

1. *Centum talentis.*] Priscianus libro de Ponderibus, ostendit *talentum* habere sex millia denariorum: sic mille ducenta quingenties repetita efficiunt sexcenta millia, seu viginti quatuor millia sestertium: unde rectè colligit Gronovius post alios, idem fuisse denarium Romanum & drachmam Atticam: constat enim talentum esse sex drachmarum millia.

Urb. Cond. Ann. 559. Coss. P. Scip. Africano II & Tib. Sempronio Longo.

tri legato & præfecto classis scribit, ut onerarias ex omni græciæ ora eodem contraheret.

LI. Ipse Chalcidem profectus, deductis non à Chalcide solùm, sed etiam ab Orco atque Eretria præsidiis, conventum ibi Euboicarum civitatum habuit: commonitosque, in quo statu rerum accepisset eos, & in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem inde proficiscitur: deductoque præsidio, prosequentibus cunctis, sicut Corinthi & Chalcide, pergit ire in Thessaliam: ubi non liberandæ modò civitates erant, sed ex omni colluvione & confusione in aliquam tolerabilem formam redigendæ. Nec enim temporum modò vitiis, ac violentia & licentia regia turbati erant: sed inquieto etiam ingenio gentis; nec comitia, nec conventum, nec concilium ullum, non per seditionem ac tumultum, jam inde à principio ad nostram usque ætatem traducentes. A censu maximè & senatum & judices legit: 1 potentioremque eam partem civitatum fecit, cui salva tranquillaque omnia magis esse expediebat.

LII. Ita quum percensuisset Thessaliam, per Epirum in Oricum, unde erat trajecturus, venit. Ab Orico copiæ omnes Brundusium transportatæ. inde per totam Italiam ad urbem prope triumphantes non minore agmine rerum captarum, quàm suo, præ se acto, venerunt. Posteaquàm Romam ventum est; senatus extra urbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est: triumphusque meritus ab lubentibus decretus. Triduum triumphavit. die primo arma, tela, signaque ærea, & marmorea transtulit; plura Philippo adempta, quàm quæ ex civitatibus cœperat: secundo die aurum argentumque, factum infectumque & signatum. 1 Infecti argenti fuit decem & octo millia pondo, 2 & ducenta septuaginta facti. vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis: & ex ære multa fabrefacta. ad hoc clypea argentea decem. 3 Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum: 4 tetradrachmum vocant: trium ferè denariorum in singulis argenti est

NOTÆ.

1. *Potentioremque eam partem civitatum.*] Hæc Servio Tullio Regi Romano caussa fuit instituendi classes, lib. 1. cap. 43.

1. *Infecti argenti fuit decem & octo millia pondo.*] Nempè sexcenta quadraginta octo librarum Francicarum millia.

2. *Et ducenta septuaginta facti.*] Efficiuntur septuagies & quater centena quinquaginta duo millia: Gall. *sept millions quatre cens cinquante deux mille livres.*

3. *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum.*] Hos Atticos nummos non multum excessisse putamus pretium dimidiati scuti argentei, quo nunc utimur: erunt ergo millia duo supra quadraginta scutorum argenteorum, sive librarum Francicarum centum viginti & sex millia.

4. *Tetradrachmum.*] Vox ipsa quatuor drachmarum pondus & pretium notat. *Drachma* autem Attica apud Plin. Plut. aliosque denario ferè comparatur: unde non potuit Livius aliter scripsisse hoc loco quam *quatuor ferè denariorum in singulis tetradrachmis pondus esse*: idque Budæus & Gronovius annotarunt ex ipso Livio, qui Polybium vertens, talentum Atticum ait esse sex millium denariorum: quemadmodum Atheniensibus dicebatur senum millium drachmarum.

pondus,

pondus. [5] Auri pondo fuit tria millia septingenta quatuordecim, & clypeum unum ex auro totum, [6] & Philippei nummi aurei quatuordecim millia, quingenti quatuordecim. Tertio die coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ, centum quatuordecim. & hostiæ ductæ: & ante currum multi nobiles captivi, obsidesque, [7] inter quos Demetrius regis Philippi filius fuit, & Armenes Nabidis tyranni filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in urbem est invectus. milites secuti currum frequentes, ut omni ex provincia exercitu deportato. [8] His ducenti quinquageni æris in pedites divisi: duplex centurioni, triplex equiti. Præbuerunt [a] speciem triumpho [9] capitibus rasis secuti, qui servitute exempti fuerant.

Urb. cond. an. 559. Coss. P. Scip. Africano II. & Ti. Sempronio Longo.

LIII. Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis ex senatusconsulto tulit ad plebem plebesque scivit, Ut Latinæ duæ coloniæ, una in Brutios, altera [1] in Thurinum agrum, deducerentur. His deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium esset, in Brutios Q. Nævius, M. Minucius Rufus, M. Furius Crassipes: in Thurinum agrum Cn. Manlius, Q. Ælius, L. Apustius: [2] ea bina comitia Cn. Domitius prætor urbanus in Capitolio habuit. Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt: una Junonis Sospitæ in [3] foro olitorio; vota locataque quadriennio antè à C. Cornelio consule Gallico bello; censor idem dedicavit: [4] altera Fauni. ædiles eam biennio antè ex mulctaticio argento faciendam locarant, C. Scribonius, & Cn. Domitius; qui prætor urbanus, eam dedicavit. [5] & ædem Fortunæ primigeniæ in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla, duumvir ad idipsum creatus. voverat eam decem annis antè,

INTERPRETATIO.

a *Ornamentum triumpho addiderunt*.

NOTÆ.

5. *Auri pondo tria millia septingenta quatuordecim*.] Efficit hæc summa Gall. 1042040. libras.

6. *Et Philippei nummi aurei quatuordecim millia quingenti quatuordecim*.] Jacobeis Anglicis hodiernis pondere haud multùm inferiores, bonitate aliquantùm, ni fallor, superiores Philippei erant: æstimentur ergo tredecim libris nostratibus cum dimidia; exurgent 197939. libræ.

7. *Inter quos Demetrius*.] Non captivus sed obses à patre Philippo Romam missus.

8. *His ducenti quinquageni æris*.] Facit hæc summa libras nostras ferè tredecim.

9. *Capitibus rasis*.] Id in manumissis solenne, ut quasi novi homines viderentur: quæ causâ etiam circumagendi servos, cùm per vindictam manumitterentur. Facit huc Satyricus.

——— *pulsandum vertice raso*
Præbebis quandoque caput.

1. *In Thurinum agrum*.] Ager Thuriorum, sive Sybaritanæ urbis significatur.

2. *Ea bina comitia*.] De duabus coloniis deducendis.

3. *Foro olitorio*.] Inde dictum hoc forum quod ibi *oleum* væniret. Fuit inter forum Boarium & Tiberim.

4. *Altera Fauni*.] Fuit in insula Tiberina quæ ab Augusto posteà adscripta est regioni 14. trans-Tiberinæ. Faunus autem idem ac Pan ovium custos.

5. *Et ædem Fortunæ primigeniæ*] Fuit & in Capitolio templum Fortunæ Primigeniæ. Cognominis hujus causæ plures afferuntur à Plut. in quæst. vel quòd urbi

Punico bello P.[6] Sempronius Sophus:[7] locaverat idem censor. Et in insula Jovis ædem C. Servilius duumvir dedicavit. vota erat sex annis antè Gallico bello ab L. Furio Purpureone prætore; ab eodem posteà consule locata.

Urb. cond. an. 560. Coss. P. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

LIV. Hæc eo anno acta. P. Scipio ex provincia Gallia ad consules [a] subrogandos rediit. Comitia consulum fuêre, quibus creati sunt L. Cornelius Merula, & Q. Minucius Thermus. Postero die creati sunt prætores L. Cornelius Scipio, M. Fulvius Nobilior, C. Scribonius, M. Valerius Messala, L. Porcius Licinus, & C. Flaminius. Megalesia, ludos scenicos, C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt. Horum ædilium ludos Romanos primùm senatus à populo secretus spectâvit,[b] præbuitque sermones (sicut omnis novitas solet) aliis *tandem, quod multò antè debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini*; aliis *demptum ex dignitate populi, quidquid majestati Patrum adjectum esset*, interpretantibus. *& omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, & concordiæ & libertatis æquè minuenda esse. Ad [8] quingentesimum quinquagesimum octavum annum in promiscuo spectatum esse. Quid repentè factum, cur immisceri sibi [1] in cavea Patres plebem nollent? cur dives pauperem consessorem fastidiret? novam & superbam libidinem, ab nullius antè gentis senatu neque desideratam neque institutam.* Postremò ipsum quoque Africa-

INTERPRETATIO.

a *Creandos per rogationem (sive interrogato populo) in locum eorum quorum annus exibat.*

b *Locum dedit diversis hominum sermonibus* & judiciis.

NOTÆ.

ortûs sui initia suggesserit Fortuna: vel quòd ea omnium rerum sit principium; aut etiam quòd naturam ex fortuitis eventis constitui putarent, atque ordine quem eventus illi sortiuntur.

6. *Sempronius Sophus.*] Non video cur Glar. & Sigon. huic P. Sempronio *Sophi* nomen invideant: Pomponius certè Jurisconsultus in L. 2. §. 37. de orig. Juris, ubi Romanos Legum scientia peritos recenset, de P. Sempronio post Appios Claudios sic loquitur: *Fuit post eos maxima scientia Sempronius, quem populus Romanus σοφὸν*. id est, sapientem: *nec quisquam ante hunc aut post illum hoc nomine cognominatus est.* Is anno 449. consul fuit cum P. Sulpicio, ut constat ex lib. 9. cap. 45. Posteà etiam magister equitum, dictatore M. Valerio Corvo, iterum anno 452. Tum deinde Censor anno 454. cum eodem P. Sulpicio. Itemque Pontifex apud nostrum lib. 10. cap. 9. Quidni ab hoc primo Sempronio ejus posteri cognomen *Sophi* acceperint, quemadmodum alii alia cognomina. Nihil autem vetat quominùs duplici cognomine insignis fuerit hic *Sempronius*, ut Scipiones, aliique multi, & Sophus simul & *Tuditanus* dictus, tanquam ortus ab illo Sempronio Sopho, cui caput tuditi vel malleo simile, Tuditani nomen indidit, sicut ex Attejo annotavit Festus Pompejus apud Pighium.

7. *Locaverat idem Censor.*] Observat meritò Pighius legendum esse: *locaverat idem Consul*, id est, idem Sempronius, cùm Consul esset. Nam in Consulatu primùm voverat, teste Livio: Censor autem fuerat quinquennio antè.

1. *In Cavea Patres.*] *Cavea* propriè antrum est, sive specus, à cavitate de-

num, quòd consul auctor ejus rei fuisset, pœnituisse ferunt. adeo nihil motum ex antiquo, probabile est. veteribus, nisi quæ usus evidenter arguit, stari malunt.

LV. Principio anni, quo L. Cornelius, Q. Minucius consules fuerunt, terræmotus ita crebri nunciabantur, ut non rei tantùm ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homines tæderet. nam neque senatus haberi, neque respublica administrari poterat; sacrificando expiandoque occupatis consulibus. Postremò decemviris adire libros jussis, ex responso eorum supplicatio per triduum fuit. coronati ad omnia pulvinaria supplicaverunt. edictumque est, ut omnes qui ex una familia essent, pariter supplicarent. item ex auctoritate senatûs consules edixerunt, ne quis, quo die terræmotu nunciato feriæ indictæ essent, eo die alium terræmotum nunciaret. Provincias deinde consules priùs, tùm prætores sortiti. Cornelius Galliam, Minucius Ligures sortiti sunt. C. Scribonius urbanam, M. Valerius peregrinam, L. Cornelius Siciliam, L. Porcius Sardiniam, C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fulvius Hispaniam ulteriorem.

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Cornel. Merula, & Q. Minucio Thermo.

LVI. Nihil belli eo anno expectantibus consulibus, literæ M. Cincii (præfectus Pisis erat) allatæ: *Ligurum viginti millia armatorum, conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta, Lunensem primùm agrum depopulatos,* [a] *Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrasse*. Itaque Minucius consul, cui Ligures provincia evenerat, ex auctoritate Patrum in Rostra ascendit, & edixit: Ut legiones duæ urbanæ, quę superiore anno conscriptæ essent, post diem decimum Arretii adessent. in earum locum se duas legiones urbanas scripturum. item sociis & Latini nominis magistratibus, legatisque eorum, qui milites dare debebant, edixit, ut in Capitolio se adirent. Ex iis quindecim millia peditum & quingentos equites pro numero cujusque juniorum descripsit: & inde è Capitolio protinùs ire ad portam; & ut maturaretur res, proficisci ad delectum jussit. Fulvio Flaminioque terna millia Romanorum peditum, & centeni equites in supplementum, & quina millia sociûm Latini nominis & duceni equites decreti: mandatumque prætoribus, ut veteres dimitterent milites, quum in provinciam venissent. Quum milites, qui in legionibus urbanis erant, frequentes tribunos plebejos adissent, uti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia, aut morbus causæ essent, quominùs militarent; eam rem literæ Tib. Sempronii discusserunt, in quibus scriptum erat, *Ligurum quindecim millia in agrum Placentinum venisse: &*

INTERPRETATIO.

a *Posteà ultra limites agri Pisani progressos*, &c.

NOTÆ.

sumpto nomine, ubi ferarum cubilia. Sed hic sumitur pro area theatri, in qua subsellia spectantium, quæ velis tecta, speciem aliquam refert caveæ.

Urb. cond. ann. 560. Coss. L. Cornel. Merula, & Q. Minucio Thermo.

eum usque ad ipsa coloniæ mœnia & Padi ripas cum cædibus & incendiis perpopulatos esse. Bojorum quoque gentem ad rebellionem spectare. Ob eas res [1] tumultum esse decrevit senatus, tribunos plebei non placere [b] caussas militares cognoscere, quo minus ad edictum convenirent. Adjecerunt etiam, ut socii nominis Latini, qui in exercitu P. Cornelii, Tib. Sempronii fuissent, & dimissi ab iis consulibus essent; ut ad quam diem L. Cornelius consul edixisset, & in quem locum edixisset Etruriæ, convenirent: & ut L. Cornelius consul in provinciam proficiscens in oppidis agrisque, quà iturus esset, si quos ei videretur, milites scriberet, armaretque, & duceret secum; dimittendique ei, quos eorum, quandoque vellet, jus esset.

LVII. Posteaquàm consules delectu habito profecti sunt in provincias, tum T. Quintius postulavit, ut de his quæ cum decem legatis ipse statuisset, senatus audiret: eaque, si videretur, auctoritate suâ confirmaret. Id eos faciliùs facturos, si legatorum verba, qui ex universâ Græcia, & magna parte Asiæ, quique ab regibus venissent, audissent. Hæ legationes à C. Scribonio prætore urbano in senatum introductæ sunt; benigneque omnibus responsum. Cum Antiocho, quia longior disceptatio erat, decem legatis, quorum pars in Asia aut Lysimachiæ apud regem fuerant, delegata est. T. Quintio mandatum, ut adhibitis iis, legatorum regis verba audiret: responderetque iis, quæ ex dignitate atque utilitate populi Romani responderi possent. Menippus & Hegesianax principes regiæ legationis erant. ex iis Menippus, *Ignorare se* dixit, *quidnam perplexi sua legatio haberet, quum simpliciter ad amicitiam petendam jungendamque societatem venissent. Esse autem tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias civitates regesque. Unum, quum bello victis dicerentur leges. ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atque arbitrium esse. Alterum, quum pares bello, æquo fœdere, in pacem atque amicitiam venirent. tunc enim repeti reddique per conventionem res, & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formulâ juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. Tertium esse genus, quum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coeant. eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris & victi esse. Ex eo genere quum*

INTERPRETATIO.

[b] *Caussas vacationis, seu immunitatis à militia,* ob quas ab ea excusari postulabant.

NOTÆ.

1. *Tumultum esse decrevit senatus.* Vacationes seu excusationes tempore belli valent, tumultu decreto à senatu cessant: unde apparet tumultum gravius quid esse. Et Cic. Philipp. 8. tumultum definit *perturbationem tantam, ut major timor oriatur*, quasi sit timor multus: *itaque*, inquit, *majores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus: tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus:*

Antiochus esset, mirari se, quòd Romani æquum censeant, ei leges dicere; quas Asiæ urbium liberas & immunes, quas stipendiarias esse velint; quas intrare præsidia regia regemque vetent. cum Philippo enim hoste pacem, non cum Antiocho amico societatis fœdus ita sanciendum esse.

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

LVIII. Ad ea Quintius: *Quoniam vobis distinctè agere libet, & genera jungendarum amicitiarum enumerare, ego quoque duas conditiones ponam, extra quas nullam esse regi nunciatis amicitiæ cum populo Romano jungendæ. Unam, si nos nihil, quod ad urbes Asiæ attinet, curare velit, ut & ipse omni Europâ abstineat. Alteram, si se ille Asiæ finibus non contineat, & in Europam transcendat, ut & Romanis jus sit, Asiæ civitatum amicitias & tueri quas habeant, & novas complecti.* Enimverò, id auditu etiam dicere indignum esse Hegesianax, *Thraciæ & Chersonesi urbibus arceri Antiochum. quæ* 1 *Seleucus proavus ejus, Lysimacho rege bello victo, & in acie cæso, per summum decus* 2 *parta reliquerit: pari cum laude partim ab Thracibus possessa, armis receperit Antiochus, partim deserta, sicut ipsam Lysimachiam, & revocatis cultoribus frequentaverit: & quæ strata ruinis atque incendiis erant, ingentibus impensis ædificaverit. Quid igitur simile esse, ex eâ possessione ita parta, ita recuperata, deduci Antiochum, & Romanos abstinere Asiâ, quæ nunquam eorum fuerit? Amicitiam Romanorum expetere Antiochum, sed quæ impetrata gloriæ sibi, non pudori sit.* Ad hæc Quintius: *Quandoquidem*, inquit, *honesta pensamus; sic, ut aut sola aut prima certè pensari decet principi orbis terrarum populo, & tanto regi; utrum tandem videtur honestius, liberas velle omnes quæ ubique sunt Græciæ urbes, an servas & vectigales facere? Si sibi Antiochus pulchrum esse censet, quas urbes proavus belli jure habuerit, avus paterque nunquam usurpaverint pro suis, ea repetere in servitutem; & populus Romanus susceptum patrocinium libertatis Græcorum non deserere, fidei constantiæque suæ ducit esse. Sicut à Philippo Græciam liberavit, ita & ab Antiocho Asiæ urbes, quæ Graji nominis sint, liberare in animo habet. neque enim* 3 *in Æolidem* 4 *Joniamque coloniæ in servitutem regiam missæ sunt: sed stir-*

NOTÆ.

pe stirpe (sic) ---

fretareà nullam tumultum nominabant.

1. *Seleucus proavus ejus.*] Seleucus primus, cognomine Nicator Syriæ & Orientis Rex, hujus Antiochi magni non proavus, sed abavus: fuit etenim Seleuci filius Antiochus Soter, ex quo & noverca Stratonice Demetrii natus Antiochus Θεὸς, ex hoc verò Seleucus Callinicus Antiochi Magni pater.

2. *Parta reliquerit.*] Successoribus possidenda.

3. *In Æolidem.*] *Æolis* Asiæ propriè dictæ provincia, inter Mysiam & Joniam ad Ægæum mare, dicta fuit ab Æolidis sive Græcis, qui conjunctim cum Orestis posteris, eam regionem coloniis suis occuparunt, in quibus Cyme, Myrina, &c. juxta Jones, auctore Vellejo Paterculo lib. 1.

4. *Joniamque.*] *Jonia* Asiæ quoque propriæ regio maritima, inter Æolidem & Cariam, à Græcis Jonibus nomen accepit, qui Peloponneso pulsi ab Achæis, in Atticam, antiquam patriam reversi fuerant; atque inde ducibus Nileo aliisque Codri regis liberis, trajecto mari Ægæo, in ora Lydiæ Cariæque urbes plurimas extruxerunt, Ephesum, Colophonem, Miletum, &c. Hodie *Quiscon* appellari ajunt. Non abs re igitur nunc Quintius ait harum provinciarum urbes, quæ coloniæ sint, non eo animo condi-

Urb. cond. ann. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

pis augendæ causâ, gentisque vetustissimæ per orbem terrarum propagandæ.

LIX. Quum hæsitaret Hegesianax, nec inficiari posset, [a] honestiorem causam libertatis quàm servitutis prætexi titulo; *Quin mittimus ambages,* inquit P. Sulpicius, qui maximus natu ex decem legatis erat, *alteram ex duabus conditionibus, quæ modò disertè à Quintio* [1] *datæ sunt, legite: aut supersedete de amicitia agere.* *Nos verò,* inquit Menippus, *nec volumus, nec possumus pacisci quicquam, quo regnum Antiochi minuatur.* Postero die Quintius legationes universas Græciæ Asiæque quum in senatum introduxisset, ut scirent quali animo populus Romanus, quali Antiochus erga civitates Græciæ essent; postulata & sua & regis exposuit. *Renunciarent civitatibus suis, populum Romanum quâ virtute quâque fide libertatem eorum à Philippo vindicaverit, eadem ab Antiocho, nisi decedat Europâ, vindicaturum.* Tum Menippus deprecari & Quintium & Patres institit, *Ne festinarent decernere, quo decreto turbaturi orbem terrarum essent. Tempus & sibi sumerent, & regi ad cogitandum darent. cogitaturum, quum renunciatæ conditiones essent: & impetraturum aliquid, aut pacis causâ consensurum.* Ita integra dilata res est. legatos mitti ad regem eosdem, qui Lysimachiæ apud eum fuerant, placuit: P. Sulpicium, P. Villium, P. Ælium.

LX. Vixdum ii profecti erant, quum à Carthagine legati, bellum haud dubiè parare Antiochum Annibale ministro attulerunt; injeceruntque curam, ne simul & Punicum bellum excitaretur. Annibal patriâ profugus pervenerat ad Antiochum, sicut antè dictum est: & erat apud regem in magno honore, nullâ aliâ arte, nisi quòd volutanti diu consilia de Romano bello, nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat. Sententia ejus una atque eadem semper erat, ut in Italia bellum gereretur. *Italiam & commeatus & militem præbituram externo hosti. Si nihil ibi moveatur, liceatque populo Romano viribus & copiis Italiæ extra Italiam bellum gerere; neque regem, neque gentem ullam parem Romanis esse. Sibi centum tectas naves, decem millia peditum, mille equites deposcebat. Eâ se classe primùm Africam petiturum, magnopere confidere, & Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse. Si illi cunctentur, se aliquâ parte Italiæ bellum excitaturum Romanis. Regem cum cæteris omnibus transire in Europam debere, & in aliqua parte Græciæ copias continere: neque trajicientem, & (quod in speciem famamque belli satis sit) paratum trajicere.*

LXI. In hanc sententiam quum adduxisset regem, præparandos sibi ad id

INTERPRETATIO.

a *Libertatis titulum honestiorem causam* præbere Romanis, *quàm servitutis titulum Antiocho.*

NOTÆ.

tas fuisse, ut regibus servirent, sed stirpis augendæ causâ, & propagandæ Græcorum gentis: quanquam anteà Persis paruerant magnâ ex parte.

1. *Data sunt.*] Usitatius est *conditiones ferre*, quam *conditiones dare*: quapropter probabili ratione hic scribi vult Gron. *lata* pro *data*: non tamen ambigendum quin Latinè dicatur *conditiones dare*: & eodem sensu *dare leges*, non minùs quàm, *leges ferre*, ut *dare veniam*, *dare potestatem & accipere*. Sic apud nostrum lib. 27. *est ejus qui dat, non qui petit conditiones dicere pacis.*

Urb. Cond. ann. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

popularium animos ratus; literas, ne quo casu interceptæ palàm facerent conata, scribere non est ausus. Aristonem quendam Tyrium nactus Ephesi, expertusque solertiam levioribus ministeriis; partim donis, partim spe præmiorum oneratum, quibus etiam ipse rex annuerat, Carthaginem cum mandatis mittit: edit nomina eorum, quibus conventis opus esset: instruit etiam secretis notis per quas haud dubiè agnoscerent sua mandata esse. Hunc Aristonem Carthagine obversantem, non priùs amici quàm inimici Annibalis, quâ de causâ venisset, cognoverunt. Et primò in circulis conviviisque celebrata sermonibus res est. deinde in senatu quidam; *Nihil actum esse dicere exilio Annibalis, si absens quoque novas moliri res, solicitandoque animos hominum turbare statum civitatis posset.* [1] *Aristonem quendam Tyrium advenam, instructum mandatis ab Annibale & ab Antiocho rege, venisse: certos homines quotidie cum eo secreta colloquia serere, & in occulto colloqui: quod mox in omnium perniciem erupturum esset.* Conclamare omnes, *Vocari Aristonem debere, & quæri quid venisset: & nisi expromeret, cum legatis Romam mitti:* [a] *satis pro temeritate unius hominis suppliciorum pensum esse. Privatos suo periculo peccaturos. rempublicam non extra noxam modò, sed etiam extra famam noxæ conservandam esse.* Vocatus Aristo purgare sese, & firmissimo propugnaculo uti, quod nihil literarum ad quemquam attulisset. cæterùm nec causam adventus satis expediebat: & in eo maximè hæsitabat, quòd cum Barcinæ solum factionis hominibus collocutum eum arguebant. Orta deinde altercatio est, aliis, pro speculatore comprehendi jam & custodiri jubentibus; aliis negantibus, tumultuandi causam esse. mali rem exempli esse, de nihilo hospites corripi. Idem Carthaginiensibus, & Tyri, & in aliis emporiis, in quæ frequenter commeent, eventurum. Dilata eo die res est. Aristo [2] Punico ingenio inter Pœnos usus, tabellas conscriptas celeberrimo loco supra sedem quotidianam magistratus prima vespera suspendit. ipse de tertia vigilia navem conscendit & profugit. Postero die quum Sufetes ad jus dicendum consedissent, conspectæ tabellæ, demptæque & lectæ. Scriptum erat, ARISTONEM PRIVATIM AD NEMINEM; PUBLICE AD SENIORES (ita senatum vocabant) MANDATA HABUISSE. Publicato crimine minùs intenta de paucis quæstio erat. mitti tamen legatos Romam, qui rem ad consules & senatum deferrent, placuit: simul qui de injuriis Masanissæ quererentur.

LVII. Masanissa posteaquàm & infames Carthaginienses, & inter seipsos discordes sensit, principes propter colloquia Aristonis senatui; senatum propter indicium ejusdem Aristonis populo suspectum: locum injuriæ esse ratus, agrum maritimum eorum & depopulatus est, & quasdam urbes ve-

INTERPRETATIO.

a Carthaginienses *satis malorum pertulisse ob temeritatem unius Annibalis.*

NOTÆ.

1. *Aristonem quemdam.*] Mercator hic fuit, & commercii prætextu missus Carthaginem ab Annibale ad amicos.

2. *Punico ingenio.*] Ut qui Tyri in capite Phœniciæ natus: unde Pœnis Carthaginiensibus origo.

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

ctigales Carthaginiensium sibi coegit stipendium pendere. [1] Emporia vocant eam regionem. ora est minoris Syrtis, & agri uberis. Una civitas ejus Leptis, ea singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedit. Hanc tum regionem & totam infestam Masanissa, & ex quadam parte dubiæ possessionis, sui regni an Carthaginiensium esset, effecerat. & quia simul ad purganda crimina, & questum de se Romam eos ituros comperit; qui & illa onerarent suspicionibus, & de jure vectigalium disceptarent, legatos & ipse Romam misit. Auditi de Tyrio advena primùm Carthaginienses, curam injecere Patribus, ne cum Antiocho simul & Pœnis bellandum esset. maximè ea suspicio crimen urgebat, quod quem comprehensum Romam mitti placuisset, nec ipsum nec navem ejus custodissent. De agro deinde cum regis legatis disceptari cœptum. Carthaginenses jure finium caussam tutabantur. *Quòd intra eos terminos esset, quibus P. Scipio victor, agrum qui juris esset Carthaginiensium, finisset: & confessione regis, qui quum [2] Aphirem profugum ex regno suo cum parte Numidarum vagantem circa Cyrenas persequeretur: precario ab se iter per eum ipsum agrum, tanquam haud dubiè Carthaginiensium juris, petisset.* Numidæ *Et determinatione Scipionis mentiri eos arguebant: & si quis veram originem juris exigere vellet, quem proprium agrum Carthaginiensium in Africa esse? Advenis, quantum secto bovis tergo amplecti loci potuerint, tantùm ad urbem communiendam precario datum: [3] quidquid Byrsam sedem suam excesserint, vi atque injuriâ partum habere. Neque enim de quo agatur, probare eos posse: non modò semper, ex quo cœperint, sed ne diu quidem eos possedisse. Per opportunitates, nunc illos, nunc reges Numidarum, usurpasse jus: semperque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset. Cujus conditionis res fuerit, priusquàm hostes Romanis Carthaginienses, socius atque amicus, rex Numidarum esset, ejus sinerent esse: nec se interponerent, quominus qui possent, tenerent.* Responderi legatis utriusque partis placuit, missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginiensem, & regem, in re præsenti disceptarent. Missi P. Scipio Africanus, & C. Cornelius Cethegus, & M. Minucius Rufus; audita inspectaque re, suspensa omnia, neutro inclinatis sententiis, reliquere. Id utrum sua sponte fecerint, an quia mandatum ita fuerit, non tam certum est, quàm videtur tempori aptum fuisse, integro certamine eos relinqui. Nam ni ita esset, unus Scipio vel notitia rei vel auctoritate, ita de utrisque meritus, finire nutu disceptationem potuisset.

NOTÆ.

1. *Emporia vocant eam regionem.*] Hæc loca Polybio lib. 3. versus majorem Syrtim, κατὰ τὴν μακρὰν Σύρτιν: Livio verò hic ad minorem Syrtim: sed Leptis magna, quæ & Tripolis, inter utramque, & majori propior cis fluvium Cyniphum, (qui nunc *Macres*) ad quem Cynips regio totius Africæ fertilissima. Leptis enim parva inter Adrumetum & Tapsum ad Bysacium pertinens, Carthagini propior aliquantum.

2. *Aphirem profugum.*] Polybius *Aphtheratum* vocat in Legationibus apud Henricum Valesium.

3. *Quidquid Byrsam.*] De hac secti Corii fabula & Byrsæ arcis confictо ex Græcâ lingua nomine, alibi dictum.

FINIS LIBRI XXXIV.

JO: CLERICI
IN T. LIVIUM
NOTÆ.

IN LIBRUM XXIII.

V. α *Per centum prope annos.*] Coeperat bellum a. u. c. 412. Vide l. 7. c. 29. & 34. Desierat a. u. c. 480. Itaque accuratius *Livius* l. 31. c. 31. inducit alium dicentem *prope septuaginta annis* bellum hoc gestum fuisse. Sed territum Consulem numerum de industria augentem inducit.

IX. β *Sacratis de mensis essemus.*] Facile esset interpretari ; ut hospitali mensæ, adeòque sacræ, adcumbentes unà convivaremur. Sed cum mss. habeant *Sacratas fide mansis*, quærendum quid inde fieri possit. Alienæ conjecturæ non placent, nec quidquam melius invenio.

XIII. γ *Priore Punico bello.*] Si hæc sunt à manu *Livii*, imprudens more Romano loquentem Pœnum inducit.

XIV. δ *Equum escendere.*] Formula antiqua, quæ significat jus belli gerendi. Vide *Plut.* in *Fabio*.

XXI. ε *Triumviri mensarii.*] Factum hoc, ne ob æs alienum turbæ nascerentur, ut a. u. c. 403. de quo vide l. 7. c. 21.

IN LIBRUM XXIV.

X. α *Quo magis credebant simplices.*] Nunquam desunt, qui ea narrent, quæ libenter audiuntur & credulis auribus excipiuntur. Hinc quoque liquet non tam credulum fuisse Livium, quàm videtur iis qui tot prodigia apud eum legunt. Vide ad l. 21. c. 62.

XI. β *Millibus æris quinquaginta &c.*] Quantas summas hodiernæ monetæ hæc conficiant, intelligere licebit ex iis quæ notavimus ad l. 1. c. 43. Unde etiam liquebit fatis grave onus privatis impositum fuisse.

XVIII. γ *Hasta hujus generis.*] Hoc est, auctionibus, quæ hasta posita fiebant. Vid. *Festum* in voce *Hasta*.

XXXII. δ *Adflati vano nuncio.*] Recepi conjecturam *J. F. Gronovii*, nam quod legebatur *inflati* vano nuncio absurdum erat. Sic de rumore etiam loquitur *Cicero* ad Atticum l. 16. Ep. 5. *sed tamen rumoris nescio quid adflaverat.*

XLIX ε *In Maurusios ex acie Numidas.*] Si nihil hic sit corruptum, crediderim *Maurusios Numidas* dici, qui parêrent Numidis, vel Syphaci.

IN LIBRUM XXV.

III. α DUcentûm millium æris.] Hoc est, monetæ Hollandicæ sex millium florenorum

III. β *Ut sortirentur, ubi Latini.*] Rectè conjicere videtur *J. F. Gronovius*: *ut sortirentur tribus, ac dein suffragium ferrent*. Neque enim Latini suffragium ferebant de capite civium Romanorum. *Sitella* autem admovebatur, ut Tribus, cujus nomen primum exiisset, in suffragium mitteretur. De ratione ferendorum suffragiorum vide *Nic. Gruchium* de Comitiis Pop. Rom. l. 1.

IX. γ *Nunciatio*.] Aut legendum *pronunciatio*, aut idem est simplex *nunciatio*. *Polybius* l. 8. c. 20. utitur verbo διασάφει.

IX. δ *Aliquantum*.] Rectè *J. F. Gronovius*: ad monumenta quæ intra &c. Vide *Polybium* in hac historia l. 8. c. 23.

XIV. ε *Princeps primus centurio*] Hoc est, primus Centurio Legionis III omnium princeps, aut ante alios (vide infra) arrepto signo castra Punica ingressus est. De primo Centurione vide *J. Lipsium* de milit. Rom. c. 2. Dial. 8.

XIV. ζ *Princeps tertiæ Legionis*.] Primus omnium ex tertia Legione donatus est.

XVI. η *In locum pacis Gracchum &c.*] Legit *J. F. Gronovius*: *quò cum paucis Gracchum ait ducturum*. Cum minori mutatione legere possis: *in locum, cum paucis Gracchum adducturus &c.* vel: *in locum, quò cum paucis Gracchum erat adducturus*.

XXII. θ *Consulibus litera &c*] Senatûs, nimirum, neque enim Prætor quidquam imperare majori potestati poterat. Suspicarer legendum, *Litera à P. C. à P. Cornelio &c.* & literas à *P. C.* propter repititionem omissas. Alii judicent.

XXIII. ι *Signum dari jubet*.] Vocale nempe, ut lib. 5. c. 36. Vide Just. Lipsium de milit. Rom. l. 5. dial. 9. & 10.

XXIX. κ *An posteris*.] Sic *J. F. Gronovius* rectè pro *quàm*. Parenthesin etiam ex ejus sententia collocavimus. Aliud nihil mutavimus.

IN LIBRUM XXVI.

III. α PErduellionis.]. De *perduellione* vide dicta ad lib. 1. c. 26.

V. β *Secundi hastati*.] Signum secundi manipuli hastatorum, ut c. 6. *Signum primi principis* est signum primi manipuli principum. *De hastatis, & principibus*, vide l. 8.

XI. γ *Rudera*.]. Hoc est, si credimus Glossario, æris rudis frusta, nam inter significationem vocis *rudus*, est χαλκὸς ἀνάργυρος. Vide & *Valerium Max.* l. 5. c. 6. ex Rom. 3. ubi consule *St. Pighium*.

XVIII. δ *Confusum suffragium*.] Cum per centurias, aut tribus suffragium latum non sit, sed confusè. Vid. *J. F. Gronovium*.

XIX. ε *Oriundi & ipsi à Phocæa*.] Ita loquitur *Livius*, quòd Gallicum sinum memorans cogitasset de Massilia illic sita, & à Phocæis, ut notum est, olim condita. Itaque voces hæ *& ipsi* potius cum cogitatione *Livii*, quàm cum ejus oratione connexæ sunt.

XX. ζ *Murgantini descivere*.] Sic *Gronovius* pro *Murgantina desciverunt terra*.

XXVII. η *Viginti millia æris.*] Hoc est, monetæ Hollandicæ sexcentos florenos.

IN

IN LIBRUM XXVII.

X. α VIcesimarium] Congestum paullatim ex vicesima parte precii manumissorum, quæ soluta fuerat ab a. u. c. 398. Vide l. 7. c 16.

XXIII. β *Adeo minimis &c.*] Mirum est falsitatem prodigii potiùs non arguisse *Livium*. Interea hic tertius locus est, ex quo liquet non usque adeò superstitiosum fuisse. Vide ad l. 21. c. 62. & 22. c. 1.

XXXII. γ *Pulsu pedum.*] Scabellis, nempe, & crupeziis pedibus subjectis, de quibus vide *Jac. Sponium* Miscell. Er. Ant. sect. 1. art. 6.

IN LIBRUM XXVIII.

IX. α SEstertiûm tricies.] Ex calculo *Gronovii* 227400 florenos Hollandicæ pecuniæ. Id tamen majorem summam fuisse putat.

IX. β *Quinquagenos senos.*] Circiter 30. stuveros.

XXI. γ *Servorum quive.*] J. F. Gronovii conjecturam, quæ proxima antiquæ scripturæ, in tantum admisi. Legebatur antea: *servorum delectu ac liberorum, qui &c.*

XXXVII. δ *Socio atque amico.*] Gades non erant colonia Carthaginiensium, sed Tyriorum, ideòque *socium* tantùm & *amicum* se vocat Mago. Vide *Sam. Bochartum* Chanaan l. 1 c. 34.

XXXVIII. ε *Sine magistratu.*] Magistratus propriè dicitur, ut viri docti viderunt, Dictator, Consul, Prætor, idque suo anno; non cui prorogatur imperium, aut qui pro Consule, aut pro Prætore mittitur. Vide l. 31. c. 48.

XXXIX. ζ *Consules.*] Sic honoris causâ vocantur, qui pro consulibus illuc iverunt Scipiones.

XXXIX. η *Dena millia æris.*] Trecentos Hollandicæ pecuniæ florenos.

XLIII. θ *Res gestas.*] Sic *J. F. Gronovius*, proxime ad antiquam scripturam, cum legeretur *ab eo gestas*, recentiores verò haberent, *res egregias p. a. gessisse.*

XLV. ι *Coronam auream &c.*] Donabant deos pecuniâ, quâ dii minimè egebant, eo ipso tempore quo extraordinaria auxilia à sociis præ egestate exigebant. O superstitiosam stultitiam!

XLV. κ *Triginta navium.*] Tot naves tam brevi tempore ædificari poterant, primò quòd abiegnæ essent, & viridi etiam materiâ constarent, cùm hodie sint quernæ, nec fiant nisi diu siccatâ materiâ. Vide Cæsarem de B. G. l. 3. c. 13. & infra l. 29. c. 1.

IN LIBRUM XXIX.

XIV. α IMpleverat ea res &c.] Vide quæ notavimus ad l. 21. c. 62. & 22. c. 1. & 27. c. 23. Quartus hic est locus, ex quo colligere licet usque adeò, credulum non fuisse *Livium*.

XVIII. β *Recreatus deinde.*] Sequebatur iterum *Legatus*, quod sustuli,

ftuli, auctore *J. F. Gronovio*.

XXXIV. γ *Æstiva &c.*] Sic ad mentem *J.F. Gronovii*, ex mſſ. locum emendantis. Antea erat: *Æstiva ſub tectis agere equitatus. Sint, inquit, vel plures* &c.

XXXV. δ *Quod tenui jugo &c.*] Hic locus poſtea, à Scipionis hibernis, dictus eſt *Corneliana castra*, & ſic deſcribitur à Cæſare de B. G. l. 2. 20. *Id autem eſt jugum directum eminens in mare, utraque ex parte praeruptum atque aſperum, ſed paullo tamen leniore faſtigio, ab ea parte, quæ ad Uticam vergit* &c. Quod à *Livii* interpretibus obſervatum non animadverti.

IN LIBRUM XXX.

V. α PRimis.] ſic rectè *J. F. Gronovius*, pro proximis.

XVII. β *Quinûm millium.*] Centum quinquaginta florenorum, comitibus verò triginta.

XVIII. γ *Equeſtrem procellam excitemus.*] Hoſtibuſne igitur nulli erant equites, quos Romanis opponerent? mille ducenti equites, quos immiſit Quintilius, non erant tanto numero, ut Galli ſimilem Equitatum habere non poſſent. Sed ſic ſæpe *Livius*.

XXVIII. δ *Qui ſenex &c.*] Oratoriè hæc dicta, nam Annibal per 18 dumtaxat annos exercitus Carthaginienſium à patris morte præfuerat, cœperatque *vix juvenis* imperare, ac proinde nondum 50. annum attigerat.

XXX. ε *Jam ætas ſenem.*] De oratoria hac exaggeratione dixi ad c. 29. Vide & c. 35. & 37.

XXXV. ζ *Sexto ac trigeſimo.* Iverat in Hiſpaniam annos novem natus, a. u. c. Catoniano 516. nunc verò labebatur a. u. c. 550. erantque dumtaxat 34. anni, quibus ſi addas 9. erit annus ætatis Annibalis 43. quem proinde *ſenem* nonniſi oratoriè vocavit *Livius*.

XXXVI. η *Saturnalibus primis.*] Primo die Saturnalium, ut recte *J. F. Gronovius*, qui dies incidebat in 16. Kal. Januarias, ſi veteri Calendario credimus.

IN LIBRUM XXXI.

I. α TRes & ſexaginta annos.] Ab anno Catoniano 488. ad an. 551.

V. β *Quingenteſimo quinquageſimo.*] Crediderim deeſſe *ſecundo*, is enim annus Æræ Catonianæ labebatur, etiam ex calculo Livii. Annus, qui hic habetur, neque cum Varroniana, neque cum Catoniana æra, quam ſequitur *Livius*, conſentit.

XX. γ *Ut qui neque dictator &c.*] Vide ad l. 28. c. 38.

XXXV. δ *Aberas &c.*] Hæc de ſententia *J. F. Gronovii* parentheſi clauſimus, & abjecimus *quum*; quod proxime antecedebat.

XL. ε *Proconſul.*] Sic ſcripſimus pro *Conſul*, ex ſententia *Gronovii* & *Mureti*, quia conſtat Scipionem nunquam conſulem in Africam iviſſe. Vide l. 29. c. 16.

IN

IN LIBRUM XXXII.

IV. α QUas cælo.] Sic pro *quam Cælen*, legendum meritò censuit *J. F. Gronovius*.

V. β *Eleis*.] Lege, cum *Gronovio*, *Megalopolitis*. Vide l. 28. c. 8.

XI. γ *Ut sua*.] Lege, *ut si sua*; quasi suæ res potestatis esset, non ducis, sic censuit *Gronovius*.

XIII. δ *Locus, quem ita vocant, est in Triphylia terra Melotidis*.] Hæc tollenda putat *Gronovius*, & meritò; locus enim, de quo hîc *Livius*, fuit in Epiro, non in Peloponneso. Postea etiam *montem Lyncon* legit.

XXIX. ε *Fregellis*.] Delevimus *quod &*, quæ hanc vocem antecedebant, jubente *J. F. Gronovio*.

IN LIBRUM XXXIII.

V. α CUjusque stipitis palma.] Id est, ramus. Vitis propriè dicitur *palmes* & *palma*, ut significentur majores rami. Vide Varronem de R. R. l. 1. c. 31. Hîc verò *palma* de ramo majore cujusvis arboris dicitur. *Polybius* in hac historia, habet κεραίας, hoc est, ramos è stipite, quasi cornua prodeuntes.

XIV. β *Ex quibus armatura levis*.] Supple *qui erant*, & omnia erunt plana. Ex Achæorum peditibus, qui erant armaturæ levis, una cum trecentis equitibus secum dimissis, opperiebantur, speculantes quam in partem hostes effunderent se, ut Nicostratum monerent.

XVIII. γ *Et Cretensium*.] Hæc emendata sunt ex *J. Perizonii* sententia. Antea erat absurdè. *Cretensium auxiliares Thracumque, Rhodia cohors &c.*

XXIII. δ *Exemptos*.] Sic ex sententia *J. F. Gronovii*, pro *exceptos*, edidimus.

XXXVI. ε *Minimè ob mora tadium patiens*.] Hoc est, minimè patiens belli, quod in longum tempus duceretur, ob tædium moræ. Itaque non est mutandum *ad moræ tædium*, ut est in Editione Parisiensi *Doujatii*.

XXXVII. ζ *Octingenti*.] Legit *J. F. Gronovius*, *Octogeni*, quod nimia summa videatur. Octingenti sunt circiter 15. floreni, octogeni verò florenus unus & dimidius.

XXXVIII. η *Quasi tabe*.] Sic *Gronovius* ex vestigio antiquæ scripturæ, pro *quos metuebat*.

XL. θ *Facienda in antiquum*.] Mallet *Gronovius* legi, *redigenda in antiquum jus*, vel *statum*. Meritò.

XLV. ι *Inertia operis*.] *Rubenius* & *Gronovius* suspicantur legendum *sopiri*.

XLVI. κ *Idem*.] Suspicantur viri docti, *is rem*.

XLVIII. λ *Suos*.] Sic ex sententia *J. F. Gronovii*, pro *suorum*. Alioqui legere etiam possemus, *suorum eventuum misertus*.

XLVIII. μ *Ex navibus*.] Hoc est, è navibus vela & antennas corrogari, seù colligi, ut tabernacula inde fierent. Nulla mutatione opus est, nec ullam quæsivisset vir longè doctissimus, nisi vitiosè *& navibus* legisset, cum sit in aliis editionibus *ex navibus*, ut edidimus.

XLIX. ν *Ne his*.] Fortè *nec id*, aut *nec hoc*.

IN LIBRUM XXXIV.

II. α ET *sperate ipsas &c.*) Sensus ostendit negatione hic opus esse, legendumque *nec sperate*; aut in sequentibus pro *nisi*, sublatâ negatione, *si*, dudum monuimus. Vide c.4.

XLVI. β *Ducenos septuagenos aris.*] Circiter 7. florenos Hollandicæ pecuniæ. *Gronovius* putat excidisse post hæc verba, *duplex Centurioni.*

L. γ *Centum talentis.*) Ex calculo *P. Gassendi* 223750 libræ Turonicæ, quorum sex conficiunt quinque florenos Hollandicos.

LIV. δ *Ad quingentesimum* &c.) Hinc liquet calculum, quem sequuti sumus, optimum esse.

FINIS.

